This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


826452 6

2KBC
Schmid

THESAVRVS
IVRIS ECCLESIASTICI
POTISSIMVM GERMANICI
SIVE
DISSERTATIONES
SELECTAE
IN IVS ECCLESIASTICVM
QVAS
IVXTA SERIEM INSTITVTIONVM EIVSDEM IVRIS
A SE EDITARVM
IN ORDINEM DIGESSIT,
ILLVSTRAVIT ANIMADVERSIONIBVS NOVIS,
ADAVXIT LVCVBRATIONIBVS PROPRIIS

ANTONIVS SCHMIDT S. J.
IVRIVM DOCTOR ATQVE IN ELECTORALI ET ANTIQVISSIMA
VNIV. HEIDELBERGENSI SS. CAN. PROF. P. ET O.

TOMVS II.
AD PARTEM SECUNDAM INSTITVTIONVM SVARVM.

ASTOR LIBRARY
NEW YORK

SVMPTIBVS TOBIAE GOEBHARDT
PROSTAT
HEIDELBERGAE, BAMBERGAE ET WIRCEBVRGI.
MDCCLXXIII.

PRAEFATIO.

Dum Tomus hic ſecundus Theſauri Juris Eccleſiaſtici lucem Deo propitio aſpicit publicam; vix quicquam occurrit aliud, de quo Lectorem monendum prius ducam, atque id, quod in fronte primi jamdum inſinuavi. Monui

CONSPECTUS

Diſſertationum Tomo hoc contentarum, quarum ſingulis animadverſiones novae ſubnexae ſunt.

I. FRIDERICH S. J. *Idea Nomotheſiae Eccleſiaſticae.*

II. IPSIUS EDITORIS *Vindiciae adverſus reſponſiones a Juſtino Febronio variis locis Inſtitutionum Juris Eccleſiaſtici ab ipſo editarum oppoſitas.*

III. NELLER *Apologia pro S. Synodo Romana Joannem XII. deponente.*

IV. BENDER S. J. *Animadverſiones in eandem.*

V. Pr-

CONSPECTUS.

V. PYTHAGORAS NOVUS EXCUSSUS *sive refutatio ejusdem Apologiae.*

VI. ENDRES *de recusatione Visitatoris Apostolici. Documenta huc spectantia.*

VII. IPSIUS EDITORIS *Diss. de Imperatore Statutorum in Ecclesiis Germanicis protectore.*

VIII. DÜRR *de judice controversiarum in caussis electionum Episcoporum Germaniae.*

IX. & X. KLEINER S. J. *de origine et antiquitate, item muniis et praerogativis S. R. E. Cardinalium.*

XI. LAMMERTZ *de praeeminentia S. Sedis Moguntinae.*

XII. GRELL vel potius NELLER *Hermenia in magni Balduini Trevirensis documentum anecdotum de jure succedaneo coronandi Archi-Episc. Trevir.*

XIII. ANONYM. *An Elector Sacro Pallio duntaxat carens Regem Romanorum inungere possit?*

XIV. ANONYM. *Quis Archi-Episcopo Elector, ad quem Regis nostri unctio de jure spectat, impedito vel renuente functionem obeat.*

XV. KAHLES *de potestate Episcoporum primigenia et solida suas regendi Dioeceses.*

XVI.

CONSPECTUS.

XVI. MÜLLER *de conjunctione Pedi et Gladii.*

XVII. NELLER *de ſacrae Electionis proceſſu.*

XVIII. NELLER *Collectio methodica Ss. Canonum de Poſtulatione Praelatorum.*

XIX. GALLADE S. J. *de Capitulatione Epiſcopo Germaniae electo a ſuis electoribus propoſita.*



I. PHI-

I.

PHILIPPI FRIDERICH Soc. Jesu
SS. Canonum in Alma et Antiquissima Universitate Heidelbergensi
Professoris Publ. Ordin.

IDEA
NOMOTHESIAE ECCLESIASTICAE
SYSTEMATIS HIERARCHICI FUNDAMENTIS INNIXA.

Heidelbergae A. 1746.

§. I.

Quaenam vera indoles aut character Nomotheſiæ ſeu poteſtatis Legislativæ Eccleſiaſticæ.

Plermulti operam recentiore hac ætate poſuere in detegendis Juris Canonici fontibus; nonnulli labore improbo magis, quam felici; dum hiſtoriæ ſacræ monumenta excutiunt, dum alias ex aliis *Juris Eccleſiaſtici origines* obtrudunt publico, dum fingunt & refingunt ideam ac Syſtema jurisdictionis, & Nomotheſiæ Eccleſiaſticæ, dum *Theologiam naturalem* in Scholas invehunt, principiis adeo indifferentibus nixam, ut facile illam applices omni religioni ac nulli, dum Eccleſiam ejuſque ſtatum, ſtructuram, indolem, gubernationem, atque adeo totam *legem gratiæ* ad *Jus naturale* revocant ac metiuntur, dum ex Jure naturali fundamenta, hypotheſes, argumenta petunt, quæ ſubſternant *Syſtemati ſuo Eccleſiaſtico*;

Equidem illi nobis fontes Juris Can. aperiunt, ſed ita, ut eos, qui limpidi antea fluebant, turbent etiam atque inficiant.

Nec eſt, cur mireris, Lector Erudite! Iſti enim homines, dum inveſtigant origines Juris Can. & faſtos antiquos Eccleſiæ volvunt, invenerunt hinc inde ſparſa Antiſtitum & Epiſcoporum elogia non ſatis honorifica: legerunt quosdam afflatos ſuſpicione avaritiæ, hypocriſis, ambitionis. Tum illi, velut capite Nili reperto tot ſæculorum myſterio: En fontes Juris Can.: Avaritia, hypocriſis, ambitio Pontificum, Epiſcoporum, Cleri! Ita diſerte Author *Juris Eccleſiaſtici Proteſt. in diſſert. Prælimin.* §. 20: *Ex hoc duplici fonte, avaritia & ambitione effuſum eſt myſterium iniquitatis per univerſam Eccleſiam, indeque factum, ut Lex Suprema Eccleſiaſtica, Salute vera Eccleſiæ conculcata, unice in eo quæreretur, quidquid ad augendum* (Cleri) *imperium, & quæſtum ſacrum faceret.* Sed quid cæteri peccarunt, qui honores ſacros & opes voluntaria paupertate abdicant? *Hypocriſis eſt.*

Ita Puffendorffius; qui Clerum orthodoxum inſigni humanitate ac Politico digna vocat *ſtolidum hominum genus . . . . immanem malitiam Sanctimoniæ profeſſione occultans* §. 51. *de habitu religionis Chriſtianæ ad vitam civilem.* Scilicet Vir Clariſſ. alludit ad illud, quod Sacris Oratoribus per ludibrium obtruditur: *Dicunt, non faciunt.* Politica recentior viam tenet e diametro oppoſitam. Vitia dexterrime diſſimulat ſub fucata ſpecie virtutis; atque, ut Julius Cæſar, calvitiem lauro tegit atque obumbrat; Pridem hoc de Pſeudopoliticis adagium volitat, qui multa clam & faventibus tenebris *Faciunt, non dicunt.* Sed ad rem.

Actum erat, ſi Adverſariis credimus, de vera & genuina indole *Salutis Eccleſiaſticæ*; ipſa Eccleſia *induerat faciem reip.*; Dominatus Sacer ſeu Hierarchia ab initio occulte, mox palam & per vim ſtabilita erat, imo tandem in *monſtrum illud Monarchiæ Romanæ* excreverat. Idem *Author* ſparſim *diſſert. cit.* Sed illuxit tandem illud tempus, quo Eccleſia primævæ puritati ac nitori eſt aſſerta, dum ſcilicet *jus Sacrorum* ad Principes, quibus debetur jure naturali ac divino, denuo eſt devolutum, dum Recentiores nonnulli *anxie deſudarunt in reſtauranda vera Salute Eccleſiaſtica, & infiniti abuſus rejecti, eliminatique.* §. 27. Magnifice iſta. Sed quid deeſt novi hujus Syſtematis de Salute Eccleſiaſtica ſtructuræ tam eleganti, tam affabre elaboratæ? Subtexit paulo infra: Inprimis *JCti peccarunt, quod Jus Canonicum retinendum eſſe tam ſtrenue contenderint, in quo pleraque adaptata ad falſam & ſpuriam Salutem Eccleſiæ, avaritiam ſcilicet & ambitionem.* Hinc ſupra jam queſtus erat: *principia erronea de republ. Eccleſiaſtica & imperio ſacro Clericali non emendata.* Huc videlicet adnitendum, ut, quidquid ſupereſt Hierarchicæ jurisdictionis & prærogativæ ſacræ, ad imam usque

que ſtirpem ac fibras radicitus exſcindatur; ut Petrus redigatur ad naviculam & rete; ut Cleri dominantis ſpiritus & conatus imperioſi frangantur; univerſum Regimen Eccleſiaſticum reducatur ad *Collegium* quoddam *Sacrum*, ſubordinatum tamen Magiſtratui politico, penes quem ſit poteſtas inſtituendi, deſtituendi, reformandi & perſonas & diſciplinam Eccleſiaſticam; ipſa vero Eccleſia per Collegium repræſentata ordinem externum ac decorem in Chriſtianis cœtibus tueatur, ſed ſine jurisdictione & vi coactiva: omnino ad *typum ac formam* Regiminis Eccleſiaſtici Apoſtolis coævi, *qua purior nulla fingi poteſt!*

Hoc eſt illud Syſtema potiſſimum a Puffendorffio expolitum & methodo concinna adornatum, ut putant Dogmatiſtæ Recentiores.

Noli tamen credere Lector erudite! Heterodoxos omnes verſari in hac ſententia. Peſſime conſultum foret tot Epiſcopis & Epiſcopabus per Sueciam, Angliam &c. ſi Hierarchicum ſyſtema ad unius Puffendorffii, Hennigii aut Pfaffii impetum repente corrueret. Sunt etiam inter ipſos clari nominis Theologi, quorum ego partes hic adeo non impugno, ut potius laudandos putem, quod modeſte ſua jura tueantur contra Pſeudopoliticos quosdam, qui ſuismet Clericis ne veſtigium quidem dignitatis priſtinæ relictum volunt; ſed identidem illud regerunt: Apoſtolos miſſos *ſine pera & calceis*; nulla inſtructos poteſtate niſi *pædagogica*, ſive ad docendum &c. Hi, vel me tacente, Juris Can. eximios uſus, autoritatem, neceſſitatem tuentur ac nervoſe propugnant: Hi acerbe queruntur, majores ſuos longius, quam par eſt, provectos, Jure Can. & ſubordinatione Eccleſiaſtica e fundamentis diruta, poſteris nihil reliquiſſe præter *Schema* Eccleſiæ *anarchicum*, *acephalum*, *autonomicum*; ceu ſcopas male diſſolutas, nulli ſervientes uſui, niſi forte in terga eorum, qui diſſolvere. Hinc illum contemptum, hinc egeſtatem ac victum præparce ſuppeditatum, hinc Laicorum Miniſtris Eccleſiæ inſultantium impotentem faſtum, ut illi ipſi, qui ante id ſolum agebant, ut Pontificis excuterent jugum, nunc voti damnatos ſentiant ſe mutaſſe dominum, non ſervitutem; qui anathemata & cenſuras aliasque pœnas Canonicas ridebant, ſoluti ſunt illi quidem metu *ſuſpenſionis* in foro Canonico, non criminali. Abſtineo exemplis. Lege apodictice & emphatice diſſerentem de hoc argumento Cl. D. Frœreiſen Academiæ Argentinenſis Rectorem ac Superintendentem in *Oratione de miſero Eccleſiæ ſuæ permultis in locis ſtatu:* Lege & miraberis, quanta ſit vis veritatis, quæ a Viro tantæ ætatis, experientiæ, eruditionis confeſſionem tam præclaram extorſerit. Sed de hoc infra uberius. Confer. *Titium* ad *Monzambani c. 8. Lit. O.*

Subodoratus pridem hoc Puffendorffius, jurisdictionem ſacram inter ſuos, & officium judicis Eccleſiaſtici ſenſim exoleviſſe; credebat, ut erat ingenio ad Politicen ficto factoque, fortunis ſe ſuis male velificari, ſi diu verſaretur in

ſcientia ſacra, ex qua nihil eſſet, quod expectaret olim dignitatis aut prærogativæ, niſi forte myſticas ſeu Apoſtolicas *claves*, Chriſtianis omnibus communes, ſed ſine ciſta; jurisdictionem ac judicium ſine enſe & ſtola; miniſterium & prædicationem Verbi ſine *jacculo & pera*. Itaque Theologiæ caſtris valere juſſis ad Juſtiniani ſigna ſe contulit. Nec ullus poſtea impotentius ſtylo & voce invectus eſt in Pontifices & Clericos non orthodoxos ſolum, ſed & ſuosmet, quos Aſinios tenebriones &c. in *ſpecim. controv.* compellat, prorſus immemor natalium & genealogiæ ſuæ. Sed hæc delibavimus ſolum. Ad Crinomenon redeamus.

§. II.

Idea Salutis Eccleſiaſticæ.

Cum Thema controverſum, ejusque reſolutio potiſſimum pendeat ex Idea *Salutis Eccleſiaſticæ*, ad quam LL. Eccleſiaſticæ omnes incolumem præſtandam feruntur, videndum eſt, ut illam e fontibus, quoad fieri poteſt, puriſſimis & illibatis deducamus. *Salus Eccleſiaſtica ſuprema Lex eſto*, una omnium vox eſt JCtorum & Theologorum. Quænam illa? *Pietas* & actionum Chriſtiano dignarum *honeſtas*, quæ concordia & unione animorum alitur ac fovetur, per LL. Eccleſiaſticas præſcribitur, excolitur, perficitur ad finem ſupernaturalem aſſequendum; ſive ut brevius rem exprimam: Salus Eccleſiaſtica effloreſcit e duobus: *Vera credendo, recta agendo.* Ad utrumque plusne conferat ſyſtema Hierarchicum, an vero anarchicum ſeu autonomicum, problema eſt nos inter & Heterodoxos controverſum. Duplex ad *felicitatem* Sacram populorum tuendam requiritur norma: *credendorum & agendorum;* quarum illa fluit ex jure divino, certa, inconcuſſa, immutabilis: hæc, è qua conſurgit ordo, decor, tranquillitas, magnam partem pendet e legibus humanis; cumque in diſciplina Eccleſiaſtica potiſſimum verſetur, varia eſt pro diverſiate Eccleſiarum. Hæc tamen varietas non turbat, ſed delectat diſcolori quadam venuſtate, quæ fere in quavis rerum diſſimilium collectione ac ſymmetria partium idem corpus conſtituentium relucet. Dogma eſt *Autoris Juris Can. Proteſt.* in notis marginalibus §. 21. *Jus Pontificium, Epiſcopale & tota Hierarchia pugnat cum ſalute Eccleſiæ:* Excutiamus fundamenta aſſertionis. Fontes igitur corrupti & ſtatus & juris Eccleſiaſtici ſunt ſeqq.

§ III.

Reflexiones Criticæ Adverſariorum ad Syſtema Hierarchicæ jurisdictionis.

Fons I. *Dominatus ſacer* Cleri & Epiſcoporum, qui *miniſterium ſuum vertunt in dominatum*; certant *de primatu*, præ inviſo nudi *Doctoris* titulo placet *imperium.*

perium. §. 24. & ſparſim alibi. R. Vir Clariſſime! adnitendum nobis eſt ante cætera, ut reſecta omni verborum aſperitate in ipſo quæſtionis crinomeno conveniamus; ne, dum diſceptamus, ad orientem alter, alter ad occidentem feramur. Modeſte agamus primo de re ipſa: poſtea de vocabulis. Orthodoxi aſſerunt in Eccleſia extare, imo ineluctabili neceſſitate requiri ſubordinationem quandam Hierarchicam, auctoritatem, prærogativam, jurisdictionem ſuperiorum in inferiores: ſine hac exiſtimant nihil ordine, nihil pacate in Eccleſia geri poſſe, ſolvi animorum unionem, invehi autonomiam ſeu libertatem ſuo arbitrio quidlibet & ſentiendi, &, quod pronum eſt, agendi. Hæc auctoritas, eminentia, poteſtas Nomothetica, dignitas Judicis Eccleſiaſtici roboranda fuit SS. canonibus, decretis Pontificum, Conciliorum oraculis; ut adeo plures tituli de *Majoritate & obedientia*, de *Epiſcopis* & *Vicariis* eorum, de *Legatis* & *Judicibus &c.* diſerte agant in Jure Canon. ad ideam Juris Civilis & Cæſarei, ubi, quid juris circa Majeſtatem imperatoriam, regalia, Judices & Politicam Judicum autoritatem, oſtenditur. Hic Autor noſter, cum rationibus & autoritate evertenda fuiſſet ipſa poteſtas Eccleſiæ in ferendis LL. & gubernandis ſubditis Chriſtianis, nihil ſonat, niſi Clericorum faſtum, pompam, dominatum, imperium, Tyrannidem, quas voces perſæpe obtrudit tota *diſſert. prælimi-nari.*

Satis moderate hac de re ſcripſere tum Theologi, tum Canoniſtæ etiam Heterodoxi, inter quos Schilterus tuetur ac docet: in Eccleſia dari ordinem *imperantium* ac *parentium.* Autor Cl. in ſuis ad *Schilterum notis* conatur enervare hanc opinionem. Quid præſtiterit, alii judicent. Certe ſuam vulnerarunt cauſam iidem Canoniſtæ, quod in Syſtema Hierarchicum ab initio liberius invecti, dum ipſa Juris Can. fundamenta incaute labefactant ac ſuffodiunt, ruina ejusdem in Eccleſiis ſuis fere collapſi ſe ipſos pæne oppreſſerunt. Ex illo enim tempore Puffendorffius, & complures cum eo Politici omnem Cleri autoritatem obterere ac penitus elidere aggreſſi, Eccleſiam ſtatuere nihil eſſe aliud, quam *Societatem externam* Chriſtianorum per modum *Collegii* cujusdam coëuntium & conſentientium circa religionem & cultum divinum, quo in Collegio ſolam Clericis reliquere manuductionem aut *Pædagogiam* ſpiritualem. Cujus *Pædagogiæ* effectus recenſent: vi ſolum *ſuaſiva* inſtruere, docere, paſcere gregem, *Principis deputatione* ſibi commiſſum. Principi competit *jus Sacrorum* ac *generalis inſpectio* Collegii hujus, cui vices ſuas delegat in gubernatione externa Eccleſiæ, in admovendis & amovendis Miniſtris; in corrigendis abuſibus, arcendis dogmatis pernicioſis &c. ita tamen, ut nihil definiat circa fidei articulos, quæ poteſtas ſoli Chriſto, Paſtori Paſtorum, unice reſervata eſt. Addit Pfaffius ab hoc Collegio (quod *Eccleſiam* vocant *repræſentativam*, & in qua reſidet qualiscunque jurisdictio, a Principe tamen delegata, circa ordinem &

formam externam regiminis Eccleſiaſtici) recte excludi Theologos poſſe, imo id interdum expedire ob vitandam *hæretificinam*, forte quod Theologi, ſuæ addicti ſententiæ, cæteros damnent continuo dogmatis perverſi atque Hæretici. Proinde Clericis ſuis ſufficere autumat authoritatem *Pædagogicam*, quæ ſine ulla ſpecie jurisdictionis conſiſtit intra Doctoris officium. Quod Syſtema Puffendorffianum, ſtructuram & Nomotheſiam Eccleſiæ alibi conſiderabimus.

Ægre tulerunt, ut par erat nonnulli Theologi Heterodoxi Puffendorffium, Theologis infenſum, acerbe eos inſectari & calcare faſtum Clericorum, ſed, ut Cynicus ille, majore faſtu. Videbant eum ab *Eccleſia* illa *repræſentativa*, excluſis & extruſis Theologis, affectare Dictaturam in rep. ſacra & more Quiritum reſervare ſibi & Politicis ſecures & inſignia poteſtatis, Theologis ſuis nihil relinquere, niſi ſterile nomen Conſulum & faſces ſeu virgas *in ordine ad effectum Pædagogicum*. Itaque fuere, qui ſtringerent calamum, ac Politicos extrema quæque in Collegio Eccleſiaſtico audentes coercere conarentur. Sed ſero: Jacta erat alea. Succuſſis enim Juris Can. fundamentis, cum Theologi nonnulli prærogativam ſibi deberi contenderent Clericis propriam, Puffendorffiani continuo: has eſſe *reliquias fermenti Papiſtici*, reſponderunt; atque ita ad clavum ſedent hi Dogmatiſtæ, Theologi ad remos, ſola illis obſequii gloria relicta. Mira profecto rerum converſio, ut, qui Pontificem & Epiſcopos recuſabant Judices, jam ſubſint Laicis, eadem paſſi a ſubditis, quæ auſi in ſuperiores. Sic volvitur ordo.

Puffendorffius Hierarchiam Eccleſiaſticam, a Politica diviſam, iis coloribus nobis depingit in libro de *Habitu religionis Chriſtianæ ad vitam civilem*, ut illam putes eſſe *Monſtrum Politicum ſtatus in ſtatu*. Jam illam vocat *Regnum Sacrorum, extra cujus pomœria nemini ſalute potiri liceat*, ſcilicet ex ſententia Pontificiorum. Jam *hanc quæſtionem* ait *eſſe ex præcipuis, quæ per orbem Chriſtianum agitantur, & in qua Pontificii veluti ſuæ cauſæ arcem collocant*. Ad hanc ſubruendam & ipſe & Thomaſius, Hennigius, Pfaffius &c. totas acies in bella trahunt.

Hanc inquam *arcem* per duo jam ſæcula pertinaci obſidione Adverſarii premunt: res acta eſt vario armorum genere; Dum Politici iſti certant ſtylo, ſcriptis ac libris, alii eandem adorti ſunt ferro & tormentis bellicis; Utrique Marte parum felici. Nobis cum prioribus manus conſerendæ.

Præmittunt ad oppugnandam Hierarchiam primo quoſdam levioris armaturæ velites, apophthegmata illa: *Evangelium non abolet Politias*. Sed poteſtas Hierarchica evertit *ſtatum Politicum*, facit *regnum in ſe diviſum*. &c. ℟. Vertamus haſtas: *Politia non abolet Evangelium*; imo nec, ſi maxime vellet, Eccleſiam tot jam Pſeudopoliticorum victricem abolebit. Poteſtas Hierarchica

&

& Politica non *dividunt regnum*, ſed laborem, curas, adminiſtrationem, negotia; ſorores ſunt, quarum ſi quæque ſuo invigilet officio, rem œconomicam non turbant, ſed promovent. Non erubeſcit Puffendorffius objicere nobis *ſtatum in ſtatu*, *regnum diviſum* &c.? Nonne ipſe in ſua hiſtoria nobis adumbrat ſub tempora Reformationis miſeram Germaniæ faciem, in qua, dum Hierarchiam Romanam i. e. *ſtatum in ſtatu* multi evertere conabantur, quid propius abfuit, quam ut everterent *ſtatum cum ſtatu?* Ex illo tempore Aquila illa biceps (fatale Germanis omen) a ſe ipſa diſſidens, ſuismet unguibus cruenta & ſaucia altero vertice Orientem reſpicit, altero occidentem, conſiliis animisque diviſis. Quid ſentis, Lector Erudite! dum in Puffendorffio, omnem præcipiendi aut imperandi poteſtatem amoliente ab Eccleſia, legis de Habitu relig. §. 17. *Deus non vult obtorto collo homines in cælum rapere:* & *Dimacharum Gallicorum hoſpitationibus in ſalutis viam eosdem pertrahere.* Niſi fallor, Vir Clariſſ. innuit hoc loco, religionem invitis obtrudi *per arma, militesque* non debere. Sed an refert, utrum e Gallia Dimachas illos & Miſſionarios cataphractos accerſas, an e Septentrione trans mare Balthicum? Chriſtus ait: *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus & publicanus.* Non præſtare obedientiam Eccleſiæ, e Chriſti oraculo, ſcelus eſt anathemate dignum. Nos jubemur parere; Eccleſia nihil poteſt imperare; Quæ paralogia? Illud magis mirandum, Dogmatiſtas iſtos libertatis autonomicæ aſſertores, poteſtatis Hierarchicæ hoſtes, cum ſcribunt in jure Publico de *Morbis imperii Rom.* curandis, eos plerosque repetunt ex defectu ſubordinationis ac nexus membrorum cum capite, (quam in Eccleſia dicimus Hierarchiam) adeo ut Monzambanus Imperium Germ. vocet *irregulare quoddam corpus, nec Monarchicum, nec Ariſtocraticum, nec Democraticum.* Quale ergo? Ne cogatur dicere *anonymum*, denique dicit *Politicum:* imo Oldenburgerus in diſcurſu V. ad Inſtr. Pacis Syſtema Imperii vocat *truncum arroſum, male cohærentem ex animorum diſſenſu, quos religionis diverſitas*, & *ſeparatæ ſingulis rationes, diviſa conſilia, ſpes metusque ſecreti jam pridem diſtraxere.* Et tamen, quam ipſimet formam, calamitates, morbos deplorant in Imperio, eosdem per principia ſua autonomica intrudunt in Eccleſiam.

Non adducitur Puffendorffius, ut credat, Chriſtum in Eccleſia ſua erexiſſe poteſtatem ſacram aut jurisdictionem Hierarchicam, independentem a ſtatu Politico. Cur ita? ne duæ ſint ſupremæ poteſtates in rep., quas inter ſe dum collidi contingit, non poſſunt non oriri *turbæ, abuſus, oppreſſiones* &c. Addit Burgoldenſis proverbium illud paſſim volitans: *Tamdiu florere remp., quamdiu Moyſes & Aaron fratres permanſerint;* conveniens eſt itaque, ut jus Majeſtaticum & jus Sacrorum, in unam eandemque Principis perſonam confluant. ℞. Quam formam regiminis Eccleſiaſtici Chriſtus invexerit in Eccleſiam; utique non eſt e Puffendorffii *Jure naturali* eruendum, ſed Evangelio. Non eſt

neceſſe

neceſſe hic textus e Sacris literis congerere, e quibus relucet manifeſte Hierarchica *ſubjectio* fidelium, *Petri primatus*, conceſſæ Apoſtolis *claves*, *poteſtas ſolvendi*, *ligandi* &c. Illud ſolum quærimus Orthodoxi: Ubi dictum eſt Tiberio Cæſari, aut Herodi: *Tibi trado* jus Sacrorum? *attende tibi & gregi in qua te poſuit Spiritus S.*, jure territorii & indole nativa ſummi imperii, *regere Eccleſiam Dei?* Equidem lego de Herode: *Dicite vulpi illi*: quod vero vulpi huic gallinas commiſerit, aut Lupo oves, ubi ſcriptum? Itaque non vanitas, ſed impudentia eſt, quod aſſerunt nonnulli ex Houtvini Politica: *Ethnicis quoque Principibus jus definiendarum controverſiarum inter Chriſtianos de religione ortarum competere.* Eſtne Lector erudite! cur immorem his monſtris opinionum refutandis? Adeone vilis eſt Pſeudopoliticis iſtis Eccleſia Chriſti & jus ſacrorum, ut illud non dubitent in Diocletianos, Maxentios, Julianos Apoſtatas, Sultanos Turcarum transfundere una cum jure Territorii? Nonne hic eſt Schiſmaticorum Græcorum ſpiritus, qui, ut refert Wietrowski, cum jam obſidione premeretur Conſtantinopolis a Mahomete II, dixiſſe feruntur: *Melius ſibi futurum ſub Cidari Turcarum, quam tiara Pontificis?* At poſſunt oriri *turbæ*, *diſſidia*, *oppreſſiones* ex colliſione ſacerdotii & imperii? ℞. Ecquod genus eſt regiminis Politici, in quo non poſſint oriri *turbæ*, *diſſidia*, *oppreſſiones?* Naſcuntur illæ ex ſyſtemate reipubl. quocunque, ſive Monarchicum, ſive Ariſtocraticum, ſive Democraticum ſtatuas. Igitur ad argumentum, ipſis etiam Adverſariis ex æquo ſolvendum, reſpondemus Orthodoxi, diſtinguendo: Ex Syſtemate Hierarchico pullulant interdum contentiones inter poteſtatem ſacram & profanam *ex vitio regiminis* N. *Regentium* Tr. . Chriſtus, cum *tradita* ſibi ſciret *omnia* a Patre *in cælo & in terra*, non ſolum Rex regum & Dominus Dominantium, ſed etiam caput Eccleſiæ, utramque poteſtatem ſacram, & profanam ita diviſit, ut juberet *Cæſari* dare, *quæ ſunt Cæſaris*, *Deo*, *quæ Dei.* Tiberio reliquit imperium, Eccleſiam commiſit Apoſtolis; nec in unum verticem contulit diadema Cæſareum & tiaram Pontificiam. Fuit hæc ipſius Sapientiæ æternæ idea de Syſtemate Eccleſiaſtico; nec opus fuit illi adhibere in conſilium *Hobbeſium* quendam aut *Puffendorffium*, qui ſuggereret, quid *juris naturalis* eſſet circa *ſupremam poteſtatem ſummorum Imperantium in ſacris.*

Revocant in ſcenam Othones IV, Fridericos, Henricos &c. a Pontificibus cruento diſſidentes odio. Conſtantinos, Theodoſios, Carolos M. & Imperatores in ſerie Auſtriacorum prope omnes, ſub quibus auream ætatem invexit orbi Romano & Chriſtiano concordia Sacerdotii & Imperii; Hos inquam cæteris & plures & pietate ac rebus geſtis clariores tacent. Dixi tamen Tr. Non enim *vitio Regentium* adſcribenda ſunt diſſidia inter Impp. & Pontifices. Singula fere ſæcula tulere homines, qui Pſeudopolitica in aulas principia inferrent, diſſeminarent odia Reges inter & Pontifices, bella incenderent, e clade

&

& ſpoliis Eccleſiarum quæſtum facerent, ac denique religionis uſum e regionis utilitate metirentur. Audiamus Monzambanum. c. 8. *Fas eſt nobis diſpicere, quatenus Dogmata Theologica, per quæ homines ad ſalutem æternam deducere Sacerdotes laborant, ad rationes noſtras politicas quadrent.* Hoc eſt: Fas eſt Politicis Evangelium accommodare Codici, Religionem Politiæ.

Quæ affert Burgoldenſis, ipſum involvunt adverſarium. Nemo negat tum demum felices fore reſpubl. & imperia, ſi *Moyſes & Aaron*, Imperator & Pontifex, fratres fuerint, i. e. concordes, nec alter alterius jura involet & turbet, nec ille ſacris, nec profanis iſte ſe negotiis ingerat. Sed quid extundit Burgoldenſis? ergo Jus Majeſtatis & Sacrorum ſunt penes eandem perſonam? nunquid eodem argumento Regum & Principum Europæorum omnium jura transferre poſſet in Cæſarem?

At hoc ipſum offendit Politicos Heterodoxos, quod in Eccleſiam invehant Pontificii ſpeciem quandam reipubl., *Schema politicum*, aut *ordinem parentium & imperantium.* Purior Eccleſia neſcivit ſuperba iſta nomina: *Pontifex, Cardinalis, Princeps S. R. Eccleſiæ, Metropolitanus* &c. *Epiſcopus Oecumenicus.* ℞. Relinquamus ſuos cuique ætati titulos & ſplendida vocabula. De re ſimus ſolliciti. Tituli enim cum foliis cadunt quotannis ac defluunt, & renaſcuntur. Sic Lutherus *Tract. adverſ. ſtatum. Eccleſ.* nominat ſe: *Eccleſiaſten Dei gratia, & Evangeliſtam.* Beza Magiſtrum ſuum vocat: *Os Domini & Galliæ Apoſtolum.* Quo fundamento juris aut Scripturæ, non vacat excutere. Refert ipſe Pfaffius quosdam in Saxonia & Ducatu Luneburgico vendicare ſibi titulum *Superintendentis Generaliſſimi.* Reddamus iſta Græce: Habemus *Epiſcopum Oecumenicum.* Et hæc in Saxoniæ angulo? Puffendorffius dum Patronum libris ſuis quærit, *ſpecimen Controv.* dedicat *Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo Upſaliæ*, qui tamen alibi acerbiſſime inſectatur Pontifices ob titulos faſtum ſpirantes. Quid ad hoc Lector Erudite! Nunquid in uſu deſiit eſſe regula juris: *Quod quisque juris in alium* &c.?

Sed quando ad Eccleſiæ purioris tempora provocant, delibemus nonnulla, quæ Patribus non aſſentatio utique, ſed veritas & Eccleſiæ conſuetudo extorſit. Origenes in *C. 6. ad Rom. Petro*, ait, *ſummam rerum de paſcendis ovibus traditam, & ſuper ipſum velut Petram fundatam Eccleſiam.* Evolvatur Origenes, & videbis illum ipſis Eccleſiæ, quæ nunc eſt, Orthodoxæ verbis loqui. Euſebius *l. 2. hiſt. Eccleſ. C. 14. Petrum* vocat *Apoſtolorum maximum, primorum Principem & Ducem.* Chryſoſt. *hom. 55. in Matth.* Petrum appellat: *Eccleſiæ futuræ Paſtorem & caput, & univerſo terrarum orbi a Chriſto præpoſitum.* Regerunt nonnulli: Patres hic & alibi de Pontificibus & Petro locutos, ut *Rhetores.* Sed vereor, ne Orthodoxi candide reſpondeant: iſtos Patrum interpretes fingere,

ut Poëtas. Sed quia ad *Schema politicum* Eccleſiæ devenimus, an ferendum eſt, quod Autor *Emendationum in Jus Can. Schilteri* ſibi permittat, ut ipſos Primitivæ & naſcentis pæne Eccleſiæ Patres doceat loqui? Si fidem habeas Autori in Præfatione ſua: *Patres & Scriptores corruptis verborum deſignationibus uſi ſunt; unde non potuit non ipſius juris Eccleſiaſtici jactura promanare. Jam ſæculo Cypriani Eccleſiæ appellatio verum amiſit ſenſum & CLERO, imo primario EPISCOPO attributa eſt.* Hoc ipſum eſt, Vir. Clar. quod volumus; ſcilicet nomen Eccleſiæ antonomaſtice cadere in partem ejus potiorem, Clericos & Epiſcopum diœceſeos ſuæ ſeu Hierarchiæ particularis caput. Pergit Autor: *ſi Irenæi tempora, hoc eſt Sæculum II. conſidero, prædicata Eccleſiæ interna & inviſibili in ſacris tributa, incaute cœtui cuivis externo applicata fuere, ut Irenæi ſcripta produnt.* Liquidum eſt proinde, Chriſtianismum ætate ſecunda necdum degenerem per Eccleſiam nil aliud deſignaſſe, niſi cœtum viſibilem ſub regimine Hierarchico aggregatum. Subdit: *Poſt tempora Cypriani Eccleſia conſtanter pro ordine parentium & imperantium habita fuit*, hoc eſt, *pro rep.* Ecquod illuſtrius teſtimonium exſpectas Lector Orthodoxe! pro Syſtemate Hierarchico? Nimirum *conſtantem jam inde a Cypriani ævo fuiſſe ſenſum Patrum: In Eccleſia dari formam reipubl. ſacræ*, quæ ſine ſubordinatione ſubditorum & Antiſtitum, ſine jurisdictione ſacra non conſiſtit? Quid reſtat Viro Clariſſ. niſi ut, quod aperte innuit, Eccleſiam e latere Chriſti recens natam jam primis temporibus erraſſe contendat & Sponſam Chriſti in ipſis fere cunabulis faciat adulteram? Alii alia ſentiunt, & Eccleſiam Sæculo III. alii IV. alii V, dicunt ab orthodoxa fide defeciſſe, mendaciis trium ſæculorum ſpatio a ſe invicem aberrantibus. Qui omnes inter ſe conſentiunt, ut mæchi ſenes Judices iidem & accuſatores Suſannæ; niſi quod hi in voce *ſchini* & *prini* differrent aliquot literarum diſcrimine; illi trium quatuorve ſæculorum intervallo.

Addit Cl. Autor: Sæculo III. *miniſtri Eccleſiæ Sacerdotium ſibi in ſenſu proprio vindicarunt, cum antea in ſenſu myſtico & improprio Sacerdotes dicti fuerint.* Agnoſce hic fatentem reum. Ante tempora Conſtantini M igitur credebant Orthodoxi Chriſtum inſtituiſſe veram religionem, verum ſacrificium, veros ſacerdotes. Putabant pro candore ſuo & ſimplicitate antiqua: Chriſtum, dum ipſa fundamenta Eccleſiæ moliretur in ſacramentis inſtituendis, non aliter voluiſſe loqui, aliter ſentire; non figurate, metaphorice, ſymbolice; ſed aperte, proprie, diſerte mentem ſuam expoſuiſſe. Primæva Eccleſia *figuras* & umbras remittebat ad Synagogam, veritatem ac ſubſtantiam in fœdere novo ſubrogatam aſſerebat: ſed poſtquam omnia in ſacris literis cœpere in metaphoras reſolvi, jam, ut ſcite ait nonnemo, videmus quosdam adſtruere religionem ſine templo, templum ſine ara, aram ſine ſacrificio, ſacrificium ſine ſacerdotio; ita tamen, ut hæc omnia in *metaphorico* ſenſu admittantur; id eſt:

ſacri-

ſacrificium labiorum, *ſacerdotium myſticum*, *boſtia tropologica* &c. Longius progrediuntur Sociniani & Servetiani, qui, cum agitur de Chriſti divinitate 1. Joannis: *Deus erat Verbum*: etiam hic metaphoram invenire ſibi viſi ſunt, Chriſtumque non vere Deum eſſe, ſed metaphorice contendunt, juxta illud: *Dii eſtis*: &: *imago & figura ſubſtantiæ ejus.* Quibus e principiis ac methodo exponendi ſcripturas & Patres quid emergit denique, niſi Religio metaphorica, figurata, umbratilis?

Quod vero Author Clar. dicit: *per vim* ſtabilitam eſſe *Hierarchiam Romanam*, non diffitemur, Pontifices interdum jura ſua & jurisdictionem armis tueri coactos. Petrus ſcilicet, cum e Malchi poſteris quidam Chriſtum in ſuo Vicario adorti, eidem claves extorquere niterentur, neceſſe habuit gladium, tantisper a Paulo commodatum, in aggreſſores injuſtos ſtringere; qua in re nihil eſt, quod violentiam ſpiret aut tyrannidem.

Fons II. In Eccleſia Romana *ſcriptura* pertinet ad *Monopolium*; preces ipſæ & pietas tranſiit in modos acquirendi §. 26. *diſſert. cit.*; *omnia ad quæſtum accommodata.* Itaque avaritia etiam corrupit ideam *veræ Salutis Eccleſiaſticæ.* R. Quorſum hæc tam odioſe & ſatyrice? An ex eo, quod avari, imperioſi, Hypocritæ ſint Clerici quidam, fluit: ergo *avaritia* & *ambitio* ſunt cardines, quibus innititur Jus Can.? Hic te non Juris tantum, ſed juſtitiæ Conſultum volo, Vir Clariſſ.! Vitia civium refundere in civitatem & ſingulorum errata in univerſos, durum eſt atque iniquum. Tu crimina Clericorum in ipſos Canones detorques, perinde ac ſi iſti ad quæſtum, avaritiam, monopolium forent compoſiti. *Scriptura pertinet ad monopolium?* Eccur? quia non omnibus promiſcue legere illam permiſſum? ſed nec inter Heterodoxos omnibus permiſſum, prælegere jura, explicare Verbum Dei e ſuggeſtu, in judiciis ferre ſententiam: an ideo leges, Verbum Dei, judicia pertinent ad Monopolium? Obſcurum eſt, opinor, quantas in Eccleſia & republ. turbas concitarint ſacræ literæ ab imperitis lectæ, non intellectæ? Neſcimus ſcilicet ſeſquiſæculo abhinc Sutores & Sartores, imo & fæminas, repente Apoſtolos & Apoſtolas, provolaſſe in Cathedram, ſcripturam interpretatos, correptos idcirco repoſuiſſe frigide illud Apoſtoli: *Puto quod & ego ſpiritum Dei habeam?* Hic Puffendorffius detonat in Eccleſiam Romanam, perinde ac ſi illa Nomotheſia ſua abutatur ſanciendo leges, quibus prohibet *legi Scripturam*, & libros ab Heterodoxis in lucem ſparſos. Eccleſia Romana *diffidit cauſæ ſuæ*, ut putat, verita ne fraudes & errores detecti emanent in publicum. Sed fallit & fallitur Puffendorffius. Non diffidimus cauſæ noſtræ, ſed fidei & candori veſtro. Ex quo enim ſexcentæ prope verſiones ſacrarum literarum ſunt adornatæ, quæ neque inter ſe neque cum fontibus Hebræis & Græcis conciliari ulla ratione poſſunt, neceſſe fuit, habito delectu, verſionem unam deſignare, quæ palmam ferret præ cæteris,

quæ non a Crypto-Theologis in ſpecu ſubterraneo procuſa quintum orbi Chriſtiano Evangelium inveheret, ſed a SS. Patribus concinnata, ab Eccleſia & uſu tot ſæculorum eſſet comprobata. Et quibus tandem prohibitum eſt volvere ſacras literas, niſi qui ab ingenio & eruditione parum inſtructi lectionem ſcripturarum ac fontes veritatis ſibi vertunt in venenum? Certe indignum eſt, quod refertur de Matronis quibusdam nobilibus in Gallia Janſenio addictis, fœminas diſputationes Polemicas *de auxiliis gratiæ* adornare eo ardore, ut illas ad lauream Theologiæ Janſeniſticæ aſpirare crederes. Exiſtimabant forte, uti lectionem, ſic neque explicationem Verbi Dei pertinere ad *Monopolium*.

Sed ad rem ipſam. Author *Juris Eccleſ. Proteſ.* in hierarchiam Romanam conjicit graſſantem in Eccleſia avaritiam & ambitionem. Non ſatis concinne; nam idem candide fatetur, etiam *hodie ſibi ſuisque colluctandum eſſe cum malo illo* (avaritia & ambitione) deſtructa licet Hierarchia Rom. §. 29. & 20. *multa indigere reformatione noſtras Eccleſias nemo negabit.* Ut video, Hierarchia quidem inter adverſarios ſucciſa eſt; vitia tamen Syſtematis Hierarchici vivunt ac vigent. Itaque ſtirpes iſtæ peſtiferæ, *Avaritia* & *Ambitio* Cleri, alia naſcuntur e radice, quam Hierarchia Romana.

Denique hinc inde adducit Author Clar. exempla ſtatus Eccleſiæ corrupti; præcipue *ex quo religio ſe in aulas Imperatorum inſinuavit. Maxime Conſtantini tempore, cum potentia & divitiis creſcere cæpit Eccleſia; ex Clericorum faſtu & avaritia ſinguli, non quæ Chriſti, ſed quæ ſua, quærere inceperunt* §. 17. & §. 16. *Imperatores a tempore Conſtantini M. Clero nimis indulgentes ſenſim omne jus circa ſacra amiſerunt.* R. Quanto melius diſſereret Autor noſter, ſi diceret, nullo unquam tempore ſplendidius ſe exeruiſſe authoritatem, jurisdictionem, Hierarchicam poteſtatem Eccleſiæ Orthodoxæ, quam ſub Conſtantino M., qui Synodo Nicænæ interfuit ipſe, aſſedit ultimus, præclaram illam vocem edidit, quæ vel una ſi opponeretur Puffendorfio, Pfaffio & aliis, ruborem illis incutere & imperare ſilentium deberet. *Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, vos vero non poteſtis ab hominibus judicari.* Rufin. *l. 1. Hiſt. c. 2.* Quanto verius diceret Imperatores Chriſtianos diu preſſam & oppreſſam tyrannide Hierarchiam aſſeruiſſe in libertatem, ut de Religione orci, Hæreſeon & Idololatriæ Victrice eventus comprobaret verba Chriſti: *Non prævalebunt.* Sed Autor noſter ex ipſa felicitate ac tranquillitate Eccleſiæ ſolos abuſus, e rebus ſecundis naſci ſolitos, decerpit; fructus pacis Eccleſiaſticæ præterit ſilentio. Quo conſilio id faciat, non ſatis liquet; niſi, quod ſubobſcure indicat, cavendum eſſe, *ne ordini* in Eccleſiaſticis rebus *nimis indulgeamus.* & §. 11. *ipſum ordinem ſi nimis illi indulgeatur, facile in ſuperſtitionem degenerare* §. 13. *tranquillitatem externam non requiri, imo plerumque Eccleſiis noxiam fuiſſe.* Niſi vehementer erro, hæc eo ſpectant, ut oſtendat Hierarchiam, ordinis Eccleſia-

cleſiaſtici & tranquillitatis fontem, neceſſariam non eſſe. Quæ ſi vera ſunt, nunquam felicius floruit res Chriſtiana, quam aliquot ab hinc ſæculis, cum omnia in religionis exitium armarentur, ſacra & profana ſus deque verterentur, cœlumque & inferi miſcerentur. Quid ad rem, quod §. 19. ex Chryſoſt. huc trahit *hom. 89. in* Matth. *Eccleſia a ſtabulo nihil differt, aut camelorum atque aſinorum cubili, & cum circumeo ovem requirens, nullam cernere queo?* Quid ſi redivivus hic S. Pater ſæculis proxime ſuperioribus circuiſſet in Belgio, Gallia &c. Si vidiſſet templa ſuccenſa, diruta altaria, confractas divorum imagines, trucidatos Sacerdotes, aliaque paradoxa & portenta viſu & auditu horrenda, an putas oves ille quæſiiſſet in ſcelerum horum Autoribus, aut agnoviſſet in illis Evangelii renaſcentis vindices, qui dicebant omnia ad primævam Eccleſiæ puritatem, formam ac typum revocare ſe velle? Scelera ipſa & abuſus exigunt ordinem, ſubjectionem, Leges Hierarchicas & Canones. Autor noſter, dumne ſcilicet Clericorum faſtus & avaritia ſub prætextu ſalutis Eccleſiaſticæ ſubrepat in Eccleſiam, ſalutem externam & tranquillitatem Eccleſiæ, ait, *non intendi primario* §. 13.

§. 17. ait: Conflatam ex avaritia & Dominatu ſacro Hierarchiam *excreviſſe in monſtrum illud Monarchiæ Rom.* ℟. Utra tandem in Eccleſia monſtrum quoddam reperire licet; an in ea, quæ unum caput & membra capiti ſubordinata complectitur; an vero in illa, quæ vel nullum caput habet, atque acephala eſt, vel tot capita, quot Doctores, quorum nemo eſt, quin ſe æqualem putet Auguſtinis, Ambroſiis &c.? in Eccleſia, quæ teſte Florimundo Remondo ſub ipſa exordia ſua 200. diverſi dogmatis & cerebri ſectas numeravit? ſed videntur Adverſarii plane agere, quod Dramatici Scriptores nonnulli, qui, ut fabulam condiant ſuavitate quadam aſperſa, multa colligunt ad delicias ſpectantium ſpecioſe magis, quam ſolide. Sic Autor noſter in ſcenam producit §. 15. lepidum quoddam monſtrum, quod *Cæſaro-Papiam* vel Papo-Cæſariam vocat, cum videlicet *Principes poteſtatem extendunt ad mere ſpiritualia, ſi Clero dominanti aures præbeant, imperium in conſcientias affectent; & ſic Juſtinianus, ut apparet ex tot LL. Codicis l. 1. a Clero deceptus, ſub prætextu ſalutis Eccleſiaſticæ mirum in modum Cæſaro-Papiam exercuit.* ℟. Quid bilem Viro Clar. concitarit in Juſtinianum Imp., malo Lectorem Eruditum diſcere per autopſiam & evolvendo ipſum Codicem, loco citato. Leget ibi privilegia ampliſſima Epiſcoporum, exemptiones, compellationes honorificas: Leget Auth. *Epiſcopo nullam mulierem ſecum habere permittitur.* 14. tit. 4. l. 8. *Epiſcopale judicium ratum ſit omnibus.* Leget tit. 5. l. 3. *Cuncti Hæretici noverint omnia loca ſibi adimenda eſſe.* Leget ibi. L. 7. de ſumma Trinit. *Romanum Pontificem eſſe caput omnium Sanctorum Dei Sacerdotum.* & L. 8. eod. *Caput omnium Eccleſiarum.* &c. Leget non ſine voluptate l. 5. C. de Epiſcopis & Cler. *Siquis non dicam rapere, ſed attentare*

tantum jungendi cauſa matrimonii Sacratiſſimas Virgines (Moniales Deo dicatas) *auſus fuerit, capitali pœna feriatur.* Caſum legis & Hypotheſin facili opera tibi formabis Lector Erudite! Hiſtoricus es. Ecce *Cæſaro-Papiam*, quam Autor noſter exprobrat ipſi Juſtiniano Imp. Utrum Lector Erudite! plus dandum putes ſententiæ cujusdam Legiſtæ, an vero Legislatoris ipſius Juſtiniani, & tot Imperatorum, Conſtantini, Gratiani, Valentiniani, Theodoſii, Arcadii, Honorii, Martiani, qui LL. iſtas ſanxere, tuum eſto arbitrium. Tanto Scriptores nonnulli in Pontificem odio exardeſcunt, ut non dubitent illum per latus Juſtiniani, Cæſarum ac Principum petere. Et tamen hi ſunt Lector candide! qui, dum Pontifex in Jure Canonico legem quandam civilem corrigit, continuo ambitionem ac ſuperbiam Pontificis ſupra Cæſares ſe evehentis accuſant, ipſi interim totos titulos e Codice eradunt tanquam Cæſaro-Papiſticos. Hi ſunt, qui Jura Imperatorum ſalva & illibata tuentur: at vero cum in delicato illo ac lubrico autonomiæ puncto verſamur, mutato repente ſtylo in ipſos Principes inſurgunt, authoritate plusquam Pontificia, ſeque conſtituunt illorum cenſores, Ariſtarchos, Judices. Merito hic debuiſſet exclamare Pfaffius: *O Saculum deſperatum!*

§. 26. Author noſter queritur de Tyrannide a Clericis in Eccleſiam invecta. *Claves regni Cœlorum aptatæ ſunt in inſtrumenta Tyrannidis, & poſtquam pœnitentia privata ad imperium ſacrum apta videbatur, ſub ſpecie Salutis Eccleſiaſticæ collis Chriſtianorum injecta eſt.* ℣. De Confeſſione, ut hic reſpondeam, nec locus, nec inſtituti ratio patitur. Strictim tamen libandum eſt aliquid de *clavibus*, quæ ad jurisdictionem & Nomotheſiam Eccleſiæ pertinent. Idem Autor *in Schiltero illuſtrato* in Præf. *jus clavium per plura ſæcula verum ſenſum amiſerat, quem tandem antiquitatum Hebraicarum periti reſtituerunt.* Itane Vir Clariſſ.? Verſamur hic in quæſtione, quid ſint *claves regni Cœlorum* Apoſtolis & Eccleſiæ a Chriſto relictæ. Analyſis quæſtionis an petenda eſt a Rabbiniſtis, quorum conjecturæ circa voces Hebræas & Syriacas radicis incertæ ultra probabilitatem non aſſurgunt; imo hanc nec attingunt ſæpe; an vero ab ipſa Eccleſia, cui ſunt commiſſæ? ab Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus, qui uſu earum quotidiano noverint utique ſecernere claves adulterinas, & furtivas a veris? Judicis eſt cognoſcere, an fundata ſit ſua jurisdictio. Jus clavium exercuit & poteſtatem *ſolvendi, ligandi, excommunicandi* &c. ipſe Apoſtolus, dum inceſtum Corinthium tradit Sathanæ: PP. Concilii Nicæni & aliarum Synodorum omnium quid niſi anathematiſmos & fulmina Eccleſiaſtica vibrant in dogmata hæretica & Dogmatiſtas?

Sed quoniam hic de Tyrannide Cleri & Pontificum agitur, in argumentum criſeos tam delicatæ me non ingero. Solum hoc dico: quo primum tempore cœptum eſt oppugnari Syſtema Hierarchicum argumentis tam e ſcriptura

quam

quam vagina petitis, nihil aliud in ore fuiſſe adverſariis, quam illuxiſſe jam tempus illud, quo Tyrannidem Pontificiam exeutiant, uſurpata a Pontifice & Clericis jura reſolvantur in irritum. Audiebantur illæ voces: *Exiit Iſraël de Ægypto.* Triumphabant oppidani, quod jam decimis &c. præſtandis ſolutos ſe crederent: ſed fuere Politici, qui errorem illos continuo dedocerent ſubtili diſtinctione: Jam non ſolvetis decimas Clericis & Pontifici, C. Toparchis ac Dynaſtis N. *Jura enim Pontificalia non ſublata ſed translata ſunt*, ut diſerte Autor noſter in *Schiltero illuſtrato*; hoc eſt: *Pontifici, injuſto poſſeſſori erepta & Principibus legitimis vendicata.* Ita illi plauſus & triumphi de tyrannide Papæ excuſſa ſenſim frigeſcebant, nec pauci conqueſti parum candide ſecum a Politicis actum. Idem fere contigit, dum ordines Mendicantium exturbarentur iis temporibus, quibus exoneratam patriam & plebeculam, tanquam importunis exactoribus, liberatam gratulabantur. Sed ſecutis paulo poſt bellorum injuriis, direptionibus, incendiis ipſi ruſtici, in Mendicantium ordinem redacti, adverterunt tandem ſplendida verba ſibi data; Eleemoſynas, quas erogare renuebant in Religioſos, ipſi petere coacti.

§. IV.

Myſterium iniquitatis in Eccleſiam ecquando effuſum?

§. 20. Diſſert. Prælim. Autor *Juris Eccleſiaſtici Proteſ.* ſcribit. *ſi Epiſcopi & Presbyteri non ruiſſent ad dominatum Eccleſiaſticum, tanta corruptio Eccleſiam inficere haud potuiſſet.* Et infra . . . *Ex hoc duplici fonte, avaritia & ambitione effuſum eſt myſterium iniquitatis per Univerſam Eccleſiam.* R. Non dicam, Virum Clariſſ. qui dominatum Clericorum in Imperatorum nimiam indulgentiam refert non ſemel, hic diſerte fateri adductis Euſebii *l. 8. C. 1. & 2.* verbis, atrociſſima illa tempeſtate per Diocletianum in Eccleſiis coorta *Præſides Eccleſiarum inter ſe contendiſſe, & alterum alterius vires conatum infringere.* Erant itaque jam tum ſui cuilibet Epiſcopo deſignati limites, ſua Diœceſis, ſuum territorium ſacrum, de quo contendebant; erat jurisdictio & imperium ſacrum; Quomodo alias *Tyrannorum more principatum affectaſſent*, ut ait Euſebius? Quid enim imperium aut principatus ſine jurisdictione, ſine Legibus? ac proinde falſum, quod multi affirmant, Syſtema Hierarchicum eſſe partum ævi poſterioris & irrupiſſe Sæculo 4. poſt Conſtantini M. tempora. Cyprianus de lapſis ſcribens queritur: *Epiſcopos derelicta cathedra, deſerta plebe per alienas Provincias aberrare.* Autor noſter ex his verbis colligit corruptos fuiſſe Epiſcoporum mores. Recte. Sed in rem noſtram pariter illud excerpamus: fuiſſe *ſuam* cuique *Epiſcopo cathedram, ſuam plebem:* quodque inde fluit, ſacram quandam in populo jurisdictionem. Nec enim abs re *Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Actor 20.

Hic

Hic inſurgunt Adverſarii contra textum e ſacris literis depromptum: in fonte græco ajunt non extare vocem: *regere* ſed *paſcere*. Erat itaque Cypriani ævo ſua cuique Epiſcopo plebs, quam *paſceret*, non quam cum imperio regeret; Vox enim *paſcere* nihil involvit imperii. R. Omitto, quod Theologi erudite oſtendunt: voces *paſcere* & *regere* in ſcripturis non raro ſynonymas eſſe: ut cum de Davide dicitur: *paſcere Jacob ſervum ſuum & Iſraël hæreditatem ſuam.* Pſ. 77. Sed preſſe hoc loco inſiſtamus notioni & allegoriæ *Paſtoris*, cui, niſi pedum extorquere velimus e manibus, concedenda eſt omnino poteſtas ejusmodi in oves, ut eas non ſinat aberrare in paſcua furtiva & noxia, vel certe aberrantes revocare. Si ſtupidæ ſunt & contumaces, ſi ultro ſe in fauces luporum intrudunt, ligatas etiam & invitas reportat ad ovile, ſtringit pedum, immittit moloſſos, *compellit intrare*; ſi ſcabioſæ ſunt, ejicit atque exturbat. Fingamus irruere lupum gregi infeſtum, credo equidem, Paſtor illius audaciam conabitur retundere, non vi coactiva, ſed *ſuaſiva*, *pædagogica*, blanda quadam exegeſi de præcepto ſeptimo, aut fiſtula cantando beſtiam cicurabit. Non exiſtimem illum præter officium Paſtoris agere, ſi in his circumſtantiis jus gladii ſibi competere judicet, aut fuſte trinodi dentes excutiat, cerebrum illidat, exuvias ac pellem detrahat belluæ rapaci.

Sed redeamus ad *myſterium iniquitatis*. Eccleſia nunquam non ſuos habuit hoſtes; alios aliis perniciosiores, ac plerumque magis timendos, quo occultiores. Aperto Marte Eccleſiam aggreſſi ſunt Machiavellus, Spinoſa, Vaninus, Deoque e templis exturbato, ſtruxerunt aras Rationi ſtatûs. Alii cultum divinum precario quidem admiſerunt in rempublicam, ſed ita ut illum reipubl. vel coordinarent, vel ſubordinarent. In quo genere Politices inſignis eſt *Hobbeſius*, qui cælo terraque invitis ad omne genus novitatum venale ingenium calamumque circumferens procudit Hypotheſes crudas, impolitas & horridas, ipſisque adeo Heterodoxis deteſtandas. Auſus eſt homo impius evomere hæc & alia monſtra opinionum: *Regula boni & mali ſolius eſt imperantis voluntas*; unde *Reges imperando demum faciunt bonum vel juſtum*; *prohibendo*, *malum vel injuſtum*. *Summa religionis eſt parere Principi* ſive *in ſacris* ſive *in profanis*. *Doctrina Chriſti absque mandato Principis habet ſe per modum meri conſilii*. *Ad mandatum Regis licitum eſt ſubdito*, *ipſum negare Chriſtum*. *Hæreſis eſt*, *quod Rex credi vetuerit*. &c. quæ ſparſim extant in libris ejus de *Cive* ac *Leviathane*. Sed cum hic homo impetu magis, quam ratione ferretur, & *myſterium iniquitatis* non ſatis celare & Politicis involvere technis ſciret, ſucceſſere alii, qui non caſtius forte, cautius tamen agere, & clam ac per cuniculos ſuffodere Eccleſiam conati, fundamentum ſuæ ſententiæ ſubſternunt *Jus naturale ac Divinum*. Feſtive Rex Angliæ, ut refert Puffendorffius, de Hobbeſio dixit: *Se hoc homine uti tanquam urſo ad acuendas moloſſorum ſuorum vires*. Cum itaque Hobbeſius inſtar urſi

prorue-

prorueret in ſyſtemata exotica, paradoxa & Machiavellica, & hinc undique Theologos in ſe provocaret, alii vulpem aſſuendam rati, hypotheſes ejus limare, mitigare, illuſtrare cæperunt. Supponebat Hobbeſius: omnia ad civitatis ūtilitatem referenda: omnia pendere ex arbitrio Principis, *hujus poteſtatem eſſe indefinitam.* Vide, Lector Erudite! præclara poriſmata, quæ inde derivat: *Ergo extra civitatem quivis a quovis ſpoliari jure poteſt & occidi; in civitate ab uno tantum; hoc eſt a Principe, cui licitum eſt interficere etiam innocentem;* ergo *ſi Lex civilis jubeat aliorum invadere bona aut uxores, non erit furtum, aut adulterium.* De civ. C. 14. &c. Ex hypotheſi igitur Hobbeſii, cum Princeps ſolutus ſit Legibus civilibus, inter alia regalia numerandum erit etiam privilegium *de non ſervando decalogo.* Extinxere jam ante Hobbeſium multi ignem purgatorii. Grandius aliquid moliebatur hic Juris-Conſultus viam nactus ac methodum extinguendi ipſius inferni: caſu quo *Lex civilis* permittat rapinas, adulteria &c. Atque ita ad jus Majeſtaticum pertinebunt non ſolum claves cælorum ſed & inferni. Dura ſunt iſta & aures teretes ac delicatas lædunt nonnihil. Itaque temperamento quodam erant lenienda & colore honeſti inducenda. Dixerat Hobbeſius, teſte Pfaffio, *omnia Eccleſiæ jura ad Principem pertinere, eique determinationem adſcripſerat omnium fidei articulorum, excepto illo: Chriſtum eſſe Meſſiam.* Hanc Hypotheſin in Principes æquo liberaliorem reſtringendam cenſent Politiores. Jus definiendi dogmata fidei reſervant Chriſto ſoli: jus ſacrorum relinquunt Regi, ita tamen, ut in conſcientias non affectet imperium, aut Cæſaropapiam. Hac methodo explicandi duo conſequi ſe videbant; alterum, ut autonomica libertate ſeu facultate quidlibet impune ſentiendi credendique uterentur. Alterum ut neminem Dogmatum ſuorum judicem reformidarent. Sic enim aperte tradit Thomaſius: *Nec jane opus eſt, ut Judex perſonalis dogmatum Chriſtianorum deciſivus, qualem Romanenſes poſtulant, adſit; niſi, quod quivis, propriæ fidei Judex ut ſit, conveniat, donec in ſupremo judicio judicium a Domino hic feratur.* Hinc fluit in rebus Chriſtianos inter controverſis nullum Arianum, Eutychianum, Neſtorianum, Labbadiſtam, Socinianum, Anabaptiſtam erroris convinci, nedum damnari poſſe: Hinc illud fere perſonat hodie: *cum venerit Princeps Paſtorum* &c. Hinc vidimus, cum primum in ſacris Germania diſſidere a ſe ipſa cæpiſſet, a Sorbona appellatum fuiſſe ad Pontificem, a Pontifice ad Concilium Oecumenicum, a Concilio ad extremum judicium, hoc eſt Chriſtum, quem novi Dogmatiſtæ ſolum ſtatuunt Judicem controverſiarum; forte etiam tum, ubi cauſa ceciderint, pro reviſorio ſupplicaturi Deo Patri. Ecquid advertis Lector Erudite! *myſterium iniquitatis?* Et tamen hi ſunt, qui ſyſtema Hierarchiæ Rom. hoc eſt ipſam ſubordinationem, & cum ea ordinem omnem, tantopere in republ. ſacra & profana neceſſarium, volunt eſſe perturbationis in Eccleſia coortæ fontem; Ecquis finis litium, ſi quilibet Actor aut reus, poſt trinam appellationem, Judicem, ad quem ipſe provoca-

vit, in cauſa dènique ſuccumbens ſtricto ferro adortus impune poſſet reſcindere ſententiam? Porro reſolvendæ ſunt

§. V.

Hypotheſes Puffendorffii, Hennigii, Pfaffii &c. circa Nomotheſiam Eccleſiaſticam.

Antequam accingar ad diſcutiéndas Adverſariorum hypotheſes & Antitheſes, monendum puto Lectorem, ne exſpectet a nobis, ut cum Pſeudo-Politicis quibusdam certemus de palma impudentiæ. Acerba illorum dicteria, ſarcaſmi, convicia modeſto ſilentio involvenda eſſent, niſi hanc ipſam modeſtiam traherent in ſuſpicionem & ignaviæ vel timoris vel etiam inſcitiæ; crederentque orthodoxos aut hebetes adeo habere aures aut longas, ut vel non audiant, quæ ipſi ſpargunt in vulgus, vel audita non intelligant.

Hypotheſis I. *Abſurdæ ſunt quæſtiones, quæ forma competat Eccleſiæ? Monarchica, an Ariſtocratica, an Democratica? Hæ formæ cadunt in ſtatum aliquem ſeu civitatem. Eccleſia ſtatus non eſt.* Ita Puffendorff. l. de habitu Relig. §. 31. & cum eo Pfaffius Theologus Tubingenſis de Orig. Juris Eccleſiaſt. & non ego, ſed Clariſſ. D. Leonard. Frœreiſenius Paſtor primarius ac Superintendens Argentoratenſis tertio jam Rector Univerſitatis ac Doctor Theologiæ in Oratione *de Miſero Eccleſiæ ſuæ ſtatu. §. 1. Miſera mihi Eccleſiæ noſtræ conditio videtur ratione formæ regiminis & ſtatus externi. . . Etenim vix umbra unionis Eccleſiaſticæ in ea apparet . . .* Et infra: *Defectus hic formæ Eccleſiaſticæ viſibilis fons eſt omnium, quæ in ea frequentes apparent, miſeriarum.* Inveſtigat poſtea fontem hujus miſeriæ: *Si ſatis providi fuiſſent*, inquit, *Reformatores, cum Auguſtana confeſſione, ceu norma Eccleſiaſtica doctrinali Syllogen quoque Canonum exhibuiſſent... Per hanc Syllogen certam quandam Juris Eccleſiaſtici univerſalis normam obtinuiſſent.* Paulo poſt: *Hinc fit (ex juris Eccleſiaſtici defectu) ut alia Eccleſia particularis ex Carpzovianis, alia ex Hobbeſio-Thomaſianis, alia ex Titianis, alia ex Bœhmerianis, alia ex aliis principiis jus ſibi Eccleſiaſticum pro libitu formet, magna cum Eccleſiæ noſtræ ignominia.* Quid hæc, inquis, pro Hierarchia Romana? Pertexit egregie Clariſſ. Frœreiſenius telam in hunc modum: *ſi ſatis fuiſſent providi Reformatores, aut Hierarchiam Epiſcopalem cum Suecis Danisque retinuiſſent, aut Conſiſtorium ſaltem ſupremum & univerſale erexiſſent ad cognoſcendas cauſas Eccleſiaſticas.* Addit deinde quædam de *Verme Eccleſiaſtico*, quæ modeſtiæ cauſa prætereo. Candidæ huic a Viro experientiæ paris & candoris factæ confeſſioni quod addam contra Pfaffium non habeo, niſi hoc unum: ſi Eccleſia nec eſt Monarchica, nec Ariſtocratica, nec Democratica, ergo eſt anarchica, acephala, vel certe formæ anonymæ, hoc eſt omnis & nullius, prout converſiones, bella & fata

fata reipubl. & Regiminis politici ferunt. Conſule faſtos Angliæ a temporibus Henrici VIII. usque ad hæc noſtra. In Præfatione ad *Origines Juris Eccleſiaſtici* ſcribit Pfaffius in hanc ſententiam: *Ex Eccleſiis, quæ jugum Romani Pontificis excuſſere, quævis peculiarem ſibi faciem pinxit.* Reſpondemus candide: Quidquid ſit de Eccleſiis tuis, Romana hoc nunquam faciet, quod non cadit in Virginem & Chriſti ſponſam. Nativa venuſtate reſplendet, neque mutat formam aut ſyſtema ab Architecto divino præſcriptam. *Eccleſia* Pfaffio *non eſt ſtatus.* Quid ergo? Eſt, inquit, *ſocietas in ſtatu*, ſeu Collegium ex Doctoribus & Auditoribus conflatum, qui jure libertatis naturàlis coëunt ad cultum publicum exercendum. Nullas hic agnoſcit leges, ſed conventiones ſeu *jura conventionalia*, ad quæ ipſi ſe ſponte obligans, non ſub pœna, niſi *ſenſu depurato*, ſed ſub pactione, niſi quis excidere vel proſcribi e Societate illa vel cœtu Eccleſiaſtico malit. Lector Erudite! Idea Pfaffii de Eccleſia petita eſt ex metaphora *Collegii* ex Auditoribus & Doctoribus collecti ſeu *corporis* cujusdam *Academici*, ergo non eſt in Eccleſia jurisdictio, poteſtas ſanciendi Leges, pœnæ proprie dictæ. Præclara illatio! Evolvamus metaphoram paulo apertius. Video in corpore Academico Rectorem, Sceptrum; ſtatuta Academica, juramentum de præſtanda obedientia, carceres academicos, proſcriptiones, & ſæpe jus gladii. Ergo ſi Eccleſiam depingere placet ſub Schemate Collegii, extat in illa jurisdictio, poteſtas Nomothetica, jus exturbandi plectendique contumaces & rebelles. Sed Pfaffio tantiſper tacere juſſo audiamus Chriſtum, quem ipſe Typum ac formam Eccleſiæ architectus deſignet. Comparat illam *domui*, *civitati*, *regno*: quæ omnes parabolæ quid ſonant niſi Hierarchicam ſubordinationem, cum Domus nulla ſine Patre fam. & famulis, civitas ſine Magiſtratu, Regnum ſine Rege & Lege conſiſtere omnino poſſit. Quin adeo ſi ad abjectam illam ac miſeram e trivio analogiam, quam multi nobis & Theologi & Politici Heterodoxi obtrudunt, deſcendamus, ut nullam in Eccleſia niſi *pædagogicam* admittamus autoritatem, nec Doctoribus nec Auditoribus Chriſtianis ſatis honorificam, ne ſic quidem imperium omne aut poteſtatem coactivam evitabimus, cum ipſos etiam Pædagogos in præfractæ & indomitæ cervicis adoleſcentulos utilitas ac neceſſitas publica armarit & virga & præcipiendi poteſtate. Itaque in quovis etiam oppidulo e caſis & tuguriis conflato, in Collegiis literariis, in ſcholis ac ludis, in quavis domo agnoſcimus ſubordinationem, poteſtatem, ordinem imperantium & parentium; in Eccleſia Chriſti, in rebus ſalutem æternam ſpectantibus ſuo quemque cerebro, ſuis ideis permittimus?

Hypotheſis II. Sed regerunt Politici, omnique conatu amoliuntur hanc a ſe hypotheſin tam paradoxam. Ordinem, decentiam, diſciplinam ajunt omnino in Eccleſia retinendam. *Sed jus ſacrorum penes ſummos Impetrantes eſſe aſſerunt.* Horum eſt tueri & exercere *Jura Epiſcopalia* & *Pontificia*, ſecundum

auream illam regulam: *cujus eſt regio, illius eſt religio.* ℞. Ergo ſi regio penes Sultanum aut Mogorem, penes Neronem aut Diocletianum eſt, illius erit religio? Provocant Adverſarii ad ſingulos apices controverſiarum ad Eccleſiam primævam, puram & illibatam. Ubi veſtigium vel in ſacris vel profanis hiſtoriis naſcentis Eccleſiæ de *Regula hac aurea. Cujus eſt Regio?* Agnoſcimus Orthodoxi in ſummis Imperantibus impreſſum quendam characterem divinitatis: tuemur & ipſi jura Majeſtatis ſed *usque ad aras* & templa. Nec ſumus in ea ſententia, quæ non licitum modo ſed honeſtum ait, in honorem Sacræ Regiæ Majeſtatis interdum mentiri. Dicunt ipſi, dum jus ſacrorum in Reges transferunt, ſe Cæſarum & Principum coronis novam inſerere margaritam. Recte; dummodo ne adulterinam & falſo ſplendore coruſcantem. Fuere etiam hac ultima ætate Conſtantini ac Theodoſii M. qui obtruſa ſibi a Pſeudopoliticis Eccleſiarum ſpolia & jurisdictionem magnanimo contemptu repudiarent. Suggeſſere nonnulli Carolo V. ut pro poteſtate Cæſarea abuſus curiæ Romanæ reformaret. Negavit ad ſe id pertinere. Norat Imperator magnus armis, in re politica ſe ipſo major, hos ipſos homines per nova ſyſtemata & hypotheſes Religionem, quæ antea caſta fuerat & illibata, ſenſim facere *juris publici.* Conſtat enim hos ipſos, *dum de poteſtate Imperatoris limitata ſcribunt*, ejus autoritatem ac poteſtatem ita extenuare ac reſtringere, ut in dubium vocent ipſum nomen *Monarchæ*, an & quatenus cadat in Imperatorem. Alii plane negant eſſe Monarcham, atque hunc illi titulum ſplendide magis quam vere tribui putant. At vero ubi contra Pontificem & ſtatus Eccleſiaſticos res geritur, profuſa liberalitate, ſed ex alieno, omnia in Imp. congerunt: Romam, ditiones Pontificias, jura cum ſacra tum profana Cæſari adſcribunt, ut, quod altera detraxere, altera manu reſtituant, ac ſcite nonnemo dixerit: Politicos hos *Aquilam primo deplumare in Germania, ac tum pennis alienis ornandam mittere in Italiam.* Norat denique Imp. hic, ſi quisquam, ſapiens: eo eſſe ingenio vulpes has ſubdolas, ut eodem fere tempore ſummos Imperantes ſoleant mulcere cauda, dentibus mordere.

§. VI.

Quid ſentiendum de aurea illa Politicorum regula: Cujus eſt regio, illius eſt Religio.

Jus ſacrorum fluere ex imperio civili ſeu *ſuperioritate territoriali*, primus eſt articulus Symboli Politici. Quod, ut confirment ita ſe habere in Eccleſia Chriſtiana, argumenta petunt e Synagoga, atque adeo ex ultima gentilitate. Hinc Tractatus illi *de habitu religionis naturalis & Judaicæ ad Chriſtianam, & Chriſtianæ ad vitam civilem.* At quænam hæc argumenta?

I. Wurmb-

I. Wurmbſerus *Exercit. Academ. 5. de Jur. Publico* revocat ab inferis Numam Pompilium, quem ait jura & Regia & Pontificia uſurpaſſe, templa dedicando, &c. ℟. Licet hoc ipſum falſum eſſe velint nonnulli, nos tamen transmittimus: ſcilicet Romæ adhuc Idololatricæ qualis Religio, talis erat Pontifex.

II. Adducit idem Imperatores Chriſtianos *Flavium Valentinianum*, *Martianum*, *Anaſtaſium*, qui ſe *Pontifices inclytos* appellarunt in ſuis inſcriptionibus: ergo *virga Aaronis* ſimul & *baculo Moyſis* imperarunt. ℟. Cum Ethnici Epiſcopis parere detrectarent, Pontificatus Ethnici jura & titulum retinuere Imperatores Chriſtiani, qui perinde, ut hodie Principes Orthodoxi, ſupremam ſacrorum poteſtatem, tanquam honorem politicum, acceptarunt. Intereſt ſcilicet reipubl., ne in ſacris, cujuscunque tandem ſectæ, invaleſcat Democratia autonomica, & æquum eſt omnino, ut ſubſint baculo Moyſis, qui nolunt pedo Aaronis.

III. Oldenburgerus refert ex Euſebii l. 4. c. 24. Conſtantinum M. in convivio dixiſſe ad Epiſcopos: *ſe eſſe Epiſcopum.* ℟. Verba Conſtantini Imp. hæc ſunt: *Vos Epiſcopi intra Eccleſiam, Ego Epiſcopus extra Eccleſiam a Deo ſum conſtitutus. Extra Eccleſiam*, id eſt, illam defendendo, protegendo, privilegiis ornando. Quod vero ſe *Epiſcopum* non proprie dictum appellarit, certo certius eſt ex iis, quæ ſupra retuli ex Rufino. Fuit ergo Epiſcopus non Ordine & conſecratione, ſed cura, zelo, vigilantia. Audiamus Conſtantinum, *extra convivium*, ſerio, in ipſa Synodo Epiſcopos ita affantem: *Deus vos conſtituit ſacerdotes & poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi.* Potuitne illuſtrius dare diſcrimen ſe inter & Epiſcopos?

IV. Imperatores jam inde a Conſtantino M. indixere Concilia, Leges Eccleſiaſticas condidere, ſummam poteſtatem circa religionem exercuere. Idem *Burgoldenſis*. Ad 1. Reſpondet S. Athanaſius Conſtantino M. Synchronus in *epiſt. ad ſolitariam vitam agentes. Quando unquam judicium Eccleſiæ ab Imperatore autoritatem habuit?* & ibid: *Plurimæ antehac ſynodi fuere*: ſed *Princeps in rebus Eccleſiaſticis ſe curioſum non præbuit.* Ad 2. & 3. Reſpondent Arcadius & Honorius Impp. in lib. Cod. Theod. *Quoties de Religione agitur, Epiſcopos convenit judicare.* Reſpondent Juſtinianus l. 6. C. de SS. Eccleſ. *ſi quid dubietatis emerſerit, id oportet conventui ſacerdotali & ſacro judicio reſervari.* Hoc ipſo loco, inquis, Imperatores exercent jus Majeſtaticum ſacrorum, delegando vices ſuas Epiſcopis & conventui Sacerdotali. Reſpondet idem Juſtinianus l. 7. & 8. C. de *Summa Trinit. Romanum Pontificem* eſſe *caput omnium Sanctarum Dei Eccleſiarum*, & L. 42. C. de Epiſc. & Cler. Juſtinianus ait: *Apoſtolos ſacerdotium* (quo nomine venire poteſtatem ac jurisdictionem Epiſcopalem illo ævo patet ex L. 6.

cit.) *a Domino JEſu conſecutos* (non ab Imperatoribus) *& Epiſcopos in ordinem Apoſtolorum fuiſſe ſubingreſſos.* Sed cum quisque ſenſus ac mentis ſuæ optimus ſit interpres, audiamus, quo conſilio Impp. Orthodoxi Synodos convocarint. Conſtantinus M. in ipſa Synodo Nicæna dixit teſte Rufino: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & nobis a Deo dati judices eſtis.* Theodoſius Junior in epiſt. ad Synodum Epheſinam: *Illicitum eſt*, ait, *eum, qui non ſit ex ordine SS. Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Valentinianus, ut Chalcedonenſem indiceret Synodum, rogatus diſerte reſpondit: *Sibi, qui unus e Laicorum numero eſſet, non licere, ut ejusmodi rebus ſe interponat, & ideo Epiſcopi . . . . ubicunque ipſis libitum fuerit, in unum conveniant;* ut ex Sozomeno autor eſt Petrus de Marca. Mirum eſt, hos tales tantosque Impp. jus ſuum circa ſacra aut ignoraſſe penitus, aut tueri noluiſſe. Deerant ſcilicet Puffendorffii, qui eos docerent, aut officii admonerent.

V. Conſtantius Imp. & Theodoricus Italiæ Rex jus ſacrorum in ipſos Pontifices exercuere, quorum ille Felicem II. Liberio, hic Joanni depoſito Felicem IV. ſubſtituit. ℞. Addant, per nos licet, utrique huic Principi Ariano Adverſarii Neronem, Diocletianum &c, qui ipſum Eccleſiæ caput in tot Pontificibus ferro lictoris decuſſerunt. Hæc ipſa exempla docent egregie, cur Servator noſter jus ſacrorum noluerit eſſe penes Principes.

VI. Valentinianus ad Pontificatum evexit Damaſum, Honorius Bonifacium, alii Impp alios; adeoque agnovere ſupremam ſuam in ſacris poteſtatem. ℞. Præclare hi Impp. jus pro ſacris (non in ſacra) ſeu Advocatiam ſibi deberi oſtendere in caſu Schiſmatis, quod conflarant duo Antipapæ Urſicinus & Eulalius, diſcutiendi. Cæterum Valentinianus, ut Epiſcopum Mediolanenſem deſignaret, ab Epiſcopis interpellatus modeſtiſſime recuſavit; nolens ſe intrudere negotiis Eccleſiaſticis.

VII. Juſtinianus Imp. ſexcenta fere ordinavit circa ſacra, Miniſtros Eccleſiæ, liturgiam, ut patet ex Codice tit. de *Summa Trinitate*, de SS. Eccleſiis, de Epiſc. & Cleric. Item in Nov. 137. c. 6. ℞. Autor *Juris Eccleſiaſt. Proteſt.* exiſtimat non tam Imperatorem, quam Epiſcopos & Clericos per ipſum hac in parte Codicis Cæſaropapiam exercuiſſe. Quæ, ſi vera ſunt, Epiſcopi condidere has LL., quas etiam Imp. ſua corroboravit autoritate, non autor Legum Eccleſiaſticarum, ſed vindex & aſſertor contra Eccleſiæ contemptores & hæreticos illius temporis, frontis & cervicis ferreæ homines.

VIII. Decreta Childerici & Pipini in Comitiis Sueſſionenſibus procuſa, Capitulare Caroli M., Conſtitutio Ludovici Pii de diſciplina Eccleſiaſtica jus regium circa ſacra inconcuſſis probant argumentis. ℞. Teſte Vitriario *Decreta Childerici* &c. ſunt merces fidei ſuſpectæ. Sed quidquid ſit, ordinationes illæ Epiſco-

Epiſcoporum de quibus decreta iſta, *facti erant*, non *juris*, quia antevolarunt conceſſionem Zachariæ Pontificis paulo poſt ſecutam. *Capitula* Caroli M. & Ludovici Pii, ut refert illorum Collector Benedictus Levita magnam partem ſunt cuſa ab ipſis Legatis Apoſtolicis. Litem dirimat ipſe Carolus M. L. 7. c. 157. *Placuit nobis ex hoc Apoſtolicam ſedem conſulere, jubente canonica autoritate . . . majores cauſæ . . . ad ſedem Apoſtolicam . . : referantur.* Sparſim etiam in *Capitulari* dicto occurrunt hæ formulæ: decreviſſe Carolum M. *Apoſtolicæ ſedis hortatu, Apoſtolica autoritate* &c. Et in fine L. 7. ait: *Conſtitutiones contra canones & decreta Præſulum Romanorum nullius eſſe momenti ſtatuimus.* Et Ludovicus Pius in ſuo decreto lib. 7. c. 265. apud Baronium ait: *Nulli fas ſit Apoſtolicæ ſedis decreta temerare.* Dignus eſt, opinor, Carolus M. & Ludovicus Pius, quem opponamus Hennigio & Puffendorffio, cum agitur de jure ſummorum Imperantium circa ſacra.

IX. Otto M. juſta indignatione accenſus deturbavit e faſtigio Pontificatus Joannem XII. improbæ vitæ famæque. Denique Otto IV., Henrici, Ludovicus Bavarus &c. contra Pontifices aſſeruere ſibi jus Cæſareum in ſacra, Inveſtituras Epiſcoporum &c. ℞. Non eſt, cur ſe fatigent Adverſarii congerendis id genus exemplis. Nec enim inficias imus, hos Impp. artibus Pſeudopoliticorum irritatos ea geſſiſſe contra Pontifices, quæ malumus purpura Cæſarea inſtrata tegere, quam odioſe hic recenſere. Fuerintne Pontifices quidam improbi, necne, ad nos non pertinet, qui non juravimus in facta & mores ſed dogmata Pontificum tuenda. Illud ſolum dicimus, nec ob Imperatores paucos vitæ perditæ Monarchicum Imperii, nec Hierarchicum Eccleſiæ ſtatum ob Pontifices paucos famæ non optimæ exſcindi continuo oportere. Argumenta ex rebus geſtis horum Impp. petita diſſolvet D. Defendens interrogatus.

X. Si a Chriſto *Regnum ſacrorum fuit erectum, quale ab iis, qui Romani Epiſcopi ſectam ſequuntur, obtenditur, in quo Pontifici ſoli divinitus commiſſa ſunt imperandi arbitria, ac reliquis omnibus obſequii gloria eſt relicta, nil ſupereſt, niſi ut jugo* (Pontificis) *cervices iterum ſubmittamus, & ſuperbis pedibus oſculandis advolvamur.* Ita Puffendorffius in Præfat. ad librum *de Habitu relig. Chriſt. ad vitam Civilem.* ℞. Non poſſum hic Lector! quin ſubrideam; Puffendorffius pluris facit capillitium ſuum & calamum, quam ſua Cæſares ac Reges diademata & ſceptra, quæ tamen ultro ſubmittunt ſummo Eccleſiæ Antiſtiti. Sed noli mirari hoc genus hominum. Rem ſuam agunt. Cum de *jure Majeſtatico* ſcribunt, ipſas *claves Regni Cælorum* Principi tranſcribunt, ac tantum non aras decernunt, tanquam *Deo in terris viſibili.* Quo conſilio? Adverte. Sciunt nullum eſſe Auguſtum aut Tiberium, quin habeat Sejanum quendam ſibi familiariſſimum, cui tantundem fidat, quantum ſibi; ſic illi Principis, quem Dei loco habent, gratiam aucupati, etiam ipſi in partem divinitatis veniunt, ipſis dele-

, quod tam acerbe
... Ministros Verbi

...rare ex ipsis Theologis
...clesias pati ab his homi-
...e lacrymæ; hinc quæritur
...am cuperent cum D. Frœ-
...ensis confessionem, quam vo-

... ad dominum devolvitur juris-
...ema potestas Ecclesiastica perin-
...re natalium aut emptionis titulo
...ec loqui permittit in Ecclesia Apo-
...t Ministros divinos, vibrabit ana-
... primitivæ, puræ, simplici, Apo-
...n Evangelio, jure naturali, civili,
...otheses circa Systema Ecclesiæ stabi-
...ici perhibent de Eudoxia, Theodora
...ra, Hæreticos fovisse, Episcopos ar-
...ronis Scriptoribus extat, quin factum
...erant fulmina, mariti facilitate abusæ
... Orthodoxa, nova dogmata invehebant,
... publicæ accommodata credebant, præ-
... &c. Hos tamen conatus & molitiones tueri
... quibusdam jure *Regalium*, *territorii*, *Ma-*
...tionem sacram delegare possit Augustæ. Con-
...m, cum verba faceret e suggestu sacro Minister
... indulgens aberrasset a textu, quem sibi sump-
...am suorum conscia, tanquam caput Ecclesiæ
... Oratori sacro in cathedra pro imperio diceret:

...ento D. Frœreisen Pastor primarius Argentoratensis
...ente Argentina universa magno & animo & can-
... *sine sufficienti fundamento, Romanæ Ecclesiæ* ...
... *Papam. Majori specie hoc Ecclesiæ nostræ* ... *posse*
... *Papalia & Episcopalia exercere potest fœmina*, ...
... *ad emendum pagum.* Et infra: *Nec desunt forsan* ...
... *imperio viventes jura Papalia, Episcopalia, Pre-*

literalia & Parochialia exercent. Emphaſi prorſus ſingulari! ſi Agnetem Papiſſam (quam tamen fabellam erudite refellit ipſe Blondellus Heterodoxus) nos habuimus unam, quot Adverſarii?

Sed prope aberat, ut præterirem id, quod toties exprobrant Pontificibus & Clero Romano Politici Heterodoxi, ſplendorem, potentiam, opes, luxum. *Quorſum hæc perditio? Olim non ſic:* cum Petrus piſcando, Paulus arte Scenopœica victum ſibi pararet. R. Non credis, Lector Erudite! quantum auguſta illa Hierarchiæ Romanæ majeſtas ac tergemina Pontificis corona perſtringat oculos Adverſariorum. Patet ex Ammiano Marcellino aliisque Scriptoribus jam olim ſplendore Pontificis Romani offenſos Ethnicos. Rumpebantur invidia ac tantum non in rabiem agebantur, cum viderent Eccleſiam Chriſti e carceribus & catacumbis ſeu cryptis Martyrum emerſam, victa Idololatria, palam incedere cultam, ſplendidam, triumphantem. Itaque criticas iſtas & captioſas quæſtiunculas Pſeudopoliticorum non melius retundes, quam ſi interrogantibus: *Quorſum hic ſplendor & pompa ceremoniarum in Eccleſia Romana?* reſpondeas: hanc ipſam eſſe cauſam, ut iis, qui toties repetunt: *Quorſum?* oculi doleant: ut ruborem incutiat illis, qui, ubi Magdalena quædam in Chriſtum aut Mathildis in Chriſti Vicarium ſplendide liberalem ſe præſtat, continuo cum Juda Iſcariothe immurmurant: *Quorſum hæc perditio?* Denique quia Eccleſia de Idololatria & hæreſi, de Syncretiſmo & Indifferentiſmo (quod ſine apparatu quodam ac ſplendore fieri nequit) perennem agit triumphum.

§. VII.

Parallelum Synagogam inter & Eccleſiam Chriſtianam.

Qui alias de Orthodoxis identidem conqueruntur, ritus & ſacrificia cum Synagoga pridem ſepulta perperam ab illis reſuſcitari, hic, ubi diſcutitur poteſtas Nomothetica Eccleſiæ, recurrunt ad Synagogam ac Vetus Teſtamentum. Nec ſolum ſacras literas V. T. in ſubſidium vocant, ſed quidquid eſt antiquitatum Hebraicarum ac monumentorum excutiunt, & pilos omnes e barbis Rabbinorum veterum ſuperſtites ſollicite colligunt, plane ut videantur Eccleſiam Chriſti quærere in Synagoga, Evangelium in Thalmude. Volupe eſt id legere in Pfaffio, qui educit in aciem luctantes inter ſe Spanhemium & Wæyenum, Vitringam & Rhenferdium; ſed eo eventu, ut in utrisque caſtris caneretur triumphus & palmam ſibi vindicaret pars utraque ſcommatis & contumeliis emptam. Pfaffius denique in hæc verba differit: *Incertam & lubricam eſſe totam de Synagoga vetere tractationem; & cum ad commune illud:* NON LIQUET, *toties hic recurrendum ſit, ex inveſtigatione veteris Synagogæ ad origines Juris Eccleſiaſtici*

dandas fontes petì non poſſe ſufficientes. Audiamus itaque argumenta e SS. literis V. T. petita.

In Lege Moſaica *ſola poteſtas ordinis*, ſeu miniſterium fuit penes Levitas, *poteſtas jurisdictionis* penes Reges. Addit Hennigius L. de *ſumm. imperantium poteſt. circa ſacra* c. 2. *Poſt Captivitatem Babylonicam, cum ſilerent prophetæ & pietas exularet, paulatim creviſſe ſacri ordinis potentiam, ſacerdotibus omne imperium, etiam in ſacra, ad ſe trahentibus.* ℞. Quid Synagogæ cum Eccleſia Chriſti? Sed ut artificium Hennigii, Puffendorffii &c. reluceat tanto clarius, videamus, quam concinne nectantur inter ſe illorum hypotheſes. Dogma Eccleſiæ eſt, Chriſtum Apoſtolis cum clavibus contuliſſe Sacerdotium verum, in Euchariſtia inſtituiſſe ſacrificium verum, &c. Clamant diſſidentes a nobis: *Argumentum a Synagoga nullum eſt; Sacerdotium Moſaicum per vim intrudi in Evangelium; nullum in Lege nova veſtigium de ſacrificio, de ſacerdotio.* &c. Hic jam Themate mutato agitur de poteſtate circa Sacra. Nervis omnibus urgetur argumentum a Synagoga, ab analogia *religionis Judaicæ* cum *Chriſtiana*, a *Levitis* ad *Clerum*. Sed cur in argumento pari utimur methodo adeo diverſa? ſcilicet in gratiam S. Regiæ Majeſtatis nonnihil a rigida illa philoſophandi methodo deflectendum eſt. Argumentum a Synagoga verſatile eſt; valet contra Pontificem & Clerum, non pro Pontifice. Sed ubi in Evangelio vel apex, qui doceat hanc *eſſe indolem ſummi imperii, ut ſit conjunctum cum jurisdictione ſacra, jure territorii competere Principi jus reformandi* &c.? Hæc tamen omnia Pſeudopolitici quidam inveniunt in Evangelio; forte in eodem inventuri Alcoranum, ſi ferrent ita tempora & Ratio ſtatus. At ne forſan eludi tela ſua, non infringi putent Adverſarii, compromittamus in Synagogam. Negamus Jurisdictionem ſacram ſemper innexam fuiſſe poteſtati regiæ. Saulem jam in ſolium regium evectum, cum ſacrificiis ſe ingeſſiſſet, Samuel ſevere corripuit & jacturam vitæ ac ſceptri prædixit. Oziæ *adolere thymiama* paranti *reſtitit Azarias*. . . Dicens: *egredere de ſanctuario* . . . *non eſt tui officii* &c. Hennigius hæc eludit diſtinctione: ergo Regi non competunt *actus Miniſteriales*, ſeu Levitis proprii v. g. portare arcam, adolere incenſum &c. Ç. *actus imperii* v. g. ordinare Religionem, ſacerdotes in officio continere, avaros, ſuperbos, hypocritas ab officio removere N. *hoc non eſt adolere Thymiama, nec arcam tangere:* Ita Hennigius per modum epiphonematis. ℞. Centones non cohærent. Juxta Hennigium Principes non poſſunt exercere actus Miniſteriales ſeu ſacerdotibus & Paſtoribus proprios; & tamen ex principiis Adverſariorum vi baptiſmatis in Lege Evang. *Sacerdotium* omnibus Chriſtianis eſt commune; cur non Principibus? Nullum eſt diſcrimen inter Clericos & Laicos, Doctores & Auditores præter *deputationem* ad docendum. Si Princeps alios deputare poſſit ad hoc officium, cur non ſe ipſum? Adde quod *Character* ille Clericalis, *dignitas atque ἐξοχὴ ſacra*,

ſacra, qua Laicos ad ignobiliorem in Eccleſia gradum detrudat, Spectrum ſit, quod in ſcholis haud tolerandum, ſed adhibito etiam exorciſmo auditoriis Eccleſiisque ſuis exigendum putat Pfaffius de Origin. Jur. Canon. c. 3. ar. 1. lit. f. Quæ quidem dignitas Clericorum ita ſtomachum commovit homini ut ſcriberet: *Primus egomet, Theologus licet, fuerim, qui, ſublato lapide, hoc quidquid eſt monſtri conſundam, donec e terra viventium deleatur.* Quorſum hæc tanto cum impetu? Vir Clariſſime! Miniſtris Principum aſſurgimus honoris cauſa. Miniſtros Dei, cultui divino deputatos, Epiſcopos, quos *Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*, Doctores Eccleſiæ, de quibus Chriſtus: qui *vos audit, me audit*, ad *Pædagogicam* autoritatem detrudis? eorum dignitatem atque ἐξοχὴν cum *ſpectris Diabolicis per exorciſmos* conaris exturbare? vide, ne tibi contingat, quod refert Sraphylus de famoſo illo exorciſmo in tractu Wittenbergenſi. Revertamur ad Hennigium.

Magis concinne Syſtema ſuum alii concipiunt ita, ut Regibus etiam concedant actus *Miniſteriales*, ſi Princeps vel per dignitatem ita velit, vel per negotia poſſit. Quod vero addit: *actus imperii* v. g. ordinare religionem, coërcere ſacerdotes &c. pertinere ad Regis officium, idque probat exemplo Ezechiæ, qui promovit cultum divinum, reducta *celebritate Paſchatis*, profecto Adverſarius currit extra ſtadium. Si ordinare religionem nihil aliud ſit Hennigio, niſi *promovere cultum divinum*, ſuccidere *lucos & excelſa*, in quibus fæx populi Idololatrici conventicula & cryptoduliam habebat, *ſubvertere aras peregrini cultus*, & novas religiones arcere, *confringere ſerpentem æneum*, idololatriæ cauſam & multo magis ſerpentes vivos, qui afflant venenum Eccleſiæ ejusque filiis: hos inquam conterere & contundere, *coërcere ſacerdotes* & ſacrificulos Baalim, qui populum ſeducebant per *cultum peregrinum* ac dogmata nova: Hoc inquam ſi eſt ordinare religionem, fatemur ultro ad Regalia ſummorum Imperantium pertinere jus ordinandi Religionem. Audeo dicere, orthodoxos *plus Juris circa religionem ordinandam* concedere ſummis Imperantibus, quam ipſos Adverſarios; quod oſtendo. Ipſe Hennigius energice defendit extare in Regibus poteſtatem *coërcitivam* in novos Dogmatiſtas, adeoque illos poſſe arcere *ſacra peregrini cultus*, dogmata recens procuſa in ipſo ſemine ſuffocare. Quis unquam niſi Arianus &c. auſus eſt obſtrepere Conſtantinis, Gratianis, Theodoſiis, Valentinianis, qui doctrinas illorum extinguere, conventicula prohibere, ſeveris Legibus configere contumaces, reducere eos ad fidem Catholicam, id vero credebant pertinere ad ſua *Regalia* ac *jura Majeſtatis*. Hoc ipſum orthodoxi jus ordinandi religionem aſſeruere Maximiliano I. Carolo V. Ferdinandis &c. hanc margaritam quis eorum coronis Cæſareis excuſſerit, quis eos ſtylo & ſcriptis lacerarit, Majeſtatem imperatoriam indignis modis & horrendis conviciis proſciderit, ſi reſcire cupias, Lector Erudite! conſule illos ipſos, qui

jura ſummorum Imperantium ſe aſſerere, ac diſperſa colligere ajunt, qui apologias pro ſe & ſua Confeſſione contra Imperatores texuere, quos *ſuperſtitioſos, zeli peſſime temperati, ſcortatores cum meretrice Babylonica* &c. vocant. Conſule, inquam, & lege illos, qui ſuperbam Pontificum in Cæſares autoritatem ſexcenties criminantur: & miraberis hos Pſeudopoliticos majores ſpiritus ac faſtum fovere ſub capillitio trium nodorum, quam ipſos Pontifices ſub tiara *trium coronarum*. Hæc de jure ordinandi Religionem.

At inquies: ipſi Reges Iſraël *miſerunt ſacerdotes*, ut *docerent; conſtituerunt Levitas ac Sacerdotes*, ut Joſaphat; *Salomon ejecit Abiatharem* &c. *ut non eſſet Sacerdos Domini* &c. En clariſſima veſtigia Regiæ poteſtatis ſupra ipſos Levitas ac Pontifices! R. *Miſerunt* &c. ut hodieque mittunt Principes Orthodoxi viros Apoſtolicos ad gentes Barbaras ſacris Chriſtianis excolendas; miſerunt præſtando operam, conſilium, auxilium; muniendo illos autoritate regia contra rebelles idololatras, quorum cervices duras gladius ſacer ſeu ſpiritualis non penetrat, niſi accedat gladius & poteſtas Regia. *Conſtituit* Joſaphat, *Levitas & ſacerdotes, ut judicium & cauſam Domini judicarent habitatoribus Jeruſalem*. En clariſſima veſtigia jurisdictionis & judicii ſacri in ipſis ſacerdotibus reſidentis! ſic hodie Reges & Principes *conſtituunt*, erigunt ac redditibus inſtruunt Dicaſteria & Tribunalia, in quibus Judices Eccleſiaſtici *cauſas Domini* diſcutiunt. Sed quando ſic videtur Hennigio, ipſum Joſaphatum controverſiæ totius arbitrum volumus ac Judicem. Necdum *ſilebant Prophetæ*, necdum *pietas exulabat* ætate Joſaphati. Lib. 2. Paralip. c. 19. ℣. 11. jura majeſtatis & Pontificatus ſcite diſtinguit ipſe Joſaphatus. *Amarias*, ait, *Sacerdos & Pontifex in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit*. Porro *Zabadias . . . . ſuper opera ea erit, quæ ad Regis officium pertinent*. Niſi cereum & Hagiographo & Regi piiſſimo naſum affigere malit Adverſarius; fateatur neceſſe eſt, alia eſſe, *quæ ad Regis*, alia, quæ ad *Pontificis* officium pertinent.

Salomon Abiatharem ejecit *ut impleretur ſermo Domini* volentis ſubſtitui Sadocum, ut patet ex 1. reg. 2. 35. Fecit itaque Salomon, quod ei jus naturale defenſionis permittebat, cum Abiathar, juxta multos, inſidiatus fuerit vitæ regiæ, conſpirando cum Adonia; fecit ex inſtinctu divino, ut colligitur ex ipſo contextu. Cæterum hodie illuſtrationes divinitus immiſſas Regibus ceſſare, refert belle & ad rem noſtram Puffendorffius *de rebus Brandenburgicis*. l. 5. n. 2. ubi vide. Sed quid his immoramur? Tranſmittamus hanc fuiſſe olim Regibus Judaicis poteſtatem: negamus conſequentiam & omnem inter Synagogam & Evangelium paritatem, certe utroque pede claudicantem. Utimur phraſi ipſorum Adverſariorum, quam ad faſtidium repetunt: *Eccleſia Chriſti non judaizat*.

§. VIII.

§. VIII.

Nomotheſiæ Eccleſiaſticæ ecquod in SS. Literis & Patribus fundamentum.

Falſitas dogmatum Hierarchiæ oppoſitorum clarius non relucet, quam examinata ad ſacras literas, fontes veritatis. Datur jurisdictio ſacra exterior ſeu poteſtas LL. ſanciendi in Eccleſia, *ſi, qui Eccleſiam non audierit*, vitari perinde debeat atque *Ethnicus & publicanus* Matth. 18. ℣. 17. Riſum excutit improbus quorundam conatus, qui ut vim textus enervent, per Eccleſiam ibi intelligi Synagogam volunt; vel plane non agi de excommunicatione. Subtiliſſime telam hanc exorſus evolvere Pfaffius, Eraſti, Seldeni, Lightfooti, Thomaſii, Vitringæ recenſet ſententias; denique concedit *Chriſtum* hoc loco *directe* quidem de *excommunicatione haud agere, etſi prima ejusdem ſtamina* hoc *effato haud obſcure ponat.* c. 1. ar. 1. lit. g. *De Origin. Juris Eccleſiaſt.* Nobis, pace Virorum Clariſſ., quos adduximus, ſenſus Chriſti videtur is erui ſaltem poſſe: *Qui non obedit Eccleſiæ (Synagogæ:* ſi ita velis, & a fortiori *Eccleſiæ Chriſti) impius eſt ac ſceleratus, perinde atque Ethnici & publicani.* Itaque neceſſitati obediendi, quam Chriſtus diſerte hic aſſerit, reſpondet in Eccleſia poteſtas præcipiendi; id quod ſatis eſt ad rem noſtram.

II. Matth. 18. ℣. 18. *Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis* &c. Hic textus quantum Adverſarios torquet, tantum ab iisdem torquetur, forte ut vicem reddant, capitis fatigati dolores ulturi. Seldeno *ligare* eſt: præcipere; *ſolvere*: permittere. Acceptamus hoc in rem ac hypotheſin præſentem; ſed mox ipſam ſuam explicationem explicat & ampliſſimam illam poteſtatem ſolvendi ac ligandi, imo ipſas *claves regni cœlorum* reſolvit in tropum, ac per eas intelligit *Doctrinam ac interpretationem magiſtralem; qua caſus conſcientiæ ſolvuntur.* Certe hæc interpretatio Seldeni non eſt magiſtralis. Morinus enim de *diſciplina in admin. ſacr. pœnit. olim obſervata* l. 4. c. 23. fuſe probat etiam in Hebraico idiomate: *Aſar & hittir*, ſignificare *excommunicationem & abſolutionem.* Et Campegius Vitringa, ut ex illo refert Pfaffius, ſic commentatur in verba Chriſti: *Concedo vobis poteſtatem, talem conſtituendi diſciplinam, quam rerum, temporumque conditionem efflagitare videbitis.* l. cit. lit. h. Et l. h. ſub finem ſic habet Pfaffius. *Hanc facultatem ligandi & ſolvendi non eſſe ſingulare Apoſtolorum privilegium . . .* uti & *excommunicationem.* Et addit: *Neſcio, qui fiat, ut viri ſummi excommunicationem, tanquam Eccleſiæ peſtem ſummam, abominentur, qui facile capiunt, eam, ſi recte adminiſtretur, cœtum Eccleſiaſticum nitori ſuo plurimum reſtituere poſſe.* Poterat addere Vir Clariſſ. etiam Nomotheſiam & poteſtatem legislativam ſuo Eccleſiam nitori reſtituere poſſe. Ac profecto, ſi Eccleſia decernere poſſit excommunicationem, cur non

alias pœnas leviores, ſive deinde civiles illas vocet Pfaffius, ſive Eccleſiaſticas? Certe jurisdictio ſacra ſine pœnis Canonicis languet, ac ſine nervo eſt; imo ſi quidquam aliud, pœnæ ſceleribus inflictæ vel maxime & conſervant & reparant Eccleſiæ nitorem. Illud hic (ſed inter nos ac ſub roſa) Lector Erudite! obſerva: Si Servator noſter ad Tiberium Cæſarem dixiſſet: *Tibi dabo claves regni cœlorum; quæcunque ligaveris* &c. Putaſne Thomaſianos & Puffendorffianos unquam auſuros fuiſſe frigidam hanc texere paraphraſin & explicationem: *Tu prædicabis Evangelium præſertim ſine ſacculo & pera: Tu declarabis doctrinam liciti & illiciti* &c., & quidem *authoritate* ſolum *pædagogica?* Crede mihi hanc *poteſtatem clavium* ſplendida, magnifica, hyperbolica auxeſi eam in amplitudinem extenderent, quam cœli cœlorum vix caperent; imo cum Hobbeſio *poteſtatem Regum* ſtatuerent *indefinitam*, immenſam ac ſolis fere regiæ voluntatis limitibus circumſcriptam.

Achillem ac robur ſententiæ ſuæ collocat Pfaffius in illo Lucæ 22. ℣. 24. *Reges gentium dominantur eorum . . . . vos autem non ſic.* Ergo ab Eccleſia exulat omnis *ſuperioritas*, *coactio*, *dominium.* Ita Pfaffius. ar. 3. c. 1. ¶. Addamus & illud: *Sed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Clarum eſt itaque non excludi ab Eccleſia *majoritatem*, *præcedendi honorem* &c. ſed faſtum deſpoticum, cum omnino Chriſtus velit Eccleſiæ Præpoſitos modeſte uti autoritate ac jurisdictione ſacra. Apoſtolus 1. ad Cor. 4. ℣. 21. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate?* & c. 5. ℣. 3. *Jam judicavi eum, qui ſic operatus eſt, tradere Sathanæ in interitum carnis;* Et 2. ad Cor. 13. ℣. 2. *Cum venero, non parcam.* Ad Titum 2. ℣. 15. *Argue cum omni imperio.* Ad Hebr. 13. ℣. 17. *Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis.* Ne vero hæc ad Principes Politicos detorqueas, perinde ac ſi his juberet præſtari obedientiam; Lege ℣. 7. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei;* hæc utique non cadunt in Feſtum, Felicem aut alium Judææ Præſidem. Pfaffius vocem: *ſubjacere* ſeu ὑπείκειν, ait, non eſſe accipiendam *in ſenſu tam craſſo & pingui.* At quibus tandem verbis uti oportuit Apoſtolum ad explicandam mentem ſuam, niſi iſtis: *obedite, ſubjacete, præcipe cum imperio, poteſtate* &c. Sed Adverſarii quia erubeſcunt hoc Apoſtoli *imperium, judicium, virgam* dicere *pædagogicam*, explicant textum ſacrum de dono quodam ſingulari, quo Apoſtoli improbos ad incutiendum cæteris terrorem repentina morte plectebant, ut Petrus Sapphiram &c. Hæc illa *virga Apoſtolica.* At vero ſi Chriſtus jurisdictionem ſacram Apoſtolorum etiam miraculis armandam putavit ea ætate, quam primus Chriſtianorum fervor illuſtrem reddidit, an hodie illam penitus abrogatam dicemus, ubi charitas multorum refrixit? Longe aliud ſenſere Patres, qui *pœnis* ſeveriſſimis in peccantes animadvertebant in Eccleſia primæva. Perlege *canones pœnitentiales* ac diſciplinam Eccleſiæ Veteris;

Con-

Concilia & *anathemata* in rebelles Eccleſiæ contorta; omnium denique ætatum faſtos, ubi ternis quibusque paginis occurrunt veſtigia jurisdictionis Eccleſiaſticæ. Nec eſt, cur hic dominium aut Tyrannidem Adverſarius metuat. Quemadmodum poteſtas civilis, ita ſacra nullis moleſtior eſt, quam ſceleratis ac perditis, qui, cum gladium excommunicationis in ſe provocarunt vel morum improbitate vel dogmatum, cum Malcho auriculis multati infamiam ſuam circumferunt, clamant, vociferantur, Tyrannidem Petri, impetum præcipitem, abuſum poteſtatis ſacræ accuſant. Vide *Arnaldi* & *Quesnelli* apologias pro Auguſtino Janſenii.

Triumphant alii in textu D. Petri ex 1. c. 2. ℣. 9. ubi univerſis Chriſtianis dicitur: *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta*, &c. Itaque Sacerdotium omnibus fidelibus eſt commune. Et c. 5. Apoſtolus ſcribit Senioribus: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei . . .* non *ut dominantes in cleris*, ſed *forma facti gregis ex animo*. Subnectit Pfaffius: *Certum itaque jam ſit, directoribus Cœtuum nullum dominium competere.* ℟. Liceat ex Viro Eruditiſſimo percontari, quomodo locum illum parallelum Exodi 19. ℣. 6. explicet, ubi omnibus Iſraelitis ſine diſcrimine dicitur: *Et vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens Sancta.* An omnes Iſraelitæ Sacerdotes in V. T.? nullumne diſcrimen in V. T. Sacerdotes inter & populum? Nonne ex ipſo contextu patet, Chriſtum *lapidem a Synagoga reprobatum*, ſed nunc factum *in caput anguli* in Eccleſiam ſuam tanquam populum acquiſitionis tranſtuliſſe *regale Sacerdotium*, Synagoga jam exſpirante; perinde ac ſi Germanis dicas: Vos eſtis Imperium Romanum &c.? Quod prohibeat *dominatum* in Cleris Apoſtolus, recte intelligimus de *abuſu dominii*, non de *poteſtate Eccleſiaſtica* modeſte & tempeſtive exercenda in improbos; aliter enim loquitur D. Paulus 2. Cor. 13. ℣. 10. *Hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam ſecundum poteſtatem, quam dominus dedit mihi in ædificationem.* Sic Joannes epiſt. 3. carpit Diotrephem, qui *amat primatum gerere*, qui *fratres neque ipſe ſuſcipit, & eos, qui ſuſcipiunt prohibet, & de Eccleſia ejicit.* Nec tamen Pfaffius ob hunc *excommunicandi pruritum & abuſum* tollit ipſam excommunicandi facultatem ab Eccleſia. Scilicet in quovis abuſu corrigendo valet illa gnome Ethica: *Luxuriem foliorum, non ipſam e radice arborem ſuccidendam.*

Reſtat, ut libemus nonnihil e Patribus. Ex ipſo Pfaffio diſcas licet ar. 3. c. 1. lit. b. *Diffiteri non poſſumus, vetuſtiſſimos quosque Patrum hanc in ſententiam iviſſe*, extare ſcilicet in Eccleſia *Sacerdotem ſummum, ſacrificium, altare* &c. & lit. a. *formam regiminis Eccleſiaſtici a forma civitatum Romanarum deſumpſiſſe ſubinde Tertullianum, Origenem & Cyprianum; obſervat Dodwellus.* D. Ignatius Epiſc. Antiochenus epiſt. ad Magneſianos: *Epiſcopum præſidere loco Dei, Presbyteros loco Synedrii Apoſtolici eſſe*, & *Diaconos concreditum ſibi habere miniſterium*

JEſu

JEſu Chriſti. Nunquid ſatis diſtincte & graphice? Et in epiſt. ad Smyrnæos: *Sine Epiſcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Eccleſiam ſpectant.* Clemens Rom. in 1. Cor. §. 40. de oblationibus Chriſtianorum: *Summo ſacerdoti ſua munia tributa ſunt, & ſacerdotibus locus proprius aſſignatus eſt . . . . Homo Laicus præceptis Laicis conſtringitur.* Attonitus hoc loco: *Mira ſunt certe, quæ hic ponit Clemens*, exclamat Pfaffius. At quo pacto ſolvit nodum? vel librum eſſe ſuppoſitium *per pias veterum fraudes*, vel *oratorio* dicendi *genere* hæc prolata, vel Clementem *perperam* credidiſſe diſtinctionem dari *inter ſummum Sacerdotem, ſacerdotes, Levitas & Laicos.* En ratio facillima elidendi quamvis autoritatem Patrum, licet ſole illuſtriorem!

D. Cyprianus epiſt. 4. *Sacerdotibus ſuis non obtemperantes . . . ſpiritali gladio necantur*, dum *de Eccleſia ejiciuntur.* Hæc Pfaffius intelligit *de ejectione, quæ fit per modum conſilii & per modum ſeceſſionis . .* Mirare Lector! egregium paraphraſten, cui *ejicere* idem eſt, quod: conſilium abeundi dare. At quia idem Cyprianus in Epiſt. ad Cornelium commendat *Epiſcopatus vigorem & Eccleſiæ gubernandæ ſublimem ac divinam poteſtatem. . . Nec aliunde*, ait paulo infra, *hæreſes obortæ ſunt, aut ſchismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos & ad tempus JUDEX VICE CHRISTI cogitatur;* Victus hac tanta claritate & energia verborum Pfaffius ait, *Cyprianum extra oleas pauliſper vagatum eſſe*: & infra: *Eosdem floſculos alibi quoque in Cyprianeis invenire eſt.* Et in epiſt. Cypriani 3. ad Rogatian. putat *ſemina Dominii Eccleſiaſtici eo tempore jam improvide jacta.* Quo tempore? Clementis? Ignatii? Irenæi? Tertulliani? Cypriani? Agitur hic Vir Clar.! *de jure clavium, de Succeſſione Apoſtolica*, de *poteſtate Epiſcoporum* ſeu *gubernandæ Eccleſiæ ac divina poteſtate*? quid ſignificent hæ voces: δεῖν, λύσιν, κλεῖς, βασίλειον ἱεράτευμα, ἡγέμενοι, προεστῶτες, ἐπίσκοποι &c. (ſolvere, ligare, claves, regale Sacerdotium, Duces, Præpoſiti, Epiſcopi) repetendum eſt e fontibus Græcis, e quibus Adverſarii plerique textum primævum Evangelii fluere volunt. Incertum eſt, quibus verbis Syriacis uſus fuerit Servator, cum nec Adverſariis verſio Syriaca divinæ ſit autoritatis. Et tamen illi, cum Patres Græcos, utique vim idiomatis Græci aſſecutos, v. g. Clementem, Ignatium, Gregorium Naz., Chryſoſtomum audire ac ſequi deberent, ad recutitos illos Veteris Teſtamenti Patres, Rabbinos inquam & Synagogam hujus quæſtionis deciſionem transferunt: a Rabbinis emendicant ſenſum & notionem *clavium* &c. Annon melius ſic arguimus Orthodoxi: Ex hypotheſi Adverſariorum Evangelium Græcum eſt hagiographon: ergo Scriptor ſacer aberrare non potuit a mente Chriſti ſenſuque verborum, ſive Syriaca illa, ſive Hebræa fuerint: ergo ſi dubium emerſit circa ſenſum literarum ſacrarum græce ſcriptarum, Patres Græci (non Rabbini) Latinique, quorum permultos conſtat græce doctiſſimos fuiſſe, lucem nobis poſ-

ſunt

ſunt affundere? Sed Pfaffius intrepide *Clementem*, ait, *perperam credidiſſe. Cyprianum extra oleas vagatum* &c. Hæc Theologus Tubingenſis.

At enim in Sæculo II. *effata afferri pro æqualitate Epiſcoporum & Presbyterorum poſſunt.* Sic Pfaffius ar. 1. c. 3. lit. c. ergo Hierarchici nihil admodum extorquent e PP *pro ſupereminentia Epiſcopali;* Nam & Epiſcopi & Presbyteri vocantur a Patribus *Præſides Eccleſiarum.* Et Clemens 1. ad Cor. §. 42. 44. 45. 57. meminit *Presbyterorum, non nominato Epiſcopo.* ℟. *Tu es Magiſter in Iſraël, & ignoras*, quæ ſit vis argumenti *negativi*, præſertim ubi ex aliis Patribus ſexcenta ſuppetunt poſitiva? Quæ illatio: non nominat Epiſcopos; ergo excludit? Quis negat etiam Presbyteris delegari poſſe jurisdictionem Epiſcopalem? Quis neſcit Eccleſias Parochiales ab Epiſcopalibus ſecerni, atque a ſuis quamque Presbyteris regi, qui tamen agnoſcunt Epiſcopum, Eccleſiarum inferiorum caput? Potuitne diſertius loqui Cyprianus, quam in epiſtola 39. ubi de contumacibus quibusdam ſic ſcribit: *Qui non credebant Deo Epiſcopum conſtituenti; vel diabolo* (ejusque Apoſtolis) *crederent Epiſcopos proſcribenti; una cum ſublimi ac divina Eccleſiæ gubernandæ poteſtate Epiſcopali*, ut idem S. P. in epiſt. ad Cornel. *Scire debes, Epiſcopum in Eccleſia eſſe & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi qui cum Epiſcopo non ſunt, in Eccleſia non eſſe.* Lector Erudite! hic eſt *floſculus e Cyprianeis*, ut loquar cum Pfaffio, quem tamen ipſe decerpere non eſt auſus, & libro ſuo de Originibus Juris Eccleſiaſt. inſerere, forte quod afflaret odorem Presbyterianis minus acceptum.

Sed ipſi Patres ſupremam ſaltem in ſacris poteſtatem aſſerunt Principibus. Auguſt. in ep. 50. ad Bonifacium Comitem id aperte ſupponit: *Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperator, qui pro pietate contra impietatem leges ferendo ſerviret?* ℟. Ipſe mentem ſuam explicat D. Aug. dum ſcribit Regem *ſervire pro pietate* LL. ſanciendo, ſicut *Ezechiæ lucos deſtruendo.* Aliud quippe eſt ſervire pro ſacris, aliud in ſacris interponere autoritatem Cæſaream. In ep. 68. & 162. in Donatiſtas pathetice invehitur, quod in cauſa Eccleſiaſtica ab Epiſcopis appellarint ad Impp. . *Neque eſt auſus*, inquit, *Chriſtianus Imp. ſic eorum tumultus & fallaces querelas* (contra Epiſcoporum ſententiam) *ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe judicarit.*

Chryſoſtomus, inquies, ſic adumbrat jurisdictionem Epiſcopi: *Non eſt nobis data talis poteſtas, ut AUTHORITATE SENTENTIÆ cohibeamus homines a delictis.* ℟. autoritate ſententiæ decernentis pœnas Canonicas N. uſitatas in foro Civili C. Hinc homil. 4. de verbis Iſaiæ ſcribit: *Sacerdotis eſt arguere, liberamque præſtare admonitionem, non movere aſma, lanceam vibrare* &c. Quid de jurisdictione ſacra ſenſerit Chryſ., docet hom. 83. in Matth. *ſi Dux quispiam, ſi Conſul, ſi is, qui diademate ornatur, indigne accedit, cohibe & coërce, majorem*

tu illo poteſtatem habes. Et hom. 5. *de verbis Iſaiæ* poteſtatem Regis ac Sacerdotis comparans ait: *Sacerdotis thronus in cælis collocatus eſt, & negotiorum cæleſtium adminiſtratio ipſi conceſſa: Quis dicit hoc? ipſe cælorum Rex: Quæcunque ligaveris* &c.

Producunt contra nos Ambroſium ſic loquentem: *Lacryma meæ arma ſunt: aliter neque debeo, neque poſſum reſiſtere.* R. Gothis & Barbaris in Imperium Romanum irruentibus C. Hæreticis & Chriſtianis improbis N. Melius cònſulerent ſyſtemati ſuo Adverſarii, ſi candide faterentur, Ambroſium noſtrum eſſe. Teſtis eſt Imperator Theodoſius, templo per Ambroſium exeſſe juſſus, quin Ambroſio crimen læſæ intentaret. Profecto Ambroſii ſtylus ep. 14. ad Marcellinam paulo altius aſſurgit: *Quanto pejores ſunt Ariani*, inquit, *quam Judæi! iſti quærebant, utrum ſolvendum Chriſtus putaret Cæſari jus tributi: illi Imperatori volunt dare jus Eccleſiæ.* Non ſunt iſta, Lector Erudite! ad palatum & Ideas Puffendorffii & Pfaffii. Multo minus illa quæ habet in eadem epiſt. *Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſia: publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum.*

At Gregorius M. vocat ſe *famulum* Mauritii Imperatoris & fatetur ſe illi *obedientiam* præſtitiſſe. R. Addit S. Pontifex in eadem ep. ad Maurit.: *neque ut Epiſcopus, neque ut ſervus jure reipubl., ſed jure privato loquor.* Scilicet Antiſtes modeſtiſſimus *Servum Servorum* Chriſti & ferebat ſe, & nominabat. Sed cur omittunt Adverſarii, quæ habet lib. 4. epiſt. 31. *Sacerdotes eſſe ab omnibus etiam Regibus honorandos*; & lib. 14. Moral. c. 14. *Prima membra in corpore domini eſſe Sacerdotes:* & alia longe nervoſius ac ſonantius in Mauritium Imp. vibrata?

Abrumpo catalogum Patrum & Virorum Doctiſſimorum ſententiam ſolum allego, quæ Pfaffium, diu luctantem in oppoſitum, denique permovit, ut paciſci incipiat in has conditiones ar. 2. c. 3. lib. 1. cit. *Sit ita, uti Viri inſignes volunt, ut ſupereminentia Epiſcopalis divini juris eſſe exiſtimari poſſit, ſi modo adjiciatur, Epiſcoporum & Presbyterorum æqualitatem itidem divini juris eſſe.* Non aſſequor, inquies Lector Erudite! quomodo iſta cohæreant. Reſpondet Pfaffius: *relictum hoc eſſe Eccleſiarum libertati, quam regiminis Eccleſiaſtici formam eligere velint; nec eſſe* cur *Eccleſiæ Epiſcopales & Presbyterianæ hic ſeſe invicem brutis fulminibus impetere velint.* Scilicet hæc eſt libertas Eccleſiæ, ut *pingat ſibi faciem*, quam velit; hæc hypotheſis Adverſariorum. Sed vereor, ne ex iisdem fundamentis aſſerant ſibi libertatem, e S literis expungendi libros tanquam apocryphos, quos volunt; ſenſum ſacrarum literarum ſtatuendi quem volunt; formam Eccleſiæ eligendi, quam volunt; parendi Eccleſiæ præceptis, quando & in quibus volunt. En ichnographicam adumbrationem Syſtematis Autonomici!

Coro-

Corronabit hunc paragraphum insigne illud Cypriani dictum, quod Romanensibus inculcat Pfaffius: In Conc. Carthag. anno 256. sic locutus fertur S. Pater: *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit, aut Tyrannico errore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit; quando Episcopus . . . tam ab alio judicari non possit, quam nec ipse potest judicare. Sed exspectemus universi judicium Domini nostri JEsu Christi, qui unus & solus habet potestatem . . . de actu nostro judicandi.* Hoc velut fulmine obtrita ruit Monarchia Pontificis, potestas leges ferendi pro tota Ecclesia, & cum hac potestate moles universa Juris Canonici. R. Ipsi Adversarii nobiscum sentiunt, illud Concilium cum capite suo Cypriano errasse quoad dogma baptismi hæreticis denuo conferendi. Hinc ut fieri amat, Cyprianus Stephanum Pontificem sibi reluctantem sentiens errorem errore tueri conatus est. Opponimus Cypriano Augustinum: Cui, cum Pelagiani obstreperent, quid de Pontificis Romani autoritate sentiret, expressit his verbis l. 2. contra 2 Pelagianor: epistolas c. 3. *per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est*: & post: *Quibus* (literis Innocentii Pontificis) *hac de re dubitatio tota sublata est.* Et Serm. 2. de verbis Apostoli: *Inde* (Roma) *rescripta venerunt: causa* (Pelagii) *finita est, utinam aliquando error finiretur!* Opponimus Cypriano Cyprianum, qui alibi Romanam Ecclesiam vocat *Ecclesiæ Catholicæ radicem, Matrem centrumque*: & *Episcopi Romani communicationem* appellat *Ecclesiæ Catholicæ unitatem*; ep. 45. Idem ep. 55. ad Cornel. Romanos vocat *Petri Cathedram*, & *Ecclesiam principalem, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Quod Pontifex possit judicare de erratis Episcoporum, diserte affirmat Cyprianus ep. 67. ad Stephanum Papam, quem rogat, ut *in locum Marciani Episcopi Arelatensis*, in hæresin Novatianorum lapsi, *substituat alium*, & Marcianum sede sua expellat. Hæc utique sonant *jurisdictionem, potestatem leges ferendi* & coërcendi etiam Episcopos.

Denique seposita ista controversia, quæ Presbyterianos nihil admodum subleveat; sive Hierarchiam Ecclesiæ conflare velis ex Episcopis, vel in Concilio suo sub Capite collectis, vel extra illud saltem in unum Jus Canonicum ac LL. Ecclesiasticas conspirantibus, sive pure Monarchicum Ecclesiæ Regimen admittas, in utraque hypothesi Jus Canonicum ac Nomothesia sacra stabit inconcussa.

§. IX.

Systema Hierarchicum non sine contumelia Impp. Regum, Principum ab Adversariis impugnatur.

Dum Systema Hierarchicum discutitur, Summorum Imperantium res agitur. Ætatem, Autoritatem, Sapientiam habent, ipsi loquantur. Intexui-

Ut primum aſſequamur, oportet imbui animum hominis ideis veris, puris, cœleſtibus. Requiritur itaque Judex tum circa Dogmata fidei, tum morum præcepta; ne, dum quilibet libertate autonomica ſibi procudit ideas ac principia de religione, contingat, quod de Auguſtino refertur, ut quilibet ſibi Deum fingat, non qualis eſt, ſed qualem eſſe cuperet; imo cum Epicuræis illum plane removeat ab adminiſtratione mundi, hominibus ſibi fatoque ſuo relictis. In quæ monſtra opinionum autonomica illa in dogmatis fidei ſentiendi quidvis mentiendique licentia ſe effundat, nihil attinet dicere. Fuit his ultimis ſæculis Arius redivivus, qui tractatum de SS. Trinitate ſcriberet cum epigraphe: *Monſtrum triceps.* Fuere ex Socinianis, qui Symbolum S. Athanaſii de Auguſt. Triade vocarent *Symbolum Sathanaſii.* Fuit Godefridus quidam a Valle, qui opuſculum edidit *de arte nihil credendi.* Omnes iſti cum Hennigio abutebantur verbis Lactantii l. 5. c. 13. dicentis: *Quis mihi imponat neceſſitatem credendi, quod nolim, vel non credendi quod velim?* Omnes uſi ſunt eodem clypeo, quo Thomaſius teſte Pfaffio lib. cit. c. 4. ar. 3. lit. m. *Quemque ſuæ fidei judicem eſſe.* Dicimus nihil facilius evenire, quam ut animus a præpoſteris ac perniciosis illis opinionibus prorumpat ad ſcelera. Illuſtramus rem exemplo: Eſt qui doceat: *Eundem Deum in Davide operari & adulterium & pœnitentiam.* Blaſphema hæc doctrina viam ſternit ad flagitia, cum cupiditas ſibimet blandita a Deo ſe agi vel rapi potius, ſuſpicetur. Hinc tituli Juris Can. *de Summa Trinitate, de Maledicis* &c. Requiritur *jurisdictio ſacra interior* ſeu tribunal, ut vocamus conſcientiæ, quod immerito Autor *diſſert. cit.* accuſat *tyrannidis.* Eccleſia primæva pœnitentiam publicam per Canones ſeveriſſimos exigebat, quæ nunc fere intra duos ſolum, Judicem ac Reum conſiſtit. Quæ hic Tyrannis? Requiritur diſciplina morum, & pœnæ in improbos ſancitæ, etiam Clericos; Et hinc tituli *de Simonia*, de *Filiis Presbyt.* de *ſent. excomm.* Non negamus in Eccleſia etiam orthodoxa ſubnaſci vitia, quæ per populum & Clerum ſe diffundunt, niſi coërceantur ſacris legibus; Non negamus, quod cum ſupercilio nobis ingerit Autor cit., extare Clericos avaros, ſuperbos, luxui deditos; ſed vel ideo Hierarchia Rom. & jurisdictio ſacra a Chriſto invecta eſt, ut improbi retunderentur; Et unde tandem Vir Clariſſime! nacti eſſetis Architectos primos Syſtematis Anti Canonici, niſi nos habuiſſemus Monachos Apoſtatas & Clericos diſciplinæ Hierarchicæ impatientes?

Quod alterum erat caput quæſtionis, *unio exterior & animorum & doctrinæ* primus fere partus eſt Hierarchiæ Eccleſiaſticæ & quidem ſolius. Graphice & nervoſe perſequitur hoc argumentum D. Freereiſenius in allocut. cit. *Quot & quanta ex ſeparatione & independentia Eccleſiarum particularium jam ortæ ſint miſeriæ, vix verbis exprimi poteſt.* Recenſet deinde controverſias ſuorum circa *diem dominicam, benedictionem Sacerdotalem, diſpenſationes in cauſa propria, divortia*

divortia & aliis in materiis hypotheſium, opinionum, conſultationum, reſponſorum, varietatem, contrarietatem, frivolam audaciam ac denique Scepticiſmum. Addit: *Quis probus non horrore corripitur videns primum nonnullorum Juris Eccleſiaſtici eſſe principium: Quidquid lubet, licet?* &c. Quæ ſequuntur ejuſmodi ſunt, ut præſtet, ea in ſuo fonte deguſtari Deſiderat ſcilicet in Eccleſia ſua, ut diſerte fatetur, Spiritum ordinis & ſubordinationis; queritur *cuivis impoſtori ac fanatico licere novam formare Eccleſiam, novasque promulgare leges Eccleſiaſticas atque ceremoniales.* Reſpondemus non ſine commiſeratione: *Tu dixiſti.* Sed principiis erat obſtandum; non evertendum ex toto Syſtema Hierarchicum; non comburendum publice Jus Canonicum, ut contigit Wittenbergæ, quod nunc D. Frœreiſen ex ipſis cineribus, ſi poſſet, reſuſcitaret; Denique *non transgrediendi termini, quos poſuerunt majores noſtri*, majores ætate, ſapientia, ſanctitate. Abuſus & vitia per Eccleſiam ſerpentia voluerunt tollere Reformatores, tollendo ipſas LL. Nomotheſiam atque Hierarchiam ſeu dependentiam a ſupremo Legislatore Pontifice; præclara ſcilicet medendi ratione, quæ corpus ægrum Eccleſiæ ac male affectum ſanare conatur, præſcindendo caput.

Non erat profecto, cur Megalander ille Wittenbergenſis, ut a ſuis vocatur, tanto animo & impetu rueret in partem oppoſitam, & LL. Eccleſiaſticas momento concutere omnes atque evertere niteretur, dum ſcribit: *Caveamus a peccatis, ſed multo magis a Legibus & operibus bonis.* In Serm. de novo. Teſt. Infenſus erat Epiſcopis atque Hierarchiæ atque hinc plauſum & auram popularem captabat. Ipſe Melanchthon, ſupra Magiſtrum ſobrius ac ſapiens, hoc ejus dogma aperte refutat, dum ſcribit in Epiſtola quadam ad Camerarium. *Video, qualem ſimus habituri Eccleſiam diſſoluta Politia Eccleſiaſtica; Video poſtea multo intolerabiliorem futuram Tyrannidem, quam antea unquam fuit.* Et paulo ante: *Utinam poſſem non quidem dominationem confirmare, ſed adminiſtrationem reſtituere Epiſcoporum.* Quas homini voces excuſſit ineluctabilis illa vis veritatis Orthodoxæ, quæ per ipſos hoſtes ſuos ſolita eſt de hoſtibus triumphare. Itaque non eſt neceſſe uberius deducere hoc argumentum; cum ipſe Thomaſius candide fateatur in Præfatione ad *Hiſtoriam contentionis inter Sacerdotium & imperium*: eos, *qui eximere Principes a poteſtate Eccleſiaſtica conantur*, haberi inter ipſos Proteſtantes, ut *Pſeudopoliticos*, imo ut *Atheos*, aut ad minimum ut *Indifferentiſtas*, atque hinc, ait, *communem perſuaſionem in academiis Proteſtantium hactenus regnaſſe.* Ipſe tamen cum Puffendorffio &c jus Principum circa ſacra toto tractatu illuſtravit, opinionem ſeu potius errorem communem, ut putat, diſcuſſit, & ſacrum hoc cimelion ſummis Imperatoribus proprium, ſed ignorantia Veterum conſepultum, detersō ſitu ac pulvere ſuo ſplendori aſſeruit, ut in ipſo apice ſceptri aut diadematis regii collocatum porro radios illuſtrius diffunderet. Hæc ille renitente Clero Heterodoxo & fulmen excommunicationis

nequid-

nequidquam ſtringente. Qui poteſtatem Eccleſiaſticam (phraſi Thomaſiana *reliquias Papismi Politici*) inter Proteſtantes defendunt, eos §. 4. ibidem Politicus iſte exagitat, & *impudentes*, *inſanos*, *autoritatem plusquam Pontificiam* ſibi arrogantes; ut homines, qui ſe, *ſi non Deos*, *certe homines divinos* putent, *Apoſtolis & Prophetis*, *ſi non anteferendos*, *ſaltem æquiparandos*; denique ut *lupos*, quibus *larvam agninam* detrahendam putat. Ita ille de Clero ſuo. Excute Lector Erudite! primorum Theologorum Anti-Pontificiorum ſcripta; reperies hæc eadem dicteria ab ipſis in ſummos Pontifices, in Epiſcopos & Præſides Eccleſiarum vibrata, quæ nunc ab eorum Politicis, rerum ordinem vertente Deo, in ipſorum capita retorquentur. Perdifficile eſt in rebus ſacris novi quidquam moliri, quin ab uno extremo in aliud præceps agaris. Moderatiores illi cum Melanchthone *togas Epiſcoporum* in Germania *nimis longas* ſuccidendas nonnihil putabant; ſed Politici Thomaſiani Epiſcopis ſuis veſtium genus & formam fere adaptant, qualem legimus l. 2. Regum. c. 10. ℣. 4.

Habes hic Lector Candide! ideam noſtram de Nomotheſia Eccleſiaſtica; ideam, qualem ipſe Servator in ſacris literis, qualem naſcentis Eccleſiæ Patres, qualem Auguſtiſſ. Imperatores, Reges ac Principes omnium fere ætatum nobis adumbratam reliquere; ideam, qualem ipſi Heterodoxi modeſtiores hodieque tuentur, qui Adverſarios non raro Machiavellismi accuſant. Vide, an horum omnium judiciis præferendos putes Triumviros illos, qui in Eccleſiæ Orthodoxæ viſcera graſſantur per hypotheſes recens procuſas aut potius e Marſilii Patavini cineribus redivivas, ita ut Puffendorffius, teſte P. Ignatio Schwartz, conetur labefactare principia Religionis avitæ multa, Hobbeſius plurima, Machiavellus omnia.

Animadverſiones Editoris.

Ad §. 3. 1. Inquit hic Auctor, juxta ſyſtema Proteſtantium collegiale a Principe jurisdictionem Eccleſiae delegatam eſſe: verum id juxta RR. ſecus eſt, qui potius ſtatuunt, exceptis juribus Majeſtaticis, quae principi ex ipſo ſummo Majeſtatis jure propria ſunt, jura collegialia a principe exerceri per translationem ab Eccleſia, vel tacitam, vel expreſſam; quae res per alias lucubrationes, uti jam innui, huic operi ſuo loco inſerendas uberius eluceſcet.

2. Monendus etiam hic eſt meliora L[illegible]CHSTEINIUS, qui ita inquit: daß die Kleriſey in den erſten Jahrhunderten ſich niemal des Prädicats einer Macht angemaſſet hätte; denn dieſer Ausdruck ſchicke ſich nur in dem Sinn und Verſtand der heil. Schrift und der heiligen Väter für die weltliche Obrigkeit.

keit. Das, was ich geiſtliche Macht genennet habe, war bey den Alten die Authorität, das Anſehen der Kirche. Sed quam falſum illud ſit, patet ex S. IGNATIO Martyre Saeculi I. Epiſcopo Sanctiſſimo, qui in epiſtola ad Trallenſes, quae communiter ab eruditis inter legitimas recipitur: ita fatur: *Quid aliud eſt, Epiſcopus, quam is, qui omnem PRINCIPATUM et POTESTATEM ſuper omnes obtinet?* S. CHRYSOSTOMUS vero *Hom. 15. in 2 ad Cor.* poteſtatem Eccleſiaſticam cum civili comparans, ita denique pronuntiat: *Iſte autem PRINCIPATUS* (ſcilicet ſacer ſeu eccleſiaſticus) *civili tanto melior eſt, quanto terra coelum.* Ab his non diſſidet S. HIERONYMUS, dum *Dialogo adverſ. Lucifer.* ait: *Eccleſiae ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quaedam, et ab hominibus EMINENS POTESTAS detur, tot erunt in Eccleſia ſchismata, quot ſacerdotes.* GREGORIUS NAZIANZENUS *Orat. 17.* ſic affatur THEODOSIUM Imperatorem: *Te quoque Imperator IMPERIO MEO ac throno lex Chriſti ſubjicit. IMPERIUM enim nos quoque Epiſcopi gerimus, addo etiam praeſtantius et perfectius.* Conf. MOLITOR *Diſſ. de poteſtate Eccleſiae Legislativa, Coactiva et Declarativa*: quam, cum et latine et vernacule paſſim proſtet, hic omittendam putavimus.

3. Recte porro in hoc eodem §. Auctor diſtinguit inter vitia ipſius formae regiminis, et vitia ipſorum regentium, ex quibus ſubinde, quales demum cunque ſint, pro humana imbecillitate turbae exiſtere poſſunt, quin illae in ipſam poteſtatem referri poſſint. Sed quid dicemus de FEBRONIO, qui *Tomo 2. f. 347.* invidioſiſſima ratione recoquit facta Pontificum, cicatrices jam obductas refricans ira aut aequali aut majori, quam ipſi Proteſtantes ejus hac in re Anteceſſores, quales fuere LEONARDUS HUTTERUS in *Iliade regni* Pontificio-Romani, ſive *Diſſ. de injuſtiſſimo* Pontificis Romani *in Eccleſia Dei dominatu* 1609. HENNINGIUS ARNISAEUS *Tract. de poteſtate* Pontificis *in Principes*, Francofurti ad Oderam 1612, et Argentorati 1636. SIGISMUNDUS EVENIUS *Demonſtrat. Apologetica tyrannidis pontificiae ſaecularis.* Halae 1620. LAURENTIUS SANKIUS *Libr. de tyrannide Papae in Reges et principes Chriſtianos.* 1649. HENRICUS MULLERUS *Cauſſa Auguſtorum, ſive Caeſarum, Regum atque Principum contra* Pontificem Romanum, *ejusque paraſitos* Bellarminum, Azovium, *et alios defenſa*, Roſtochii 1565. THOMAS BRAESUS *papal uſurpation* &c. ſeu *papale dominium, et perſequutio antiquis et recentioribus temporibus tam in principes quam plebem exercita* Londini 1712 Anglice. THOMASIUS *Hiſtoria contentionis inter imperium et ſacerdotium breviter delineata usque ad Saeculum XVI. in uſum Auditorii Thomaſiani* Halae 1722. At vero fallaci hic inprimis ratione agit, dum ea ſolis Pontificibus imputat, quorum ſaepe pars magna aut ipſa Concilia aut Epiſcopi plures praeſertim in Germania fuere: nil autem ad invidiam alterius diſſimulare, hominem veri amantem,

neque affectu abreptum decet: dein ſiquid veri ſubeſt, eadem reſponſione, qua hic Auctor contra PUFFENDORFFIUM utitur, FEBRONIUS quoque proteritur. Interim notet ſibi, quae inquit LANGLETUS de FRESNOY in Praefatione ad Commentarios D. *Puteani* ſuper Eccleſiae *Gallicanae* libertates A. 1715. a ſe *Pariſiis* recuſos: *Annon quotidie cernimus inquietos homines maligna aviditate quaerere, quidquid Jeſu Chriſti Vicario exprobrare potuerunt, aut in omnes generatim Pontifices refundere, quod de nonnullis tantum dictum aliquando fuit? Satis ſuperque videmus Catholicos cupiditatibus abreptos eandem cum Calvinianis de Sanctae Sedis auctoritate tenere loquelam. Inniti ſaepius illi volunt ſcriptis, quae difficillimis illis edita fuere temporibus, quibus fideles de legitimo Romano Pontifice inter ſe contendentes non ſine aliqua animi commotione in Pontificem loquebantur, quem ipſi pro vero non agnoſcebant, quin tamen intenderent adverſus Eccleſiae caput inſurgere. Nec attendunt, inquit ſapiens aetatis noſtrae ſcriptor, ſi aliquibus auctorum noſtrorum condonatur, quod durius in circumſtantiis extraordinariis protulerunt, jam nunc loquendum non eſſe, quemadmodum tempore Schismatis, atque aliarum diſſenſionum locuti ſunt. Quis neſciat, quae in morbis periculoſis adhibentur remedia, pernicioſa evadere, ſi extra illas circumſtantias ſuppeditentur? Nunc autem quaſi procelloſis illis temporibus adhuc viveremus, libellos ſeditioſos in vulgus diſſeminari quotidie cernimus ab obſcuris Scriptoribus, qui ſine nomine et auctoritate Eccleſiae ipſiusque capiti ſuae poteſtatis limites pro nutu praeſcribere volunt. Ut iſti ſermocinantur, diceres, ad ipſos ſolos coarctatam eſſe univerſalem Eccleſiam, vel ipſos ſolos a Deo inſpiratos ad Eccleſiam ab errore, in quo circa ſuae auctoritatis amplitudinem verſaretur, revocandam.* Qui tamen ii ſint, ex regula, quam *Gallicani* Epiſcopi in prooemio celebris declarationis A. 1682. ſtatuerunt, intelligere facile poſſumus: *Haeretici*, inquiunt Praeſules illi, *nihil praetermittunt, quo eam poteſtatem* (Apoſtolicae Sedis) *qua pax Eccleſiae continetur, invidioſam et gravem REGIBUS et POPULIS oſtentent, iisque fraudibus ſimplices animas ab Eccleſiae matris, Chriſtique adeo communione diſſocient.* Conf. *Antifebronium Vindicatum adverſus Juſtinum Febronium, ejusque Vindicem Theodorum a Palude* Tom. 1. f. 386. ſeqq.

Ad §. 5. Ipſiſſima PUFFENDORFFII verba hic ab Autore relata FEBRONIUS *C. 2. §. 12. n. 6.* in rem ſuam adduxerat, ut evinceret et ipſe, quaeſtionem illam de regimine Eccleſiae aut Monarchico aut Ariſtocratico aut alio abſurdam eſſe, eoquod Eccleſia Status non ſit: addito quoque eo PUFFENDORFFII elogio, quod hac in parte vera tradat. Cum vero aperte hic videretur impingere in Catholicorum principia unanimi ratione docentium, Eccleſiam Rempublicam ſacram eſſe, quoad poteſtatem ſibi propriam atque a Chriſto traditam a Republica profana minime dependentem, atque adeo extra controverſiam Statum eſſe dicendam: *Tomo* ſuo *2. p. 381.* doctrinam hanc ſuam in caute a PUFFENDORFFIO mutuo ſumptam his verbis emollire conatur:

Dixe-

Dixerat Febronius Cap. II. §. 12. n. 6. *cum* Samuele Puffendorffio, *nullam ex tribus regiminis formis* Ariſtotelicis, *monarchicam*, *Ariſtocraticam et democraticam*, *convenire Statui Eccleſiae*, *neque huic per rerum naturam poſſe applicari: ſiquidem hae formae ſolum cadant in ſtatum civilem ſeu politicum*, *qualis non eſt Eccleſia.* Sed aut inepte in rem ſuam adhibuit *Puffendorffium*, quippe qui nulla ratione concedit Eccleſiam eſſe Statum, ſed tanquam Syſtematis Collegialis praecipuus parens eam nonniſi Collegium in Republica eſſe aſſerit: aut fraude agit FEBRONIUS et fallacia ad ſenſa ſua obtegenda: nemini enim incidit adhuc, dum Eccleſiam Statum diceret, eam eſſe Statum Civilem aut Politicum. Exemplo FEBRONII eadem ratione hic hallucinatus eſt ANONYMUS in opere *di una riforma d' Italia* 1767. Cap. 1. pag. 39., quanquam et is ſe Catholicum profiteatur. Conf. *Antifebr. Vindicat. cit. Tom. 1. f. 181. ſeqq.*

Ad §. 6. N. VIII. Quoad Capitularia Regum Francorum, CAROLI praecipue M. aliaque ejus geſta, atque inter cetera circa celebrem Synodum *Francofordienſem* adde LEONARDUM GREBNER S. J. *in Tractatu Hiſtorico-Juridico de Statu Eccleſiae et Juris Eccleſiaſtici obſervantia ſub imperio Regum et Imperatorum ſtirpis Carolingicae cum ſelectis obſervationibus ſtudio Juris Eccleſiaſtici inſervientibus*, Part. 3. Obſerv. 7. *de auctoritate Caroli M. in Synodis*, et *Conc. Francofurtenſis contra Nicaenum II. Decreto.* Tractatum porro hunc, tanquam bonae frugis plenum hoc ipſo loco Operi huic meo inſeruiſſem, niſi peculiaribus typis excuſus de novo extaret apud Bibliopolam, cujus ſumptibus opus iſthoc editur. Ceterum quid tum ex factis Imperatorum antiquorum, tum Capitularibus Regum Francorum, tum etiam novioribus Catholici Canoniſtae Recentiores circa poteſtatem Principum in rebus diſciplinam nonniſi exteriorem Eccleſiae concernentibus, quam illi *condirectivam* dicunt, eruere velint, vide inter alios apud SCHROD in *Inſtitutionibus Jur. Can. 1770. Lib 1* §. CXII. ſeqq. Perquam temerarium eſt, quod inquit LOCHSTEINIUS: Gründe wider und für die geiſtliche Immunität P. 2. c. 9. §. 11.: die geſetzgebende Gewalt der geiſtlichen Macht, wodurch ſie an und für ſich verbunden werden kann, erſtrecket ſich demnach nicht weiter, als in dem Umfange ihrer Souveränität, das iſt, über Dinge, welche Glauben, Geheimnuß, und Religionsgebothe heiſſen; mit einem Worte über das, was man Dogma nennet, und was zum weſentlichen Gottesdienſte gehöret. Refutatus eſt ab ANSELMO MOLITOR. Diſſ. *de Poteſtate Eccleſiae* &c. cit. quam vide.

Ad §. 8. Quem hic ex PFAFFIO recitat explicatque Autor textum S. CYPRIANI, qui Primatui Romano adverſus videtur; denuo a FEBRONIO potiſſimum in rem ſuam adducitur. Id adhuc de eo notare placet, quod habet ZACCARIA in *Anti-Febron. edit. ſecund.* Tom. 2. f. 80, CYPRIANUM ibidem nequaquam de Romano Pontifice loqui vel ex eo ſat invicte colligitur,

quod, uti demonſtravit AUTOR Diſſ. *de diſſidio inter S. Cyprianum et Stephanum Pariſiis 1724.* ne tum quidem adhuc redditae fuerint S. CYPRIANO, quando Concilium hoc tenuit, ad quod illa verba referenda ſunt, S. STEPHANI literae, unde poſtea plus juſto in Pontificem ſibi adverſum CYPRIANUM exarſiſſe conſtat. Sane eccur literas STEPHANI non recitavit in eo Concilio CYPRIANUS, ut Patres ſibi addictos magis adhuc opinioni ſuae devinciret? eccur recitatae ſunt ibidem literae *Jubajani* ad *Cyprianum*, hujusque reſponſio; literae item praecedentis Concilii ad STEPHANUM: hae autem ſolae STEPHANI maxime tum ad rem facientes omiſſae? Recte igitur AUGUSTINUS *l. cit.* allatus vult, CYPRIANUM tantum per haec verba liberum feciſſe quaerendi arbitrium, ut examinata veritas panderetur. Neque enim mentiebatur, et ſimpliciores Collegas in verbo capere cogitabat, ut cum ſe diverſum ſentire prodidiſſent, tunc contra quam promiſerat, excommunicandos eſſe cenſeret. Recte item inquit Cel. MAMACHI *T. V. Origin. et Antiq. Chriſt. p. 87.: cum morem rebaptizandorum Haereticorum, qui ad Eccleſiae Catholicae unitatem convertebantur, non ad fidem et religionem ille, ſed ad diſciplinam (quae peculiaris Eccleſiae Africanae, nonnullarumque aliarum erat) pertinere exiſtimaret; etſi hoc in genere vehementer errabat, tamen ubi periculum eſſe vidit, ne qui eum ipſum morem ſequi pergerent, communione Romanae Eccleſiae a Stephano prohiberentur, Carthaginienſis Concilii decretum, conſuetudinemque Africanorum oppoſuit, negavitque, ob eam rem unam eſſe perturbandam pacem, cogendosque Epiſcopos, ut diſciplinam, quam hactenus coluiſſent, abjicerent; propterea quod, ſi quid hujusmodi egiſſent, rationem actus ſui non cuiquam hominum, ſed uni Deo reddere deberent.* Conf. quoque *Antiſebr. Vindicat. Tom. 1. f. 495. ſeqq.*

Ad §. 9. Acerba certe ſunt, quae hic Autor ex Proteſtantibus in Catholicam Religionem dicta affert: quibus tamen nihil frequentius, quam conqueri ſe Haereticos, immo et Acatholicos, et quae ſunt nomina ſimilia, appellari: ut nil dicam de certis cantilenis Catholicae Religioni probroſis, de quibus alibi ſermo erit. Excuſat ea PFAFFIUS hoc modo apud ZALLWEIN *Tom. 3. f. 453.* not. y: Ich merke an, daß die geiſtliche Bezichte keine injuriae civiles ſeyen, wodurch die Civil-Achtung dieſes oder jenes gekränket werde. Eine Kirche mag gar wohl ſagen, die andere ſeye falſch, ſie ſeye ein Babel, ſie ſeye Antichriſtiſch, das hebt die Civil-Achtung nicht auf, und die Höflichkeit, die man einander nach dem Recht der Natur ſchuldig iſt. Dann was iſt dieſe Bezicht anders, als daß ich ſage: du irreſt dich, wenn du dieſes oder jenes glaubeſt, du glaubeſt wider Chriſti Lehr, du betteſt an, was nicht Gott iſt, und dergleichen. Die erſte Chriſten hielten ihre heidniſche Kayſer vor Abgötter, und bezeugten ihnen doch den ſchuldigen Gehorſam. Aber mit Civil-Schimpf-Worten drein zu werfen, das will was ganz anders ſagen,

gen, und iſt je nicht erlaubt. Academ. Reden p. 324. pergit paulo poſt *not. z.* Iſt keine Wahrheit ein Schimpf-Wort, wenn man beweiſen kann, was man ſaget *pag. 225.* Aequior eſt MOSERUS von der Reichsverfaſſungsmäßigen Freyheit von teutſchen Staats-Sachen zu ſchreiben 1772. f. 54.: So auch in Religionsſachen. Entweder müßte allen Rechtsgelehrten von beyden Religionsparthien verboten werden, über die zwiſchen beyden Theilen ſtreitige Puncten gar nichts mehr zu ſchreiben (und das würde wenig Nutzen haben) oder wann dem einen Theil erlaubt iſt, ſeiner Religionsverwandten gemeinſame Grundſätze zu vertheidigen; ſo muß es (nach) der Grundregel der teutſchen Staatsverfaſſung im Oſn. Frid. Art. 5. §. 1. Quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum,) auch dem anderen Theil vergönnet ſeyn. Quare aut Proteſtantibus quoque ejuſmodi compellationibus abſtinendum, neque ex PFAFFII dictis fucus allini e poterit iis, quae ipſi palam e pulpitis quoque in Catholicos dicunt; aut ſi illud quidem in jura Catholicorum nil impingit, idipſum de ejusmodi Catholicorum dictis ſcriptisque dicendum erit. Ego ſane ex utraque parte iis, quae nonniſi animos exulcerare ſolent, abſtineri vehementer optarem.

II.

IPSIUS EDITORIS VINDICIAE ADVERSUS RESPONSIONES A JUSTINO FEBRONIO VARIIS LOCIS INSTITUTIONUM JURIS ECCLESIASTICI *Heidelbergae A. M. DCC. LXXI. editarum* OPPOSITAS. *ibidem A.* 1772.

CAPUT I.

De iis, quae generatim FEBRONIUS reſponſionibus ſuis praemittit.

§. I.

Occaſio harum vindiciarum contra Febronium.

Neminem opinor latet bellum iſtud literarium *Febronianum* noſtris diebus tam diffuſum, tam pertinax, tantis animis, tot ſcriptis, tot utrinque confutationibus decennio jamdum decertatum. * Dum ſcriberem *Inſtitutiones meas Juris Eccleſiaſtici*, rem hodie tam celebrem ſilentio penitus praeterire non licuit. Qui eas praejudicio vacuus inſpiciet, credo intelliget, minime id mentis meae fuiſſe, ut data opera integri ſyſtematis *Febroniani* antagoniſtam agerem. Atenim quoniam vel in aliquibus tantum capitibus auſus fui ab ejus opinionibus recedere & meam de iis mentem *Febronio* ipſi candide inſinuare; ea res ita exacerbabit virum, nullius videlicet adverſarii inaudita hactenus inter eruditos ratione patientem, ut reſponſionem mihi Tomo ſuo tertio opponeret uti ſoliditate vacuam,

vacuam, ita consueta illi sub larva latebrisque suis inhumanitate atque barbarie turgidam refertamque. Ut ut alias a quovis meliora edoceri paratissimus nunquam non ero, ita hujus tamen larvati thrasonis inficetam scribendi rationem castigandam mihi vindiciis istis existimavi. **

* Scripta hac de re edita recensentur in WALCHII *neueſter Kirchen-Geſchichte Tom.* I. *N.* 3. *Geſchichte des von Juſtino Febronio heraus-gegebenen Buchs und der darüber entſtandenen Strittigkeiten* a f. 147. seq.

** Absona plane res & jure quidem merito habetur tum a Catholicis tum a Protestantibus inhumano plane *Febronianoque* stilo cum adversariis suis agere, quod quidem a *Goettingensibus* FEBRONIO ipsi non solum jam vitio datum, sed & a SELCHOWIO *Juriſtiſche Bibliothek* 2. *Band.* 1. *Stück.* 2. *Abſchnitt. n.* 6. vel ex uno eo capite asseveratum fuit lucubrationem quandam non esse a celeb. NELLERO, viro alias laudibus meis majori, conscriptam, eoquod ut inquit: *Herr* NELLER *kan nicht ſo grob und barbariſch ſchreiben!* De caeteris stili *Febroniani* gratiis jam egit AUCTOR *des Urtheils eines Proteſtantiſchen Schriftſtellers über das Buch des Juſtinus Febronius f.* 61. cujus quidem de hac re judicium puerile vocat *Tom.* 3. *f.* 253. atenim nemo non novit imbellium esse refugium isthoc ultimum, id quod nec negare, nec emendare, neque assequi in aliis possis, deridere. Quodsi eruditi orbis interesset *Epistolas obscurorum virorum* intercidere nunquam, eae, si quid tetrius ipsis eveniret, facile ex flosculis *Febronianis* restaurari possent. Aliqua adeo inficete & plusquam Gothice barbara propria sunt homini huic, ut vix non argumentum a stili similitudine criticis usitatum fieri inde possit ad eum e latebris suis eripiendum, si lucubrationes... pervolveris.

§. II.

Febronii pro responsionibus suis ingressus.

Ita se respondisse inquit FEBRONIUS (ab his ampullis exordium more suo capit) P. KLEINER collegae in hac Universitate meo, * ut neutiquam credidisset fore vel ex ea Societate, vel saltem in eadem Academia quenquam, qui denuo adversus eum in aciem descensurus esset: nunc autem, quis credidisset? ** nunc, inquit, venit junior quidam (quibus verbis ego indicor) qui mox altero Professurae suae anno edidit *institutiones Juris Ecclesiastici*, in quibus plura *capitalia Febronii* loca animose invadit. *** Respondendum a se fuisse, tum ne quasi de re bene acta gloriarer, tum ut appareret, quam parum veri solidique ipsi opposuissem, quamque idcirco parum officii sanctae Religioni nostrae in confutando *Febronio* exhibuissem. *

EPICRISIS.

* Silentium P. KLEINER, uti hic FEBRONIUS prae se fert, insolentiam viri adauxit; quemadmodum nimirum fieri solet, ut hujus generis homines silentium alterius nequaquam modestiae aut moderationi a sapientiori adhiberi solitae (quippe qua ipsimet omnino destituuntur) attribuere soleant, sed triumphum

umphum ſuum reputent. Cur non reſponderit P. KLEINER, videre poterat FEBRONIUS in nota ab eo adjecta *Diſſ. 2. de Cardinalibus hic editae* 1768. *f.* 41. *ad ſ.* 38. ubi ita inquit: *Oppoſuimus eidem* (FEBRONIO) *alias Obſervationes quasdam ſummarias ad librum praedictum de ſcopo & mediis, quae in eodem ſibi eſſe praefixa teſtatur. Vindicias & Reflexiones oppoſuit Febronius: haud difficilis futura erat reſponſio ad ea, quae repoſuit. Verum cum pars eorum potior in aculeatas dictiones & vehementiorem ſcriptionis ſtylum deſinat* (*cujus rei exemplum in omnibus fere paginis occurrit*) *regulam Febronii ſequemur ab eodem aſſignatam ad finem Praefat.* §. *Qui ex privatis; quae acerbius contra nos ſcripta ſunt ſilentio non tam vindicaturi, quam praetermiſſuri.*

** Quatuor Jeſuitas FEBRONIUS *Tom.* 3. *f.* 264. laeſae Majeſtatis, ſi ſuperis placet, *Febronianae* reos agit: quibus ego, audax facinus! quintus acceſſi, tam quidem praeter ſpem viri hujus, ut id minime futurum putaſſet; atque in ea id Academia multo minus, in cujus Profeſſorem Jeſuitam magnam jam dicteriorum ſuorum partem effuderat. Recte putaſſes FEBRONI! quodſi porro decuiſſet, non tam rationum pondere atque auctoritate, quam aculeata inhumanitate ac repetitis anilibus clamoribus a conflictu deterreri atque veritatem prodere. Quereris porro ſub finem *Praefationis Tomi* 3. te, qui nonniſi antiquitatis caſtiſſimas regulas adverſus corruptos mores invoces, quique ex teſtimonio MOSERI in *ſuis Reliquiis f.* 284. recitato *Tom.* 3. *f.* 207. *&* 208. *vir ſis probus, ein Ehrlicher Mann*, invidia tamen tanta premi & vix non opprimi: ſed quidquid ſit de tui intentione animi, quam magnus ille dies in te atque adverſariis tuis toti hominum generi palam faciet, nec viri probi eſt, uſitata tibi ratione agere cum ils, qui non eadem illico in omnibus tecum ſentiant: neque caſtiſſimae illae antiquitatis regulae purioribus Religionis Chriſtianae temporibus, charitatem mutuam tanquam pupillam oculi omnibus commendantes tale quid unquam probavere.

*** Id adhuc pungit FEBRONIUM, quod junior quidam Jeſuita in ipſum inſurgere auſus fuerit: adeo autem ſapit excitato viri ingenio *hoc* OXYMORON, *acutaque haec cogitatio, ce bon mot*, ut eam identidem aliis atque aliis verbis reguſtet. Novi te, FEBRONII! ex WALCHII *neueſten Kirchen-Geſchicht l. cit.* venerandum canumque ſenem, utinam etiam ex illis, in quibus aetas uti prudentiam, ita animi quoque moderationem ad praecipuum decus adauxit: ita enim de te inquit WALCHIUS l. cit. *wir wurden in dieſem Vorſatze deſto mehr ermunteret, da wir eine unvermuthete Gelegenheit erhilten, den wahren Verfaſſer derſelben* (operum Febronianorum) *unſeren Wunſch nach eignen Nachrichten von ihm bekannt zu machen. Diſer NB. würdige Greiſs .... vielleicht erwarten unſere Leſer, daſs wir hier den wahren Nahmen des durch ſeine Schriften um ſeine Kirche und Kirchen-Hiſtorie verdinten Verfaſſers nennen werden &c.* Caeterum non eſt, cur aegre feram FEBRONI! altero, ut inquis, Profeſſurae meae anno nomen meum non plane incognitum tibi immo & aliis in orbe erudito fuiſſe. Si tuum in morem gloriari liberet, vel ex ipſis Proteſtantibus elogia aut teſtimonia, mentionemque mei honorificam afferre poſſem ex *Schottio Lipſienſi in ſeiner unpartheyiſchen Critick der neueſten juriſtiſchen Schriften, Hallenſibus, Goettingenſibus, Erlangenſibus, &c. Celeb.* MOSERO *in ſeinen Abhandlungen aus dem*

dem teutſchen Kirchen-Recht 1772. *f.* 50. Quodſi tamen moleſtum tibi, hoc quoque ex capite me in quibusdam antagoniſtam habere, reliquum nihil eſt, niſi ut exſpectes, an quemadmodum admirabile illud tuum Reunionis conſilium in ſenectute demum tua, neſcio an tuum *Benoni* an *Beniamin*, genuiſti, illa fors aetas, quodſi quidem caelum propitium id velit, ſenſa in me alia ſit progenitura.

§. III.

Poſt hujuscemodi ingreſſum FEBRONIUS, quoniam Inſtitutiones meas Juris Eccleſiaſtici Germaniae accommodaſſem; pauca prius de Concordatis Germaniae monenda putat atque illud inprimis ex BARTHELIO *Diſſ. Gen. de Concord. Sect. præm.* §. 15. ubi is, inquit, ad *Sopiendas acres de Reſervatis Pontificiis ſecundariis querelas & concertationes modum denique & temperamentum adhibendum fuiſſe per rationabiles conſtitutiones & amicas conventiones.* * Ad haec Concordata Germaniae deinde advertit ex AUCTORE Tractatus: *Concordata Nationis Germanicae integra:* pertinere varia Decreta CC. *Conſtantienſis & Baſileenſis*, ea videlicet, quae in Germania recepta & pro ea ab EUGENIO IV. variis Bullis & Brevibus confirmata, neque in Concordatis *Aſchaffenburgenſibus* abolita fuere. ** Vigore horum Concordatorum, pergit, Pontifici nullum competere jus vel in unicum Germaniae beneficium, prout demonſtraſſet Praefatio *Tom. 2. Febron.* Adde *Obſ. Hiſtorico-Jurid. in Concordata 1771. p. 83.* *** Idem porro dicendum de Annatis, prout oſtenſum fuerit a FEBRON. *C. VII. §.* 5. THEODORO a PALUDE *in Floribus ſparſis ad Febron. C. VII.* **** Demum pro cauſſis privatis decidendis teneri Pontificem ad deſignandos, quos dicunt, Commiſſarios aut Delegatos *in partibus*, FEBRON. *C. V. §. 10. Item* AUCTOR recentis *Tractatus* de *Appellationibus & Evocationibus ad Curiam Romanam ad Cap. Caſ. Art. XIV. §. 3. 4. 5.* *****

Ejusdem monita quaedam generali examinantur.

EPICRISIS.

* BARTHELIUM appellaſti FEBRONI! bene eſt: ad BARTHELIUM ſaepius porro te ablegabo ab eo melius informandum, quippe qui ferme omnes propoſitiones expreſſis verbis aut admittit, aut etiam fuſius demonſtrat in ſuis opuſculis, quas tanta dicacitate in Inſtitutionibus meis arrodis: idem eſt de ZALLWEINIO a FEBRONIO non magni tantum habito, ſed & ſaepe in rem ſuam adhibito. Ex utroque ſcriptore FEBRONIUS ſollicite corradit omnia, quae favere ipſi videntur, omiſſis iis, ubi ſyſtemati FEBRONIO data opera contraria plura defendunt; an eo fortaſſis ſine, ut qui utriusque opera non ipſimet inſpiciunt, eos ex integro *Febronianos* exiſtiment? pauciſſimis verbis totam molem *Febronianam* diflat BARTHEL. Diſſ. *de Jure Reform. antiquo Art. I. §.* 13. Prolixum *nimis & ſuperfluum foret hoc loco Petri & Succeſſorum ejus primatum honoris & auctoritatis & NB. Jurisdictionis a Chriſto, NB. ſuper alios Apoſtolos & Epiſcopos con-*

ceſſum & ab eodem Petro ejusque ſucceſſoribus jugiter exercitum ex apertis Scripturae textibus, innumeris Patrum ſententiis & teſtimoniis, invictis rationum momentis ſpeciatim demonſtrare. *Haec de Barthelii* ſententia in compendio pro FEBRONIO hic ſufficiant.

** Ut quid haec monenda putavit FEBRONIUS! quodſi legit ex integro *Inſtitutiones meas*, *Part. I. §. LXVIII. & ſeqq.* & alibi idipſum a me de Decretis Baſileenſibus dictum fuiſſe, item in *Diſſ. de Imperat. Concordat. Protectore hic* 1770. §. 3. videre potuit. An ſubdolo fors conſilio lectores in eam voluit adducere ſententiam, atque ſi de hac re, melioribus Canoniſtis jam explorata, nihil legeretur in Inſtitutionibus meis? AUCTOREM *Tractatus: Concordata Nationis Germanicae integra*, non appellavi ſolum *l. cit.* ſed & ubi in horis ſubſecivis *Cramerianis* idem opuſculum inſertum legi poſſet, notavi. Quodſi ex integro non inſpexit *Inſtitutiones meas* FEBRONIUS, denuo parum bona fide agit aggrediendo ſcriptorem, cujus ſyſtema univerſim perſpectum non habet.

*** Poſtquam antea ex BARTHELIO FEBRONIUS ipſemet commendaſſet, tanquam ſaluberrimum, graves illas de reſervatis Pontificis ſecundariis concertationes amicis conventionibus ſopitas fuiſſe: paulo poſt Concordatis iſtis, quantum eſt in ſeſe funditus everſis, quid agit aliud ſui plane immemor, quam quod reſuſcitatis controverſiis iſtis claſſicum ad nova bella canat? Nullum in Germania beneficium ad Pontificem ſpectare inquit, citatque in rem ſuam *Praefationem Tom. 2.* ubi ejus Auctor Concordatis non amplius obſtringi Germanos defendit, eoquod penes Pontifices, qui vi *Decreti Frequens: C. Conſtantienſis*, obſtricti fuiſſent ad Concilia Oecumenica frequentius celebranda, ſteterit, ne ſalutaris illa Concordatorum clauſula: *Niſi in futuro Concilio aliter provideatur;* effectum in Germania nanciſceretur. Egi de hac re jamdum in *cit. Diſſ. de Imperatore Concordatorum Protectore §. X.* ubi deprehendes, quantum inter ſeſe pugnent recentiores iſti, dum quidem FEBRONIUS contendit ex fundamento modo relato Germanos eſſe obligatione Concordatorum exſolutos: AUCTOR *Anon. Princ. Juris Publ. Eccleſ. c. 12. §. 7.* Pontificem viciſſim abſolvit, eo quod Germani omnium primi pacto publico ſolenni utraque videlicet illa pace tum Religioſa tum praecipue Weſtphalica a fide data receſſerint: virulentus autem AUCTOR *Hiſtoriae Pragmat. Bullae in Coena Domini Part. 3. f. 82.* Conciliis generalibus poſt orbem Chriſtianum in tot Imperia diſciſſum viam vix non omnem praecludi inquit, immo vero illa ipſa CC. Conſtantienſe & Baſileenſe adeo FEBRONIO laudata exemplo futura, ut ad ſimile quid petendum orexis non proliciatur. Audire inprimis juvat, quae ſint BARTHELII ſenſa de Conſiliis virorum iſtorum, & loco quidem ab ipſo FEBRONIO citato §. *ſeq.* ita inquit: *Alia inclytae Nationi Germanicae in Caput ſibi divinitus praeſtitutum & major inſedit reverentia, generoſior & ea fuit officioſa charitas, ut citius & amplius ſedi Apoſtolicae cedendo, Annatarum moderatione, libertate electionum, & collationis beneficiorum ex parte duntaxat per Concordata receptis eam poteſtatem vel poteſtatis Pontificiae uſum ſalvum & reliquum voluerit, qui & dignitati tanti Capitis conſentaneus, & ejusdem Nationis Eccleſiae foret conducibilis, quatenus nimirum ſummus Pontifex univerſalis Eccleſiae neceſſitatibus potentioribus viribus ſuccurrere, & cum non alia ſint validiora unio-*

unionis & concordiae vincula, quam beneficia, munera, & dona ad Sacerdotii & Imperii pacem certius ſtabiliendam, ad recolligenda ſibi velut Capiti & artiſſime devincienda membra inclytae Nationis Germanicae, maxime vero illuſtriora, in jugi obedientia & conſtanti unione conſervanda largiorem beneficiorum Eccleſiae & gratiarum copiam effundere poſſe in Imperii Principes, Principumque filios, & Miniſtros aliasque ſublimitate generis ſcientia & virtute conſpicuas perſonas indigenas &c. & l. cit. C. 3. Sect. 1. §. VII. Profecto Concordata vel ex ſolo fructu pretioſae pacis Sacerdotium inter & Imperium conſecutae rationabilia & inclytae Nationi Germanicae ſaltem reſpective utilia tam ex deductis in Diſſ. praeliminari, quam praeſenti ſuperabunde liquet; ac ſatis eſt quod NB. ea facta ſint, & quod lege publica toties munita ſint, ergo probanda & ſervanda ſunt attento minime, quid cogitari, & fortaſſe melius fieri potuerit &c. Quae nunc ſenſa ſint mea exquires FEBRONI! ea jam prodidi tum in *Inſtitutionibus meis*, tum *in cit. Diſſ. de Imperat. Concord. Protect. tum in nupera de Imperatore Protectore Statutorum in Eccleſ. Germanicis*, eruntque tamdiu cum BARTHELIANIS antea allatis eadem, quamdiu pacta publica eadem, qua coaluerunt, auctoritate mutata aut abolita non fuerint, quamdiu in quibuslibet Capitulationibus Imperator ad tuenda Concordata protegendaque obſtringetur; quamdiu ipſa ſuprema tribunalia, eadem in ferendis ſententiis pro norma habere legibus Imperii publicis, uti *in der Reichs-Hof-Raths-Ordnung Tit. ult. ſub fin.* jubebuntur, quamdiu haec ſenſa ipſimet Auguſti profitebuntur, uti CAROLUS VI. in Reſcripto ad Epiſcopum *Spirenſem* 1731. *apud L. B.* de CRAMER *Nebenſtunden* 61. *Theil* 2. *Abhandl. p.* 30. *Ob nun wohl Ihro Kayſerl. Maj. keineswegs gemeinet NB. weder dem Römiſchen Hof an ſeinen ex Concordatis Nationis Germanicae in applicirlichen Fällen zukommenden Rechten einiges Nachtheil zuzufügen &c.* Quamdiu, FEBRONI! iſthaec omnia in Actis publicis videro, non abeſſe a temeritate credam, ſi privati iſthaec omnia inſuper habere, immo convellere allaborent.

**** Cum FEBRONIUS mihi de Annatis Pontifici ex Concordatis debitis data opera controverſiam non moverit, teſtimonio duorum virorum tum celeberrimorum tum nullis profecto praejudiciis indulgentium dilucidaſſe rem hanc ſufficiat. Vult nimirum FEBRONIUS *C. VII. §. 5. n.* 10. THEODORUS A PALUDE *in Floribus ſparſis C. VII. §. 8. n.* 3. & recentiſſimus AUCTOR *Obſervat. Hiſtor. Jurid. ad Concord. Obſ. XIX.* Annatas nonniſi Pontifici ſub conditione & ad bellum Turcicum conceſſas. De hoc autem ita inprimis inquit BARTHEL. *Diſſ. Gen. de Concord. C. 3. Sect. 2. §. 12. Cum Imperator & Germani Proceres* (in Comitiis Norimberg. 1522.) *non ſatis viderentur ſejungere Annatas a Decimis, quae Decimae vere ad tempus modo exigebantur & ad infideles debellandos: de Annatis vero licet prolixe in Concordatis diſſeratur, de bello Turcico nulla fiat mentio, & adeo non arctentur ad aliquid Annatae, ut eae contra colligendae pronuntientur, donec ea Conſtitutio in Concilio generali conſenſione gentis Germanicae commutetur .... mirum nemini videri debet, quod commonitio ejusmodi ſive petitio ſuo fruſtrata remanſerit effectu NB. veluti Concordatorum formae minus conſentanea.* RIEGGERUS *vero in Academia Vindobonenſi Juris Canonici Profeſſor Inſtit. Jurisprud. Eccleſ. ſect. 3. C. 1. §. 420. & in Principiis Juris Eccleſiaſtici*

ſtici Germaniae 1771. (ubi jam alias ſcripta denuo edidit, ſicut familiare illi eſſe ſolet) §. 84. ita ait: *Duo igitur ſunt, quae circa Annatas in Concordatis ſtabilita eſſe conſtat. Primum earum ſolutio, cauſaque ſolvendi, quam ſedis Apoſtolicae proviſionem eſſe his verbis declarant: Placet ſimiliter nobis, quod circa Proviſionem dictae ſedis ordinandam, modus Annatarum hoc modo curret: eaque ex actis CC. Conſtantienſis & Baſileenſis amplius intelligi poteſt ap.* HARDUIN. *Tom. VIII. Privatas igitur alias Doctorum opiniones nihil moremur. Harum illa celeberrima eſt, qua Annatas ſoli bello ſacro deſtinatas aſſeritur ... ſed quidquid ſit, pactum certe in Concordatis initum: Placet ſimiliter nobis &c. nulla conditione, nullo tempore circumſcriptum eſt .... Cauſa quoque earundem perpetua eſt, atque juſta, ut jam NB. hodie de iniquitate earum & ſimoniaca pravitate queri fortaſſe audeat nemo.* Auſum nihilominus fuiſſe FEBRONIUM quid dices poſt haec verba a Profeſſore Vindobonenſi nuper, atque poſt Febronium ipſi perſpectum lectumque ſub oculis Aulae Caeſareae ſcripta? Id adhuc urget *cit. Anon. f.* 47. vi ipſorum Concordatorum exigi poſſe, ut exceſſus in ſolvendis Annatis mitigetur, jam vero cum ſumptus longe majores hodie atque olim varias ob cauſſas expendi debeant, Annatas quascunque vires Eccleſiarum ſuperare. Id ego aliis dijudicandum relinquo, an ſumptus omnes qui fieri ſolent hinc inde, neceſſarii ſint dicendi atque a ſalute publica exigi.

***** Actum hic denuo agit FEBRONIUS monito *hocce ſuo: quodſi enim inſpexiſſet Inſtitutionum mearum Part. I. §. LXVIII. Part. II. §. CCXI. Decretum illud C. Baſileenſis ſeſſ.* 31. *Eccleſiaſticae ſollicitudinis*, a me ad Concordata relatum fuiſſe videre potuit, cui uni innititur, quod hic inquit: aut fide non ſatis proba tale quid locis citatis a ſe viſum diſſimulat.

CAPUT II.

Epicriſis in Reſponſiones FEBRONII ad ea, quae de Eccleſia & Conciliis in Inſtitutionibus meis docui.

§. I.

Febronii opus qua ratione a Proteſtantibus probatum?

PLacet FEBRONIO, quod *Part. II. §. XIII. Inſtit. Jur. Eccleſ.* non ſolum viſus ſim profiteri, quod FEBRONII liber a Proteſtantibus probetur; ſed & illud ejus conſilium ratihabuerim; dum Proteſtantes Eccleſiam tanquam judicem nulli omnino errori obnoxiam in rebus fidei controverſis agnoſcere nolentes *C. 1. §. 9.* vel ipſis LOCKII, SAYWELLII, CAVEI, magni nominis Proteſtantium ratiociniis ſaniora docere velit. Ea res fecit, ut aequiorem me caeteris ſuis adverſariis hac in re pronuntiaret, quippe qui nec fateantur FEBRONII librum a Proteſtantibus dilaudari, neque probare videantur ratiocinia iſthaec ſcriptorum Proteſtantium pro Catholicorum doctrina a FEBRONIO allata fuiſſe.

EPICRI-

EPICRISIS.

Totum hoc, quod hic inquit FEBRONIUS, vix non omittere poteram: qualiscunque enim viro huic videar, mea parum refert: neque omnia esse mea velim, quae alii contra FEBRONIUM scripsere, atque si totum systema meum evolvit, idipsum is quoque, si aequus esse velit, fateri debet. Fassus sum eundem Protestantibus quoque aliqua ratione commendari: neque id mirum, qua enim ex caussa potissimum, quivis, ut opinor, facile divinare poterit: non dubito sane fore, ut siquis post temporis cujusdam lapsum Protestantium catalogum novum testium veritatis sit confecturus, FEBRONIUM honoris caussa in fronte aciei hujus sit locaturus: immo vero a MOSERO in citatis *Reliquiis* simile quid jam factum, dum *f.* 284. inquit: *Sein Werk ist im vielfachen Betracht ein wichtiges Zeichen unserer Zeit, er selbst ein Prophet in seiner Kirche, NB. ein ehrwürdiger Zeuge der Wahrheit.* Quod Protestantibus minime ex integro probetur, recte asseruere FEBRONII adversarii alii, atque is idipsum denuo vidit ex WALCHIO *in seiner neuesten Kirchen-Geschichte* l. cit. cui propterea etiam *Tom.* 3. sub finem indefessus hic *Reunionis* praeco atque Missionarius, denuo obmota ipsi dubia dissolvere conatus fuit: an ratione satis cum reliquis ejus principiis apta, deinde videbimus.

§. II.

De ju convocandi Concilii um.

Jus convocandi Concilium generale inter primigenia Primatus Apostolici jura retuli. Jam vero octo priora Concilia Oecumenica extra controversiam ab Imperatoribus convocata fuisse inquit FEBRONIUS: eam disciplinam mutatam nonnisi ob distractum in partes varias Imperium Romanum: hodie a Pontifice exerceri quidem, sed ex consensu tacito Principum ipsi uni ferme dimissum. * Hunc consensum tacitum cum nonnisi fictum a FEBRONIO dixissem, usum, is respondet, esse jus ex consensu tacito, immo cum ne hodie quidem Principes ab hoc jure plane excluſi sint, eoquod cum jure pacatam servandi ipsam Rempublicam quam arctissime sit connexum; illud autem a Pontifice solo exerceri patiantur, ex hac patientia, quae JCtis sit tacitus consensus, hunc satis demonstratum esse, atque perperam nonnisi a FEBRONIO fictum pronuntiari. ** Alibi, ita pergit, a Defensore quodam suo asseri, quodsi ii, qui ad id teneantur, exposcente Ecclesiae necessitate Concilium convocare negligant, Pontificem ad id obligari, saltem in subsidium: *** Concilium esse ingentem quendam in Republica coetum, junctum cum magno strepitu, & variis subinde sequelis; talem cogere posse non esse portionem Primatus, qui de se nec Imperium nec regnum habeat: Neque ulterius hoc jus in favorem Pontificis deduci posse ex jure illo *Relationis apud Febronium C. 2. §. 6.* Aliud enim esse graviora Ecclesiae negotia ad Pontificem tanquam Primatem a particularibus Ecclesiis esse referenda; aliud Primatem Ecclesiae posse in terris, quas ex se nullas prorsus habeat, coetum publicum, manifestum atque solemnem congregare. ****

EPICRISIS.

* Haec omnia me non movent FEBRONI! neque movebunt credo ullum rem intimius rimantem. Ipſa ratio invicte docet in quavis ſocietate ſiquidem eſt inaequalis, jus illam ad communia negotia curanda convocandi eſſe penes eum, qui primas in ſocietate ejusmodi tenet, immo vel penes ſolum Directorem Collegii Conf. NETTELBLADT *in Syſtem. Univerſ. Jurisprud. Naturalis Part.* 2. *L.* 2. §. 493. *ſeqq.* in ſocietate aequali, qualem conſtat a Proteſtantibus ſuam hodie fingi Eccleſiam, ad jura illud Collegialia ab ipſis dicta referunt, atque ita Principi nonniſi ex voluntate Eccleſiae tacita aut expreſſa competentia Conf. MOSHEIM *allgemeines Kirchen-Recht der Proteſtanten.* 3. *Hauptſtück* §. 4. *f. m.* 446. GEORG. LUDOV. BOEHMER *in Princ. Jur. Can. L.* 2. *Sect.* 3. *Tit.* 1. §. 225. HERMANN BECKER *in den Gedancken und Erläuterungen über das Kirchen-Recht bey Erklärung der Principiorum Juris Canonici Boehmeri jun.* 1772. *f.* 115. Neutrum congruit ſyſtemati *Febroniano:* Sed Juris Publici univerſalis principia vel ab eo non rite percepta, vel perperam negligi non una vice deinde perſpicuum fiet. Quod illa Imperatorum facta attinet, mentem jam de iis meam expoſui *Part. II. Inſtit. Jur. Eccleſ.* §. *XXIII.* quibus FEBRONIUS nihil repoſuit. Adde ZALLWEINIUM, & RIEGGERUM ibidem a me citat s, praecipue vero BARTHELIUM tanti apud FEBRONIUM momenti, qui non ſolum *Diſſ. de Jure Reform. antiq. Art.* 8. *a* §. 17. *ſeqq.* Jus convocandi Concilium Pontifici adſcribit, ſed & fuſius demonſtrare conatur. Hic ipſe BARTHELIUS caetera, mi FEBRONI! non vero uti pro humanitate tua plane genio tuo digna inquis, Jeſuita utcunque *capitoſus*, audet negare, priora octo Concilia Oecumenica, quod adſtruis *Tom.* 1. *C. VI.* §. 2. NB. *Sola* Imperatorum auctoritate convocata fuiſſe; idque probat ex *Act.* 16. *Conc. Gen. VI.* ubi *PP. ipſi Imperatori* inquiunt: *Arius diviſor Trinitatis inſurgebat, & continuo* CONSTANTINUS *ſemper Auguſtus* NB. & SYLVESTER *laudabilis magnam atque inſignem in Nicaea ſynodum congregabant.... Macedonius ſpiritus denegabat Deitatem ſed maximus Imperator* THEODOSIUS & NB. DAMASUS *fidei Adamas protinus reſtiterunt &c.* Adde eundem *in Diſſ. de Hiſtoria & General. Pacificationum Imperii circa Religionem Art.* 3. ubi idem affirmat ſtabilitque. Quid nunc dices FEBRONI! an tuum illud convitium etiam impinges BARTHELIO, tantopere alias Tuo? Effugii nil video; niſi, ut, cum haec ſcriberet BARTHELIUS, necdum ſat illuſtratum fuiſſe dicas, opere videlicet tuo necdum facem praeferente, aut.... ſed ad alia.

** Conſenſum ejusmodi tacitum adſtrui a te debuiſſe, FEBRONI! mirum non eſt, quippe ſine quo jus iſtud a tot ſaeculis unice a Pontifice exercitum nulla ratione explicare potuiſſes. Jam vero quodſi ex factis Imperatorum ratione Conciliorum octo priorum minime ſequitur penes eos ſolos jus illa convocandi fuiſſe, atque deinde, uti tu inquis, Pontifici fere dimiſſum (non autem ſequi ante jamdum animadvertimus) aegre non feres, ſi denuo conſenſum hujusmodi tacitum tanquam in tuo nonniſi cerebro prognatum, atque ita partum plane ſuppoſitum judicemus. Idem eſto de uſu illo atque patientia plane perperam hic applicatis, quando illius ipſius jus, cujus patientia pro conſenſu

ſenſu tacito extundendo praetexitur, in controverſiam vocatur, immo negatur ea ſaltem, qua id FEBRONIUS ratione adſtruere conatur.

*** FEBRONIUS his verbis non modo ſeſe non extricat iis, quae ipſi in Inſtitutionibus meis oppoſui, ſed & altius laqueum viſcumque induit. Nemo enim ſanus negabit Concilium quoddam generale unum eſſe ex praecipuis graviſſimisque Eccleſiae negotiis: jam vero quam abſonum eſt Eccleſiae Caput atque Primatem nonniſi in ſubſidium poteſtatis Laicae obligari ad curandum negotium, a quo tamen ſaltem certo rerum ſitu vix non omnis Eccleſiae ſalus ex mente FEBRONII pendet? Profecto nil abſurdius, nil pugnantius de quovis Collegio, Societate, Civitate diceres, atque eum, qui vices vel Directoris ſolum, Praeſidis, multoque magis qui Capitis ſuſtinet, nonniſi in ſubſidium ad curandum negotium Civitatis Societatisve graviſſimum obſtringi? Hac in re Syſtema tuum non cohaerere, FEBRONI! a me ſophiſtice illatum inquis? Cur vero ſiles jam ante idipſum & fuſius quidem adhuc, adverſus te NB. ex nomine in ſcenam productum fuiſſe a *Celeb.* RIEGGERO *Viennenſi Inſtit. Jurisprud. Eccleſ. Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 4. *§.* 199. animadverſum, demonſtratumque? Elumbe eſt, quod porro addis: nam quoniam Concilium eſt ejuscemodi coetus publicus, ſolemnis &c. ſequitur ſolum, illud invitis juſta ex cauſſa Principibus, multo minus iisdem ex ſitu temporum exin fortaſſe ſiniſtri quid quieti publicae augurantibus, cogendum non eſſe, quod ex ipſis Pontificum factis etiam circa Tridentinum FEBRONIO in Inſtitutionibus meis jam conceſſi. At Primatus, inquit, de ſe Imperium, neque Regnum habet: quam miſere id quidem & infeliciter: ſi id intelligit de Imperio in terras Provinciasque peculiares profano; quid tum? ut Eccleſiae permittatur coire in loco cujusdam Imperii & Regni, Principis conſenſus expetendus erit: hoc omnino ſuavi Eccleſiae agendi rationi & prudenti oeconomiae conforme eſt; abſolute enim neceſſarium non eſſe perſpicue ex eo eluceſcit, quod alias in terris ſub Principe a ſacris Chriſtianis alieno immo ea perſequente Concilium ſaepe celebrari nulla ratione poſſet: ſi per Imperium illud ſuum FEBRONIUS intelligit Jurisdictionem ſacram, ubi quidem improprie ita diceret; rem affirmat toties jamdum ipſi negatam, neque cum ipſis denuo ejus principiis cohaerentem: ex hiſce ſaltem Pontifici competit jus, poenis etiam refractarios coercendi, dum Ss. Canonibus manifeſte obluctantur, aut praeceptis etiam Pontificis nonniſi ad eosdem Canones executioni dandos latis; ſed certe ex mente FEBRONII conforme eſt Ss. Canonibus Epiſcopos ex gravi Eccleſiae cauſſa ad Concilium habendum convocare.

**** Latinitatem ſuam hic a me corrumpi carpit FEBRONIUS, cum voce ab ipſo uſurpata *Relationis* in cauſſis gravioribus Eccleſiam univerſam concernentibus ad Pontificem, uſus non fuerim. Quis credat hominem adeo barbarie delectari, ut aegre ferat, voci minus latinae alias id ipſum exprimentes ſubſtitui? Ineptum porro eſt, quod reſpondet, illas duas propoſitiones diverſas eſſe: quis enim unquam aſſeruit, eſſe easdem? Ex jure *Relationis* inferri poſſe dixi jus Pontificis Concilium generale convocandi: quodſi enim ad eundem tanquam Primatem aliae cauſſae graviores extra Concilium, fatente ipſo FEBRONIO, referendae ſunt, quis inde non rite deducat, igitur & in negotio hoc, ubi de Concilio congregando agitur, tanquam graviſſimo, prae-

praecipuas ejus partes esse debere. Tale quid nominatim contra FEBRONIUM jam advertit quoque RIEGGER *l. cit.*

§. III.

De jure eidem praesidendi.

Quod jus Pontificis praesidendi Concilio generali concernit, queritur FEBRONIUS imprimis, quod cum ille dixisset, jus illud NB. in *regula* Pontifici competere, *& nisi Concilio aliter videatur:* ego verbis hujuscemodi mutatis detortisque id voluerim ab eo asseri; *praesidium* hocce *pro libitu Concilii* etiam alteri deferri posse. Exceptionem deinde a regula illa sua restringit ad eventus ejusmodi, in quibus Pontifex Concilio praesidere nollet, aut necessaria in eo proponere recusaret, vel non valeret; si fieret auctor Schismatis, Sacrorum Canonum, ut inquit, & Ecclesiasticae disciplinae eversor, juriumque Episcopis competentium destructor. Adjeceram hac occasione in Institutionibus meis aliquid de PALLAVICINI *Historia Concilii Tridentini*, quem dixi a *Vindice Febroniano Tom. 2. f. 165.* iniquissime in eadem cum SLEIDANO & SARPIO classe collocari. Propositionem hanc meam audaciae damnat pro aequitate sua FEBRONIUS, quod PALLAVICINI *Historia eruditis quibusvis semper visura sit omni exceptione major, modo ipsi studio partium careant*: eandem notam inurit asserto P GAUTIER, quod PALLAVICINUS adeo *fuerit veritatis amans & modestus, ut nihil per assentationem finxerit.* Cum ad dicta mea firmanda ad citatum GAUTIERIUM provocassem, nil se in eo invenisse ait FEBRONIUS quoad comparationem SARPII & PALLAVICINI, nisi quod GAUTIERIUS velit PALLAVICINI Historiam ex ipsis Concilii Tridentini actis confectam fuisse, adjeceritque deinde ea, quae a FEBRONIO audaciae condemnata ante retuli. **

EPICRISIS.

* Voculas captas, ut adverto, mi FEBRONI! ut dictis tuis fucum illinere possis. En verba tua *Tom. 1. C. VI. §. 4.* Haec *ita quidem in regula & nisi Concilio aliter videatur: in hujus enim* NB. *facultate est* NB. *etiam praesentibus Pontificiis Legatis alteri deferre praesidium: multae rationes suadent praesidentiam Concilii Nicaeni, quam habuit Osius Cordubensis ipsi delatam fuisse per electionem Concilii cum beneplacito Imperatoris; neque enim credimus eum fuisse Legatum Pontificis, inquit Gibert .... Aderant Concilio Sylvestri Papae Legati Vitus & Vincentius Presbyteri, qui post Osium subscripsere.* Quid nunc interest inter tuum illud, nisi *Concilio aliter videatur, est in facultate* Concilii &c. & verba mea, *pro libitu Concilii.* At in regula tamen jus illud Pontifici concedis: exceptionem solum fingis cum tuo THEODORO A PALUDE *C. VI. §. 5.* in casu illo antea allato, atque ad meram invidiam excogitato: atenim, Heus! vir bone! qua ratione exceptioni tuae quadrat exemplum a te ipso *Tom. 1. l. cit.* allatum? Nicaenum primum detulit Praesidium OSIO *Cordubensi*, quem cum *tuo* GIBERTO negas fuisse Legatum Pontificis:

ficis: praeſentes aderant hujusmodi Legati VITUS & VINCENTIUS Presbyteri: igitur, cum Concilium id rite nequeat facere nili in caſu exceptionis a te ſtatutae, SYLVESTER noluit admittere illud praeſidium, noluit aut non potuit neceſſaria proponere, aut erat everſor Ss. Canonum, deſtructor diſciplinae, jurium Epiſcopis propriorum &c. Monſtra! de quibus nec FEBRONIUS utcunque *Capitoſus* (incogitanti hic floſculus excidit ex horto tuo petitus, FEBRONI) ſomniet. Profecto, qui haec perpendat, facile perſpicet mentem tuam genuinam *Tom. 1. l. cit.* proditam plus longe quidpiam voluiſſe; exceptionem illam tuam vero a te vel dictorum non ſatis memore, vel poenitente, vel ad pellem nativam tegendam primum centoni tuo aſſutam fuiſſe. Unum adhuc FEBRONI! hem! dixi hic denuo cum *Tuo Giberto:* minime uti quereris ad hunc virum contemnendum, cui ſicut & aliis *Praeceptoribus tuis, quemadmodum ipſe loqueris Tom. 2. f.* 345. uti & ipſi tibi eruditionis non vulgaris laudem non denego; eccur autem reprehendis me tuum dicere, quem ipſe cum aliis hujus generis ſcriptoribus tibi familiaribus Praeceptorem tuum ſane quam candide profiteris! Quod exceptionem illam tuam attinet, egit jamdum de hac re BALLERINUS de *poteſtate Eccleſiaſtica Summorum Pontificum & Conciliorum generalium contra opus Juſtini Febronii C. IX.* §. 1. BARTHELIUM denique, ne obliviſcar tibi hunc virum objicere, ſine exceptione praeſidium Concilii generalis deferre Pontifici, videri poteſt *in ejus Diſſ. de Hiſtor. & general. Pacificat. Imper. l. cit.*

** Nihil ſe, quam quae memorat, inveniſſe dicit FEBRONIUS in GAUTIERII *Animadverſionibus*: at in editione 1750. *Colon. p.* 96. *ſeqq.* prout citatio *in Inſtitutionibus meis* habet, non vero *p.* 484. uti FEBRONIUS in reſponſione ſua ad marginem notat, invenire potuit de SLEIDANO quidem judicium SPONDANI, de SARPIO STOZII, de PALLAVICINO JOSEPHI EGGS, *Ss. Theol. Doct. Caeſareo-Archiducalis Collegiatae Eccleſiae ad S. Mauritium Rheinfeldiae Cuſtodis & Senioris &* HYACINTHI GRAVESONII ſtudio partium erga Jeſuitas certe immunis. Caeterum multis laborat FEBRONIUS *Tom. 3. f.* 249. & denuo in *Addendis f.* 359. ut SARPIUM unum ex praecipuis Heroibus ſuis Catholicum ſuiſſe probet, praecipue ex FRANCISCI GRISELINI *Anecdotis ad vitam ejusdem & germanice editis ſub titulo: Denckwürdigkeiten des berühmten Fra-Paolo Sarpi* 1761. Sed doleo vices FEBRONII, quod omnis hicce ejus labor denuo peſſumdatus fuerit ab ejusdem alias in multis collega LE BRETIO *in ſeinem Staats-Magazin zum Gebrauch der Staaten- und Kirchen-Geſchichte &c. 1. Theil* 1771. *N. VI.* ubi inſertae leguntur variae SARPII epiſtolae ex Codice *Colbertino*, ut praefertur, editae: aut igitur nunc ſubleſtae fidei arguere debet LE BRETIUM FEBRONIUS, aut de fide SARPII Catholica actum erit magno ſane FEBRONII dolore. Epiſt. 12. ita ait SARPIUS: *Obſervaſti tu quidem quibus rationibus Germania & Anglia ritus Religionis mutaverint: At nos neque illae neque valentiores ullae ad mutandos inducent. Certas leges & mores NB. licet minus bonos ferendos tamen, ne mutationibus aſſueti cuncta mutare in animum inducamus, ſcias ſacras inter Leges principem locum tenere:* in quae verba ita inquit in notis LE BRETIUS: *in dieſem Briefe erklärt Sarpi die Urſachen deutlich genug, warum Venedig dem Beyſpiele von Deutſchland und Engeland in der Religions-Verbeſſerung nicht folgen wollte: er ſiehet es alſo als eine Grund-*

Maxime an, man müſſe gewiſſe Gefäze und Gewohnheiten, wenn ſie auch gleich nicht gut, ertragen . . . . Staats-Eyfferſucht hinderte alſo in Venedig die Verbeſſerung der Deutſchen anzunehmen. Epiſt. 10. de Anglia ita differit SARPIUS: *Anglis ego timeo. Epiſcoporum magna illa poteſtas licet ſub Rege prorſus mihi ſuſpecta eſt. Ubi vel Regem deſidem nacti fuerint, vel magni ſpiritus Archi-Epiſcopum habuerint, Regia auctoritas peſſumdabitur, & Epiſcopi ad abſolutam dominationem aſpirabunt, & ſi ſoli obtinere non poterunt, Papae adhaerebunt. Ego equum ephippiatum in Anglia mihi videre videor, & adſcenſurum propediem equitem antiquum divino.* Extinctam itaque cupit SARPIUS Epiſcoporum poteſtatem: nulla ratione vult illos adhaerere Pontifici: metuit, ne Anglia ad ſenſa antiqua redeat: an tibi haec ſunt Catholica, FEBRONI! audi denuo LE BRETIUM: *Sarpi plagte ſich immer mit dem Argwohn der alte Reuter werde auf das ſchon geſattelte Engliſche Pferd wieder zu ſizen kommen, und die Biſchöffe werden ſich auf die Seite des Pabſts lenken. Es brachen auch bald nach des Sarpi Zeiten groſſe Revolutionen aus. Uiberhaupt wäre Sarpi, wenn er den* NB. *Febronius erlebt hätte, dem Biſchöfflichen Syſteme dieſes Manns nicht ganz geneigt. Er ſiehet und fürchtet an ihnen eben ſo viele Päbſte.* Similia jam dixit, THOMASIUS in *Hiſt. Contentionis inter Imperium & Sacerdotium C. IV. §. 25. Papatus Politici & controverſiae inter Imperium & Sacerdotium, ſeu de terminis juris circa ſacra, eſſentialem conceptum non in eo conſiſtere, quod Papa dominatum in Clerum & Laicos quaeſiverit, & exercuerit, ſed quod Clerus pedetentim eripuerit ſummam poteſtatem, adeoque Principibus nihil prodeſſe, ſi rejecto Imperio Papae Monarchico, tamen maneant ſub jugo Cleri Ariſtocratico.* Adde alios apud ZACCARIAM, *Anti-Febronio, Edizione ſeconda* 1770. *Introduzione, Capo.* I. *f.* 10. *ſeqq.* Belle & plane ad palatum FEBRONII: ſed haec ἐν παρεργῳ, ad SARPIUM redeamus. Omitto alias ejus propoſitiones, quae ex literis editis a LE BRETIO hic adduci poſſent: *Tomo* 2. ejusdem operis *N. II. In dem Vorbericht* ait LE BRETIUS: hucusque dubitatum fuiſſe, an *Sarpius* Catholicis an Proteſtantibus accenſendus foret & GRISELINUM (cui nititur FEBRONIUS) omni adhuc ope allaboraſſe, ut Catholicum fuiſſe perſuaderet, ſed fruſtra: conſtare ex geſtis a JOANNE BAPTISTA LENCKIO, qui poſt Unionem Proteſtantium 1609. res Palatinas Venetiis curaſſet (*als* Kuhr-*Pfälziſcher Agent*) ultra mille jam tum perſonas ibidem clam a Religione Catholica defeciſſe, ductoribus SARPIO, & *Fratre* FULGENTIO itidem *Servita:* in congreſſu familiari LENCKII cum SARPIO ab hoc *Confeſſionem Auguſtanam* dilaudatam, tanquam in qua veram & ſanctam Theologicam ſimplicitatem reperiret: ad promovendam Religionem novellam SARPIUM quam maxime ſuaſiſſe curandum, ut in *Carinthia* & *Carniola* affinibus Venetorum terris provinciis libere exerceri poſſet: noluiſſe quidem ad turbas evitandas data opera quosdam Theologos A. C. Venetias ablegari, conſultum tamen fore, ut Principes Proteſtantes plures ibi Legatos haberent, in quorum comitatu liberius illi degere poſſent. Plane deteſtandum eſt, quod Jeſuitis affingit ibidem SARPIUS, ab his ſingulis menſibus praecipua in ſacra confeſſione audita Provinciali exponenda, quorum deinde compendium is Generali transmittat. Ex hoc uno colligas, quid a SARPIO exſpectandum, dum in literis ſuis de Jeſuitis loquitur, qui floſculi tamen LE BRETIO mirum quantum probantur. Sed locus hic non

non eſt, plura, ut poſſem facile, huic viro virulentiſſima bile in Jeſuitas turgido inflatoque dicendi: quod FEBRONIUM attinet, qua ratione SARPII ſui fidem catholicam porro tueatur, ipſi relinquo. Haec ſibi dicta habeat quoque alius SARPII noſtris diebus Advocatus, *in den Zuſätzen eines Katholiſchen Franckens, zu den Briefen eines Baiern über die Macht der Kirche und des Pabſtes &c.* 1772. *f.* 93. ſi tamen hujusmodi larvatorum *Inſecta* ſcriptorum plane *Aegyptiae* inſtar calamitatis foliis ſuis orbem hodie inundantia atque inficientia mentione quadam digna ſunt.

§. IV.

De ſubtractione obedientiae intuitu Pontificis juxta Febronium.

Quod Concilia Nationalia vulgo dicta concernit, dixi in *Inſtitutionibus* meis eorum uſum a FEBRONIO inſtaurandum recte quidem exoptari: atenim dum pro remedio ſuggerat adverſus curiam Romanam in certis eventibus, ut ſe ejusmodi Concilia ſubtrahant obedientiae, quam ipſe profitetur ad mentem Ss. Canonum Pontifici deberi, ſuppeditari ab ipſo remedium malo omni deterius: compendii ergo appellavi *Vindicias* BALLERINI *adverſus* FEBRONIUM *ſubnexas Tractatui de vi & ratione Primatus Pontificii c. 7.* Reſpondet FEBRONIUS non viſam a BALLERINO lucubrationem ſuam de *ſubtractione Obedientiae* hujuscemodi ſubnexam *Tomo ſuo ſecundo:* Hac viſa omnino perſpecturum fuiſſe BALLERINUM felicem ac perpetuum hujus ſubtractionis uſum, ſine periculo mali, immo ſummo diſciplinae bono: ſic enim ejectos extraneos e regnis pecuniarum exactores, Annatas abolitas, aut ſuſpenſas, Pallia a Metropolitanis ſine pretio obtenta & quae ſunt hujusmodi plura: haec optat a me in praelectionibus meis exponi, nec de Romano Pontifice quid pro quo venditari.

EPICRISIS.

* Vidi ſane lucubrationem tuam, FEBRONI! viderunt alii plures, qui nil in ea deprehendere, niſi principia quibuslibet imperantibus omnino perniciosa; minime vero ſano Juris publici univerſalis ſyſtemati conformia. Subtractionem obedientiae FEBRONIUS diſtinguit in *totalem* & *partialem* (haec verba mihi retinenda ſunt, ne iterum queratur elegantiſſimus hic ſcriptor de latinitate ſua a me corrupta) prout videlicet vel ex integro, vel quoad partem tantum jurium Pontifici competentium eidem obedientia negatur. *Totalem* dicit fieri poſſe, ut vel permittatur adhuc Pontifici exercere jura *primigenia* a CHRISTO annexa Primatui, vel ut nequidem hoc concedatur: dum Pontifex plane hoſtis animum in Regnum quoddam induit, etiam *hoc ultimum* rite fieri permittit. Notari inprimis probe velim, controverſiam hic non eſſe in eo, quid jure fieri poſſit in Pontificem ejusque terras, quando & ipſe tanquam Princeps ſupremus provinciarum ſuarum arma alteri bellumque infert: ſed quando controverſia eſt cum eo tanquam Pontifice, atque in cauſſis Eccleſiam ejusque jura concernentibus. Omnem nunc omnino obedientiam ſubtrahi poſſe Pontifici in quocunque caſu adeo abſonum eſt in ipſis FEBRONII principiis, ut vix ac ne vix quidem credas hominem ſanum eo

abripi poſſe. In his enim non debetur obedientia Pontifici, niſi quando mandatis ſuis urget Ss. Canonum executionem, illorumque violationem coercet: igitur, dum Pontifex hoſtem induit, impune non paretur mandatis nihil urgentibus, niſi quod ipſimet Ss. Canones jubent? impune non paretur ſeſe objicienti doctrinis palam noxiis & quae ſunt hujuscemodi abſurda maxime & indigna longe plura? vides, FEBRONI! quantum exerres, & quam longe ſanius locuti ſint, quos ipſe citas, Epiſcopi Gallicani apud HARDUIN. *Tom. IX. col.* 1557. *Concluſum* (contra Pontificem, qui tum ferebatur hoſtis Regni) *ab obedientia Papae ſe ſubducere ac ſubtrahere; ſed non in totum & indiſtincte, ſed pro defenſione tantum & tuitione NB. tantum jurium ſuorum temporalium.* Quod ſubtractionem, quam vocas *partialem*, attinet, tum quidem ſi jura vel Eccleſiarum peculiarium vel Principum Decreto quodam curiae laedantur, nemo ſanius ſentiens negabit, ea objici poſſe impedimenta, ne praejudicium ejusmodi effectum nanciſcatur, aut ut illatum jamdum reparetur: ſed ejusmodi remedia, de quibus egi *in Diſſ. de Imp. Concordat. Protect.* voce nonniſi ad invidiam vergente ſubtractionem Obedientiae diceres: atenim ob controverſias quascunque fors circa jura necdum utrinque ſat liquida enatas, illico obedientiam negari poſſe non dicam quoad Primigenia Primatus jura, quod omnino abſonum jam ante rejeci, ſed & ſecundaria juſta tamen ratione ſummae Sedi a tanto tempore jam reſervata, hoc equidem tamdiu, FEBRONI! non perſuadebis rite fieri, quamdiu non permittes ſimile quid a ſubditis erga Principem ſuum in eodem eventu attentari, piaculo vacare. Recte hic a me fieri hanc analogiam, eaque te perpetuo urgeri, ſi ex Juris Naturae & publici univerſalis genuinis principiis, ſi ex ſyſtemate cogitare intendis & loqui, prout debes, non eſt, cur hic denuo uberius moneam, quippe quod deinde adverſus inania tua effugia demonſtrandum erit.

** Sed ſi BALLERINUS effectus conſideraſſet, quos adſcribit FEBRONIUS huic *ſubtractioni obedientiae*, atque illud quidem, quin ulla ratione laederetur Primatus legitimus, juraque illi ex inſtitutione divina competentia; immo ſine periculo mali, & ſummo diſciplinae bono, tum enimvero minime dixiſſet hanc ſubtractionem eſſe remedium malo omni deterius. Adeone es immemor dictorum tuorum FEBRONI! ut cum in lucubratione illa tua *Tom. 2. de ſubtractione obedientiae* apertis verbis admiſiſſes etiam talem, ubi ne primigeniorum quidem jurium uſus Pontifici amplius permittitur; immo tale quid inter alia factum fuiſſe ſub FRIDERICO I. *ex* ARNOLDO LUBECENSI *L. 3. c. 7.* probaſſes *l. cit. f.* 547. nunc BALLERINO, aliisque perſuadere velis *generatim* atque *ſine exceptione*, ſubtractionem illam tuam nec minimam laeſionem legitimi Primatus & praerogativarum eidem jure etiam divino competentium conjunctam habere? profecto videas an non injuſte queraris de AUCTORE *des Urtheils eines Proteſtantiſchen Schriftſtellers über den Febronius zum Gebrauch des Frauenzimmers am Rheinſtrom*, quod perſaepe pugnam tibi eſſe tecum apertam aſſeruerit. Quod inquis obedientiam ſubtractam ſine periculo mali, immo cum ſummo diſciplinae bono, id quidem nemini hiſtoriam temporum ejusmodi infelicium intimius rimanti perſuadebis: ego ex analogia jam ante inſtituta hocce telum ita in caput tuum retorqueo. Eadem enim ratione dicere potero, atque, ſi pagellae iſtae permitterent plu-

ribus

ribus fors, quam tu ipse exemplis demonstrare, cum subjecti persaepe obedientiam subtraxere Principi suo, immo armis adhibitis se ei objecere, inde vidisses imminuta vectigalia gravia nimium, leges Reipublicae primarias vigori suo redditas, pacta inter Principem & populum antiqua restituta firmataque, repressam vim quorundam Principis gratia abutentium &c. Nunc igitur quid dicis FEBRONI! si eventus hosce videris? an detestanda haec subditorum ausa probaveris? risum enim mereris, si denuo in latebris illis tuis, Analogiam hic nullam institui posse, effugium quaeras: ex his enim te paulo post invitum licet reluctantemque eripiam. Si bonae fidei vir es, haec sedulo rimare, & quam pernicioſa sint, quae ex scriptis tuis elici possunt principia, facile perspicies. Alia longe sunt sensa celeb. NELLERI, qui de Germanis tempore Schismatis Basileensis neutras partes amplexis inquit *Diss. de Decretis Basileensibus infra cit. c.* 1. §. 5. *Qui status indifferentiae profecto NB. male fausios contra centri Cathedrarum unitatem effectus procreasset, nisi demum Electoralis unio A.* 1446. *ostium redeundi ad positivam obedientiam aperuisset:* nequaquam tamen hanc subtractionem obedientiae fuisse *Febronianam* patebit ea, quae ex Actis publicis l. cit. recitat *Nellerus*, vel obiter perpendenti. Extat haec *Diss. Tom.* 1. *Thesauri Juris Eccles.* a me edi caepti *N. VI.* adde *animadvers. ibidem p.* 314. a me his NELLERI verbis adjectam. Cur non suades denique FEBRONI! id quod in electione LEOPOLDI M. aliquando actitatum, ut *clausula* quoque *Commissoria* electioni Pontificis adjiciatur; sed videat homo hujusmodi consiliorum MOSERUM *in Tractat. von dem Römischen Kayser &c.* 1763. *f.* 618. *seqq.* Demum notum est quidem in Hungaria simile quid (quod ad mentem FEBRONII circa obedientiam Pontifici subtrahendam accommodari potest) ex jactitato quodam ANDREAE *Regis* privilegio obtinuisse, ut quodsi Rex ordinum privilegia, legesque Regni violaret, illi vicissim sacramento suo non stringerentur amplius: sed eam rem perpetuis solum turbis iisque calamitosissimis regnum istud involvisse: quare tanquam bono publico quam maxime inimicam in Comitiis sub LEOPOLDO *M.* penitus abolitam fuisse, proscriptamque.

CAPUT III.

Epicrisis in reliquas FEBRONII ad asserta mea de Pontifice aliisque responsiones.

§. I.

Improbaveram in *Institutionibus meis Part. II. §. XLIV.* quod FEBRONIUS, qui tamen alias ipsemet aliquem a CHRISTO Div. PETRO Primatum prae reliquis collatum agnoscat, nolit textum illum notissimum *Matth. XVI. Tu es Petrus, & super hanc petram &c. tibi dabo claves regni caelorum &c.* intelligi de sola PETRI persona. Adverti jam tum, id ab eo fieri hoc fine potissimum, ne plus, quam vellet, ex eo textu contra ipsius systema evinceretur: sed cum Monarchiam

De textu Math. 16. Tu es Petrus &c.

narchiam abſolutam inde ego quoque eruere nolim, argumenta FEBRONII *Tom. 2. f. 168.* allata a me negligi poſſe. * Reſpondet nunc id ſibi in primis cum multis Ss. Patribus & eruditis Catholicis praeſertim Gallis commune eſſe, quod textus citati interpretationem concernit. S. FRANCISCUM SALESIUM virum, dum vivcret, Gallis praecipue maxime aeſtimatum, qui ſat acri cenſura notat cum FEBRONIO ſentientes, quemque propterea ipſi *l. cit.* objeceram, fuiſſe quidem magni nominis Aſcetam, an in ſtudio Critices, Canonum & Conciliorum peraeque verſatus fuerit, dubitari poſſe. Optat deinde a me contra Proteſtantes afferri argumenta omnino ſolida & invicta: talia certe non eſſe *l. cit.* a me prolata, quippe quae *NB. tam adverſus Petri Primatum, quam pro eo interpretationem* admittant: Monarchiam abſolutam a me inde non evinci, id vero omnino fieri debere, ſi textum de perſona Petri excluſis reliquis Apoſtolis intelligendum eſſe contenderem. **

EPICRISIS.

* Neque ſcopo hic meo congruum eſt, neque, ſi vellem, liceret pagellis iſtis complecti ea, quae de effugiis circa recitatum textum a FEBRONIO ex Patrum quorundam interpretatione captatis, integris jam Tomis dicta ſunt ante, quam orbis vel ipſum hunc partum *Febronianum* intuerentur. Quidquid affert denique, negare ipſe nequit, jam centies ante eum ſcriptum, crambenque iſtam ad nauſeam jamdum intritam, coctam, recoctam fuiſſe. Quoniam id praecipue negat, ſolidi hic quidquam a me Proteſtantium intuitu prolatum eſſe, ipſum audiamus FEBRONIUM, ex quibus demum fontibus adverſus WALCHIUM hoc ipſo *Tomo* 3. Primatum Petri demonſtrare intendat: ita autem inquit *f.* 322. ad *poſtulatum* WALCHII *tertium: petitur demonſtrari, quod ad ſervandam Eccleſiae unitatem viſibili capite opus ſit. Equidem textus S. Script. Math. XVI. Tu es Petrus &c. porro Joan. XXI. Paſce agnos meos &c. ſacrae Monarchiae, & quae ad hanc referuntur praetenſionibus Romanorum, praeſidium nullum ferri; attamen Petri Primatum probari aſſeruere* JUSTIN. FEBRON. *C.* 1. §. 2. THEODORUS a PALUDE *C.* 1. §. 2. DANIEL BERTONUS *Tit.* 1. §. 2. *Ex iisdem Scripturae locis eundem Primatum in ordine ad ſtabiliendam ſervandamque in Eccleſia unitatem colligit ac firmat S.* CYPRIANUS *de Unitate Eccleſiae &c. Sane verbis* CHRISTI, *Tu es Petrus, & quae ſequuntur, nec non illis, Tibi dabo claves regni caelorum, ſi mature ponderentur, aliqua praerogativa ſignificatur, quae nullatenus fuit caeteris Apoſtolis communis. Quanquam enim omnibus Apoſtolis claves regni caelorum datae ſint, & ad omnes pertineant iſta Domini verba: paſce oves meas: attamen ex ipſis his verbis elucet Petri praerogativa, quia S.* PETRO *tanquam figuram Eccleſiae gerenti, ac primum inter caeteros paſtores locum occupanti, claves regni caelorum, & regendas oves* CHRISTUS *commiſit. Ad quid enim inter caeteros electus a* CHRISTO PETRUS, *ut in ejus perſona toti Eccleſiae claves regni caelorum daret, niſi quia Primatum in tota Eccleſia* CHRISTO *concedente gerebat . . . Inſuper cum Joann. XXI. Dominus ſemel, iterum & tertio Petrum interrogaſſet: Simon Joannis diligis*

me

me plus his: (*haec* verba FEBRONIUS charactere distinguit) *respondisset autem* PETRUS: *Domine tu scis, quia amo te,* CHRISTUS *iterato adjecit: pasce agnos meos, & tertia demum vice, pasce oves meas. Ut quid autem repetita haec de amore interrogatio, repetitumque pascendi dominici gregis mandatum* PETRO *datur, si nullum peculiare & a ceteris distinctum munus ipsi collatum fuisset? &c.* En ipsa FEBRONII verba! en invictum plane ratiocinium, quo WALCHIO, quocum data opera decertat, quemque proin procul dubio ante alios Ecclesiae *unire* cupit, Pontificis Primatum persuadere conatur. Nunc enimvero sanos omnes appello, quid de FEBRONIO censendum putent, quem, dum paulo ante doluit, nil a me convincens contra Protestantes prolatum, nunc vident eosdem plane textus, tanquam rem omnem clarissime evincentes producere? profecto, FEBRONI! si tale quid in Institutionibus meis videres, an non Helleboro me indigere & jam jam Anticyras mittendum pro humanitate tua dixisses? Absit autem, ut id nunc in te retorqueam. WALCHIUM hic ipsum provoco, an, prout FEBRONIUS instituit argumentum atque in systemate suo instruere debet, aliquid tribuendum putet ratiocinio ter quaterque sese jugulanti, dum modo PETRUS nonnisi figuram Ecclesiae gessit, atque ita ejus personae nil speciale concessum: modo tamen is (is procul dubio idem erit cum persona PETRI) inter caeteros electus: peculiare ipsi & distinctum munus collatum: ab aliis distinctus fuit per verba, *plus his:* claves modo datae sunt Apostolis: modo in persona PETRI toti Ecclesiae: immo cum FEBRONIUS mihi respondens inquit *NB.* verba Math. XVI. *tam pro* quam *contra Primatum* PETRI afferri posse. De FEBRONIO ita agente, ita tum cum Scriptore Catholico, tum cum Protestante loquente plura hic aliis cogitanda relinquo, quae nunc stileo alia fors ei occasione in aurem dicturus.

At Monarchiam absolutam ex citato textu sequi vult FEBRONIUS, si de persona PETRI *solius* intelligatur. Adeo autem hocce spectrum in pavorem agit virum, ut ubicunque illud timet, fugam per avia quaeque & invia circumspiciat. Mihi FEBRONI! panicum hunc timorem non incutit, firmo pede persisto, & frontem oppono. Repeto, quod dixi, etiam ex textu sic intellecto Monarchiam absolutam non evinci: ad hoc enim sufficit Apostolos alibi a CHRISTO in communionem potestatis vocatos fuisse, etsi in textibus, de quibus hic sermo est, de PETRO unice CHRISTUS loquatur de quo Conf. *Instit. meas l. cit.* Caeterum mirum non est, FEBRONIUM ita in transversum agi, eum enim ne vera quidem Monarchiae notione imbutum esse deinde quam luculentissime elucescet.

§. II.

De juribus Pontificis secundariis,

Quod jura Pontificis secundaria attinet consensu Ecclesiae, pactis publicis, aliisque titulis ad sedem Apostolicam devoluta, quae potissimum FEBRONIUS universo suo systemate ab eodem iterum abstrahi cupit; eo potissimum argumento eundem sum aggressus, eoquod, postquam jura ejuscemodi, etsi fors jure divino Primatui non annexa, legitima tamen ratione in eum translata sint, ea dein iterum avelli nequeant, cum ipsum Jus publicum universale id

fieri

fieri in Imperante quovis graviſſime prohibeat, aut, ſi tale quid negat FEBRONIUS, ipſum principiis regi cuilibet Imperanti perniciosis aſſerui. Mirum quantum ſe torquet FEBRONIUS, ut laqueo iſto ſeſe extricet: ſed infelici conatu. * Negat videlicet comparationem recte inſtitui inter Civitates & Reſpublicas profanas & Eccleſiam CHRISTI, eoquod ut inquit DANIEL BERTONUS *Tom. 3. f. 30.* & FEBRON. *in not. ad* P. ZECH *Tom. 2. f. 126.* Eccleſiae regimen ſit a CHRISTO conſtitutum, non item aliarum Civitatum: quod nullibi perpetuas fore eas Reſpublicas CHRISTUS ſpoponderit, aut peculiarem iis opem addixerit, quemadmodum in medio ſe Eccleſiae futurum pollicitus fuerit: in hac porro exulare debeat dominatus ex voluntate CHRISTI *Luc. 22. v. 25. 26* ſummum imperium in civitatibus profanis eſſe penes Principem, ut ab ejus nutu omnia pendeant, nec indigeat is civium conſenſu: hujus virtute atque adeo provinciarum integrarum diſpendio ſalutem totius Reipublicae procurari poſſe: verum ab hac imperii parte longe abeſſe Eccleſiae authoritatem, quae ita ſalutem ſingulorum procurare debeat, ut neminem perdere poſſit ad ſalvandos olios: duris etiam & acerbis Principum dyſcolorum mandatis cedendum eſſe, quod obſequii genus adeo diſtricte a Chriſtianis Eccleſiae benignitas non exigat, Reſpublicas quoad regimen varias mutationes ſubire poſſe, quod iterum ſecus ſit in Eccleſia &c. FEBRON. *Tom. 3. in additamentis f. 364.* **

EPICRISIS.

* Omnia corradis, uti adverto FEBRONI! quaecunque tandem ingenium tibi tuum excitatum, & perſpicax, poſt multum ſudorem ſuppeditat ad nodum hunc ſolvendum. Doleo autem vices tuas, mi bone! tantum videlicet virum hic omnino extra orbitam ſaltitare. Vel tirones hodie norunt Jus publicum univerſale ipſius Juris Naturae partem eſſe, eamque non contemnendam: porro nemo niſi inſanus negarit in Eccleſia quoque a CHRISTO fundata locum habere non poſſe ſolum ſed & debere Juris Naturae placita, quippe quod divinus Eccleſiae Chriſtianae Auctor abrogare nec voluit, nec pro Sanctitate, Sapientia, Providentia ſua potuit: nil itaque certius, nil evidentius eſſe poteſt, quam, quodſi Eccleſia Chriſtiana eſt ſocietas inaequalis, in qua a CHRISTO ipſo regimen quoddam, qualecunque illud demum (de quo hic non diſceptatur) ſuerit conſtitutum, idque in rebus ſpiritualibus a Republica non dependens; principia Juris Naturae aut publici univerſalis hujus generis regimini propria, etiam in Eccleſia Chriſtiana inter imperantes & ſubjectos obtinere. Si neſcis iſthaec, FEBRONI! hodie, ubi ipſi ſcientiarum ultimi fontes ſolidius indagantur, tam trita, diſcere ea potes ex Diſſ. *Cl.* ENDRES *de neceſſario Jurisprudentiae naturalis cum Eccleſiaſtica nexu, & illius in hac uſu Wirceb.* 1761. quae in Theſauro *Juris Eccleſiaſtici* a me edi caepto in *Tomo primo* ordine prima eſt: *ex celeb.* RIEGGERO *Inſtit. Jurisprud. Eccleſ. Part. 1. Sect. 2. Cap. 9. f. m. 260. ſeqq.* ex ZALLWEINIO *Princip. Jur. Eccleſ. Univerſ. & partic. Tom. 1. f. 19. Tom. 4.* prae-

praecipue *Quaeſt.* 1. RAUTENSTRAUCHIO *prolegom. Juris Eccleſ. publ. & priv.* §. *LXIII.* SCHRODIO *Inſtit. Jur. Canon. Pragae* 1770. *Tit.* 2. *LXXX.* En ultimi hujus verba: *cumque poſita ſocietatis notione & ſcopo ea naturaliter poſſint inferri, quae ejusmodi ſocietati vi ſuae eſſentiae & ſcopi competunt, atque ita naſcitur jus ſociale hypotheticum, inde & ex poſita ſocietatis Eccleſiaſticae notione ea naturaliter determinantur, quae ſocietatis Eccleſiaſticae eſſentiae & ſcopo conſentanea & diſſentanea ſunt, conſequenter exiſtit jus naturale Eccleſiaſticum hypotheticum, idque vel publicum eſt vel privatum, prouti nexus membrorum Eccleſiae cum Imperio ſacro, vel inter ſe completitur, & ex hujus ſcientia jurisprudentia Eccleſiaſtica naturalis publica & privata rite formatur.* Proteſtantibus quoque haec res extra controverſiam eſt, quippe qui non ſolum Juris Naturae principia ubicunque Eccleſiae, quam ſocietatem aequalem ſibi fingunt, applicant; ſed & ſi Eccleſia ſtatuitur inaequalis, quid ex iisdem deinde fluat, exponere conantur, de quo praeter recitatos in Inſtitutionibus meis conf. NETTELBLADT *in ſyſtem. Jurisprud. Nat. Part.* 2. *L.* 3. *Sect.* 3. §. 769. *ſeqq.* Quam nunc facile diſſlantur omnia, quae adducis, FEBRONI! Quale debeat eſſe Eccleſiae regimen, inquis eſſe a CHRISTO: ſpecialem item opem ab eo ſponderi Eccleſiae ſuae: id regimen non eſſe exercendum inſtar rigidi dominatus: neminem ab Eccleſia perdi poſſe ad ſalvandum alium &c. Quid infers? ergo in Eccleſia poſito certo regimine a CHRISTO determinato locum non habent ea, quae jus ipſum Naturae, aut quod ejus partem jam eſſe dixi, publicum univerſale ex eo fluere docet? miſera ſane conſecutio, & viro, qualis in orbe literato eſſe cupit FEBRONIUS, plane indigna! caeterum nil eſt, quod indigneris mihi, FEBRONI! dum ex principiis tuis inferri poſſe plura Principibus pernicioſa dixi, id enim omnino fieri recte ex ſyſtemate RICHERII, quod maxima ex parte quoad Eccleſiae regimen adoptaſti, jam oſtendit *Archi-Epiſcopus Cameracenſis in literis paſtoralibus* 1731. apud ZACCARIA *l. cit. Tom.* 1. *f.* 87. Ne ſine turbis quidem conſilia tua quoad rem hanc in effectum deducenda dixi: id enim vero miraris, at conſule BALLERINUM *in Vindic. jam cit. C.* 6. *p.* 208. *ſeqq.*

** Jam vero alibi variis in locis a ſe oſtenſum fuiſſe reſpondet FEBRONIUS, ipſam illam jurium variorum ſoli Pontifici relictorum in Sedem Apoſtolicam translationem nullam ſua jam in origine fuiſſe: fuſius ſingula examinare hic non licet, praeſertim cum animadverſione quadam generali pleraque denuo confutari facile queant. Eam itaque affirmat nonnili falſis *illis Pſeudo Iſidori Epiſtolis* inniti, quod inſtar FEBRONII ejus generis ſcriptoribus centies hodie in ore atque calamo eſſe ſolet; factam deinde ab Epiſcopis ſine notitia & libertate; nullam proinde Romanae Sedi prodeſſe ceſſionem, praeſcriptionem, Concordata &c. huic ſpurio fundamento niti plura quoque in ipſo *Tridentino* quoad res haſce conſtituta; quae etiam ab Epiſcopis libere dimiſſa fuerint jura, revocari poſſe, tum ſi iis Pontifex abutatur, tum quod poteſtas Pontificis ultra juſtos limites protenſa potiſſima occaſio Schiſmatum fuerit; hodieque obex ſit praecipuus, ne Proteſtantes denuo Eccleſiae uniantur &c. Denuo non terrebit agglomerata haec moles tua, FEBRONI! quemvis ex principiis ſanis, ſolidoque ſyſtemati innixis loquentem; facile enim denuo in foveam propriis confectam manibus deturbaris. Quid ſane, ſi

populus ordinesque civitatis cujusdam duce te atque anteſignano FEBRONI! contenderent, poteſtatem in ipſa Reipublicae origine Monarchicam Principi propriam non fuiſſe; jura complura ex iniquitate temporum, errore, ignorantia in eum translata: nullam itaque prodeſſe ceſſionem, praeſcriptionem, pacta; huic ſpurio fundamento inniti, quidquid deinde comitia Regni decreviſſent: poteſtatem hanc nullis limitibus circumſcriptam turbarum omnium fuiſſe fontem; ob abuſum ſaltem deinde accedentem ea revocari poſſe, & quae ſunt *Febroniana* hujuscemodi alia. Quid nunc ages, FEBRONI! obſoletam illam cantilenam tuam occines, nullam hic analogiam recte inſtitui? at exploſa eſt haec jamdum paulo ante: principia, quibus jura Pontificis ſubruere meditaris, & hic admittes? atqui ſic recte dixi pernicioſa, quam quae pernicioſiſſima eſſe quibuslibet imperantibus; ea nimirum, per quae revocatis inde usque ab inferis ipſis quibusvis praetextibus omnia facile ſusque deque verti poterunt. Miſeret me tui porro, FEBRONI! quod hic quoque cultrum proprio iterum jugulo admoveas; quippe qui ferme ubicunque alias totus es in corradendis teſtimoniis cujuscunque generis, aetatis, Religionis ſcriptorum, ex quibus id demonſtrare contendis, nunquam non extitiſſe viros maximi nominis, qui ſat agnoverint immo vero publice edixerint, ſcripſerint, jura Pontificis, de quibus hic quaeſtio inſtituitur, auctoritate divina Primatui annexa non eſſe: unum affero: ſic *Tom.* 3. *f.* 242. affirmas totius tui ſyſtematis lineamenta in ſcriptis D. BERNARDI, praecipue ad EUGENIUM Pontificem jam adumbrari continerique: jamvero tibi nonniſi falſa principia, error, ignorantia &c. in cauſſa fuere, eccur jura iſthaec ad Pontificem devoluta fuerint. De Concordatis ſane Aſchaffenburgenſibus id affirmare manifeſtam aut inſcientiam aut incuriam temporum geſtorumque arguit. Nemini enim non conſtat *Decretis Concilii Baſileenſis* abolitas fuiſſe Annatas, Reſervationes item Pontificias, praeterquam in corpore Juris clauſas, confirmationem Epiſcoporum Metropolitanis addictam; Decreta haec a Germanis ſolenni ratione recepta fuiſſe; Concordatis Aſchaffenburgenſibus mitigata denuo in favorem Pontificis plura fuiſſe, ut Germania eam compenſationem, quam EUGENIO IV. ob Decreta Baſileenſia pro Germania ratihabita, aliasque conceſſiones promiſerant, germana plane fide redderent, quae omnia ex ipſis Actis elegantiſſime demonſtrat celeb. NELLERUS *in Diſſ. de certis S. Concilii Baſileenſis Decretis maxime Hierarchicis a Germania & Gallia* 1438. *&* 1439. *acceptatis, Germaniae ab Eugenio IV. S. P. Specialiter indultis per harum Nationum cum S. Sede Concordata* 1448. *&* 1516. *immutatis vel non.* Quis vero nunc dicet Concordata illa Aſchaffenburgenſia per ignorantiam a Germanis obtenta? praeterquam quod pacta publica, totiesque ratihabita iſtis ratiunculis aggredi denuo perquam ſit periculoſum. Quam noxium ſit, quod de *Tridentino* inquit FEBRONIUS invicte oſtendit ZACCARIA *l. cit. Tom.* 1. *f.* 56. *ſeqq.* Abuſus demum a me non defendi jam dixi FEBRONIO *in Inſtitutionibus meis l. cit.* hos ſufficiet aliis mediis, quae ſane non deſunt, cohiberi, quin neceſſe ſit ad avia deviaque FEBRONII illico deflectere. Conf. cit. jam *lucubrationem meam de Imperat. Concord. Protect.*

§. III.

§. III.

De judicio Pontificis in rebus fidei

Quoad judicium Pontificis in rebus Fidei FEBRONIUM asserui plane extra orbitam vagari, qui, dum se Catholicum profitetur, nequidem sat firmum velit esse praesidium illi Pontificis judicio in rebus Fidei & morum, cui etiam consensus Ecclesiae extra Concilium accesserit. Nullibi se magis torquet FEBRONIUS, quam dum huic loco respondet ad opinionis suae invidiam apud Catholicos molliendam. Negat se tale quid *C. VI.* §. *8.* (quem locum citaveram) affirmasse in Thesi, immo in Thesi se potius contrarium defendisse: in Hypothesi solum asseruisse, jure merito hic & nunc dubitari, an revera adsit consensus iste Ecclesiae, uti in caussa conferendi denuo Baptismi HH. inter S. CYPRIANUM & STEPHANUM Pontificem: Constitutionem quoque *Unigenitus 1713.* editam ab universa Ecclesia quidem receptam: sed quo anno incertum esse: hinc sese nequaquam de jure, sed de facto tantum dubitantem voluisse expedire, ut ejusmodi QQ. per CC. Oecumenica decidantur.

EPICRISIS.

Nihil hic ego exopto, nisi ut omnes, quotquot FEBRONII opus ad manus habent, locum a me citatum *C. VI. §.* 8. inspiciant ipsimet, atque judicium deinde ferant de fide viri, qui talia hic mihi respondere non dubitat. Cuilibet paragrapho FEBRONIUS propositiones illas praefixit, quas deinde pluribus stabilire satagebat. l. cit. haec propositio legitur: *Parum firma est illorum sententia, qui ex plurima parte Episcoporum definitioni Romani Pontificis extra Concilium adhaerentium, ultimatum & irrefragabile judicium constitui existimant:* propositionem istam suam pluribus deinde paginis, testimoniis, rationibusque firmat, immo & iis quae obstare videntur, respondet. Inter alia, ut unicum tantum afferam, ex GERSONIO haec affert pro sententia sua stabilienda: *Ecclesia ut dispersa nullum actum jurisdictionis exercere potest, nec aliquid sententialiter definire: & sic infallibilitas in definiendo ei competere debet, ut congregatae in Concilio.* Huic deinde ex suo subjicit FEBRONIUS: *est haud dubie extra-conciliaris illa summi Pontificis ac aliorum & quidem plerorumque Episcoporum consensio circa Fidei quaestionem, aut difficultatem recens motam magni ponderis: est praejudicium admodum urgens pro sanctitate doctrinae, in qua illi conveniunt: at per se nunquam erit judicium definitivum universalis Ecclesiae, seu infallibiliter decisivum.* Hocine nunc est in *Thesi* loqui aut *Hypothesi?* hoccine *de facto* aut *de jure* dubitare? pro! quae sensa, quibus verbis effunderet humanissimus FEBRONIUS, si tale quid aut in me aut in quoquam adversariorum suorum, praecipue Jesuita deprehenderet?

§. IV.

De Jure Pontificis ferendi Leges Ecclesiasticas.

Displicent porro FEBRONIO, quae circa jus ferendi leges Ecclesiasticas Primatui adscripsi. Jus eas proponendi, vigore officii Primatus & ipse admittit: sed quas dein Ecclesiae peculiares nomisi ob intrinsecam aequitatem reci-

pere teneantur: Repoſui FEBRONIO, an intrinſecam illam aequitatem (cum verba haec generalia determinatum ſatis ſenſum non habere quivis videat) intelligat talem, quae jam per ſeſe ſine lege nova obliget; tum vero ab illo ſcopum non tangi, cum quaeſtio hic ſit de poteſtate ferendi leges in materia diſciplinae: an vero hoc ipſum velit: tum enim vero adhuc diſcutiendum eſſe, a quo obligatio legis, quippe quae neceſſario a Superiore provenire debet, ſit repetenda; hunc neminem alium eſſe, niſi Eccleſiae Primatem per ſeſe nunc conſequitur. Reſponſo ſe non dignari Sophiſticum dilemma inquit FEBRONIUS: & vero ſtetit omnino verbis; reſponſi enim nihil dedit, niſi quod hac in re dicta non ſatis mea cohaerere velit, quippe qui alibi Monarchiam abſolutam in regimine Eccleſiae non admiſerim; jam autem eo ipſo ſtabilire videar, cum aſſeram Leges a Pontifice ferri poſſe, quas Eccleſiae inferiores vi poteſtatis proponentis acceptare teneantur: *is enim*, inquit vir nullius rei magis, quam juris publici univerſalis egregie gnarus, *qui novas Leges Eccleſiae non congregatae imponere poteſt abſolutus Monarcha eſt, quales noſtri Imperatores fuere, quousque Leges ſoli condere poterant.* **

EPICRISIS.

* Quid ſi cuiquam incideret, FEBRONI! reſpondere te hic nil potuiſſe potius quam noluiſſe? ſane cum, vir tamen tantus talisque qui es, dignatus fuiſti hactenus non reſpondere ſolum, ſed & hinc inde ſaltem non ſine anxietate quadam, quidquid in mentem venit, congerere, eccur ſolum hoc dilemma ſupercilio tam alto contemnis? eſto aegre id ferre poſſem, condono tamen hoc tibi; non item, quod fide iterum non ſatis proba, ſtudio omittere videaris, me non abs re ſubjeciſſe aſſertis meis de poteſtate Pontificis Leges ferendi, qua ratione ZALLWEINIUS & AMORT hanc poteſtatem limitatam eſſe exiſtiment. Ne vero adeo aegre feras porro FEBRONI! hanc in Pontifice auctoritatem a me agnoſci, en quam gravibus eam verbis adſtruat BARTHEL *de Jure Reform. antiquo Art.* 3. *a §.* 5. Probat eam inprimis exemplis a ſaeculis etiam vetuſtiſſimis ipſoque S. CYPRIANO & TERTULLIANO, ex quo cum retuliſſet nota illa verba: *Audio edictum eſſe propoſitum* (a VICTORE *Pontifice*, nam de Pontifice Romano loqui TERTULLIANUM oſtendunt BARON. *ad A.* 216. FLEURY *Hiſt. Eccleſ. L.* 5. *n.* 46. MAMACHI *de Orig.* & *Eccleſ. T. IV. p.* 296. quidquid contradicat BINGHAM *Orig. & antiq. Eccleſ. L.* 2. *c.* 6. *§.* 6.) & *quidem peremptorium* &c. ſubjicit citatus ſcriptor: *liceat de* TERTULLIANO *Haeretico dicere, quod ſcripſit* GREGORIUS de THOMA *incredulo: plus nobis profuit Tertulliani perfidia, quam fides, teſtando videlicet, qualem & quantam in ferendis Legibus in ſecundo ſaeculo jamjam Pontifices ſibi aſſeruerint auctoritatem. Tertullianum audivimus Montaniſtam, audiamus & Catholicum L. de Praeſcript. c.* 36. *ſi Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis auctoritas praeſto eſt:* & §. 7. ita pergit· *audiamus univerſas Eccleſias, quanta & quali reverentia & obedientia Conciliorum & Pontificum Leges olim exceperint: praeprimis Hiſpanias in Tolet. III. Permaneant in ſuo vigore CC. omnium conſtitutiones & ſynodicae Roma-*

Romanorum Pontificum epiſtolae, & decernente HILARIO *Papa nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo vel divinas conſtitutiones vel Apoſtolicae Sedis decreta temerare. Audiamus antiquam Galliam in C. Turonenſi II. ibi: Nos ergo hos ſequentes, quod vel* PAULUS *Apoſtolus, vel Papa* INNOCENTIUS *ſtatuit, in canonibus noſtris inſerentes. Audiamus Epiſcopos Daniae Epiſt. ad* GELAS. *ibi: ſaluberrima Apoſtolatus veſtri praecepta, qua oportet, devotione ſuſcepimus . . . Audiamus Africam ubi PP. Carthaginenſes ſcribunt epiſtolam ad* INNOCENTIUM *Papam, ibi: ut ſtatutis noſtras mediocritatis etiam Apoſtolica Sedis adhibeatur auctoritas. Audiamus denique Orientem univerſum in libello ad* HORMISDAM *P. quia non poteſt Domini noſtri praetermitti ſententia Tu es* PETRUS *&c. quapropter ſequentes in omnibus ſedem Apoſtolicam & praedicamus omnia, quae ab ipſa decreta ſunt:* ita BARTHELIUS. Audiamus FEBRONIUM, & quam alia longe audiemus ab homine, qui tamen, uti jam adverti ſuperius, invidia ideo ſe premi queritur, quod nonniſi caſtiſſimas antiquitatis regulas invocet.

** Philoſophus hic manſiſſes, FEBRONI! ſi . . . . adeo vel tyroni Juris publici univerſalis riſum movebunt, quae hic de Monarchia abſoluta dicis. An BARTHELIUS, ZALLWEINIUS, AMORT, RIEGGER, immo & Galli *uti de* MARCA *de Concord. L. 3. C. 6. n. 3.* & alii, qui hanc Leges ferendi poteſtatem eo, quo dixi, modo non admiſere ſolum, & argumentis ſtabilivere, de Monarchia abſoluta propterea vel ſomniarunt unquam? An ullus Juris publici Germanici interpres Imperatori tribuet Monarchiam abſolutam, eſto id Legibus Imperii permiſſum foret, ut is in eventu, quo comitia congregandi difficultas ardua foret, ſalus autem & neceſſitas Imperii Legem communem poſceret, illam ſolus ferre poſſet, ſi deinde nihilominus in tot aliis capitibus conſenſui Ordinum Imperii adſtrictus foret, horumque ſuperioritate, ut inquiunt, territoriali ejus poteſtas reſtringeretur. Caeterum genuinum Monarchiae abſolutae characterem ſi neſcis, FEBRONI! vel in compendiis ubique obviis invenire poteris: a juniore enim Canoniſta id audire utique noles, neque ego reverentia tanti viri tale quid mihi ſumere audeo, ut primis te notionibus imbuam.

§. V.

De Appellationibus ad ſummum Pontificem ſcripſeram diſcernendum eſſe, an ſermo ſit de caſu protractae aut denegatae omnino juſtitiae; aut nullitatum, ut inquiunt, earumque inſanabilium in proceſſu commiſſarum: atque in his eventibus, cum ipſa ratione dictante praecipuum maximeque neceſſarium Rectoris in Civitate ſit officium, ut apud eum oppreſſae innocentiae perfugium pateat, jus ad ſummum Pontificem confugiendi neceſſario annexum Primatui eſſe: quoad id, ut cauſſae etiam privatae Clericorum Epiſcopis inferiorum per Appellationem Romam devolvi queant, permiſi diſciplinae hac in re mutationi locum eſſe. At prius quidem ita inquit eſſe perſpicax acutusque FEBRONIUS in Civitatibus profanis, non in Eccleſia, in qua conſtet variis olim Canonibus immo & Legibus perfugia illa Clericorum ad Curiam Romanam re- De Appellationibus ad Pontificem in cauſſis privatis.

jecta fuiſſe; quos textus deinde FEBRONIUS recitat. * Quoad alterum quidem ait recte dictum fuiſſe, mutationi diſciplinae hic locum eſſe. Sed illud quaeri, an quae ex errore & falſa cauſſa mutata hac in re fuerint, non ſine onere nationum, ſiniſtram inſuper de Primatu ideam ingenerent, an inquam in ſtatu recentiore Canonibus antiquioribus contrario ſint relinquenda? neque hic ſe moveri reverentia ſummae Sedis & Canonibus Sardicenſibus, qui memoriam D. PETRI honorari voluerint, ne hos enim quidem, cum occaſione Epiſcoporum ab Arianis oppreſſorum confecti ſint, proprium jus Appellationum Romae tribuere voluiſſe. **

EPICRISIS.

* Quod igitur quoad primum fatente FEBRONIO in Rebus publicis profanis recta ratio dictat, id in Eccleſia non dictat, atque in hac protrahi negarique juſtitiam, innocentiam per proceſſum juri omnino diſformem opprimi ſine ullo ad ejus caput perfugio res erit aut non ita iniqua, aut inſuper habenda, aut ſaltem toleranda potius, quam Pontifici jus ejusmodi concedendum? ad tam abſurda prolabi hominem neceſſe eſt, qui uti jam aliquoties animadverti, ipſum Jus Naturae ſua ratione ex ſyſtemate Eccleſiae eliminare cupit. Falſum deinde eſt, quod addit FEBRONIUS, ſaltem in Republica quavis idcirco ad Principem provocari poſſe, quoniam judiciaria poteſtas nonniſi ejus nomine exerceatur; in Eccleſia autem ab inferioribus nomine Pontificis non reddi atque adminiſtrari. Quis enim dicet ex ſyſtemate Juris publici Imperii noſtri judicia a Statibus nomine Imperatoris nonniſi exerceri, atque ex eo capite ad eundem provocari poſſe? ex hoc ſyſtemate id potius aperte mihi favet, quod etſi alias in cauſſis Criminalibus appellatio ad Imperatorem ſupremaque tribunalia locum non habeat, Electores item immo & alii quidam Status privilegio *de non appellando* gaudeant: dum tamen vel negatur vel protrahitur juſtitia, aut nullitates in ipſo proceſſu committuntur, in his quoque eventibus provocare ad ſuprema Imperii dicaſteria ſit permiſſum: adeo ea res in ſyſtemate regiminis utcunque reſtricti, quale in Germania viget, ipſis tamen ſanae rationis principiis conformis ſemper viſa fuit.

** Quoad alterum mutationi diſciplinae locum eſſe fatetur FEBRONIUS; immo mutari hic quoque denuo omnia cupit, neque reverentia Sedis Apoſtolicae a conſilio dimovetur: in prologo galeato *Tomi* 1. videlicet jamdum iſte temporum noſtrorum heros ahenum pectus & triplicem circa illud loricam adverſus reverentiam ſummae Sedi debitam, ejusque judicia induit. Novi id aliquando actitatum ut breviter inſinuat MOSER *ad Capit. Carol. VII. Tom.* 2. *f.* 435. fuſſus autem recitat NELLER *in cit. Diſſ. de Decretis Baſileenſibus &c. f.* 50. ut appellationes iſtae intra terminos *Decreti Baſileenſis Seſſ.* 31. *Eccleſiaſticae Sollicitudinis*, reſtringerentur in Capitulatione Caeſarea; quare quid a ſummis poteſtatibus ſtatuendum aliquando ſit, & mihi, & tibi FEBRONI! privati qui ſumus, exſpectandum erit: interim velim animo pacato perpendas, quae habet de hac re AMORT *Jur. Can. Vet. & Modern. Tom.* 3. *Diſſ.* 5. *n.* 9.

§. VI.

§. VI.

Hactenus quidem de Appellationibus in cauſſis privatis, aut Clericorum inferiorum: quando agebatur de ipſis Epiſcopis, horum quidem exauctorationem a ſynodis Provincialibus NB. ſine ullo ad Pontificem recurſu fieri potuiſſe negavi, exemplis hanc in rem omnino luculentis tum ante famoſos illos Canones Sardicenſes, tum vero multo magis poſt illos. At enim contrarium a ſe invicta CC. auctoritate & fide hiſtoriae demonſtratum fuiſſe ait FEBRONIUS, atque adverſus ea a me nonniſi inania & falſa proferri: *Febroniano* plane iterum more. Sed cum pagellarum iſtarum anguſtiae non ſinant diffuſius tractare materias plane uberrimas, examinemus ſingula ea ſaltem ratione, quae ad retundendam hominis arrogantiam ſat ſuperque ſufficiat. De iisdem in cauſſis Epiſcoporum.

EPICRISIS.

a) In cauſſa *Pauli Samoſateni*, cum negare nequeat FEBRONIUS ejus abdicationem DIONYSIO Pontifici ſignificatam fuiſſe; id etiam aliis per orbem Epiſcopis factum reſpondet, atque ita praecipuum nihil fuiſſe. Sed plura peculiaria interveniſſe intuitu DIONYSII Pontificis, idque adhuc magis perſpicuum futurum, ſi epiſtolam nobis EUSEBIUS integram ſervaſſet, oſtendit ZACCARIA *Tom.* 3. *Part.* 2. *L.* 1. *C.* 3. *f.* 60. *ſeqq.*: mihi ſufficit, praecipuas his in cauſſis eſſe Romani Pontificis partes adeo perſpectum fuiſſe ipſis Ethnicis ea aetate, ut teſte eodem EUSEBIO cum *Samoſatenus* aedes Epiſcopi deſerere nollet, reſque ad AURELIANUM Imperatorem licet ethnicum deferretur, ei ab Imperatore juſſae ſint relinqui, quem Epiſcopus Romanus legitimum eſſe Epiſcopum decerneret.

b) In cauſſa *Caeciliani* a me relata ait FEBRONIUS, MELCHIADEM Pontificem ſententiam dixiſſe tanquam judicem ab Imperatore deſignatum ex epiſt. CONSTANTINI ad MELCHIADEM apud EUSEB. *L.* 10. *C.* 5. & S. AUGUSTIN. *ep.* 162. ubi hic inquit: *quidquod nec ipſe* (MELCHIADES *uſurpavit: rogatus quippe Imperator Judices miſit Epiſcopos, qui cum eo ſederent*, unde infert FEBRONIUS, igitur MELCHIADES ab Imperatore *juſſus eſt judicium ſuſcipere, alioquin id ſibi uſurpaſſet.* Recoquis hic FEBRONI! cramben diu ab ipſo NATALI ALEXANDRO Gallo magnique ipſi tibi nominis ſcriptore protritam, *cujus Diſſert. ex ejus Hiſtor. Eccles. excerpta* de hac re etiam habetur in *Theſauro Theologico* P. ZACCARIAE *Tom.* 7. *f.* 877. *Ad Q.* 2. NAT. ALEX. propoſitionem iſtam uberius ſtabilit, *Pontificem in hac cauſſa minime judicaſſe ut Imperatoris Delegatum, ſed proprio jure ut ſummum controverſiarum Eccleſiaſticarum judicem, contra quosdam e Calvini ſecta Theologaſtros*, quae verba NATALIS tanquam acerbiora minime mea facio, ſed eo ſine affero tantum, ut palam fiat, quibuscum hic ex judicio hujus ſcriptoris FEBRONIUS loquatur. Imperator inprimis ipſe *Donatiſtis* l. cit. reſpondit: *petitis a me in ſaeculo judicium cum ipſe ego judicium Chriſti exſpectem; & Donato ad ipſum a Concilio Romano appellanti: o rabida furoris audacia! ſicut in cauſſis gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt:* placentne FEBRONIO

NIO nunc haec Imperatoris ſenſa? MELCHIADES dein praeter deſignatos ab Imperatore plures pro lubitu adſcivit Epiſcopos alios: *Caecilianum* porro poteſtatem judicandi in MELCHIADE propriam agnoviſſe, quidquid ſit de Donatiſtis Schismaticis, patet ex cit. S. AUGUSTINI *ep.* 162. ubi de eo ait: *poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret & Romanae Eccleſiae, in qua ſemper Apoſtolicae Cathedrae viguit principatus, & cunctis terris, unde Evangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias literas eſſe conjunctum, ubi NB. paratus eſſet cauſſam ſuam dicere, ſi adverſarii has Eccleſias ab eo alienare conarentur.* Ad verba a FEBRONIO citata ita diu jam reſpondit NATALIS: non *dicere*, ut fingit FEBRONIUS, AUGUSTINUM, *ab Imperatore* MELCHIADI *poteſtatem judicandi conceſſam fuiſſe, ſed ab eo judices miſſos Epiſcopos, qui cum eo ſederent: argumento autem contra Donatiſtas Schismaticos, quod ad hominem dicunt, ad hunc ſenſum fuiſſe uſum: etſi concederemus vobis, o Schismatici!* MELCHIADEM *non habuiſſe poteſtatem judicandi proprio nomine de veſtro Schismate, & de cauſſa Caeciliani; dicere tamen non poſſetis, ipſum ſibi uſurpaſſe judicium cum Collegis transmarinis Epiſcopis, vos enim ipſi rogaſtis Imperatorem, ut judices daret.* Factum autem Donatiſtarum improbat AUGUSTIN. *ep.* 89., ubi inquit: *apud quem* (CONSTANTINUM) ultro CAECILIANI *accuſatores fuerunt, cujus auctoritatem omnibus transmarinis Epiſcopis praetulerunt, ut non NB. ad illos, ſed illum Eccleſiae cauſſam deferrent;* quibus ſane verbis Tatis denotat, quid ab eis agendum fuiſſet, ſi legitima ratione cauſſam urgere ſuam voluiſſent: addit porro AUGUSTIN. *ep.* 162. cit. rationem apertiſſime dictis meis faventem: *neque enim, ait, NB. de Presbyteris aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, ſed de Collegis agebatur, qui poſſent aliorum Collegarum judicio, praeſertim Apoſtolicarum Eccleſiarum, cauſſam integram ſervare*: demum reprehendit ibidem *Numidiae* Epiſcopos, quod a damnato mox *Caeciliano Majorinum* prius conſecrarint, quam Romani Pontificis mentem exploraſſent.

c) De cauſſa ATHANASII nil hic reponit FEBRONIUS, quam de ea a ſe jam actum ſatis eſſe *C.* 5. §. 9. item de cauſſa MARCIANI *Arelatenſis C.* 2. §. 9. uti & CHRYSOSTOMI *C.* 5. §. 9. Quare non aegre feret, ſi & ego nil ipſi hic objiciam, quam, quae locis citatis protulit, ſatis quoque ſuperque ab aliis data opera confutata jam fuiſſe. Ut aliquod tamen ſpecimen praebeam eorum, quae FEBRONIUS nominatis locis protulit, ad textum CYPRIANI, *qui Ep.* 63. *ad* STEPHANUM *Pontificem de* MARCIANO *Arelatenſi* ſcripſit: *dirigantur in provinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem a te literae, quibus abſcindo Marciano alius in locum ejus ſubſtituatur*, inquit, non ea hoc ratione accipiendum, quaſi ſolius STEPHANI *Papae auctoritate Marcianus deſtituendus & alius in ejus locum ſufficiendus Arelate Epiſcopus (nam de ſimili Romani Pontificis jure* ne cogitatum quidem tum fuiſſe ait) *ſed ut promotore* STEPHANO . . . . *Epiſcopi Galliae excitarentur ad ſatisfaciendum ſuo officio adverſus Collegam Schismaticum.* Sane tortuoſam interpretationem! qua ſemel in explicandis textibus admiſſa nil eſt, quod non ad ſenſum facile tuum detorquere queas: convellitur porro exinde, quod teſte eodem S. CYPRIANO Epiſcopi Galliae jam de hac re ad STEPHANUM ſcripſerant; igitur nugas nobis vendit FEBRONIUS; dum vult eos prius a STEPHANO excitandos fuiſſe;

fuiſſe: ſed potius elucet exiſtimaſſe illos, ad *Marcianum* pellendum STEPHANI quoque auctoritatem concurrere debere. Conf. BALLERIN. *in Vindic. C. VIII.* §. 3. *f. m.* 231. ZACCAR. *edit. nov. Tom.* 3. *L.* 3. *C.* 6. *f.* 284.

d) Simili ratione cavillatur FEBRONIUS EUSTHATIUM *Sebaſtenum* auctoritate LIBERII reſtitutum non fuiſſe: cum enim fateri debuiſſet teſte S. BASILIO *Ep.* 74. eum a LIBERIO obtinuiſſe literas *NB. per quas reſtitueretur*, ex genio ſuo adjicit, non tamen per has literas reſtitutum fuiſſe: ſed cum eas exhibuiſſet TYANENSI ſynodo, hanc, cum ex his literis intelligeret eum recte catholiceque ſentire, eundem reſtituiſſe: ita nimirum eſſe debet fingente FEBRONIO, quia ei nequaquam congruit, placetque, *Euſthatium* per ipſas LIBERII literas, ut ait BASILIUS, reſtitutum. Adde, quod cum poſtmodum *Euſthatii* fraudes detectae fuiſſent, quibus ipſum LIBERIUM circumvenit, non tamen auſi fuerint ejusdem Provinciae Epiſcopi eum de ſede ſua dejicere, niſi monito Romano Pontifice, ac rogato, ut illum Canonum ultioni permitteret. Nunquid FEBRONI! Patres iſti antiquiſſimi longe aliter acturi fuerant, ſi partus jam tum tuus lucem aſpexiſſet: ſed nimirum erant Patres *ſec. V.* & Febronium necdum viderant.

e) EUTHERIUM demum *Tyanenſem* & HELLADIUM *Tarſenſem* inquit FEBRONIUS non expetiiſſe Pontificis in cauſſa ſua judicium; ſed negotium hoc tanquam univerſam concernens Eccleſiam ipſi repraeſentaſſe; atque exinde nil inferri ex hoc exemplo pro Pontificis in cauſſis Epiſcoporum jurisdictione. Quaſi vero non potuerint ad conciliandam ſibi eo promptius Pontificis opem cauſſam iſtam licet directe propriam, ita tamen repraeſentare, acſi univerſam quoque Eccleſiam concerneret: ſi FEBRONIUS perſpectum habet jus publicum Imperii noſtri, ſane ſimile quid fieri quotidie in *Recurſibus* ita dictis *ad Comitia* noſſe debet, ubi cauſſa quidem cujusdam Status directe propria eſt, ita tamen ad Comitia refertur, immo ex eo capite iſthuc pertrahitur, eoquod ſimul per conſecutiones inde jam factas aut ſaltem timendas res aliquo modo omnium Statuum, & ſyſtematis totius Imperii agatur. Sane verbis ab ipſo FEBRONIO relatis diſtinguunt *Eutherius* & *Helladius* haec duo: *ut adjuvetis orbem terrarum in illa parte, qua NB. errat, & in illa, qua NB. tyrannidem ſuſtinet;* quibus nil aliud inſinuant, niſi quod non ſolum hic agatur de errore Eccleſiam inficiente, ſed & de injuria & tyrannide, quae exerceatur in Epiſcopos non aſſentientes illi, quem licet falſo praetexebant, errori; opprimi videlicet eos, & ſedibus ſuis ejici, quod ipſi aliique jam experti erant vel adhuc timebant, atque in his illicitis volunt *inquiſitionem fieri a Pontifice, ut remedium ipſe NB. correctione afferat.* Pauca haec ſufficiant ad commonſtrandum clarius quam inania ſint FEBRONII effugia, quamque meliori nunc jure dici queat, ab eo potius ſolidi nihil, nihil veri exemplis iſtis opponi potuiſſe.

§. VII.

De *Cauſſis* ita dictis *Majoribus* in Jure Canonico plura iterum diſplicent FEBRONIO, quae in *Inſtitutionibus meis* de iis ſcripſi. Ante Saec. VII. jam jam De cauſſ Majoribus.

jam in ejusmodi cauſſis ad ſedem Apoſtolicam aditum ſumptum fuiſſe probavi teſtimoniis luculentis INNOC. I. BONIF. I.; ſed ea intelligi vult FEBRONIUS de negotiis ſolum univerſam Eccleſiam concernentibus, non vero de iis, quae poſtea praecipue *Jure Decretalium* nomen cauſſarum majorum ſunt adeptae. * Id vero atque adeo riſu dignum videtur homini, quod dixerim necdum expeditum eſſe, an quae ab aliis hodie ad jura ſecundaria Primatus referuntur, non potius Jure Divino ipſi connexa eſſe dici debeant? item, an ad hoc authentica ratione definiendum ſufficiat argumentum illud, quod primis Eccleſiae Saeculis jus ejuscemodi a Pontifice ſolo exercitum non fuerit, ſed nonniſi poſterioribus: ** cum dubium ſit, an quae primis ſaeculis complicata, ut ita dicam, fuerit Pontificis poteſtas ob peculiares eorum temporum rationes, evoluta dein fuerit, cum S. CHRYSOST. *quoque Hom. 3. in Acta Apoſt.* inquiat de ipſa *electione S. Mathiae* in Apoſtolum: *Quid? an non licebat ipſi* (D. PETRO) *eligere? licebat quam maxime: verum id non fecit, ne cui videretur gratificari.* Textum hunc nonniſi truncatum a me afferri queritur FEBRONIUS, cum S. Pater ab initio Homiliae dicat: *Conſidera, quam Petrus agit omnia ex communi diſcipulorum ſententia, nihil auctoritate ſua, nihil cum imperio: neque ſimpliciter dixit hunc in locum Judae ſufficiemus* . . . . Verbis porro a me relatis ſubjungi: *non ipſe* eos (*Joſeph & Mathiam*) *ſtatuit, ſed omnes. Caeterum ſententiam ipſe protulit, ſed hanc quoque declarans ſuam non eſſe; ſed e ſupernis profectam juxta Prophetiam, itaque recitator fuit, non praeceptor.* ***

EPICRISIS.

* Cum larvis umbrisque pugnat FEBRONIUS, ſi putet me *l. cit.* voluiſſe cauſſas ad unum omnes, quas deinde Decretales noſtrae Majores dixere, tempore INNOC. I. aut BONIFAC. I. nomine iſthoc jam compellatas fuiſſe. Quodſi ſyſtema meum ex integro inſpexit: perſpicue deprehendere potuit, me nequaquam id velle: quare actum agit, dum rem hanc pluribus dilucidare ſatagit. Id tamen perquam falſum eſſe nonniſi eo aevo hoc nomine compellatas unice fuiſſe cauſſas, quae res Fidei concernebant, aut directe negotium ad univerſam Eccleſiam attinens involvebant, ex eo apparet, quod paulo ante de cauſſis Epiſcoporum de ſede ſua dejectorum, aut eadem adhuc exturbandorum contra FEBRONIUM ſtabilivimus: falſum eſſe uberius data opera invicte commonſtrat ZACCARIA *Tom. 2. Diſſ. III. C. 1. Tomo 3. L. 1. a Cap. 2. Seqq.*

** Hoc ſaltem necdum expeditum, necdum videlicet certum dixi, quid quid nunc ſit de mea ipſius ſententia, quia, uti ingenue fateor, eo necdum aut magniloquentiae, aut, ut rectius dicam, impudentiae deveni, ut quae a pluribus viris gravibus, doctis, magni nominis in contrarium defenduntur, FEBRONII cujusdam exemplo tanquam omni omnino ſpecie veri deſtituta, auderem Dictatoris literarii inſtar rejicere. Atque ita, uti exiſtimo ſentire, ita loqui, ita ſcribere virum modeſtum atque ingenuum decet. Comparet velim Lector animo nec-

necdum praejudiciis occupato ea, quae FEBRONIO oppoſuere ejusdem data opera Adverſarii, atque diſpiciat, an modeſtius quidquam dici potuerit, quam id ipſum, quod ego dixi, necdum *expeditum eſſe* inter tanta certamina, an jura, quae a pluribus ad ſecundaria Pontificis referuntur, jure divino Primatui non ſint annexa. Ut autem videas, manibusque inſuper palpes FEBRONI! quam inepte hic rideas, atque ſine cauſſa (proverbium proinde hic locum habens procul dubio noveris) ex ore tuo te judico: Objeciſti mihi, quod jam antea adverti, ſi textus ille celeberrimus: *Tu es Petrus &c.* de una PETRI perſona intelligatur, conſecutionem inde plane neceſſariam de Monarchia Eccleſiae abſoluta evitari non poſſe: jam vero fateris quoque ipſemet, eum textum a Patribus ſaltem pluribus, ſcriptoribusque graviſſimis tum antiquioribus tum recentioribus hac ratione explicari, idque, ut opinor, quivis niſi ſanitate mentis plane deſtitutus fateri debet; igitur ex tua quidem opinione, FEBRONI! quam maxime verum eſt, quod dixi, expeditum eſſe necdum, an jura, quae ſecundaria alii hodie dicunt, inſtitutione divina Primatui non ſint annexa. An nunc ferre aegre poſſes, FEBRONI! quodſi te, quem tam miſere irretitum teneo, meliori jure riſui propinarem?

*** Fruſtra hic textum CHRYSOSTOMI reliquum in ſubſidium vocas, FEBRONI! hic enim, ut quivis vel obiter eum inſpiciens videt, nil affirmat aliud, quam D. PETRUM revera in MATHIA ſufficiendo in locum *Judae* ex aliorum egiſſe ſententia: duos illos, *Mathiam* & *Barſabam* ab eo ſolo ſelectos non fuiſſe: quoad hoc factum *recitatorem* eum egiſſe, non *praeceptorem*. Sed NB. id dein quaerit CHRYSOSTOMUS, an non agere ei aliter, ſi voluiſſet, licuiſſet, atque ad id reſpondet: *licuit* NB. *quam maxime:* verum *id non fecit* ex mente CHRYSOSTOMI, ne *cui videretur gratificari, libere igitur*, ſapienti conſilio, prudenti ſolum Oeconomia. Haec atque adeo tibi non proſunt, FEBRONI! ut denuo confirment quam maxime, expeditum eſſe necdum i. e. extra controverſiam poſitum, an non Pontificis poteſtas primis ſaeculis ex peculiari ſitu temporum, Oeconomia tum neceſſaria, Eccleſiae inſectatione tam fatali, difficiliori inter caput & membra communicatione & quae ſunt alia, complicata fuerit magis, ſaeculis deinde aliis evoluta: atque an ita, ſi jus quoddam ſaeculis prioribus a Conciliis Provincialibus immo & Epiſcopis exercitum fuerit; inde ratiocinio controverſiam omnem liquido definiente inferri queat, igitur Pontifici non fuiſſe poteſtatem etiam jure Divino Primatui annexam, jus ejusmodi mutato rerum ſitu, cauſſisque gravibus ſuadentibus ſibi ſoli reſervandi. Ne vero ex dictis hiſce meis anſam cavillarum ſumas, FEBRONI! id tibi velim probe hic notes, aliud eſſe totoque caelo diverſum, ſiquid a Scriptore quodam tanquam ſententia opinioque ipſi propria aſſumatur: aliud, ſi videat quidquam ab aliis non contemnendi nominis viris in contrarium defendi, id ab eo necdum expeditum, atque extra controverſiam poſitum affirmari. Speciem illico omnem probabilitatis adverſariis ſuis denegare, frontem plane *Febronianam* exigit, quam adeo non effecto, ut FEBRONIO potius libens relinquam.

§. VIII.

De Cardinalibus S. R. E.

Cum de Cardinalibus agerem, occaſione praerogativae ipſis hodie ante Epiſcopos conceſſae dixi, cum ii Praeſules, quorum intererat, eam ratam habuerint, FEBRONIO quoque, ipſe privatus cum ſit, de hac re conticeſcendum fuiſſe. Vel pauca iſthaec adeo pungunt hominem, ut ne hunc quidem locum praetermittere potuerit. Ait itaque per Cardinalium praerogativas obſcurari divinum illud jus & dignitatem Epiſcoporum, quae ipſis in Hierarchia Eccleſiaſtica ex inſtitutione divina debeantur: talia ſervire ad perdendam juſtam ideam *proportionis & relationis*, quae eſt inter Epiſcopos & eorum Primum: inter hos nihil eſſe medium jure divino, nec tale quid forte jure humano introduci debuiſſe: quidquid in Eccleſia abuſum contineat, emendari poſſe.

EPICRISIS.

Si verum fateri velles, FEBRONI! unice te pungit odio Curiae Romanae, quod ipſe inquis nonniſi in ejus favorem introductum. Quas enim hic praetexis cauſſas, facile in te retorquentur ex juribus olim Metropoliticis atque Patriarcharum ſane ampliſſimis intuitu Epiſcoporum: ſi enim haec non plus juſto deprimebant Epiſcopos, ideam proportionis deſtruebant, &c. neque id fiet Cardinalium praerogativis. Ne vero ſit, cur ita queraris, eoquod conticeſcendum tibi tanquam privato hac in re exiſtimarim; aequus ero, atque utrique noſtrum ſilendum puto, & ab dijudicandis, vocandisque ſub cenſuram juribus magnorum Principum pluribus ſaeculis in Eccleſia agnitis abſtinendum.

§. IX.

De exemptionibus Religioſorum.

De Exemptionibus Regularium adduxi in Inſtitutionibus meis teſtimonium celeb. BARTHELII in *Theſibus Subnexis Diſſ. 2. de eo, quod circa libertatem exercitii Religionis ex LL. Imperii juſtum eſt*, ubi vir iſte clariſſimus ſtudio certe partium non abreptus, inquit *eos in Tridentino exemptionibus iſtis limites poſitos fuiſſe, ut plerisque inde earum incommodis occurri poſſit*: ex hoc teſtimonio contra FEBRONIUM ejusque hac in re aſſeclas collegi ex mente BARTHELII ſaltem rem iſtam tanti non eſſe, cur viri iſti lamentis orbem impleant, & tanquam in caſu ultimi diſcriminis ad arma undique clament: haec adducere tum volui, ne praejudicii potius, quam veritatis amore ſcripſiſſe arguerer, quanquam profecto iniquum ſit, tale quid impingi illico cuicunque de hac materia ſcriptori regulari, tanquam qui mere pro domo ſua peroraret, adverſarios autem omnes praejudiciis vacuos haberi. Sed ne hoc quidem moderatum FEBRONIO judicium placuit. Queritur nil ferme Epiſcopo relinqui circa interius domuum Religioſarum regimen, plectenda crimina quandoque graviſſima, curam ſtudiorum, adminiſtrationem bonorum, ſecre-

ſecretas inſinuationes a Superioribus exteris bono Dioeceſis fors non ſatis congruas: negat ſublatis exemptionibus nonnisi inquietorum hominum querelis atria Praeſulum infeſtanda; a duris callidisque Superioribus ſaepe quoque premi ſubditos, viam iis Romanam praecludi, aut proceſſus hac ratione prolixos enaſci, brevi quadam ratione ſine ſcandalo alias ab Ordinariis terminandos; plures Praelatos viciſſim obtare exemptiones ſublatas, dum ſubditi contra eos Romae proceſſus, ingentibus Monaſterii ſumptibus, eliciunt &c.

EPICRISIS.

Multa hic undecunque agglomeras *Febroni*! an tanti ea ſint momenti, ut a moderato harum rerum ſcientiſſimi BARTHELII judicio ſit recedendum, aequi lectoris ſit potius, quam meum hic judicium; haec autem ab eo pacata prius vacuaque affectibus mente expendi velim. An non Epiſcopi ipſimet exemptionibus iſtis diu introductis volentes libentes Ordines exemptos in Dioeceſes ſuas admiſerint, immo perſaepe ſollicite invitarint, eorundem domos plurima ex parte ſubminiſtrando bona reditusque erexerint, aut ſaltem ampliarint, an ii Succeſſoresque plures praejudicium plane *Febronianum* juribus ſuis exinde inferendum timuerint? an poſtquam exemptionibus iſtis in Eccleſia jam receptis ordines plures longe aliam ad normam, nexum inter ſeſe tum provinciarum, tum domuum, tum Religioſorum nulli certo loco adſtrictorum ſint erecti, atque vetuſtiores, exemptiones omnino abolere liceat, quin eo ipſo Ordines ejuscemodi magna ex parte a fundamentis convellantur: an non ſit fortaſſe idipſum FEBRONII ſaltem quoad aliquos, quos data opera ubique perſtringit, atque in invidiam adducere laborat conſilium? an non fortaſſe hic non tam agatur cauſſa Epiſcoporum, quam quorundam tantum privatorum ſub hoc ſcuto dominatum ſuum aut extendere aut exacerbare volentium? an diſciplina regularis in Ordinibus non exemptis efflorescat inſigni quadam ratione magis atque exemptis? an huic proficuum ſit futurum magis obvia & quotidiana prodere perfugia, apud amicos Epiſcopi auctoritatem exercentes, quos tibi haud difficulter comparare liceat? ſcandala illa ſint aut ceſſatura, aut prout fert hominum conditio, eadem aut fors majora futura ſint exemptionibus plane ſublatis? plura hujuscemodi perpendenda potius lectori relinquo, quam hic apponere malim. Id praetermittere non poſſum, quod de ſecretis illis inſinuationibus ad invidiam conflandam comminiſcitur FEBRONIUS. Bonum Dioeceſis genuinum eſt, FEBRONI! quodſi uterque Clerus, junctis his praecipue temporibus Religioni & probis moribus tam inimicis, conſiliis, viribus, ſtudiis, ſtabiliendae Fidei, inculcandae vitae Chriſtiano dignae, juvandis omni ope proximis, reprimendis impiorum conatibus, incumbere allaboret: non vero, uti conſilia tua non obſcure innuunt, ſeminatis per te ſuſpicionibus, inteſtinisque rixis vinculum Chriſtianae charitatis diſſolvatur, arma inimicis ſponte in manus conſignentur, Religio proinde ipſa, Fidesque Catholica magis magisque periclitetur. Nae tu mihi caetera inſignis es, FEBRONI! pro bono Dioeceſium Athleta, qui, uti demonſtrare omnino pronum eſſet, ſi id aut ſcopus modo meus aut conſiderationes aliae permitterent, ea paſſim probas prodisque principia, factaque dilaudas, quibus adop-

tatis Clerum universum, Episcopos, Ecclesiam ipsam immunitate privilegiisque ferme omnibus exui, atque imperio Civili vix non ex integro subdi necesse est, consequiturque.

Conclusio ad Febronium.

Haec pro fine modo meo, & pagellarum harum angustia sunt, FEBRONI! quae regerenda tibi putavi. Nil genio politioris seculi nostri, humanitateque temporum nostrorum, immo vero vel maxime castissimis illis antiquitatis regulis a te ipso invocatis inimicum esse magis nosti, quam dissensum in sentiendi ratione inter cujusque generis homines quotidianum, apud alios acerba, aculeata, immo bile felleque tincta scribendi methodo persequi: si respondere denuo volueris, quippe qui decrevisse jam videris, acie a te minime cedendum; ea velim id ratione facias, ut talis in te moderatio, quae vel maxime *reuniendae* Ecclesiae *praeconem* decet, eluceat: non vero tam tumultuosi undique praecipue in . . . . affectus prorumpant, qui non solum viro probo plane indigni sint, sed & potius id innuant, secretis a te machinis aliud, quam quod palam praefers, intendi, magno illo die orbe universo palam perspiciendum. *

Dum haec typis jam absoluta essent, incidit primum in manus opus recens Caesenae editum 1771. hoc titulo: Anti Febronius vindicatus seu suprema Romani Pontificis potestas adversus JUSTINUM FEBRONIUM ejusque vindicem THEODORUM a PALUDE iterum adserta & confirmata. Pars I. II. Cum multa in hoc opere dicta mea eruditissime illustrent, illud omnino saltem Lectori hic adhuc commendandum putavi.

III.

GEORGII CHRISTOPHORI NELLER

J. U. D. et ad Ss. Theol. Doctoratum admissi, Ss. Canonum Professoris Publ. et Ordin. Inclytae facultatis Juridicae h. t. Decani

HISTORICO-JURIDICAE VINDICIAE

SIVE

APOLOGIA HISTORICO-CANONICA

PRO S. PROVINCIA ROMANA, JOANNEM XII. PAPAM UT APOSTATAM A. 963 REPROBANTE, ET CORAM OTTONE M. IMP., HENRICO I. TREVIRENSI, ALIISQUE GERMANIAE, ET ITALIAE ARCHI- ET EPISCOPIS, LEONEM VIII. CANONICE ELIGENTE.

Augustae Trevirorum 1766.

PRINCIPIA.

I. In Jure publico, *Ecclesiae*, & *Imperii*, docent, probantque *facta publica*, & exempla, donec *authoritate publica*, vel *sensu communi*, reprobentur, velut *non jure facta*.

II. Disputationes *Doctorum* scholasticae in contrarium, dum *facta* quidem ejusmodi fatentur, *jus* vero negant, non attenduntur, quamdiu non resultat ex supradictis alterutrum:

III. Ad hoc raro perveniunt ratiocinia Recentiorum, qui e. g. Sæc. XVI., pribre, aut nostro, primum inceperunt *quaestionem juris* suscitare contra facta *antiquissima*, e. g. Sæculi X. vel XI., ante ipsos non reprobata.

IV. Authoritas recentiorum ejusmodi, ut ut eruditorum, redditur suspecta ex *spiritu nationis*, vel *suae professionis*; item ex *loco*, *ubi scribunt*, ex *fine politico* aulae suae, quem non pauci scribentes a latere suo stantem continuo respicere debent, ne offendant.

V. No-

V. Nominatim *Gallorum* Scriptorum authoritas, dum factis *Imperatorum*, & *Epiſcoporum Imperii*, ad quæ ipſorum Reges & Epiſcopi non concurrerunt, jus adſtitiſſe negant, non debet contra *Germanos*, *Italoſque*, qui S. R. *Imperium* conſtituunt, ſuſcipi ab his, qui ſunt de S. R. Imperio.

VI. Ad hæc contingit, ut author, abſque eo *ſatis multa* prævisis ſua cenſoribus *diſplicentia* ſcribens, nonnulla ſaltem illis *placentia* intermiſceat, ne per omnia exoſum ſe faciat.

VII. Interdum quoque artificioſa diſſertationis ſuæ digeſtione, & ſub ſpecie diſcreti diſputatoris, vel reductoris authoritatum ad rectum ſenſum, vel propoſitæ, non ſatis ſolutæ objectionis, idem præſtat author, ac ſi ſententiam, quam impugnat, tenuiſſet.

APPLICATIO.

I. Propoſita eſt (NB., quod ſemper de noſtris theſibus obſervetur, *diſputationis, & exercitii gratia*) die 25. Mart. a. c. a. Schola juridica hæc theſis: *Et Papam accuſari poſſe, etiam extra caſum deviationis a fide, docet inter alia exemplum Joannis XII. & XXIII. depoſitorum. Nec obſtant Can. 7. diſt. 21. Can. 6. diſt. 40. Can. 14. IX. q. 3.* Oppugnata quoque fuit per tres horæ quadrantes, atque cum omni reverentia S. Sedis, & Eccleſiæ Romanæ, pro hujus gloria, modeſtiſſime defenſa.

II. Non defuerunt malevoli, qui peregre ſcriberent, propoſitam in auditorio juridico, ventilatamque fuiſſe theſin ad *commune ſcandalum* civitatis. Sed falſum eſt, ſcandalum eſſe datum, vel natum; contra *Phariſaicum* nemo eſt tutus.

III. Sed & anti-theſes apparuerunt menſe Majo ex Collegio Ssmæ Trinitatis; quæ fatebantur quidem, Papam *a fide devium* nec non in *caſu ſchiſmatis*, quale erat inter *Benedictum* XIII., *Gregorium* XII., & *Joannem* XXIII. tempore *Conſtantienſis* Concilii, a Concilio deponi poſſe; negabant vero *alium caſum*, nempe *deformitatis morum* &c.

IV. Quid ex his confeſſatis ſequatur, in præſenti colligere extra noſtrum inſtitutum eſt. Exempla noſtra duo, in decurſu antitheſium ſpecifice impugnata, diſcutiemus; & illud quidem *Joannis* XII. nunc, alterum *Joannis* XXIII. alio tempore; ſunt enim *diverſi* caſus, diſtinctius explicandi. *Primus* concernebat directe *Eccleſia Romana, & Imperii Romano Germanici ſalutem in repentino periculo vindicandam*; quin ſe immiſcerent *Eccleſiæ reliquæ*, ſive adjuvando, ſive contradicendo: ſecundus vero caſus directe pertinuit ad Eccleſiam *univerſalem, qua talem.*

V. In

V. In disputatione de facto *Ecclesiæ Romanæ*, congregatæ in Synodo *Ottonis I. Imp.*, & *Episcoporum Imperii* an. 963, non curamus allegatas authoritates Recentiorum, *Cardinalis Baronii*, *Petri de Marca*, *Natalis Alexandri*, *Hyacinthi Graveſonii*, *Pagii*, *du Meſnilii*. Producatur authoritas *non ſuſpecta*, *coæva*, aut *ſuppar*, *nixa authoritate publica*, vel *ſenſu communi Eccleſiæ*, *aut Doctorum ejus temporis*.

VI. Miſſis illis ſcriptoribus, qui vel minoris ſunt authoritatis, vel rem ex profeſſo non diſputarunt; de magno Hiſtoriæ eccleſiaſticæ parente Cardin. *Baronio* ſentimus, illum maximi nomen meriturum fuiſſe, ſi intra eos fines manſiſſet, quos ſibi *velut hiſtorico* præſcripſit *Otto Friſingenſis* Epiſcopus *lib. 6. cap. 3.* in hac ipſa cauſa *Joannis* XII, dum relata breviter hiſtoria ſic ſcribit: *Quæ omnia utrum licite, aut ſecus, acta ſint, dicere præſentis non eſt operis; res enim geſtas ſcribere, non geſtarum rerum rationem reddere, propoſuimus;* ſi, inquam, *Baronius* hic, & in pluribus aliis non diſputaſſet *ſuper jure*, cum jura ex profeſſo non didicerit multo minus JCtus graduatus fuerit. Hiſtoricus, qui ſuper *alio*, *quam facto*, diſputat, evadit *advocatus*, aut *ſectator partium*. Videbimus autem, quam male propriæ ſuæ Eccleſiæ Romanæ in diſputatione hac proſpexerit Cæſar Baronius.

VII. De *Natali Alexandro* autem ſentimus, quod ipſe in hac diſſertatione, *ſub ſpecie refutandæ Synodi Romanæ*, dixerit, quæ ſuo tempore *absque præſtrato facto* dicere non fuiſſet auſus, ob nimias, quas prævidit, contradictiones æmulorum.

VIII. Ecce enim, a.) allegavit *antiquos* Scriptores, qui factum illud *approbarunt*, nullum allegans *reprobantem*, & *Ottonem* Friſingenſem, qui Sæc. XII. ſcripſit, nominatim laudans, tanquam *prudenter* hic abſtrahentem *a quæſtione juris*, aliis vero, qui juſte factum ſuppoſuere, *probationis defectum* objiciens, & *adulationem*. Arma pro nobis, infirma exarmatio, authoritas alleganti parum patrocinans.

b) Cum inveniſſet, *Ottoni Friſingenſi* durum eſſe viſum, fidem accommodare his, quæ de reprehenſibili vita *Joannis* XII narrabantur, *Natalis*, quaſi diſputator æquus, ſubjungit: *Nos vero in dubium minime revocamus, quin Joannes* XII. *fuerit nequiſſimus Pontifex.* Fecit eo ipſo difficillimam probationem harum aſſertionum: *Eccleſia Romana contra jus peccavit, dum loco nequiſſimi alium conſtituit Pontificem: Otto magnus contra jus peccavit, dum Leonem VIII. pro vero Papa agnovit, atque defendit: Archi- & Epiſcopi Germaniæ, Lotharingiæ, Italiæ, contra jus peccarunt, dum, rejecto Joanne, Leoni obediverunt, nec Romanam Eccleſiam monentes, nec Imperatorem exhor-*

) Ait idem Natalis: *non eo tamen inficias, quin Joannes XII. contra canones* GRAVITER PECCARIT, CUM RECUSAVIT ADESSE SYNODO; *etsi enim sententia in Romanum Pontificem ferri non debeat, nisi in causa hæreseos, aut schismatis, idque non a Synodo nationali, sed œcumenica . . . . ; ab Episcopis tamen, in Synodo* QUACUNQUE, *cum ejus assensu congregatis,* MONERI, & ARGUI, *reservata debita reverentia, potest,* ILLISQUE SATISFACERE TENETUR, *a se male conceptam criminis suspicionem* AMOLIENDO, *aut, si facti reus teneatur,* IN MELIOREM FRUGEM SE RECIPIENDO. Hanc esse regulam dictantis juris naturalis, subdit, probat exemplis, & authoritate B. *Petri Damiani.* An Exim. P. Theologus tria hæc: *moneri, argui, satisfacere,* etiam sentit ab authoritate *Natalis Alexandri?* Ad authoritatem hujus provocavit, authoritatem sequatur. Miremur, si moderni Jesuitæ ita ament *Natalem,* cujus libros persecuti sunt, promovendo ipsos in indicem Romanum prohibitorum, a quo nonnisi post multos annos authoritate *Benedicti* XIII. Dominicani extracti sunt. Et licet *Natalis.*

) Ibi addiderit conditionem: *si Episcopi cum assensu Papæ congregentur;* tamen postea ab hac apposita conditione recessit; sic enim in *Scholio* I. ad animadversiones Jesuiticas: *loquor de Synodo Italiæ,* QUALIS CONGREGARI POTUIT *in causa Joannis XII.,* GRAVISSIMORUM GRIMINUM ACCUSATI, *& de ipso Joanne XII.; comparere autem debere Pontificem sic accusatum, aut reum, in* SIMILI *Synodo, non, ut judicetur, sed,* UT VEL CANONICE SE PURGET, VEL MONITUS AB EPISCOPIS EMENDATIONEM SPONDEAT, *recte asseruisse mihi videor.* Fuit ista Synodus *absque consensu Joannis* congregata. Quamvis autem

) *Natalis* in hoc Scholio rursus limitet: *non, ut judicetur,* tamen allegavit tres magnos viros Ven. Ordinis sui, nempe S. *Dominici,* qui plus dixerant, quam ipse, *protestans,* quod eorum dicta revocari debeant *ad illum suum sensum* limitantem, aut *si quid aliud* TRIA ILLA ORDINIS LUMINA *voluerint,* se cum ipsis non sentire. *Sunt hi Joannes de Turre cremata* Cardin., *Sylvester Prieras,* sacri palatii Magister, *Franciscus Victoria,* Parisiensis, & Salmanticensis Theologus: primi authoritatem munivit authoritate Cardinalium *Clementis Moniliani,* & *Michaëlis,* postea S. *Pii* V. Horum trium authorum propositionem dixit esse illam, quam notaverant Jesuitæ: *contra Papam potest congregari Concilium, ipso renuente, propter ejus excessus.* Docuit *per os aliorum,* summæ authoritatis virorum, quod *suo ore docere* non est ausus, per curialitatem in *Scholio II.* subdens: *horum verba descripsi, ab illis tamen me dissentire præmonui, si quid aliud velint, præter id, quod a me dictum est: quam ob rem, si durius locuti videntur,*

tur, id mihi tribui non debet. Manifeſtum eſt autem, quod iſti tres magni viri docuerint plus, & aliud voluerint, nam 1.) progrediuntur *ultra caſum hæreſeos, & ſchiſmatis*, nempe *ſi Papa ſuis moribus deſtruat Eccleſiam Dei, ſi ejus injuſtæ diſpenſationes, vel alia mandata inſolentia in perniciem Eccleſiæ procedant, ſi ipſe pontificatum ſuum, aut ſpretis Ss. Patrum regulis pro voluntate exerceat, aut ſimoniaca pravitate dehoneſtet, aut ſæculi vanitate, & vita ſcandaloſa confundat.* 2.) Quod *contra ejus voluntatem* poſſit convocari, & congregari concilium. 3) Non ſolum *ad monendum* Papam, ſed etiam *ad refrænandum exorbitantias* ejus, *ut ei reſiſtatur, obvietur, & reſiſtendo malis remedium apponatur.* 4.) Ad *judicium ſubeundum* Concilii, *ſi cor ejus pravis cogitationibus ſic induretur, ut in ſe patiatur culpandus fieri.* 5.) Demum exemplo noſtro iſta probavit Cardinalis de Turre cremata: *Hujus cauſa congregatum legitur Concilium Epiſcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem* CONTRA JOANNEM PAPAM XII., *qui venator, & lubricus publicus, &* INCORRIGIBILIS *erat.* Has, & veterum authoritates graviſſimas dum *Natalis Alexander* ipſemet theſi noſtræ ſubminiſtravit, ipſius authoritas nobis nihil nocet.

IX. Argumenta vero ipſa quod attinet, procul adhuc abſunt illa a jactata *rationum certitudine*, quæ requiritur, ut *anti theſeos petitorium* contra hujus *facti poſſeſſorium*, tot per ſæcula *neque publice*, neque *privatim*, contradictum, evertat. Audiamus prius *Caſum.*

X. f. 1. *Joannes* XII., Clericus Romanus, *Octavianus* nomine, præpotentis Patricii *Alberici* filius, poſt obitum Patris, primum ei ſucceſſit in *principatu Urbis temporali*, poſtea, mortuo *Agapito*, an. 954. nactus eſt *Papatum*, adoleſcens vix habens 18. annos, libidinibus jam clarus, præcipitata intra 5. dies electione, ordinatione. *Platina* vocat hominem, *ab adoleſcentia omnibus probris, ac turpitudine contaminatum.* Daniel *Papebrochius* S. J. in conatu chronico-hiſtorico de RR. PP. *præcipitantiam* credit. *Natalis Alexander* H. E. Tom. VI. Cap. 1. art. 21. culpat eum *ab invaſione Sedis Apoſtolicæ*, quod vitium ſanat accedente Eccleſiæ conſenſu.

2. *Berengarius*, marchio Eporædienſis, affectans Italiæ regnum, jam inde ab an. 950. turbavit bellis ac rebellionibus Italiam cum filio ſuo *Adelberto*: anno vero 960. *Romanam* quoque *Eccleſiam* præter alias Italicas ita vexavit, ut *Joannes* Papa mitteret *Apoſtolicæ Sedis nomine* legatos *ad Ottonem I., tam de tyrannide Berengarii querimoniam facientes, quam ipſum ad defenſionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac totius Italiæ invitantes.* Luitprandinus contin. lib. 6. cap. 6. Otto Friſingenſis. lib. 6. Cap. 21. Ditmarus lib. 2. pag. 352.

3. *Otto*

3. *Otto* Rex movit exercitum in Italiam, fugavit *Berengarium*, an. 962. ingreditur Romam, a *Joanne* Papa, totoque populo, amice ſuſcipitur, cum *Adelheide* conjuge 2. Febr. Imperator ab Apoſtolico coronatur, & Romanæ Eccleſiæ fit Advocatus. *Authores cit.*, & *alii.*

4. Tunc & *Joannes* Papa, & omnes urbis proceres, ad corpus S. Petri jurejurando promiſerunt *Ottoni* Imp., *ſe nunquam ab eo defecturos, nunquam Berengario, atque Adelberto auxiliaturos.* Luitprandus, Annaliſta Saxo ad an. 962.

5. Vix autem Roma diſceſſerat *Otto*, cum mentem *Joannes* mutans defecit ab Imperatore ad *Adelbertum*, Eccleſiarum Dei perſecutorem profugum, huc illuc errantem, atque adeo *Saracenorum* fidei ſe commendantem, legatos ad eum mittit, ut veniat Romam, *jurans* ei, ſe illum *contra Imperatoris potentiam* eſſe adjuturum, ſicut reipſa eundem ultimato Romæ recepit, *Ottonem* per ſimulationem fidei, & promiſſionem melioris frugis non parum prius deludens. Continuatores *Luitprandi*, & *Reginonis.* Oratio *Ottonis* in Synodo.

6. *Otto* itaque cum exercitu Romam venit, receptus brevi ab urbe: *Joannes* autem, ſtatim, ut de Imperatoris adventu audivit, fugit inde trans Tiberim cum *Adelberto*, paulo poſt in Campaniam Romanam, ibique in ſylvis & montibus more beſtiæ cum ſuo *Adelberto* latuit. *Petrus Bibliothec.* apud *Papebrochium* in Conatu chronico-Hiſtor. *Sigebertus* ad an. 963.

7. Tunc omnes Romani *uno conſenſu, unaque voluntate*, clerici, atque laici, rogaverunt Imperatorem, ut ſanctæ matri Eccleſiæ dignum Pontificem, & pium Rectorem tribueret. *Petr. bibliothec.*

8. Poſt triduum indixit Imperator Concilium, rogantibus tam Romanis Epiſcopis, quam plebe: conſederunt cum *Ottone*, præter legatum Patriarchæ Aquileenſis, in urbe præſentis, ſed morbo impediti, Cardinales Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aliique magno numero Clerici Romanæ Eccleſiæ; Archi- & Epiſcopi reliquæ Italiæ, Saxoniæ, Franciæ, nec non Primates Romanæ civitatis. *Contin. Luitprandi* in act. Concil. apud *Harduin.* Tom. VI. pag. 617. Contin. *Reginonis* ad an. 963.

9. Tunc ſciſcitanti *Ottoni*, cur *Joannes* tantum declinaverit cœtum, reſponderunt Cardinales Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi cum univerſa plebe Romana, cauſam nequidem diſſiros populos latere, *Joannem* quippe *ita aperte diabolica pertractare negotia, ut nihil circuitionis utatur.* Reſpondit Imperator: *Juſtum nobis videtur, ut accuſationes nominatim exprimantur,*

deinde, quod agendum eſt, communi conſilio peragetur. Acta Concil. Luitprandina.

10. Recitatis palam, ac ſpecifice criminibus per quosdam de *Eccleſia Romana*, præcipiente Imperatore *Luitprandus*, de quo ſæpe, Cremonenſis Epiſcopus, obteſtatus eſt cunctos vehementi ſermone, *ut nulla in Dominum Papam jaculentur convicia, quæ non ſint ab ipſo patrata, atque a viris probatiſſimis viſa.* Tunc Epiſcopi, Diaconi, Clerus, & cunctus Romanorum populus, *quaſi vir unus* anathemati, atque damnationi æternæ ſe devoverunt, *ſi non, & quæ per Benedictum Diaconum lecta ſunt, hisque turpiora, & ampliora, Joannes Papa indigna commiſerit facinora.* Ibid.

11. Concluſum eſt, ut Papæ mitterentur reverentiales literæ, adveniat, ſeque purget: inſcriptio earum erat: *Summo Pontifici & univerſali, Domino Joanni, Otto divina reſpectu clementia Imperator Auguſtus cum Archi-Epiſcopis Liguria, Tuſcia, Saxonia, Francia, in Domino ſalutem.* Crimina in iisdem his nominibus exprimuntur: *Noveritis itaque, non a paucis, ſed ab omnibus, tam veſtri, quam alterius ordinis, vos homicidii, perjurii, ſacrilegii, & ex propria cognatione, atque ex duabus ſororibus inceſti crimine eſſe accuſatos: dicunt & aliud, auditu ipſo horridum, diaboli vos in amorem vinum bibiſſe, in ludo aleæ Jovis, Veneris, cæterorumque dæmonum auxilium popoſciſſe.* Concluſio erat: *Oramus itaque Paternitatem veſtram obnixe, venire, atque ex his vos omnibus purgare non diſſimuletis.* VIII. Id. Nov. *Ibid.*

12. Reſpondit hoc ſolum Joannes: *Nos audivimus dicere, quod vos vultis alium Papam facere. Si hæc feceritis, excommunico vos de Deo omnipotenti, ut non habeatis licentiam nullum ordinare, & Miſſam celebrare.* Ibid.

13. Habita eſt deſuper altera Seſſio, cui, præter prædictos, interfuit ex Lotharingia *Henricus* I. Trevirorum Archiep., vir nobilitate ſanguinis, eruditione, zeloque diſciplinæ eccleſiaſticæ præclarus, & quidam noviter ab Æmilia, & Liguria advenæ Epiſcopi. Horum conſilio altera epiſtola ad eum X. Kal. Dec. dirigebatur hac inſcriptione: *Summo Pontifici, & univerſali Papæ, Domino Joanni, Otto divina reſpectu clementia Imperator Auguſtus, ſed & ſancta Synodus, Romæ ob ſervitium Dei congregata, in Domino ſalutem.* Reſpondent, *ſe ab ipſo, non quales tēporis qualitas, ſed inconſultorum vanitas expoſcit hominum, literas accepiſſe; non veniendi ad Synodum rationabilem eſſe excuſationem debuiſſe, ſed & oportuiſſe nuncios mittere, qui ſatisfacerent, quod ægritudinis, neceſſitatisve cauſa Synodum declinaverit.* Pergunt poſt alia: *ſi ad Synodum venire, & objecta purgare non differtis, authoritati veſtræ procul dubio obediemus. Sed, ſi, quod abſit, venire, & objecta vobis capitalia crimina purgare diſſimulatis, cum præſertim vos*

nihil

nihil impediat, non maris navigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo, tunc excommunicationem veſtram parvi pendemus, eam potius in vos retorquebimus, quoniam quidem juſte facere poſſumus. Ibid. Addiderunt paritatem de *Juda*, in qua error fidei eſſe prætenditur ab Anti theſiſta poſt *Natalem*. Vid. autem infra §. XXXI.

14. Epiſtola hæc non pervenit ad *Joannem*; utpote qui jam a Tiberi receſſerat, pharetratus in campeſtria abiens, nec quisquam erat, qui ubi ipſe eſſet, indicare poſſet. Duo itaque Cardinales, literas ferre juſſi, cum usque ad Tiberim iviſſent, reportarunt illam ad Synodum. *Ibid.*

15. Tertio igitur congregata eſt Synodus, in qua Imperator præfatus eſt, *ſe certo ſcire, non aſſuturum Joannem*, velle igitur notum facere, quod hactenus usque ad ejus præſentiam diſtulerat, quam perfide ſecum egerit Papa: *idem*, inquit, *Joannes Papa, oppreſſus a Berengario, atque Adelberto, rebellibus noſtris, miſit in Saxoniam nuntios, rogans, ut pro amore Dei in Italiam veniremus, & Eccleſiam S. Petri, & ſe ipſum, ex faucibus eorum liberaremus. Nos vero, Deo adjuvante, quantum fecerimus, non eſt neceſſe dicere, ut in præſentiarum videtis. Ereptus vero mea opera ex eorum manibus, & honori debito reſtitutus, oblitus juramenti, & fidelitatis, quam mihi ſuprà corpus S. Petri promiſit, eundem Adelbertum Romam venire fecit, & contra me defendit, ſeditiones fecit, & videntibus noſtris militibus, dux belli factus, lorica, & galea eſt indutus. Quid ſuper hoc ſancta Synodus decernat, edicat.* Ibid.

16. Ad hæc Romani Pontifices, *Suffraganei ſcilicet Epiſcopi Provinciæ Romanæ*, reliquusque Clerus, & cunctus populus dixerunt: *inauditum vulnus inaudito eſt cauterio exurendum: ſi corruptis moribus ſibi ſoli, & non cunctis obeſſet, quoquo modo tolerandus eſſet.. Petimus itaque magnitudinem Imperii veſtri,* MONSTRUM ILLUD, *nulla virtute redemptum a vitiis, a Sancta Romana Eccleſia pelli, aliumque loco ejus conſtitui, qui nobis exemplo bonæ converſationis præeſſe valeat, & prodeſſe ſibi, recte vivat, & bene vivendi nobis exemplum præbeat.* Ibid.

17. Imperator: *Placet, quod dicitis, nihilque gratius nobis, quam ut talis, qui huic Sanctæ, & univerſali Sedi præponatur, inveniri poſſit.* Ibid.

18. His dictis, omnes una voce dixerunt: *Leonem, venerabilem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ protoſcriniarium, virum approbatum, ad Summum Sacerdotii gradum nobis in paſtorem eligimus, ut ſit Summus & univerſalis Papa Romanæ Eccleſiæ,* REPROBATO *ob mores improbos Joanne* APOSTATA. Ibid.

19. Cum hoc omnes *tertio* dixiſſent, annuente Imperatore, nominatum *Leonem* ad

ad Lateranenſe palatium ſecundum conſuetudinem cum Cardinalibus duxerunt. *Ibid.* Qui poſtea *a Secone* Epiſcopo Oſtienſi 6. Decembr. ordinatus eſt, cum electionis tempore nondum eſſet clericus. In hac Synodo *Provincia Romana* numeravit Cardinales Epiſcopos, ſive Suffraganeos 6. Cardinales Presbyteros 13., Cardinales Diaconos. 3. præter Abbates, & reliquos inferiores. Adſtiterunt *extra-provinciales*, Patriarcha unus per legatum, Archiepiſcopi 3., Epiſcopi 34., qui omnes denuo interfuerunt Synodo alteri, *Leonem* VIII. reſtituenti.

20. *Ottone* Cæſare Roma ad bellum Berengarianum profecto, redux venit in Urbem *Joannes* XII. poſt duos menſes, agentibus, ut inquit *Natalis Alexander*, mulieribus, quas ſibi devinxerat; *Leo* VIII., prius ægre ac nudus cum paucis dilapſus, ad caſtra *Ottonis*, perrexit in partibus Spoleti conſiſtentia; *Otto* ſtatim ſe accinxit repedationi in Urbem. *Petrus Bibliothecar.*

21. Interea *Joannes* XII., multa cæde primorum in urbe debacchatus, præſertim fœda mutilatione *Joannis* Cardinalis Diaconi, & *Azonis* protoſcriniarii, nec non comprehenſione, & flagellatione *Otgeri* Spirenſis Epiſcopi, celebravit 25. Febr. an. 964 Concilium, in quo conqueſtus eſt Patribus, *ſe per duos menſes vi imperiali a propria Sede expulſum eſſe*: damnabatur Synodus *Ottonis*, *tanquam proſtibulum favens adultero*, *invaſori ſcilicet alienæ Sponſæ*, *nempe Leoni intruſo*: damnabatur ipſe *Leo*, ut curialis, neophytus, perjurus, atque invaſor, & deponebatur ab omni ordine clericali, prout quoque *Sico* Oſtienſis, conſecrator ejus; *Benedictus* Portuenſis, & *Gregorius* Albanenſis, debebant in manibus tenere ſchedulam: *Ego vivente patre meo conſecravi in loco ejus Leonem curialem*, *& neophytum*, *atque perjurum illius contra ſtatuta ſanctorum Patrum.* Ordinati vero per *Leonem* intromiſſi in veſtibus ordinum ſuorum, his exuti ſunt, atque in priſtinum gradum revocati, juſſo in chartula unoquoque ſcribere: *pater meus nihil ſibi habuit*, *nihil mihi dedit.* Anathema dictum his, qui poſthac conſilium, vel adjutorium dederint *Leoni* ad percipiendum eccleſiaſticum honorem. *Harduin.* Tom. VI. pag. 633. In hac Synodo *Romana Provincia* numeravit Cardinales Epiſcopos 3., qui juverunt deſtituere *Joannem*, Cardinales Presbyteros 12., ex quibus 10. ſimiliter juverant, Cardinales Diaconos 3., ex quibus duo juverant. Epiſcopi *extra provinciales* fuere 14, ex quibus 8. adſtiterant depoſitioni.

22. *Obiit* autem *Joannes* ante *Ottonis* adventum 14 Maji an. 964. Scribunt, eum ſœdis amoribus cum maritata indulgentem noctu percuſſum eſſe in temporibus, ignota manu, indeque mortuum (ſive ſtatim, ſive poſt octo dies, non

non moramur) ſine viatico dominico. Contin. *Luitprandi. Sigebertus. Platina.*

23. Romani, non curantes juramentum *Leoni* VIII. præſtitum, neque illud, quod fecerant *Ottoni* Imp. (hoc *imprudenter* ac *temere* factum dicit Natalis) *nunquam ſe Papam electuros, aut ordinaturos præter conſenſum, atque electionem Ottonis Cæſaris Auguſti, filiique ipſius Regis Ottonis*, paucos poſt dies elegerunt in Papam *Benedictum* V., Eccleſiæ Romanæ Diaconum, miſſis Nunciis ad Imperatorem, ut annueret, quibus autem dixit Imperator: *quando dimiſero enſem meum, tunc dimittam, ut Dominum Leonem Papam in Cathedra S. Petri non reſtituam.* Hoc inattento Romani fecerunt ordinari ſibi *Benedictum:* quo facto attraxerunt ſibi indignationem *Ottonis*, ac duram urbis obſidionem, cui propediem ſuccumbentes *Ottonem*, & *Leonem* admiſerunt, dedito *Benedicto.* Petrus Bibliothec. Contin. Reginonis. Sigebertus.

24. Celebrata tunc eſt Synodus coram *Ottone*, a *Leone* VIII. & Epiſcopis Romanis, Italicis, ex Lotharingia & Germania Archiepiſcopis: objurgatus a *Benedicto* Cardinale Archidiacono *Benedictus* V., cur vivo *Leone*, quem ipſemet, accuſato, & reprobato *Joanne*, coelegerat, uſurpaſſet pontificatum, peccans in juramentum, quod communiter præſtiterat cum Romanis *Ottoni*, & filio ejus. *Benedictus*, ut erat bonæ mentis, procidens confitebatur, *ſe peccaſſe, ſeque Sanctæ Romanæ Sedis invaſorem eſſe*, pallium ſibi abſtulit, ferulamque pontificalem Leoni tradidit: hic redegit eum in ordinem Diaconorum, deſtinando in exilium, quod habuit *Hamburgi*, cuſtode *Adaldago* Archiep. *Harduinus* ex *Luitprando* Tom. VI. pag. 638. *Adam. Bremens.* lib. 3. cap. 6.

25. *Leo* VIII. moritur an. 965. initio April. Romani poſcebant a Cæſare *Benedictum* V. reſtitui, jamque hoc decreviſſe fertur *Otto*, teſte *Adamo Bremenſi:* verum & iſte obiit Hamburgi in exilio ſuo 5. Jul. ejusdem anni. Romani ergo prævia legatione ad *Ottonem*, & hujus ad Romanos, elegerunt *Joannem* XIII. Contin. *Reginonis* ad an. 965. Hic a *Papebrochio* ſcribitur coronatus 1. Octobr.

XI. Atque hæc eſt hiſtoria facti, ad quam obſervamus, 1) acta ipſamet duarum Romanarum Synodorum pro *Leone* VIII. non haberi, ſed quæ loco eorum inſeruit Tomo ſuo VI. *Harduinus*, ex hiſtoria *Luitprandi* eſſe. 2.) Non eſſe accedendum *Launojo*, qui in dubium vocare voluit acta Concilii Romani pro *Joanne* XII., ut recte ſenſit *Natalis.* Jam ad *Jus in petitorio* nobis oppoſito.

XII. Argumenta impugnantium depulſionem *Joannis* XII. & *Benedicti* V. vel

deſumuntur *a defecta poteſtatis*, vel a *nullitate proceſſus*, contra *Joannem* XII. formati.

XIII. Priusquam *de poteſtate* loquamur, quærendum *quis* ergo *Joannem* XII. *exauctoraverit?* Rdet Anti-theſiſta cum & ex *Natali* ſuo: *Synodum moderabatur Imperator, ipſe actor, teſtis, & judex.* Non negabit jus Imperatori ſuo, *tales indicendi, & moderandi Synodos* cum aſſiſtentia Epiſcoporum ſui Imperii: *Judicem* fuiſſe, vel *exauctoratorem*, negatur: dedit ſuum imperiale *placet* ad aliorum judicium. Sed neque *Actor* fuit, ipſe enim non protulit in medium ſcelera *Joannis*, niſi, quod pro muneris ſui ratione, poſt denunciata ſibi plurima, ipſe ultimo Patribus narraverit perfidiam *Joannis* erga ſe, *Imperium*, & *Eccleſiam Romanam*, adhærentis rebellibus, ac declaratis hoſtibus utriusque, *Berengario*, & *Adalberto*, hunc adeo intromittentis in urbem, utriusque caput. Denique nec *Teſtis* fuit; quanquam potuiſſet atteſtari filiales admonitiones, quas patri fecerat in vanum, ficte emendationem pollicitato. Ad unicum articulum, dum Clerus, populusque Romanus in prima Seſſione dixerat: *Quodſi fidem non adhibetis, exercitui Domini Imperatoris ſaltem debetis credere, cui ante quinque dies enſe accinctus, clypeo, galea, lorica indutus occurrit: ſolus Tiberis, qui interfluxit, ne ſic ornatus ab exercitu caperetur, impedivit,* reſpondit Imperator: *tot ſunt hujus rei teſtes, quot ſunt noſtro in exercitu bellatores*: hoc non eſt teſtem agere, ſed teſtes laudare.

XIV. An *Synodus* Epiſcoporum *Lotharingiæ, Saxoniæ, Franciæ, Germaniæ, Italiæ extra provinciam Romanam ſitæ*, Joannem *exauthoravit?* Hoc contra ſpeciem caſus ſuppoſuit Natalis-Alexandriſta; & ideo contra umbras pugnavit hoc *vago* argumento: *Synodus particularis fuit: ergo jure non potuit deponere Papam.*

XV. Quis igitur? *Sancta Romana Eccleſia* coram ſuo Advocato nato, & *extraneis* aliarum Eccleſiarum de utroque regno, Germaniæ, Italiæque, *Archi- & Epiſcopis* Per Romanam Eccleſiam intelligimus *Provinciam Romanam, qua talem*, conſtantem ex Epiſcopis Papæ Suffraganeis, Cardinalibus Presbyteris, Diaconis &c. Hæc Papam, & Metropolitam ſuum patriarchalem exauctoravit ſola. Poſtulante enim *Ottone* Imp., *quid ſuper hoc ſancta Synodus decernat*, nullum verbum reſpondit *Henricus* Trevirenſis, *Adaldagus* Hamburgenſis, *Walbertus* Mediolanenſis, Archiepiſcopi, neque legatus *Angelfridi*, Patriarchæ *Aquileenſis*, neque ullus Epiſcopus Æmiliæ, Liguriæ &c. Sed ſola Eccleſia Romana eſt locuta, ſola reprobavit *Joannem* velut *improbum*, & *apoſtatam, nulla opera emendabilem, cunctis nocivum*; petiit ab Advocato ſuo, eundem a Sancta Romana Eccleſia *pelli*, quod

quod *ad executionem* pertinet, aliumque ſuffici: ipſa vero ſola elegit *Leonem*, aſſenſum more illius temporis præbente Imperatore, communionem dantibus electo Archi- & Epiſcopis Imperii: ipſa ſola inthroniſavit electum, conſecravit. Hoc Eccleſiæ Romanæ factum nullus extraneorum Archi- & Epiſcoporum, nullus contemporaneorum Scriptorum improbavit: hoc pro exemplo deponibilitatis ob perverſos mores, & actus adduxit *Cardin. de Turrecremata* cum prælaudatis 3. ſequacibus. Synodum *Joannis* contrariam Eccleſia non curavit, *Leo VIII.* reſtitutus fuit, actus pontificalis ordinis exercuit, prout ante fugam, in pace mortuus: *Ottonem* Imp., unicum ex hominibus tunc Romanæ Eccleſiæ ſoterem, & vel ideo *magni* agnomen promeritum, nemo ſomniavit anathemate ligatum, abſolvere vel pro cautela cogitavit nemo. Sero nimis *Du Meſnil*, Jeſuita Gallus, *excommunicationi obnoxios factos* quadraginta Epiſcopos, & ſatis quidem temere, declaravit ex pulpito ſuo.

XVI. Si eſt trita in jure regula, *actum magis conſervandum eſſe, ut valeat, quam ut nullus fuiſſe dicatur*, quanto magis actus tam ſolennis *Romanæ Eccleſiæ*, geſtus coram Imperatore religioſiſſimo, cum Epiſcopis Regni utriusque, *ob Dei ſervitium* Romæ congregatis, pro adjutorio Eccleſiæ Romanæ, extremum oppreſſæ, & periclitatæ? Præſertim, cum opinio, quæ poteſtatem hanc Eccleſiæ Romanæ diſputaret, *Papam ut ſibi perniciosum reprobet*, nihil plane utilitatis conferat in Eccleſiam Dei, ejusque religionem, & conſervationem.

XVII. Ut mox datæ regulæ ſatisfiat, *commoda* ineunda eſt *via*, explicandumque potius, *qui actus ille valere potuerit*, quam rigide dicendum: *jure non valuit.* Nec eſt *præconceptis theſibus* inhærendum, ex quibus facti ejusmodi nullitas, velut corollarium ex principiis, fluere contendatur: imo vero *factum tam illuſtre* corriget *præconceptas theſes.* Hinc *petitorium* Antitheſiſtæ non fit clarum per hoc principium: *Papa non poteſt deponi, niſi* IN DUOBUS CASIBUS, *hæreſeos, & ſchiſmatis plurium inter ſe de Papatu contendentium*, quia *tertium* caſum, quem *deformitatem vitæ* vocamus, addiderunt plures, & nominatim *Julianus Cardinalis*, Legatus *Eugenii IV.* ad Concilium *Baſileenſe*, vir ſanctus, devotus Papæ, nullatenus ſuſpectus, in ſua ad *Eugenium* epiſtola: *ſicut in hæreſi, ſic in aliis duobus caſibus; iſti enim tres parificati ſunt per Concilium Conſtantienſe*, quod & *facto approbavit hanc ſententiam; quia propter ſchiſma privavit Petrum de Luna*, & NB. propter deformitatem vitæ *privavit Joannem XXIII.* Utrum decreta illa *Seſſ. 4. & 5.* Concilii Conſtant. ſint *œcumenica*, nec ne, hic nihil refert, ſenſum tamen tot Prælatorum Eccleſiæ, quibus adhæſerunt *Baſileenſes*, acceptantibus Germanis, & Gallis, manifeſtant *de tribus caſibus*,

ſibus, petitoriique certitudinem Anti-theſiſtæ auferunt præponderante authoritate. Compara crimina *Joannis XXIII.* relata in ſententia depoſitionis cum criminibus *Joannis XII.*, & videbis, hunc *multo magis deponibilem* fuiſſe.

XVIII. Obmotum ex Concilio *Romano* ſub *Hadriano II.* de an. 869. non eſt dictum, multo minus definitio *Patrum*, ſicut *Natalem* exſcripſit Anti-theſiſta, ſed ex *allocutione* Papæ *Hadriani* ad Patres, quam veneramur ut veriſſimam contra *Photium*, *extraneum*, auſum cum ſuo conciliabulo ſententiam ferre in *Nicolaum I.*; utique enim *ſolus hæreſeos caſus* licitum facit *minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtere:* Aſt, in quo Concilio dicitur, quod *Eccleſiæ Romanæ non liceat, ob deformitatem morum alicujus Papæ*, non quidem *hæretici*, vel *dubii*, attamen *nequiſſimi*, *monſtroſi*, *tamque pernicioſi*, *ut ſtatum ſpiritualem*, *& temporalem ſuæ Sponſæ ſusque deque vertere conetur*, *ad hæc incorrigibilis*, *eundem exauctorare*, *ſive in Synodo generali*, *ſive in particulari ſua*, maxime, *ſi propter periculum in mora*, *aut difficultatem temporis*, *generale Concilium congregari nequeat?* Contra hanc poteſtatem neceſſe eſt *ſpecificum Canonem*, qui eam prohibeat, afferre: alias factum ſtabit, prout diu ſtetit inconcuſſum, donec venerint RR. illud improbantes, ni canonem, & exceptionem protulerint, manebit hoc argumentum: *Omnis Eccleſiæ remedia juris habet adverſus Paſtorem ſuum*, *non ſolum hæreticum*, *vel dubium*, *ſed etiam alias incorrigibilem: ergo & Romana.*

XIX. Ad dictum *Hadriani* II. pertinet obmotum alterum ex *Can. 21.* Concilii *Conſtantinop.* IV., qui manifeſte conditus eſt propter *Photium* Conſtantinop. intruſum, tueturque *omnes Patriarchas*, præcipue vero *Romanum*, contra temeritates, irreverentias, criminum diffamationes, depulſiones per ſæcularem potentiam: in fine ait: *Porro*, *ſi Synodus univerſalis fuerit congregata*, *& facta fuerit etiam de ſancta Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas*, *& controverſia*, *oportet venerabiliter*, *& cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari*, *& ſolutionem accipere*, *aut profectum facere*, *non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices.* Ratiocinium Anti-theſiſtæ, ex hoc canone formatum, ad caſum *Joannis* XII., & *Romanæ Eccleſiæ*, ineptum eſt; non enim canon iſte præſcribit legem *univerſali Synodo*, vel *particulari* Romanæ, ſed his, qui controverſiam facere vellent contra Romanam Eccleſiam, vel ejus Pontificem *in Synodo generali*, ne irreverenter, & audacter, cum dictione ſententiæ, prorumpant, ſed *ſciſcitentur*, *& ſolutionem accipiant* a Synodo, cui ſententiæ dictio nullatenus ibi aufertur. Altum hic ſilentium eſt *de poteſtate Romanæ Eccleſiæ exauctorandi ſuum Pontificem in caſu neceſſitatis extra Synodum generalem.*

XX.

XX. Ex illo principio: *minor non poteſt judicare, vel deponere majorem*, recte ſequitur: *ergo, non ſolum nullus Prælatus inferior, ſed nec ulla Synodus particularis* EXTRA ECCLESIAM PROVINCIÆ ROMANÆ & SINE ISTA, *poteſt exauctorare Papam;* quia *extraneæ* Synodi ſunt *ſimpliciter minores* Papa. Atqui tamen Papa *exauctorabilis* eſt! 1.) Si, quod nunquam contigit, *hæreticus* fieret. 2.) In caſu *ſchiſmatis Paparum*, ut fatetur Anti-theſiſta. 3.) In caſu *incorrigibilis deformitatis vitæ*, ad quam pertinet *perditio, ac proditio Eccleſiæ, & patriæ.* Hoc quidem negat Anti-theſis, ſed contra allegatas authoritates §. VIII. lit. h. & XVII., imo contra ſanum ſenſum; quis enim e. g. prudens vir prætendere an. 963. potuiſſet, ut Eccleſia Romana retineret *Joannem*, utut petulantem ſine conſilio, ac prudentia juvenem, perfidum, ac perjurum Imperatori Romanorum, confœderatum cum rebellibus Imperii, cujus caput Roma eſt, intromittentem hoſtes, eosdemque ipſius Romanæ Eccleſiæ, & Italicarum perſecutores, in Urbem, cum iisdem ab Urbe recedentem? Papam, qui libidine juvenili cæcus facile deludi potuiſſet a *Berengaria* factione, ut hæc dominaretur, ipſo demum *Joanne* expulſo, Romæ, totique Patrimonio S. Petri, Epiſcopis Romanis ad ſtatum regiminis pure ſpiritualis redactis? Quidſi Exim. Anti theſiſta tunc fuiſſet Theologus *Ottonis* M, dum duo Cardinales, ut refert *Platina*, literis *Ottonem* obſecrarunt, *ut Clerum populumque Romanum e manibus Berengarii, Joannisque duodecimi vendicare conetur, aliter Chriſtianam fidem cum Imperio perituram*, conſultusque deſuper Cæſari reſpondiſſet, nefas eſſe reſiſtere Pontifici *extra duos caſus*, committendum illum eſſe *ſolius Dei judicio*, non poſſe illum dethroniſari, etiamſi monita ſperneret, perniciemque ultimam & Romæ, & Imperio, in temporalibus inferret, *quia per hoc nondum eſſet hæreticus.* Quid factum fuiſſet Eccleſiæ Romanæ, & Imperio, ſi *Otto* per ſimplicitatem ſuo Theologo credidiſſet? Quidſi nihilominus lamentata fuiſſet tota Eccleſia Romana de lapſu omnis diſciplinæ, & efficax remedium poſtulaſſet, ſicut in actis Luitprandinis conqueſta eſt, & petiit: *cunctis obeſt; quot, prius caſti, hujus facti ſunt imitatione inceſti? quot probi hujus exemplo converſationis ſunt reprobi?* His addantur, quæ Miniſtri *Ottonis*, antecedenter Romam miſſi ad videndum, an denunciationes veræ ſint, reſcripſerunt apud *Natal. Alexandrum Tom. VI. cap. 1. art. 21. lit. E.* An Theologus Ottonis reſpondere debuiſſet ex irreperibilibus dictis *S. Bonifacii* M. apud Gratian. can. 6 diſt. 40. *Papæ culpas iſtic redarguere præſumit mortalium nullus, etiamſi innumerabiles populos catervatim ſecum ducat in Gehennam; quia cunctos ipſe judicaturus a nemine eſt judicandus, niſi deprehendatur a fide devius?* An propter hunc fragilis authoritatis textum *Joannes XII.* in ſuo furore, veſania, atque vaſtatione Eccleſiæ relinquen-

dus fuiſſet, donec ipſum Deus e medio ſuſtuliſſet? Teneat talia, qui volet; nos tenemus, *ab ovili Chriſti arcendum eſſe quemlibet, qui ex paſtore fit lupus*, ſive lupus fiat propter *hæreſin*, ſive propter *alias cauſas*: ſatis eſt, *quod ſit lupus.* Hoc de omnibus Eccleſiarum Paſtoribus verum eſt: ſi *de ſolo Paſtore Eccleſiæ Romanæ* falſum eſſet, *primæ* atque *centrali* Eccleſiæ minus providiſſet Chriſtus, quam *ſecundis* & *inferioribus*, quod incredibile aliquid ſonat.

XXI. Si vero Papa *ob deformitatem vitæ, aut periculum Eccleſiæ Romanæ*, deponendus veniat inſtar alterius Epiſcopi, *a quo deponetur?* An *inevitabili neceſſitate* a Concilio *generali?* Aſt, quanta hujus congregandi non eſt difficultas? Ab an. 869. usque 1123., proinde intra 244. annos, nullum fuit habitum, licet perditiſſima Sæculorum X. & XI. diſciplina vel maxime aliquod deſideraſſet. Sic ergo in caſu *Joannis* XII., eodemque *præcipiti*, atque *frangenti*, nulla ſalus Eccleſiæ Romanæ ſperanda fuiſſet. Equidem illud monſtrum *magno Eccleſiæ commodo* e vivis raptum eſt an. 964; ſed per ætatem vivere, furere, diſſipare potuiſſet adhuc 40. ſaltem annis. Quid tunc eveniſſet, dum *ſolæ nationes*, *Germanica*, & *Italica*, ſalutem Romæ, & Romanæ Eccleſiæ in curis habebant, cœteræ nationes, & Eccleſiæ non curabant, quid mali *Romæ*, & per reliquam Italiam fieret Romanæ, cœterisque Eccleſiis, ac Imperio recens regno Germaniæ annexo. Hoc rerum in ſtatu nulla *generalis* Concilii ſpes affulgebat.

XXII. Juvit ergo ſe *Romana* Eccleſia, ſicuti potuit: imo, *ſicut juvare ſe poſſe competit Eccleſiæ illi*, hoc ipſo, quod ſit *prima* Eccleſia, omniumque *ſuprema.* Hæc *ſupremitas* ipſi tribuit præ reliquis Eccleſiis omnibus, quod ipſa ſola *eligat* ſibi Paſtorem, & *eligendo Paſtorem faciat, ſine quavis cujusvis Concilii*, vel Eccleſiarum cœterarum, *confirmatione*; dum contra cœteræ Eccleſiæ *confirmationes* electorum ſuorum *petere* tenentur. Hujus Eccleſiæ ſponſus *renuntiare* poteſt ſpirituali conjugio ſuo, *ſine cujusvis* interpoſita *authoritate*, cœterarum Eccleſiarum ſponſi non ſit. Cur ergo Eccleſiam ſubjiciamus neceſſitati *generalis*, vel *particularis* Synodi *extraneæ* adjutorio, ut, quem ipſa ſibi facit ſola *complete Paſtorem*, deſtituere ſola non poſſet *pro caſu, quo lupus fieret?* Sic certe minus poteſtatis haberet *Synodus provincialis Romana*, quam habuerunt primitus *omnes Synodi provinciales*, ut quemlibet de provincia Epiſcopum, ipſum quoque *Metropolitanum*, deponere poſſent. *Epiſtola Concil. Rom.* an 378. *ſub & pro Damaſo I. Papa ad Gratian. & Valentin. Imp. & Reſcriptum Imperiale ad eandem*, apud *Couſtant*, & *Harduinum.* Hic fruſtra fit argutia: *minor non poteſt condemnare majorem*; ſufficit enim, quod jus *aliquando* velit, *majorem* judicari ab his, *quibus præeſt*, & *parem a paribus*, ut in feudalibus *pa-*

res

res curiæ judicant & Seniorem, & convaſallos. Provide *in cap. 16. de M. & O.* additum eſt TO *regulariter* ad denotandum, dari caſus exceptos: *cum inferior ſuperiorem ſolvere nequeat, vel ligare, ſed ſuperior inferiorem liget* REGULARITER, *& abſolvat.* Equidem poſt can. 9. Chalcedonenſem (vid. *can.* 46. II. q. 1.) *Metropolitanus*, aut a *Primate*, ſi quem infra Patriarcham habuit, aut Patriarcha ſuo, conſequenter in *Occidente* a *Romano Pontifice* judicandus erat. *Capitul. 321. lib. 7.* Reſtituit autem *Baſileenſe* Concilium Synodo provinciali majoritatem in ſuum Metropolitanum ſaltem eatenus, ut illa in hunc aberrantem *inquiſitionem habere poſſit.* Hic ceſſat illud: *minor in majorem non habet inquiſitionem:* ſive enim Synodus provincialis minor ſit ſuo Metropolitano, ſive major, jus, omnibus majus, dat illi inquiſitionem. Sicut quoque in Synodo provinciali, dum Suffraganeus ſuo voto deciſivo condemnat collegam ſuum, ceſſat iſtud: *par parem non judicat*, quia canon dedit poteſtatem pari, judicandi in Synodo parem.

XXIII. Quidquid autem *contra morem*, qui viguit *primus*, Chalcedonenſis canon, & Baſileenſe Decretum *Pridem* de judicando *Metropolitano* ſtatuerint, hoc *Romanam* Synodum provincialem non attinet, quia Papa, Metropolitanus ejus, nec ſub Primate, nec ſub Patriarcha eſt: debuit ergo quoad hunc *mos antiquus* manere, ut Papa criminis accuſatus, defendat ſe *coram ſuo Concilio*, ut loquitur prælaudata epiſtola Concilii Romani, quæ ideo non fuit ſimul ſcripta nomine *Damaſi* Papæ, quia hic in Concilio non comparuit *ut judex*, ut *Couſtant.* notat. Coram tali Concilio ſuo *Damaſus I.* adulterii accuſatus, *Sixtus III.*, & *Leo III*, ſteterunt *Can 10. 18, II. q. 5.* Quo pertinet illud Gregorii IV. in can. 42. II. q. 7. *Si quis ſuper his nos arguere voluerit .... veniat ad Sedem Apoſtolicam, ... ut ibi ante confeſſionem S. Petri* MECUM *juſte* DECERTET, *quatenus inibi* UNUS *ex nobis* SENTENTIAM SUSCIPIAT *ſuam.* Quanquam & hanc electionem habuerit olim Papa, ut ſe *imperiali judicio* defenderet. *Epiſtola* prælaudata *Romani Concilii* pro Damaſo: *non novum aliquid petit, ſed ſequitur* EXEMPLA MAJORUM (en vim probandi ab exemplis) *ut Epiſcopus Romanus, ſi* CONCILIO EJUS CAUSA NON CREDITUR, *apud* CONCILIUM *ſe* IMPERIALE *defendat*, provocantque Patres ad exemplum *Sylveſtri* Papæ, qui cauſam propriam coram *Conſtantino* M. proſecutus ſit. De hoc judicio electo intelligitur *can. 41. II. q. 7.* Papam potuiſſe *ſuo genio vivere, omnia ſusque deque vertere in ſpiritualibus, & temporalibus, omne judicium defugere, modo non eſſet hæreticus, aut in ſchiſmate electus*, aut non aliud, quam *generalis Concilii* judicium ſubire debuiſſe, prædictis exemplis repugnat, neque ex ullo genuino canone oſtendi poteſt.

XXIV.

XXIV. In facto *Joannis XXII.* affuit *Concilium ſuum*, ſed & affuit ſimul *Imperiale Concilium*, tot Imperii Archi- & Epiſcopis ornatum. Apparet autem manifeſte, quod Epiſcopi, *ad Romanum Concilium non pertinentes*, *recognoverint Romanæ provinciæ* jus ſtatuendi de ſuo Metropolitano; ideo *extranei* Epiſcopi abſtinuerunt a *Suffragio Synodali*, ſola Provincia Romana illud proferente; propter quod *Luitprandi acta* videntur ſtudioſe mentionem feciſſe *Romanorum Pontificum*, videlicet *Romanæ Provinciæ Suffraganeorum*, *Cardinalium Presbyterorum & Diaconorum &c.*, ut indicarent, quod *Provincia* ſuum deſtituerit *Metropolitanum*. Qui vero non eſt amplius *Metropolitanus* Provinciæ Romanæ, is nec *Epiſcopus Senioris Romæ*, qui iſte non eſt, neque *Papa univerſalis* eſt, cum Papatus ſit *Metropoli Romanæ* annexus, ſic, ut quæ *iſtum Metropolitanum* facit Eccleſia, eadem quoque *Papam* faciat: ſicut autem *ſola facit*, ita quoque *ſola deſtituit*, nam in Eccleſiis, *quæ ſe majorem non habent*, inſtitutio, & deſtitutio ſtant neceſſario, & naturali ratione penes *eandem cauſam efficientem*.

XXV. Dilucidatur hoc *primæ* totius orbis *Provinciæ* jus aliis duabus conſiderationibus. 1.) Nulla *inferiör Romana* Eccleſia poteſt ſibi condere jus, & regulas *electionis celebrandæ*, ſed ſequi debet *jus commune*. Aſt Eccleſia Romana ſibi facit regulas, eligendi Paſtorem ſuum, & totius Eccleſiæ Catholicæ, particulares, *ultra*, & *contra* jus commune. Cumque *par in parem*, *anteceſſor in ſucceſſorem*, nullum habeat imperium, nemoque ſibi ipſi imperet, futuræ tamen R. R. Pontificum electiones ſervare debent conſtitutiones ab anteceſſoribus latas ſub pœna nullitatis. 2.) Si ad Eccleſias *inferiores* duo eligantur in *ſchiſmate*, neuter ſibi jus dicit, ſed judicium exſpectare debet Superioris. Aſt electus ad *Romanam* Papa, eo ipſo, quod primus Pontificum ſit, ipſemet contra Anti-Papam fert ſententias anathematis, prout *Innocentius II.* in *Anacletum II.* plus una vice, non adhibito *generali* Concilio, ſed *particularibus*, Stampenſi, Claramontano, Remenſi, Leodienſi, Placentino, Piſano, brachioque ſæculari *Lotharii II.* Imp. Tot ergo ſingularia cum vides penes Eccleſiam *primam*, ne mireris & illud, quod *prima* Eccleſia, quem *inſtituit*, etiam *deſtituat*, ſi mereatur, prout ſane promeritus eſt *Joannes XII.*, juvenis peſſimus, male ingreſſus, ab Eccleſia Catholica *potius toleratus*, quam *poſitive receptus*.

XXVI. Hanc, ſe ipſam, ſine *generali Synodo* juvandi poteſtatem exercuit *Romana* Eccleſia, dum in *Sutrina* Synodo, coram *Henrico III.* Imp. celebrata, liberavit ſe an. 1046. *tribus Papis*, ſimul atque ſemel ſedentibus Romæ, reditusque nationum pacifice inter ſe partientibus *Benedicto IX. Sylveſtro III.* & *Gregorio VI.* Non diſputabimus hic, an *Gregorius VI.* depoſitus

poſitus fuerit in *Sutrina* Synodo, an vero, viſa Patrum disquiſitione, ejusdemque fatali contra ſe exitu prævisо, ante ſententiam ſe ſe abdicaverit, certe non abdicaturus, ſi permanere potuiſſet, nec Synodi virtutem timuiſſet, velut *Synodicis canonibus atque ſententiis ſimoniacus probatus*, ut ſcribit Leo *Oſtienſis lib. 2. Chron. Caſſin. cap. 80.* Saltem hoc eſt certum, quod Romana Eccleſia, opitulante ſuo Advocato *Henrico III.*, ſe tunc expedierit *absque Concilio generali* a tricipite Papatu. Quod autem illa in ſchiſmate *Joannis XXIII.* Concilium *generale* imploraverit, hoc expoſcebant aliæ rerum circumſtantiæ.

XXVII. Huic prærogativæ non obeſt paſſus, ex *Anaſtaſio bibliothecario* in vita *Leonis III.*, ubi Archi- & Epiſcopi Romanorum atque Francorum, coram *Carolo* M. ſynodaliter congregati, noluerunt judicare *Leonem*, prius ab impio *Paſchali*, & *Campulo* clericis crudeliter in ipſis Lytaniis tractatum, atque ſpoliatum, deinde vero criminatum, *unanimiter* dicentes: *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus; nam ab ipſa nos omnes, & Vicario ſuo judicamur; ipſa autem a nemine judicatur*, QUEMADMODUM ET ANTIQUITUS MOS FUIT, *ſed ſicut Summus Pontifex cenſuerit, canonice obedienius.* Utique enim, dum criminis accuſatur Romanus Pontifex, mos antiquus ei detulit hunc honorem, *ut ſe ipſum judicaret*, vel *confeſſione*, & *ſuſceptione canonicæ pœnitentiæ*, aut *expurgatione ſui facta*; ut vel ipſa acta ſuppoſititia de *Marcellini* Papæ in idololatriam lapſu hunc morem, authori fabulæ notum, demonſtrant; EX TE *juſtificaberis*, *aut* EX ORE TUO *condemnaberis.* Can. 7. Diſt. 21. Adde exemplum *Sixti III.* ibid., cui *Valentinianus* Imp. tribuit *judicare judicium ſuum.* Hoc amplexus eſt *Leo III.* dicens coram Synodo: *Prædeceſſorum meorum veſtigia ſequor, & de talibus falſis criminationibus, qua ſuper me nequiter exarſerunt, me purificare paratus ſum*, quod & alia die fecit. Quam diſpar caſus *Leonis III.* a caſu *Joannis XII.*! Eccleſia Romana ſcivit ſcelerata ejus opera, ſcivit, quod nec purgare ſe poſſet canonice, neque ſit emendaturus vitam, quia invereratus in profundo malorum: nihilominus moderatiſſimus *Otto* Imp., nec non Archi- & Epiſcopi rogaverunt eum, *ut veniret ad Synodum, & ſui ipſius futurus judex ſe expurgaret*, promittentes ipſi ſub juramento, *nihil fieri præter ſacrorum canonum ſanctionem.* Venire debuiſſe, fatetur *Natalis Alexander*, utique ſciens ex hiſtoria *antiquum morem*, *quodque Papa non potuerit omne judicium declinare*; non venit Papa, quia nec ſe purgare potuit *contra notorium*, *nec pœnitentiam agere*, & *reſipiſcere* voluit, emanſione itaque ſua *præjudicavit* ſe ipſum.

XXVIII. Non habet Romanus Pontifex, vel Eccleſia catholica, cur ab hac poteſtate Romanæ Provinciæ quidquam reformidet; quanquam enim ſæpe *Senatus, populusque Romanus, magnæque domus illuſtrium Romæ* peccaverint expellendo Papas; nihil tamen ſimile *a Provincia Romana* legitur: unde præſumendum eſt pro ea, quod *ſemota*, quæ temere eidem imputaretur, *adulatione* erga *Ottonem*, ex puro zelo ſervandæ Eccleſiæ, Imperii, & Urbis, contra *Joannem* XII. ſic proceſſerit, urgentiſſima cauſa, moram non ferente, cum hoſtes eſſent in urbe, ipſusque Papa hoſtis; hinc ſe ſe quoque explicavit: *inauditum vulnus inandito eſt cauterio exurendum.*

XXIX. Quantum *ad formam proceſſus*, temerarie ſatis Anti-theſis projecit in chartam, quod in Synodo *Ottonis* M., torque Archi- & Epiſcoporum Imperii, *omnia perperam contra canones, & tumultuoſe acta ſint*, ita, ut *ea Synodus ingenium Eccleſiæ nullatenus ſapiat:* his quaſi ex oraculo dictis, concluſit: *ſtat igitur, quod poſuimus, depoſitionem Joannis XII. illegitimam fuiſſe, & ſpectato jure nullam.* Sic ſcribit, qui ordinem judiciarium non intelligit, qui acta *ipſius Concilii*, utpote perdita, non vidit, qui *Luitprandini Continuatoris* deſcriptionem non expendit.

XXX. Non erubuit toti *coadunatæ* Provinciæ *Romanæ*, quæ in duabus *liberis* Synodis ſententiæ ſuæ inhæſit, non obſtante, quod multi Patres de iisdem in Synodo intermedia *Joannis* XII. *Leonem* deſeruerint, hanc perpetuam maculam affricare, quod ipſa *aliquem ſaltem Pontificem contra canones, ac per tumultum* deſtituerit: ſanctam matrem ſuam proſtituit amore theſis ſuæ, odio theſis noſtræ: contendit, Eccleſiam, omni tempore tam glorioſam, *ſemel peccaſſe certo*, dum Papam hunc, alterum *Catilinam*, reprobavit. Atqui potuit defendere honorem tantæ Eccleſiæ vel ex ſolo principio juris naturalis, quod, *qui hoſtis fit, ſe ipſum extorrem faciat, perinde atque ſi abdicaſſet a ſe magiſtratum.*

XXXI. Scimus bene, quod *Prælatus Eccleſiæ per hoc, quod vitioſus fiat, non excidat ſua poteſtate*: hoc etiam ſcivit bene tunc *magiſtra noſtra*; ſed attendamus verba ejus: *reprobato ob mores improbos Joanne* APOSTATA. Quid voluit hoc ultimo verbo aliud, quam *deſertorem* Eccleſiæ Romanæ declarare *Joannem?* Utique vero plus erat, quam *ſimplex deſertor*, quia *poſitivus hoſtis*, & *traditor*. Huc reſpexit epiſtola ſecunda Synodi illius ad *Joannem* (an ſit genuina per omnes ſententias, quæliberque verba, an vero emblematica compoſitio expeditoris, vel ignoti nobis Continuatoris hiſtoriæ Luitprandinæ, quis ſcit?) dum ſic habet: *Judas D. N. Jeſu Chriſti proditor, imo venditor, cum cæteris prius ligandi, atque ſolvendi poteſtatem a Magiſtro accepit.... Quamdiu enim bonus* INTER DISCIPULOS *fuit, ligare, atque ſolvere valuit. Poſtquam vero cupiditatis veneno homicida*

homicida factus vitam occidere voluit, quem poſtea ligatum ſolvere, ſolutum ligare potuit, niſi ſe ipſum, quem infeliciſſimo laqueo ſtrangulavit? Hic noſter fervidus Theologus, erroris *Wicleffiani* habens ideam in capite ſuo, imputat Synodo *propoſitionem contra fidem*; quin ante omnia ſciverit, hoc eſſe *vere ſcriptum a Synodo*: hanc epiſtolam etiam de conſilio *Henrici Trevirenſis* ita ſcriptam fuiſſe, memorat *Continuator Luitprandi*, a quo ſolo eam habemus: erravit ergo Anti-theſiſtæ poſt omnes præcipue noſter quoque Archi Epiſcopus in fide, ne Theologus non-noſter erret in ſua theſi. Verum, improvidus Exſcriptor *Natalis Alexandri* meminerit, *Synodum reddidiſſe cauſam*, cur excommunicationem comminatam *Joannis* parvi penſura eſſet, imo retorſura, *a paritate Judæ proditoris*: faciat contradictoriam: *Judas, poſtquam deſeruit Chriſtum, Collegium Apoſtolorum, & Eccleſiam Chriſti, potuit quemquam excommunicatione ligare*, & committet errorem in fide, quia apoſtata excidit jurisdictione ipſo facto *apoſtaſiæ*, ſeu derelictionis: Judæ excommunicatoriam ſententiam, ſi quam poſt apoſtaſiam in eos tuliſſet, Apoſtoli non fuiſſent curaturi: ſubſumo: *Atqui, niſi venerit ad Synodum Papa Joannes, & objecta purgaverit, habebitur proditor, traditor, venditor, hoſtis, apoſtata, & deſertor ſuæ Eccleſiæ: ergo comminata ejus excommunicatio non curabitur.* Quid hic erroris in fide eſt?

XXII. Omnia pacate, modeſte, atque ordinate peracta fuiſſe, vel ipſe conſpectus hiſtoriæ oſtendit: indicta eſt Synodus: abſentia *Joannis* animadverſa: in publicum recitata ejus opera diabolica: *notorium facti* propoſitum, cujus quanta ſit vis, quantum privilegium, docent *cap. 23. de elect. & cap. 3. de teſtib. cog.* Nihilominus ex ſuperabundanti exhortatio gravis facta eſt *de non calumniando Pontificem*, juramento totius Eccleſiæ Romanæ veritas ſtabilita: en *proceſſum prævium*: decreta reverentialis, & obſecrativa citatio: promiſſa ſecuritas *contra vim temeratiæ multitudinis*: juratum, *nihil contra canones ſuſceptum iri.* An ſic incedit *tumultuoſum* conciliabulum? Exſpectatus Joannes non venit; tunc Romana Eccleſia *illum* pro deperditæ ſpei *Apoſtata* habens, alium Papam elegit. Quid in hoc præpoſteri?

XXIII. *Trinam* citationem defuiſſe, *bis tantum* vocatum fuiſſe *Joannem*, obmovet ex *Baronio* Natalis Alexander. Sed unde hujus exceptionis habetur certitudo? Solus *Luitprandi* continuator hanc non ſiſtit. *Sigebertus* ſane ſcribit: *Collecto a tota Italia Epiſcoporum Concilio*, JOANNES *Papa, de nefariis cauſis infamatur; qui* TERTIO *evocatus, dum ſe excuſatum venire cunctatur*, POST MULTA TANDEM, *eo a cunctis præjudicato*, LEO *adhuc laicus electione omnium, & conſenſu Imperatoris, Papa ſubſtituitur.*

Et ubi præſcriptum eſt, quod debeat quis ad Synodum, cujus longior continuatio ſumptuoſa eſt, *ter* citari? Et ille quidem, qui *certo ſcitur* non eſſe venturus, prout *Otto* Imp. Synodo atteſtatus fuit? An jura præſcribunt, *hoſti eſſe faciendum tempus?* Audiamus vero, quid de contumacia *Joannis* ſcribat Continuator Reginonis; *Imperator plurimorum Epiſcoporum collecta multitudine, Synodum coadunavit, & conſilio eorum,* MISSA LEGATIONE, *canonica authoritate,* PROFUGUM *Apoſtolicum ad Sedem pontificalem & apoſtolicam revocavit:* ILLO TAMEN HOC MODIS OMNIBUS RENUENTE &c. Hoc certe ſuffecit, ut pergi potuerit, abſente eo, ad ulteriora, quæ juris. Eadem futilitate laborat obmotum *de non datis ſat largis induciis.* A Sexta Novembr. uſque ad ſextam Decembris an. 963. plures abierunt dies, quam requirat *terminus peremptorius*, præſertim in cauſa præſentiſſimi periculi.

XXXIV. *Joannis* reverſi Synodum laudavit immerito Antagoniſta. Terror eam præceſſit: ſæviit prius *Joannes* in primores Urbis, manum dexteram, linguam, nares, digitos, clericis crudeliter abſcindi juſſit: dein Synodum congregavit. Quæ Patrum libertas? Hinc nulla eorum legitur cautio prævia pro ſalute Romanæ Eccleſiæ, pro abjuratione hoſtium ejus, pro renovanda fide erga advocatum ejus: nullus de expurgatione infamati, de pœnitentia, & emendatione impii ſermo: quin ſpiritus aperti mendacii mox aderat: *Joannes* crudelis, & impuriſſimus, vocatur *piiſſimus, & coangelicus:* dicit ille, *ſe fuiſſe expulſum imperiali vi a propria Sede,* cum fuerit hoſtis, transfuga, apoſtata, fruſtra revocatus ab *Ottone*, & Patribus. *Leonem* illi ipſi vocant *adulterum, invaſorem alienæ ſponſæ intruſum*, qui liberrime eum, tota acclamante Eccleſia Romana, elegerant, tanquam *virum approbatum;* quem continuator Reginonis vocat *virum ſtrenuum & induſtrium*, Petrus Bibliothecarius *virum venerabilem, ſtrenuum, & omni honeſtate præclarum*: fuerit ergo *Neophytus*, id eſt, vel recens, vel nondum clericali ordini adſcriptus, quid tum? An non communiſſima eſt ſententia, *quod laicus eligi poſſit in Papam?* Illo tempore mali mores ita invaluerant, ut, ſcribentibus etiam catholicis, non jam eſſet quæſtio *de digno*, & *digniore*, ſed de *minus indigno*, eligendo. Propter Synodum *Joannis* nemo *ante Baronium* negavit *Leoni* VIII. locum in catalogo Pontificum. *Papebrochius* inclinat, quod ſaltem poſt abdicationem *Benedicti* V. fuerit verus Pontifex. Dein nulla deliberatione prævia, ad propoſitam a Joanne quæſtionem: *ſi dici poteſt regulariter Synodus illa, quæ habita eſt me abſente, in Eccleſia mea, ab Ottone Imperatore, ſuiſque Archiepiſcopis, atque Epiſcopis, an non?* Statim reſpondit Concilium: *Proſtibulum favens adultero &c. Synodum eſſe authoritate Ss. Patrum damnandam:*

damna-

damnavit eam Joannes. Omiſit *verum cauſa crinomenon*, quod erat, *an illo in caſu Imperator recte indixerit Synodum, quam principaliter habuit Provincia Romana ſuper ſuo Metropolitano profugo cum hoſtibus, aſſiſtentibus Epiſcopis Ottonis abſque dato ſuffragio: an Provincia Romana recte ſuum Metropolitanum exauctoraverit abſentem, citatum, modis omnibus venire, ac ſe purgare renuentem, nec ne?* Super hoc *magna diſquiſitio* fieri debuiſſet, votaque cordate proferri. Sed non erat de tempore, diſplicentia loqui crudeli, ſævienti, & amputanti. Poſtea aliter ſenſerunt iidem Patres, recipientes *Leonem* VIII. reſtitutum, eidemque, donec moreretur, obedientes. Denique non ex Spiritu S., ſed *ludicre* tractabantur innocentes, a *Leone* ordinati, ſine miſericordia degradati, cum ſchedula: *Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit*, quod dictum potius benigna interpretatione juvàndum eſt, *ne ſit error*, quam ſcriptum præcedentis Concilii *de Juda, poſt venditum Chriſtum ligare amplius non valente*, erroris in fide arguendum. Hæc Antagoniſtæ ſapiunt *prorſus ingenium Eccleſiæ:* Verum eſt hæc mater pia, ſanans, non vindicans, præſertim, ubi nihil factum eſt, quam *tota Sancta Romana Eccleſia pleniſſime conſentiente:* hanc *iſta ſola vice* (cum nullus alius caſus oſtendi poſſit) contra Papam *erraſſe univerſam*, vel *dogmatico* errore, dum credidit, a ſe talem Papam exauctorari poſſe, vel *morali*, dum, *credens, ſe non poſſe*, nihilominus adulata *Ottoni* exauctoravit, ſentiat, quiſquis velit; nos reverentiores ſumus, magis hanc ſemper ſanctam, juſtamque Eccleſiam diligentes, & honorantes, quam exauctoratum ab ea peſſimæ vitæ, mortisque Pontificem, cujus memoria ſemper erit in execratione.

Interim gratias habemus eximio P. Theologo, quod nobis hoc otium hiſtoricum *juris publici eccleſiaſtici* fecerit, occaſionemque explicandi theſin nuperam; quia *veritas exagitata ſæpius magis ſplendeſcit in luce* Innoc. I. Epiſt. 7. ad Epiſcopos Macedon.

In Omnibus Honorificetur DEUS. 1. Petri 4. 11.

Quoniam Anti-theſis paucorum in manibus eſt, forteque exemplaria impreſſa parvo ſunt numero, hinc lectorum deſiderio ſervientes, eandem cum ſua probatione ſubjungimus.

EX SECTIONE III.

Theſis VI Quod ſi contingeret, Papam, *ut hominem privatum*, a fide devium deprehendi, ſubjaceret judicio Concilii generalis. VII. Poteſt etiam tem-

pore ſchiſmatis, quando plures ſunt Antipapæ, & nullus certus, ab Eccleſia univerſali agnitus, ab eodem Concilio Papa dubius judicari, & deponi. VIII. Extra utrumque hunc caſum *jus* Papam deponendi convenire Concilio, nec docet exemplum Joannis XII., nec Joannis XXIII. depoſitorum.

PROBATIO.

Depoſitio Joannis XII. facta ſub Ottone Imperatore in Synodo Romana ann. 962. (963.) illegitima fuit, & ſpectato jure nulla. Ergo non docet, extra utrumque caſum dictum, jus deponendi Papam convenire Concilio. Veritatem aſſerti probat Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum nobiliſſimorum authoritas; probant eorum momenta. Ac primo quidem

Exauthorationem Joannis XII. illegitimam fuiſſe, aſſerit de Graveſon S. Facult. Paris Doct. Hiſt. Eccles. Sæcul X. & XI. Colloq. 1. *Congregata eſt*, inquit, *in Baſilica S. Petri Synodus ex plerisque Romanæ Diœceſeos, & Italiæ Epiſcopis, cum quibus ſedit ipſemet Otto Imperator. In eo conciliabulo Joannes XII Papa atrocium criminum inſimulatus.....* (non tamen hæreſeos) *depoſitus eſt, ejusque loco in Sede Petri collocatus Leo hujus nominis VIII., qui fuit Antipapa, eo quod exauctoratio Joannis XII., ab Ottone Imperatore, & a Pſeudo-Synodo Romana tentata, nulla, irrita, & prorſus illegitima fuit, ſicut Baronius ad Ann. 963. N. XXXI. & ſeq., nec non Illuſtriſſ. de Marca Archipræſul Pariſienſis L. 1. de Concord. Sacerdotii, & Imperii CXI. pluribus momentis demonſtrat.*

Aſſerit hoc ipſum Pagi Critic. Hiſtor. Chronolog. Tom. IV. pag. 4. *Porro exauctorationem Joannis XII., ab Ottone Imper., & Synodo Romana tentatam nullam fuiſſe & illegitimam, pluribus oſtendit Baronius.*

Aſſerit idem du Mesnil S. J. Doctr. & Discipl. Eccles. Tom. IV. L. XLIII. §. 3. *Quadraginta. . . Epiſcopi, etiam annitente Imperatore, Papam legitimum, quamvis improbum, deponere non poſſunt... Irregulariter, & contra omnem authoritatem deponentes Romanum Pontificem* (Joannem XII.) *ac inducentes Antipapam.* (Leonem VIII) *excommunicationi facti ſum obnoxii.*

Aſſerit denique (ut alios prætermittam) exauthorationem Joannis XII. illegitimam fuiſſe, Natalis Alexand. Hiſt. Eccleſ Tom. VI. Diſſert. XVI. in Sæcul. IX. & X., nec tantum aſſerit, ſed ſolidis etiam evincit argumentis. Non erit abs re, illata ſi non totidem verbis, ſaltem ſervata rationum identitate, ſequentibus includere ratiociniis.

1. Inferior non poteſt judicare (quanto minus deponere) ſuperiorem. Synodus autem particularis (talis erat, quæ Joannem XII. depoſuit) eſt Romano

mano Pontifice inferior. Concludit Natal. Alexand. *Non potuit ergo Romana Synodus, ex quibuſdam ſolum Italiæ, & Germaniæ Epiſcopis congregata, Joannem XII. Pontificem maximum judicare, & deponere.*

Animadverſio In hoc ſyllogiſmo qui propoſitionem *majorem* aut neget, aut in dubium vocet, non arbitror eſſe aliquem. Minor autem vel confeſſione illorum vera eſt, qui Concilium *oecumenicum* volunt Pontifice eſſe ſuperius; ex quorum numero ipſe eſt Natalis Alexander; & confirmatur ab eodem authore ex Synodo Romana, quæ in cauſa Leonis III. coacta eſt præſente Carolo Magno, & Francorum proceribus, atque plurimis cum Italiæ, tum Galliarum Epiſcopis, qui in has voces erupere, teſte Anaſtaſio Bibliothecario in vita Leonis III. *Nos Sedem Apoſtolorum, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus; nam & ab ipſa nos omnes, & ab ejus Vicario judicamur. Ipſa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit. Sed ſicut ipſe Pontifex cenſuerit, canonice obedimus* His poſitis, concludit denuo Natalis: *Temere igitur Synodus Romana Joannem XII. depoſuit.*

2. Romanus Pontifex legitimus non poteſt judicari, & exauthorari, niſi propter crimen hæreſis (Patres enim in Concilio Romano ſub Hadriano II. ita locuti ſunt. *Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus; de eo vero quemquam judicaſſe, non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum; ſciendum tamen eſt, quia ſuper hæreſi fuerat accuſatus, propter quam ſolum licitum eſt minoribus Majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus libere reſpuendi*) Infert Natalis. *Cum itaque Joannes XII. hæreticus non fuerit, non hæreſeos accuſatus, non licuit Italis, & Germanis quibusdam Epiſcopis, in Romana Synodo congregatis, illum judicare, ac exauthorare.*

3. *Si Synodus* uſque adeo *univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas, & controverſia; oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia, de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere; non tamen audacter ſententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices*, juxta Can. XXI. Synodi VIII. Arguit Natalis. *Multo minus id potuit Synodus & numero, & merito infra Oecumenicam longe poſita, qualis ea eſt, quæ contra Joannem XII. congregata eſt.*

4. Sane major eſſe debet Synodi authoritas (inquit Natalis) in qua reſciſſa ſunt Acta Synodi contra Joannem XII., & damnatus Leo VIII. ſe pro Pontifice gerens, quam Synodi contra Joannem habitæ. Illam enim *Imperator moderabatur, ipſe actor, teſtis, & judex:* hanc Pontifex, *vitioſus quidem*

quidem, ſed non *ideo authoritate ſumma in Eccleſia privatus.* Prior contra Canones omnia perperam egit: immo & propoſitionem contra fidem aſſeruit, Pontificem ſcilicet improbum ligandi, & ſolvendi poteſtatem amittere. *Judas*, inquit, *quamdiu bonus inter Diſcipulos fuit, ligare, atque ſolvere valuit: poſtquam vero, cupiditatis veneno homicida factus, vitam occidere voluit, quem poſtea ligatum ſolvere, ſolutum ligare potuit, niſi ſe ipſum, quem infeliciſſimo laqueo ſtrangulavit?* At Synodus, contra Leonem VIII. nuncupatum habita, Canones ſecuta eſt, & præcedentium Conciliorum exempla, *Leonem* deponendo, *Mœchum*, & *Neophytum* depoſuit, ut *Photium* Octava Synodus; *Mœchum*, qui uxorem elienam, ſcilicet Romanam Eccleſiam vivente Viro, Joanne ſcilicet XII. Papa, uſurparat; *Neophytum*, qui ſubito abſque probatione, & interſtitiis, ad omnes ordines, & ad omnium ordinum apicem, Summum nempe Pontificatum, provectus fuerat. Prima tumultuoſe habita, ſecunda ordinate. Stat igitur, quod poſuimus, Depoſitionem Joannis XII. illegitimam fuiſſe, & ſpectato jure nullam Nullum proin hoc eſſe exemplum, unde jus Concilii in Pontificem legitimum extra crimen hæreſeos oſtendi poſſit.

Neque hic mihi illud quiſquam objiciat, *Authores pleroſque coævos* Leonem VIII. legitimum Pontificem faſſos eſſe, & legitimum cenſuiſſe Concilium, a quo exauthoratus eſt Joannes XXII., *maxime Germanos.* Quisquis iſta ais, audi reſponſum ex Natali Alexandro, Ottoni Imperatori ut adularentur, id feciſſe; plerosque hos omnes rem, ut geſta eſt, commemorare; an *recte* geſta ſit, non expendere. Adde & illud, quod ratiociniis allatis erraſſe comprobentur, nec in *quæſtione juris* contra certam rationem valeat magnopere authorum numerus. De reliquis, quæ admodum levia Launojus objicit, videatur Natal. Alexand. Diſſert. cit.

Hucuſque Anti-theſiſta: Tu, Lector, judica.

IV.

MARTINI BENDER Soc. Jesu

SS. Theologiae Doctoris et in Alma et antiquissima Universitate Trevirensi Professoris publici

ANIMADVERSIONES IN VINDICIAS HISTORICO-JURIDICAS SUPRA POSITAS.

Augustae Trevirorum A. 1767.

I. Inter multas ex *Jure vario* Positiones, quas Clarissimus Juris Canonici in antiquissima Universitate Trevirensi Professor ad *Oct. Kal. Aprilis* anni superioris edidit, & hanc vidimus: *Et Papam accusari posse etiam extra casum deviationis a fide, docet inter alia exemplum Joannis XII. & XXIII. depositorum.* Quæstionem eandem in Locis Theologicis explicandis quidam e Societate Jesu, in eadem Universitate publicus Theologiæ Professor cum pertractasset; ita mense *Majo* differuit; ut poneret *Thesium Theologicarum Sect. III.* hanc ordine VIII. *Extra utrumque* (hæreseos, & schismatis) *casum JUS Papam deponendi convenire Concilio nec docet exemplum* JOANNIS XII. *nec* JOANNIS XXIII. *depositorum.*

II. Pupugit, quod asserui, Virum clarissimum; atque, ut Thesi suæ, cujus Veritatem cum *Imperii*, & inclytæ *Nationis germanicæ* gloria, cumque ipsa etiam *Ecclesiæ Romanæ* Sanctitate esse conjunctam arbitratur, bene consuleret, ad *Apologiam*, *Vindiciasque* meditandas animum, stimulosque admovit.

III. Ac erupit quidem in lucem Lucubratio illa ineunte *Septembri*, nec sine strepitu; apparatu etiam Inscriptionum amplissimo, quæ & frontem incingunt Thesium, & ad ipsum Apologiæ corpus, veluti in nodum, confluunt. Quæ enim primo aditu disertissima hac coronantur Epigrapha: *Apologia Historico Canonica pro S. Provincia Romana* JOANNEM XII. *Papam, ut Apostatam an. 963. reprobante, & coram* OTTONE M. *Imp.* HENRICO I. *Trevirensi,*

aliisque Germaniæ, & Italiæ Archi- & Epiſcopis LEONEM VIII. *canonice eligente,* ea verbis deinde tribus: *Vindiciæ Hiſtorico-Juridicæ* appellantur. Obiter literatis placet Ornatus: Literatiores brevitas Sermonis, ſi tamen rerum ponderi adjuncta ſit, delectat. Rem vero ipſam ad formam præmeditati ſyſtematis tractat. *Principia* ex methodi Legibus primo figit loco; hæc deinde ad depoſitionem JOANNIS XII., quam ſolam hactenus ab injuria vindicandam ſuſcepit, applicat; viasque omnes, unde ad cauſam, quam tuetur, præſidii poſſit aliquid accedere, tam ſollicita ſcrutatur indagine, ut, niſi patrocinium omne res ipſa reſpueret, a tam laborioſo patrono non leve accepiſſet. Denique, ne non ſit liberalis in adverſarium, pro otio hiſtorico *juris publici Eccleſiaſtici* ſibi facto, proque oblata *nuperam Theſin* ſuam explicandi occaſione gratias dum agit, etiam habet. Novum ſibi poſtulat, qui beneficii in ſe collati gratam memoriam conſervat.

IV. Altero igitur beneficio Virum, veri juſtique amantem, mihi videor obſtricturus, ſi meam illi de adornatis a ſe Vindiciis ſententiam libere, & moderate aperuero: faciamque id eo lubentius, tum, quod illam noverim multorum eſſe levitatem, mobilitatemque animi, ut ad pompam politi operis, cujus refutationem non viderint, fuco veritatis capiantur; tum quod animi ſit parum ſibi conſtantis, a ſententia, quam non alterius odio, ſed veri tutandi gratia ſuſceperis, alienis objectionibus, ſpecioſis magis, quam ſolidis dimoveri. Ita autem in hoc argumenti genere verſabor, ut, primum, quid in poſita a Vindiciarum Authore Principia merito animadvertendum; deinde quid in eorundem Applicatione a vero ab erratum, quid præter rem poſitum, quid malæ cauſæ propugnandæ neceſſitate pro libitu aſſumptum fuerit, paucis, ubi res tulerit, & clare exponam.

V. Tentatam in Synodo Romana an. 963. ſub *Ottone M. Joannis* XII. Depoſitionem ut, illegitimam fuiſſe, &, ſpectato jure, nullam evincerem, duplici utebar genere argumentorum; primo, quod extrinſecum dici aſſolet; altero ex re ipſa petito: illud Hiſtoricorum, non qualiumcunque, ſed nobiliſſimorum authoritas, hoc eorundem momenta ſuppeditabant. Utrumque illud ut retundat Vindiciarum Author, videamus quæ principiorum loco, & quo jure, quove fructu præfigat.

Animadverſiones in Principia Vindiciarum Authoris.

VI. Initio illud ponit. *In jure publico* ECCLESIÆ, & IMPERII, *decent, probantque* FACTA PUBLICA, & *exempla, donec* AUTHORITATE PUBLICA, *vel* SENSU COMMUNI *reprobentur, velut* NON JURE FACTA.

VII. *Ani-*

VII. *Animadvers.* 1. Majorem *claritatem*, & *veritatem* minus ambiguam ſicut in reliquis, ita & in hoc primo Vindiciarum Principio jure requiras; Principiorum præcipuas dotes, quibus quæ carent, ea non modo non eſſe, ſed nec Principia dici poſſunt. Id vero, quod Vindex poſuit quam implicatum eſt, & inceps ad veritatem? Eſtne, qui ignoret, in *Eccleſia*, & *Imperio* dari facta, publica illa quidem, at cum lege ſeu divina, ſeu humana *certa*, & *irritante* pugnantia? quæ iſtis inerit probandi, quæ docendi vis, etiam ſi nulla poſterior publica authoritas, aut ſenſus communis ea diſerto nomine, & ſingulari reprobaret? *Quod contra jus fit, pro infecto habendum eſt. Nec firmatur tractu temporis, quod initio non ſubſiſtit.*

2. Utinam regula, a Vindice poſita, in factis publicis nulla lege aut invalidis, aut prohibitis, e. g. in Contractibus, Donationibus, piis Legatis &c. a Republica, a Magiſtratu, a Principe conſtitutis ſtaretur ſemper! Nullus eſt ei Locus magis proprius.

3. Ut commendatum Principium indubiam, & pellucidam haberet veritatem, non erat iſtud prætermittendum: ut facta hujuscemodi publica reprobari *in individuo & debuerint*, & *potuerint*. Quod ſi enim aut repudiari ſingularia non debuerint, *toto genere* per leges priores jam dudum condemnato, aut per multa obſtacula non potuerint, vanum erit, quod inde excuſſeris argumentum. Sic Critici docuere.

4. Illud etiam expendamus, quo demum, quæ id genus factis ineſt, probandi vis nitatur: non alio certe, niſi juris præſumptione. *Præſumptio* autem *cedit Veritati*, inde unde cognitæ. Has limitationes, & conditiones ſi principio Vindicis, tanquam fulcra omnino neceſſaria, ſubjeceris, ſtabit illud quidem; ſed cauſæ, quam ſuſtineo, non officiet.

VIII. Alterum Vindiciarum authori hoc eſt. *Diſputationes* DOCTORUM *Scholaſticæ in contrarium, dum facta quidem ejusmodi fatentur*, JUS *vero negant, non attenduntur, quamdiu non reſultat ex ſupradictis alterutrum.* Huic, quoniam connexa inter ſe ſunt, adjungamus & tertium. *Ad hoc raro perveniunt ratiocinia Recentiorum, qui e. g. Sec. XVI., priore, aut noſtro, primum inceperunt* QUÆSTIONEM JURIS *ſuſcitare contra facta* ANTIQUISSIMA, *e. g. Saculi X. vel XI. ante ipſos non reprobata.*

IX. *Animadvers.* Nolo, quæ ad primum notavi, ad ſecundum, & tertium Principium repetere, quamvis pleraque ex illis neque hic abs re forent. Illud adverto, Diſputationes *Doctorum* Scholaſticas non minus, quam Diſſertationes *Interpretum Juris Pontificii* eſſe tanti, quanti momenta ſunt, quibus nituntur. Hæc vero in quæſtione, ubi, facto non negato, negatur *jus*, attentionem non mereri, etiam, cum factum neque *authoritas publica*, neque *communis*

nis ſenſus damnat, arbitraria eſt, ut mitiſſime dicam, poſitio, non Principium. Qui noſtra ætate artem criticam, licet ſæpe ultra limites a ratione præſcriptos, exercent; id tamen *jure ſuo* ſibi dari poſtulant, ut multa ex iis, quæ nunquam antiquitas aut *publica authoritate*, aut *ſenſu communi* veluti adulterina repudiavit Patrum ſcripta, vel Pontificum decreta, ipſi tamen contentione rationum vel *Spuria*, & *Suppoſititia*, vel fidei eſſe *dubia* evincant. Et in Doctores Scholæ tam erimus iniqui, ut recentioribus eorum diſputationibus, quantumvis ſolidis, cum in *jus* facti antiquioris incidunt, nihil ad probandum nervorum ineſſe arbitremur, niſi illas aut *Senſus communis*, aut *publice authoritatis* Sigillum communierit?

X. Quartum in Vindiciis Locum iſtud pronuntiatum occupat. *Authoritas Recentiorum ejusmodi, ut ut eruditorum, redditur ſuſpecta ex* SPIRITU NATIONIS, *vel* SUÆ PROFESSIONIS, *item ex* LOCO, UBI SCRIBUNT, *ex* FINE POLITICO *aulæ ſuæ, quem non pauci ſcribentes a latere ſuo ſtantem continuo reſpicere debent, ne offendant.*

XI. *Animadvers.* 1. Ergo Vindici ex *Spiritu nationis* vacillat recentiorum fides? *Omniumne?* nemo quidem hic excipitur. Hanc vero maculam ſi recentioribus aliarum gentium Scriptoribus promiſcue affricare pudor non fuit; at conſultum velle debebat *Germanorum* gloriæ, is cumprimis Vir, qui *Applicationis §. VIII. L. H.* inſigni iſthoc *Germanos* decorat elogio: *Germani, natura ſinceri, non adulantur, niſi cum diſciplina ad hoc peculiari inſtituuntur.* Sic priora poſterioribus, poſteriora ſuperioribus cohærerent: nec videretur nationem ſuam idem & laudare, & vituperare, extollere, & deprimere, cum e re ſua fuerit.

2. Eandem Recentiorum authoritatem, ſi Vindicem audimus, præterea labefactat *Spiritus Profeſſionis*, *Locus*, in quo, *finis*, ex quo ſcribunt. Non diffitebor ex uno aliquo iſtorum & Recentiorum, & Antiquiorum etiam Authorum fidem infringi *aliquando:* concedam, nec eſſe id infrequens: ſed hanc nullo facto diſcrimine, nulla cautione adhibita, Labem Recentioribus aſpergere, tanquam ſi ita communis ſit, ut ab ejus Suſpicione nec perſpectus in authore *amor veri*, nec *ſtatus dignitas*, nec *Perſonæ nobilitas*, nec *mores ingenui*, ſimplicesque Scriptorem eximant, id vero eſt hominis ea ſtatuentis, quæ ſapientibus video non probari.

3. Unam hoc loco, eamque omnibus, quas Vindex indigitat, multo ſecuriorem, & communi eruditorum aſſenſu comprobatam ſubleſtæ fidei notam mirum, quod Adverſarius prætermiſerit. Eſt autem illa, *animus* authoris ab eo, in cujus rebus geſtis commemorandis verſatur, *averſus*, mens alienior; præcipue, cum illam Scripta authoris non obſcure ſignificant, ſeu proprio iſtius

iſtius nomine inſignita fuerint, ſeu nullo certo nomine conſignata; dummodo compertum ſit eſſe authoris.

XII. Sequitur Principium V. *Nominatim* GALLORUM, *Scriptorum authoritas, dum factis* IMPERATORUM, & EPISCOPORUM IMPERII, *ad quæ ipſorum Reges, & Epiſcopi non concurrerunt, jus adſtitiſſe negant, non debet contra* GERMANOS, ITALOSQUE, *qui S. R. Imperium conſtituunt, ſuſcipi ab his, qui ſunt de S. R. Imperio.*

XIII. *Animadvers. 1.* Si hujusmodi armis dimicamus *Germani*, vereor ne noſtro nos gladio *Galli* jugulent. Quid enim, ſi ita retorqueant: *Igitur & GERMANORUM, & ITALORUM Scriptorum authoritas, dum factis* REGUM, *& EPISCOPORUM GALLIÆ, ad quæ ipſorum Imperatores, & Epiſcopi non concurrerunt, jus adſtitiſſe negant, non debet contra* GALLOS *ſuſcipi ab his, qui ſunt de Gallia?* An ejusmodi conſecutionem, quam ex Vindicis Principio pronam, tam *Germanis*, *Italisque* Scriptoribus indignam *Germanus* (ita Vindex §. VIII. *L. c.*) *pane germanico veſcens* admittet? An ut Europam reliquam omnem contra *unicum* vel Germanorum, vel Italorum paucorum facinus exarmet, Germaniam pariter, & Italiam univerſam in ſimili exterarum gentium hiſtoria elinguem, & inermem, aut ſuis telis configendam populis omnibus objiciet?

2. Et cur obſecro nefas ſit, in hujuscemodi controverſiis *Gallorum* authoritatem allegari ab iis, *qui ſunt de S. R. Imperio?* An quia *Galli* auræ, & aulæ, non veritati litant? An quia pro Imperii gloria *Germanis* eſt veritas relinquenda? iſtud *Gallis* injurium, hoc turpe eſt *Germanis.*

3. *Natali Alexandro* fabam cudit Principio ſuo Vindex: ſed *Natalis* animum procul abeſſe a ſuſpicione *adulandi* etiam tunc, cum *pro* Romano Pontifice loquitur, nemo eſt, ſi *Natalem* noverit, qui ignoret. At aliud ſentit, aliud loquitur *Natalis.* Hoc de crimine *Natalem* inſimulant *Vindiciæ a* §. VII. *ad* IX. Gravis accuſatio, ſi vera eſt; ſin falſa; calumnioſa obtrectatio: de quo non multo poſt, nunc Principia proſequamur.

XIV. Sextum ita ſtatuit. *Ad hæc contingit, ut author absque eo* SATIS MULTA *prævisis ſuæ cenſoribus* DISPLICENTIA *ſcribens, nonnulla ſaltem illis* PLACENTIA *intermiſceat, ne per omnia exoſum ſe faciat.*

XV. *Animadvers.* Hoc ſcribendi genus quale, & cujus ſit, quis non videt? Certe non aperti, non ſimplicis, non ingenui, non viri boni, qui ad probandum id, quod non probandum judicat, odii alieni formidine compellatur.

XVI. Denique agmen Principiorum ſeptimum iſtud claudit. *Interdum quoque artificioſa diſſertationis ſuæ digeſtione, & ſub ſpecie diſcreti diſputatoris, vel*

reductoris authoritatum ad rectum Senſum, vel propoſitæ, non ſatis ſolutæ objectionis, idem præſtat author, ac ſi ſententiam, quam impugnat, tenuiſſet.

XVII. *Animadvers.* 1. Sententia, quam author ex profeſſo oppugnat, *ex animo* oppugnare; quam datis in Lucem Diſſertationibus propugnat, *ſincere* cenſendus eſt propugnare; ne, ſi verba a mente abludere deprehendantur, de impoſtura vapulet, atque in illud S. GREGORII L. MORAL. X. *cap.* 16. æquiſſimum incurrat vituperium: *hujus mundi Sapientia eſt, cor machinationibus regere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, falſa demonſtrare.* Eſtque præterea animi immodice ſuſpicacis, talem de Scriptore, cæterum non ignobili, ſuſpicionem admittere, niſi indicia luce clariora illam extorſerint.

2. Neque poſtremum hoc, neque quod proxime antecedit, inter Principia recenſeri oportebat; cum ab eventu uno, alterove nulla ſit vel ad tertium conſecutio. Hæc in Vindicis *Principia*; plura in *Applicationem*, ipſam notabimus.

Animadverſiones in Applicationem.

I. Exauctorationem *Joannis* XII. ut, non jure eſſe factam, conficerem, principio Authoritate contendebam; nec plebejorum, ſed præſtantiſſimorum Hiſtoricorum, Cardin. *Baronii*, *Pagii*, *Petri de Marca*, *Graveſonii*, *du Meſnilii*, *Natalis Alexandri:* uno hanc ſternere parat ictu Vindiciarum Author, dum ſpernit. *Non curamus*, ait, *allegatas authoritates Recentiorum.... Producatur authoritas non* SUSPECTA, COÆVA, *aut* SUPPAR, NIXA AUTHORITATE PUBLICA, *vel* SENSU COMMUNI ECCLESIÆ, *aut* DOCTORUM EJUS TEMPORIS. Nova pugnandi ratio! quorum vel ſoli nomini ingenium in hiſtoria Eccleſiaſtica, & Jure canonum, Theologicisque diſciplinis ſubactum reverentiam debuerat conciliare, eorum authoritatem, rationibus licet firmiſſimis roboratam, levi contemptu velle proſternere; quaſi vero tam fragili arundine tantæ columnæ concidant. Ego quidem ſic exiſtimo; nec vereor, ne adverſarios hic habeam, æquiſſimos quosque rerum arbitros; uti, cum de *facto antiquiore* controvertitur, *Recentioribus antiqui*, ita cum de *Jure* inquiritur, *antiquis*, qui, de jure non indagando, factum tamen ſimpliciter probarunt, *Recentiores*, cum momentis ex eorum, quibus res contigit, & ſuperiorum etiam temporum memoria, uſuque, ac perpetua traditione petitis jus impugnant, eſſe anteponendos. Momenta vero, quæ ex *Natali Alexandro* adduxi, & hic ex *Baronio*, quibus plerique citati a me Authores, nituntur, quam ſapiant antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem, quam ſint ſucci, & nervorum plena, erit poſtea dicendi locus: primum enim *Baronio* ſuus contra Vindiciarum Authorem vindicandus eſt honor; ſua *Natali* fides.

II. De priore ita Vindex §. VI: *De magno Hiſtoriæ eccleſiaſticæ parente Cardin. Baronio ſentimus, illum maximi nomen meriturum fuiſſe, ſi intra eos fines man-*

manſiſſet, quos ſibi *velut* HISTORICO *præſcripſit* OTTO FRISINGENSIS *Epiſcopus L. 6. cap. 6. in hac ipſa cauſa* JOANNIS XII. *dum relata breviter hiſtoria ſic ſcribit*: QUÆ OMNIA, UTRUM LICITE, AUT SECUS, ACTA SINT, DICERE PRÆSENTIS NON EST OPERIS, RES ENIM GESTAS SCRIBERE, NON GESTARUM RERUM RATIONEM REDDERE, PROPOSUIMUS. Sed, quid, ſi vel ipſa iſta *Ottonis Friſingenſis* ſententia modeſtam cum *Ottonis* Imperatoris, tum Synodi ſub illo celebratæ reprehenſionem contineat? Eſt, qui ita ſentit, authorem non facile contemnendus Cardin. *Bellarminus.* * Quanquam, quidquid id eſt, cauſa certe, propter quam æquum fuiſſe *Baronio* de jure quæſtionem inſtituere negat Vindex, palmaris eſt in hiſtoria lapſus. *Maximus* foret illi *Baronius*, *ſi hic*, *& in pluribus aliis non diſputaſſet* ſuper jure, *cum jura* ex profeſſo *non didicerit*, *multo minus* JCtus graduatus *fuerit*. Poſſem hic ingenio habenas laxare; ſed moderabor animo: falſo verum opponam. Quæſtio *facti* eſt ab ætate noſtra remotioris, utrum juri addiſcendo *ex profeſſo* ſe dederit, utrum in jure *Gradum* conſecutus ſit *Baronius*: negat utrumque Vindiciarum Author; utrumque affirmant hiſtorici, *recentiorum* unus, alter Baronio *coævus*. Prior eſt Georgius Joſephus Eggs *Ss. Theol. Doctor*, *Cæſareo-Archiducalis Eccleſiæ ad* S. Martinum *Rheinfeldæ Cuſtos*, *& Senior*. Sic ille de Baronio: ** Cæſarem Coſtam *magni nominis virum* (*qui deinde Capuanæ Eccleſiæ præfuit*) publicum *Juris Interpretem nonnullis annis audivit*. Pontificia, & Cæſareana *ornatus Laurea*. Poſterior eſt Henricus Spondanus *Mauſeolenſis Aquitanus*, *Epiſcopus Appamienſis*, en hujus de Baronio verba. *** *ad capeſſendas* ſacrarum, *ac* civilium *Legum conſtitutiones Neapolim miſſus*, *cum novi quidam in ea civitate bellorum tumultus excitarentur*, *inde a Patre eductus*, *Romam contendit anno Domini MDLVII. ætatis ſuæ undevigeſimo*, *ubi præceptorem habuit* in jure *publice interpretando* Cæſarem Coſtam, *qui poſtea Eccleſiæ Capuanæ Archi-Epiſcopus creatus eſt*. Nec ita multo poſt Baronium a modeſtia animi commendans inter reliqua hoc prædicat: *hinc enim ſui* privilegii Doctoratus (*quo ſe inſigniri*, *ut patri ſuo morem gereret*, *non recuſaverat*) *in fruſtra conciſio*. Quid his addam, niſi illud: *Quandoque bonus.*

III. Errorem hiſtoricum §. *eodem* proxime excipit altera, quæ ſpongiam patiatur, aſſertio, *Hiſtoricus*, *qui ſuper* alio, quam facto diſputat; inquit Vindiciarum Author, evadit advocatus, *aut* ſectator partium. Miſeram hiſtoricorum conditionem, ſi aut veritati non licet patrocinari, aut, quod perperam actum judicant, id reprobare non auſint, quin de *partium ſtudio* condemnentur! Quid hoc eſt aliud, quam præclariſſimis authoribus, qui hiſtorias ſuas

* *De Translat. Imper. Rom. L. 2. c. 4.*

** *Purpuræ doctæ L. 3. pag. 190.*

*** *De Illuſt. Cardin. Baron. ante. Init.* Epitome.

ſuas criticis diſſertationibus, quibus aut male geſta damnant, aut probant recte facta, illuſtrarunt; diem dicere; & quod ſempiternæ illis laudi eſſe debuerat, hoc vertere crimini? Omne tulit punctum hiſtoricus, qui quæ facta cum fide commemorat, ea æqua, an iniqua ſint, judicio medio diſcernit.

IV. *Baronio* a Vindice negatur Epomis: timeat ab eodem candori ſuo *Natalis Alexander*, juſta ſe ſe oſtendit cauſa metus. *De* Natali Alexandro *autem* (pergit Vindex §. VII.) *ſentimus, quod ipſe in hac diſſertatione*, ſub ſpecie refutandæ Synodi Romanæ, *dixerit, quæ ſuo tempore* absque præſtrato facto *dicere non fuiſſet auſus, ob nimias, quas prævidit, contradictiones æmulorum.* Quam hæc, ſi vere objiciuntur, *Natalem* commendent, docet mea ad VI. & prima ad VII. Vindicis Principium *Animadverſio.* Sed illud parum probabile, quod *RR. Cenſores* hanc *Natalis* aſtutiam non ſint ſubodorati, quam ſe deprehendiſſe Vindiciarum Author exiſtimat; aut, quod, olfactam non exprobraverint ei, *cujus Libros perſecuti ſunt promovendo ipſos in indicem Romanum prohibitorum* (hoc charitatis officium *Jeſuitis* attribuit, & *Solis* quidem, Vindex §. VIII. L. f. primum præter rem; deinde ſine tabulis, ſine teſtibus) habebant & illi nares *eruditas*: quanquam non omnibus ſunt tam *Atticæ.* Totam hujus inventi gloriam ſoli Antitheſiſtæ noſtro natura ſervavit. *Natalis Alexander* Synodum Romanam contra *Joannem XII.* habitam refutat, tanquam limites juris egreſſam, & tota Diſſertatione refutat; hæc Vindici non aguntur, niſi in *Speciem.* Quid ita? allegat Natalis *antiquos Scriptores, qui factum illud* approbarunt; atqui his *defectum probationis*, & *adulationem* objicit, vel ipſo non diffitente Vindice. *Nullum allegat* reprobantem; ipſe multis reprobat argumentis. Laudat Ottonem *Friſingenſem nominatim, tanquam* prudenter a quæſtione Juris *abſtrahentem; Alexander* cum hiſtoria, *juris quæſtionem* jungens, pari illam ſtudio, & æquitate dijudicat. *Natalis* non dubitat, *Joannem XII.* fuiſſe nequiſſimum Pontificem: *Leonem* tamen ei ſuffectum, ex albo Pontificum expungendum contendit, etiam *contra plerosque coævos.* Vitia *Joannis* ipſum ita *exoſum* feciſſe, ut *magno Eccleſiæ commodo videretur exauctoratus, nec inquirerent plerique, an jure id factum ſit*, concedit; ſed *jure* id factum eſſe negat. Quæ hæc indicia rei per *ſpeciem* ab *Alexandro* geſtæ? quæ callliditatis veſtigia? At necdum periculo defunctus eſt *Natalis: Joannem* enim *graviter* peccaſſe, *cum recuſavit adeſſe Synodo*, fatetur. *Moneri*, & *argui* potuiſſe *ab Epiſcopis in Synodo* quacunque, *cum ejus conſenſu congregatis, illisque* debuiſſe *ſatisfacere*, non negat; quin *hanc regulam eſſe dictantis juris Naturalis ſubdit, probat exemplis, & authoritate* B. Petri Damiani. Quid deinde? etiamne *Natalis* illud dat, de quo hæc omnis eſt controverſia, *Joannem* XII. ab iisdem Epiſcopis, ſine conſenſu ejus congregatis potuiſſe *deponi?* Nihil eſt, quod acrius impugnet. Affirmat ſententiam in Romanum Pontificem ferri non debere, *niſi in cauſa hereſeos, aut ſchiſmatis, idque non a Synodo Nationali, ſed Oecumenica;* contendit in Scho-

Scholio I. ad *Animadverſiones*, quas Vindex *Jeſuiticas* honoris cauſa appellat, *Joannem XII. comparere* debuiſſe, *non ut judicetur*, *ſed* ut vel canonice ſe purget, vel monitus ab Epiſcopis emendationem ſpondeat; negat in *Scholio II.* hanc Propoſitionem: *contra Papam poteſt congregari Concilium ipſo renuente, propter exceſſus*, & pernegat eſſe ſuam; tuetur iſtam: *Quamvis Concilio non licuerit exauthorare Summum Pontificem, aliumque in ejus locum ſubſtituere; licuit ipſum admonere, arguereque ſalva Apoſtolicæ dignitatis reverentia, & concilium in hunc finem congregatum utile eſſe potuiſſet, ſi ſubſtitiſſet intra Limites a jure poſitos.* Sed tueatur iſta *Natalis:* neget illa, & perneget; affirmet, contendat, vociferetur: plena ſimulationis, aut (mitiori Vindicis vocabulo) *curialitatis* ſunt omnia. Non indicent animum *Natalis*, a dictis abludentem, verba *propria;* at manifeſtabunt aliena. *Docuit enim* per os aliorum *ſummæ authoritatis virorum*, *quod* ſuo ore docere *non eſt auſus.* Hoc *Natalis* artificium Vir Clariſſimus, Adverſarius noſter §. VIII. *L. h.* detexit. Et qui demum iſti *ſummæ authoritatis* Viri, quorum ore *Natalis* docet? *Sunt hi* (inquit Vindiciarum Author ibid.) Joannes de Turre cremata *Cardin*, Sylveſter Prieras, *Sacri Palatii Magiſter*, Franciſcus Victoria, *Pariſienſis*, & *Salmanticenſis Theologus:* magna, fateor, Ven. Ordinis *S. Dominici* Lumina! *primi authoritatem munivit authoritate Cardinalium* Clementis Moniliani, & Michaëlis, *poſtea* S. Pii V. *Horum trium authorum propoſitionem dixit eſſe illam, quam notaverant Jeſuitæ: contra* Papam poteſt congregari Concilium, ipſo renuente, propter ejus exceſſus. Audin, ut per illos *Natalis* loquitur? Verum occurris: præmonuit *Natalis* ſe ab iis *diſſentire*, ſi quid aliud velint, præter id, quod a ſe dictum ſit; negatque iſtam eſſe Propoſitionem *ſuam*: In promptu Vindex habet, quod reſpondeat: hæc per *curialitatem* dicta ſunt. Revocetur in memoriam *Principium* Vindicis VI. & VII. inde iſta fluunt. *Natalis* ſcilicet convictus tenetur: idem, quod tres illi maximi viri, velit, nolit, ſentit. Hi autem quid ſentiunt? *Manifeſtum eſt, quod iſti tres magni viri docuerint plus, & aliud voluerint*, ait Vindiciarum Author ibid.; & aliquas eorundem Sententias numerando recenſet. At illud non ſatis pellucide hic dicitur, quod caput eſt cauſæ noſtræ, an Cardin. *de Turre cremata*, an *Sylveſter*, & *Franciſcus* judicaverint factum Synodi Romanæ *Joannem XII.* exauctorantis eſſe legitimum? An ſenſerint Papam propter *morum deformitatem* ab ejusmodi Concilio eſſe *exauctorabilem?* Lucem ergo ab aliis Vindiciarum §. §. accipiamus. *Hoc* (Eccleſiæ Romanæ factum) *pro exemplo deponibilitatis ob perverſos mores, & actus adduxit* Cardin. de Turre cremata, *cum prælaudatis 3. ſequacibus*, inquit Vindiciarum Author §. XV. & §. XX.: Papam exauctorabilem eſſe *in caſu* incorrigibilis deformitatis vitæ, negari quidem a me, *ſed contra allegatas* a ſe *authoritates* §. VIII. *L. h.* Quid ſi nec Cardin. de *Turre cremata*, nec *Sylveſtrum Prieratem*, nec *Franciſcum Victoriam* Authori hic patrocinari? ſi repugnare etiam? ſi Vindicem falſa, & manifeſte falſa prolocutum fuiſſe evicero, etiamne aut con-

tra *Natalem*, aut contra me authoritate tanta abutetur? Rem non oppido difficilem aggredior, & ex ipſis deduco fontibus.

V. Ac primo quidem quid Cardin. *de Turrecremata* in præſenti controverſia ſenſerit, videamus. Is factum Synodi Romanæ, *Joannem XII.* deponentis, *pro exemplo deponibilitatis ob perverſos mores, & actus adduxit*, ſi Vindiciarum Authori fides eſt. Nihil dici poterat non modo falſius, ſed nec minus ſimile vero. Quid enim? Cardin. de *Turrecremata* hoc pro *exemplo deponibilitatis* adduxit? Is, qui, poſtquam *ſummæ de Eccleſia L. II. cap. 93* præmiſiſſet, in *Superioribus* ſuis *luce clariſſima* patere, *quod Romanus Pontifex* verus, & indubitatus *extra caſum hæreſis pro Sublimitate Principatus ſui* judicem *non habeat Superiorem in terris*; pro ampliori tamen hujus veritatis illuſtratione Sententiam eandem capite eodem *Rationibus, Sacræ Scripturæ exemplis, Ss. PP. authoritatibus, Sacrorum Conciliorum Definitionibus, Apoſtolicæ Sedis determinatione, Clariſſimorumque Doctorum Sententia, & doctrina* copioſiſſime demonſtrat? Qui rationes adverſariorum, quod Papa extra caſum hæreſis habeat *judicem* in terris, videlicet *Eccleſiam univerſalem*, cum propoſuiſſet *cap. 97*, diluit, & accurate ſolvit *cap. 98. 99. 100. 101. 102. & 103.* Qui *Cap* 101. ita conceptis verbis concludit: *cum autem juxta Canones Sanctorum* Patrum, *& Sanctorum* Doctorum *doctrinam Papa, niſi in fide deviet*, a ſolo Deo *judicandus veniat, propter quodcunque ſcandalum Veritas doctrinæ tantis in convulſis Sanctorum Patrum radicibus fundata non eſt aliquo modo relinquenda*: is inquam factum illud pro legitimo exauctorationis exemplo allegat? Et factum quidem idem, de quo *L. c. cap. 103.* ita ad verbum: *Cetegum etiam non favet adverſariis, dato, quod ita ſit, ſicut inductum eſt, quod ipſi* Joannes *duodecimo ob turpem, & ſcandaloſam ejus vitam per* Ottonem *congregato a tota Italia Epiſcoporum Concilio legatur depoſitus, & communi voto* Leo *illi ſubſtitutus, quoniam hoc videtur actum non de* Jure *ſed de* facto *per Imperatorem congregatis non totius Eccleſiæ, ſed tantum Italiæ Epiſcopis, nec talia facta ſunt attendanda, quia non exemplis, ſed Legibus judicandum eſt* C. de Sen. nemo. Is inquam hoc exemplo, quod intendit author, confirmat, qui injuſtitiam ejus eſſe manifeſtam aſſerit? Sic enim Orationem proſequitur. *Quod vero illud* de facto *proceſſerat, non* de jure, *patet: quoniam ipſe* (Joannes XII.) *poſt receſſum* Ottonis *a Romanis receptus Synodum congregavit Romæ, in qua* Leonem, *& omnia ejus geſta damnavit. Nam ut refert* Vincentius *Lib. 25. ca. 86. in hoc Romano Concilio publice omnium judicio fuit ſtatutum Synodum a Leone habitam, in qua ipſe* Leo *aſſumptus fuerat* Joanne *depoſito non nominandam Synodum, ſed proſtibulum, & ab ipſo* Leone *ordinati fuerunt degradati, & deordinati juſſi etiam ſinguli præſentare in Carta Scripturam hanc. Epiſcopus meus ſcilicet Leo, qui eos ordinaverat* nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit: *ſed tamen quia vita ipſius* Joannis *erat deteſtabilis, & Chriſtiano populo plurimum ſcandaloſa*, Dominus Jeſus Chriſtus *non*

paſſus

ſus amplius Eccleſiam ſuam ſcandalizari, in eum damnationis ſententiam intulit, ote *qui* ſolus *in eum poteſtatem habebat. Nam cum uxore cujusdam oblectaretur,* bito *a diabolo in tempora percutitur, & ita ſine pœnitentia moritur: cui* Benedi- us *ſubrogatur, & deinde* Leo. Quo igitur jure tantus Vir, quod perſpicue, llucideque negat, id dicatur affirmaſſe; quod, eſſe iniquum, tantis probat omentis, id æquum exiſtimaſſe, non video: nec ipſe videbit Vindex, cum ec legerit, quæ ipſomet ex Cardinali *de Turre cremata* ſumma fide huc trans- ripſi. *

VI. Cardinalem deinde ſequitur *Sylveſter Prieras* uti ſtatus ejusdem, ſic & isdem Sententiæ Profeſſione; ut veriſſime de illo Vindiciarum Author, eſſe *uacem* Cardinalis de *Turre cremata*. dixerit; quod unum ſatis foret, ut Vin- ci intelligeretur adverſarius. Verum hanc didici, nec invito, ut opinor, ndice, *Magiſtro Sacri Palatii* deferre reverentiam, ut, quid ſentiat, doceat ſemet. Utrique tantiſper erimus Auditores. *Quæritur*, ita inquit, ** *utrum, quare, & quomodo poſſit papa judicari, & per depoſitionem papali authoritate pri- ri? Et dico ſententialiter, & concludendo medullam dicendorum, quod Papa judi- s non habet in terra, niſi deſinat eſſe caput, aut ſe ſponte ſubjiciat, & quod a nullo eſt deponi, niſi ſe ipſum ſuo facto deponat: licet per Concilium poſſit declarari de- itus: & hæc ſic patent. Nam in c.* nos ſi. ij. q. vij. *Deus judicium papæ ſine ſtione ſuo reſervavit arbitrio. & in C.* nemo IX. *q. iij. dicitur: Nemo judicabit mam Sedem. Neque enim ab Auguſto, neque ab omni clero, neque a regibus, ne- a populo judex judicabitur*, id eſt papa. Tum tres ex gl. *fallentias*, ut appel- , ſubjungit; objectionem ex S. *Hieronymo* diluit; *Anacletum*, & *Augu. de ich.* pro ſe citat. poſt ita ſermonem proſequitur: & *idem* Pet. de Pal. *in libro poteſt. Papæ ſentit dicens, q; Papa quamdiu eſt Papa, deponi non poteſt propter idcunque crimen, nec a concilio, nec a tota eccleſia, nec a toto mundo, non ſolum a eſt ſuperior nullum habens hominem ſupra ſe, qui eum valeat judicare: ſed quia us ſibi Romani præſulis quamdiu præſul eſt, judicium reſervavit. IX. q. iij.* alio- n. *Si tamen labitur in hæreſim, eo ipſo eſt præciſus ab eccleſia, & deponitur de to, & deſinit eſſe caput eccleſiæ: quia caput præciſum, quamdiu eſt præciſum, ca- eſſe non poteſt illius corporis, a quo eſt præciſum. Per alia autem peccata eſt ca- languidum, quod propter hoc non deſinit eſſe caput, nec conſequenter poteſt a mbris judicari, hæc ex illo. Sed contra. Nam gl. in c.* ſi Papa di. *XL. q; non ſolum hæreſi, ſed pro quocunque crimine notorio adulterii, ſimoniæ, & hujusmodi, ſi*

P 2 *eſſet*

* *Vid. Cardin. de* Turre cremat. Summa de Eccleſia *a S.* P. Pio IV. *probata. MDLX. cumque Privil. ejus, & Illuſtriſſ. Senat. Venet. edita Venetiis, L. II. cap. citt. & L. III. cap.* 50. & 51.

** *V. Summ.* Sylveſtri *edit. Antverp. ex Officina* Chriſtophori Plantini *MDLXIX. P. II. Verb.* Papa *n.* 4. *Q.* 4. *tota.*

eſſet incorrigibilis, & ſcandalizaret eccleſiam, poſſet accuſari: quia contumacia eſt hæreſis, quæ conſequenter videtur velle, q; etiam poſſit deponi, ut imponit illi Archi. Quia qui poteſt accuſari, poteſt puniri. Sed certe illa gl. directe textum evertit, ibi dicentem, Papa cunctos judicat a nemine judicandus, niſi deprehendatur a fide devius: id eſt pro hæreſi ſolum. Unde dicit Pet. de Pal. *ubi ſupra, q; iſta gl. eſt falſa: & contumacia dicitur hæreſis large, ſicut & Simonia propter aliquam ſimilitudinem, cum vero dicitur, Papam propter hæreſim poſſe deponi, vel eſſe depoſitum, ſumitur hæreſis proprie, id eſt pro errore fixo eorum quæ ſunt fidei. Et idem de ea dicit* Auguſt *de* Ancho. *addens q; ſalvari poteſt, ſi illa incorrigibilitas alicujus vitii dicatur, quando peccatum dixit non eſſe peccatum: quia eſſet vere, & proprie hæreticus. Et adde tu, q; iſtis ſtandum eſt, & non Canoniſtis, quia materia eſt Theologica: cum authoritas Papæ ſpectet ad jus divinum: & maxime* Pan. *quia ſicut diabolus in omnibus operibus ſuis redolet ſuum primum peccatum ſuperbiæ, ambiens honores divinos: ita iſte, quia fuit ſchiſmaticus conſentiens conciliabulo Baſilienſi contra Pontificem Summum, ſemper in ſua doctrina favet conciliis contra* Papam. Hæc ſi quis in *Panormitanum*, & *Baſileenſe* Concilium dicta eſſe inclementius exiſtimet; me invidiam ne vocet: Verba do *Sylveſtri*, nec alio conſilio, quam, ut palam fiat, non eſſe *Sylveſtrum* in ea ſententia, quam illi Vindex affingit: nec tamen dicam ex eo omnia; ſed quantum ſatis eſt; nolo autem hæc pauca ex eodem prætermiſſa: *Quid autem faciendum ſit, quando Papa ſuis moribus eccleſiam deſtruit: dicit idem* Pet. *primo non eſſe obediendum in multis: ſed reſiſtendum per honeſtam reprehenſionem, exemplo* Pauli *reſiſtentis* Petro *in faciem. Gal. ij. Unde ſi vellet totum theſaurum eccleſiæ aut patrimonium beati Petri dare parentibus ejus, vel eccleſiam deſtruere, & hujusmodi, non eſſet permittendum, ſed reſiſtendum: tamen* ſine depoſitione. Ibid. Quam vere hic illud Vindicis exclamarem, *arma pro nobis:* at non eſt clamore opus, cum res ipſa clamat. Id unum deprecabor *Sylveſtrum*; det mihi veniam, ſi forte, quia Vindiciarum Authori *nimium diſplicentia* loquentem induxi, ut a Collegio Jurisconſultorum ſupra *Baronius* fuit excluſus, ita deinceps ipſe a loco, quem paulo ante in Subſelliis Virorum *Summæ authoritatis* & ſuo merito, & Suffragio Vindicis clariſſimum occupabat, abeſſe juſſus, ad ſcamna obſcurorum, quos *non curamus*, detrudatur, eo prætextu, quod *Recentior* ſit. *Obſequium amicos, Veritas odium parit.*

VII. Nunc tertium illud reliquum eſt, ut de Pariſienſi illo, & Salmanticenſi Theologo *Franciſco Victoria*, cujus ſententiæ fuerit, dicam. Unicum rem totam conficeret ratiocinium: deformitatem morum etiam incorrigibilem negat eſſe juſtam Romanum Pontificem exauthorandi cauſam Cardinalis de *Turre cremata*, per *Demonſtrata*. Hunc ſequitur *Franciſcus Victoria*: per §. *Vindiciarum XV.* ergo. At nolo de argutiis reprehendi. *Tutius ex ipſo.* En igitur Propoſi-

poſitionem *Franciſci Victoriæ* viceſimam tertiam, * quæ Vindici tam eſt viſa ad rem ſuam opportuna: *Propter injuſtas diſpenſationes, vel alia mandata inſolentia, quæ in perniciem Eccleſiæ procederent, poſſet convocari, & congregari Concilium generale contra voluntatem Papæ, ut ei reſiſteret* & obviaret *ejus inſolentiæ. Hoc expreſſe tenet* Sylveſter... *Hoc expreſſe tenet* Turrecremata *aſſertor vehementiſſimus Pontificiæ dignitatis*, &c. Quæ amabo hic literula? quis apex de poteſtate *exauctorandi?* Quod ſi inſiſtens Principiis ſuis VI. & VII ſuſpicatus eſt Vindex *Franciſcum* plus ſignificare, quam dicere; poterat hanc ſibi ſuſpicionem ipſemet eximere, niſi præcipuam in Arte *hermeneutica* regulam, qua textum Authoris cum iis quæ *antecesſerunt*, & quæ ſunt *ſubſequentia*, jubemur conferre, neglectam maluiſſet Contuliſſet duntaxat cum *viceſima tertia* hanc ejusdem *viceſimam quartam* Propoſitionem. ** *In omnibus ſupradictis cavendum eſt maxime a duobus. Primum, ut quantum fieri poſſit, ſervetur ſemper illibata authoritas, obſervata reverentia quæ debetur Papæ: quia ejus contemptus, vel contumelia, vel quæcunque irreverentia vergit in dehoneſtatem Eccleſiæ: ut habeatur in ſummo honore etiam a ſummis principibus, & ſi ſemel inciperet ſperni ejus authoritas, tota Eccleſia laboraret ſchiſmatibus, & factionibus. Quare etiam in Concilio ſi aliquod tale decretum faciendum eſſet, oporteret; ut quam modeſtiſſime loqueretur de autoritate, & perſona Papæ, ut puta ſub hac forma.* Hic exemplar decreti concipiendi proponit, & ſubdit: *ſub hac forma, vel alia commodiori, poſſet proponi decretum ad remedium, & ſalutem Eccleſiæ ſine* offenſione Pontificis. *Secundum, quod maxime, etiam cavendum eſt in hac re, eſt ſcandalum: primum in ipſo decreto faciendo, ne forte ſummus Pontifex in lignatus de hoc Concilio, & repugnans ne hoc decernatur turbet, totum Concilium, & impediantur alia commoda, quæ a Concilio fieri poſſunt, & dividatur Concilium in ſchiſma, & factiones. Sed deinde debet valde caveri a ſcandalo, ſi forte Papa negligat hujusmodi decretum Patrum: & oporteat illi reſiſtere. Debet enim valde animadverti, ne hoc fiat cum ſcandalo, & inde oriatur majus malum, & ne ſi ſemel detur licentia principibus reſiſtendi, & non parendi Pontifici in aliquo, ipſi accipiant in aliis, ubi minimum expediat.* Reflexiſſet etiam animum ad Propoſitionem *Franciſci Victoriæ XXII.* *** Ubi, cum interdum licitum eſſe *reſiſtere* Papæ, probaſſet; hanc cautelam addit: *unde, ut dicit* Cajetanus, *omnia iſta loquimur, non quod aliquis poſſet eſſe* judex Papæ, *nec* autoritatem *habeat in illum, ſed per modum* defenſionis. Tantillus labor faculam accendiſſet, ad intuendam penitus *Franciſci Victoriæ* mentem, quam mihi in eo, quod inter nos diſceptatur, amicam, tam inimicam Vindici.

* *V.* Franc. Victor. *Relect. tredecim edit. Ingolſt. ex officin. Weiſſenhorniana Anno* cIↃ.IↃ.XXC. *Relect. IV. de Poteſt. Papæ & Concilii. N.* 24.

** *Ibid. N.* 25.

*** *Ibid. N.* 23.

VIII. Itaque *Natalis Alexander* in vado eſt: an & *ſides Vindicis*; aliorum eſto judicium. Noſter certe hac in cauſa eſt Cardin. *de Turre cremata*; noſter Sacri Palatii *Magiſter*; noſter *Franciſcus Victoria*: &, ſi primi authoritatem munivit *Natalis Alexander* authoritate Cardinalium *Clementis Moniliani*, & *Alichaëlis*, poſtea *S. Pii V.*, hi pariter noſtri ſunt. Quare, quod ex *Innocent. I. Ep. 7.* ad Epiſcopos *Macedon.* ſibi pro coronide uſurpavit Vindex, illud huc transferatur: *Veritas exagitata ſæpius magis ſplendeſcit in Luce.*

IX. Illud pœne exciderat animo, quod Crito noſter Vindiciarum §. VIII. *L. d.* ait, *turpe* mihi fuiſſe ex *Natali*, homine *extero*, dicterium illud aſſumere: *Germanos* habuiſſe *Leonem VIII.* pro legitimo Pontifice, *Ottoni* Imperatori ut *adularentur*. An minus turpe eſt Vindici, etiam *Germano*, Principia ſtatuere, unde tam fœda ſcaturiant corollaria? Ejuscemodi eſt Vindiciarum Principium IV. *Baronius* ſcriptores iſtius temporis; *nonnihil* viſos eſſe *adulari* Othoni Imper., idque ex eorum ſcriptis *haud obſcure* perſpici contendit, eumque, *qui Appendicem ad Luitprandum affixit*, nominatim incuſat: * Quæ ſi vera ſunt, quid eſt, quod turpitudinem mihi objiciat? Objicit Vindex ibid: *Germani, natura ſinceri, non adulantur, niſi cum diſciplina ad hoc peculiari inſtituuntur.* Dixi in hanc ſententiam aliqua; ** do auctarium: ſunt, qui plus ſentiant, quam dicant; & ſunt, qui plus dicant, quam ſentiant. Neminem nomino; quare iraſci mihi nemo poterit. Sed illud, leviculum eſt, quod ſciſcitatur ibid. An & *geſta Trevirorum*, ... & *Continuator Reginonis*.... & *Sigebertus* Author *Seculi XII. Ottoni I.*, qui *Seculo X.* vivere deſiit, voluerint *adulari*. Duo ex *Natali* verba: *plerique*, &, *coævi*, vel obiter animadverſa, quisquilias detexiſſent. Hæc hactenus de Authoritate. Deinceps de Authorum momentis.

X. De his univerſim ita *Vindex* § IX.: *argumenta vero ipſa quod attinet, procul adhuc abſunt illa a jactata* rationum certitudine, *quæ requiritur*, *ut* antitheſeos petitorium *contra hujus* facti poſſeſſorium *tot per Sæcula neque* publice, *neque* privatim *contradictum evertat*, (Senſum evertit ſententiæ verbum ultimum: *evertat.* Sed hæc ad Grammaticam) deinde caſum, & hiſtoriam facti exponit; vitamque & mores *Joannis* XII. tam nigris, fœdisque adumbrat coloribus, ut, ſi pictum pictura referat, conſequens ſit, ſordes omnis generis, & turpitudines in una *Joannis* XII. vita confluxiſſe. Mihi hanc movere Camarinam uti non neceſſarium, ſic nec decorum putavi. Quod enim agitur, illud eſt: *Jurene*, an *injuria* exauthoratus ſit *Joannes* XII., Pontifex, etiamſi vitiis contaminatus, *legitimus* tamen; nec de *hæreſi*, multo minus de *apoſtaſia a fide* non dico condemnatus, ſed ne accuſatus quidem: *jure* exauthoratum tuetur Vindex: ego: *injuria.* Vincit, qui rationibus prævalet.

XI.

* V. Baron. *ad annum Chriſti DCCCCLXIII. N. XI.*

** Animadverſ. 1. *in Princip. II. Vindiciar. §. XI.*

XI. Quam quisque argumentandi methodum teneat, dummodo ſolida ſit, libera eſt optio: mihi preſſior per Syllogiſmos via placet: hanc in explicandis momentis, quæ, ex *Natali* hauſiſſe me, fateor, ſecutus ſum. Hoc Syllogiſmo exordior: *Inferior non poteſt judicare (quanto minus deponere) ſuperiorem. Synodus autem particularis (talis erat, quæ* Joannem XII. *depoſuit) eſt Romano Pontifice inferior. Concludit* Natal. Alexand. *Non potuit ergo Romana Synodus, ex quibusdam ſolum Italiæ, & Germaniæ Epiſcopis congregata* Joannem XII. *Pontificem maximum judicare, & deponere.* Videor Vindici hoc, ut ille appellat, *vago* argumento contra *umbras* pugnare; id eſt, ut ego intelligo; contra *umbratiles* ipſius ratiunculas. Quid enim *rei* magnopere objicit? Primo negat *Ottonem Imperatorem* in ea Synodo, id quod ex *Natali* retuli, *actorem, teſtem, & judicem* fuiſſe. Atqui *Otto* M. ad Patres congregatos defert, a *Joanne*, juramenti, & fidelitatis ſibi ſupra corpus *S. Petri* promiſſæ, oblito *Adelbertum*, Romam, ut veniret, vocatum; hunc contra ſe defenſum, & ſeditiones factas teſtatur; *Joannem* præterea videntibus Cæſareanis militibus ducem belli factum aſſerit: non agit tantum, ſed urget etiam, ut, *quid ſuper hoc ſancta Synodus decernat, edicat.* * Implorant Patres *Magnitudinem* Imperatoris, ut a Sancta Romana Eccleſia *Joannes* pellatur **. *Imperiali vi* a propria Sede ſe fuiſſe expulſum conqueritur *Joannes XII.* *** Nullamne igitur *Judicis*, nullam *teſtis*, & *actoris* perſonam *Otto M.* ſuſtinuit? Sed faciamus, non ſuſtinuiſſe: hoccine ratiocinii mei robur imminuet? An inde aut Romanum Pontificem non eſſe qualibet *particulari* Synodo Superiorem, aut, quæ *Joannem* depoſuit, non fuiſſe Synodum *particularem*, eſt conſequens? Et quid alterum iſtud, quod Vindex interrogat; *an Synodus Epiſcoporum Lotharingiæ, Saxoniæ, Franciæ, Germaniæ, Italiæ* extra Provinciam Romanam *ſitæ Joannem* exauthoraverit: *hoc*, inquit, *contra ſpeciem caſus ſuppoſuit* Natalis Alexandriſta. Solo *ſesquipedali* vocabulo me fere terruit. Non ſunt iſta ex tripode Apollinis Pythii. Egone *Joannem XII.* a Synodo Epiſcoporum Germaniæ, & Italiæ *extra Provinciam Romanam ſitæ* exauthoratum ſuppoſui? Quo Loco? quibus verbis? An aperta non ſunt, quæ ex *Graveſonio* in Theſes meas tranſtuli: *congregata eſt in Baſilica S. Petri Synodus expleteque* Romanæ *Diœceſeos, & Italiæ Epiſcopis?* Aut forte Provincia Romana eſt *extra* Diœceſin Romanam? Adſtitiſſe autem Synodo etiam *Extra-Provinciales* nec ipſe negat Author Vindiciarum. At, non depoſuerunt illi *Joannem:* Eſto. Qui ergo? *Sancta*, ait, *Romana Eccleſia:* & ne intelligentia hujuscemodi vocabulorum decipiare, hæc ſubjungit: *per Romanam Eccleſiam intelligimus Provinciam Romanam*, qua *talem conſtantem ex Epiſcopis Papæ Suffraganeis, Cardinalibus, Presbyteris,*

* Acta Luitprand *apud* Baronium *ad annum Chriſti DCCCCLXIII. n. XXVII.*

** *Ibid. n. XXVIII.*

*** *Ibid. ad annum DCCCCLXIV. n. VII.*

byteris, *Diaconis &c.* Hæc itaque Sancta Romana Eccleſia *Papam*, & *Metropolitam ſuum Patriarchalem exauctoravit ſola.* In Synodo, opinor: Univerſaline ergo, ergo an particulari? *Sola* Provincia Romana, etiam *qua talis* univerſalem non efficit: relinquitur, ut fuerit particularis. Si particularis; hoc ipſo Romano Pontifice inferior: niſi forte jam eo prolabimur, ut *particulari* Synodo ſupremum Eccleſiæ caput, *viginti duobus* Cardinalibus, aut Epiſcopis Papæ *Suffraganeis* Papam ipſum ſubjiciamus. Si autem inferior; quo jure Superiorem exauctoravit? Juvat vim ratiocinii, quod Vindici tam eſt *vagum*, aliquantulum conſtringere: *nulla Synodus particularis* (caſum hæreſis excipio) *jus habet exauctorandi Romanum legitimum Pontificem: Synodus, quæ* Joannem XII. *Pontificem legitimum, de hæreſi nec convictum, nec accuſatum, exauctoravit, fuit particularis:* Ex his non *vaga*, ſed determinata iſta ſequitur Concluſio: *ergo Synodus, quæ* Joannem *exauctoravit*, aut rectius, *tentavit exauctorare, jus exauctorandi non habuit.* Neque, ut in Scholis loquimur, in *forma* hic peccatum aliquid aut contra Vulgares Antiquiorum, aut in recentiorem *Arnaldi* regulam Vindex probabit? nec in Propoſitionibus, ex quibus hæc deducitur Illatio, ineſſe falſum, evincit. Quod enim ait: *ſola Romana Eccleſia*, id eſt Provincia Romana, reprobavit Joannem velut Improbum, & Apoſtatam (de cujus ultimæ vocis abuſu alibi erit dicendi locus) ne nihil concedere videar, dabo. Quid tum? ergo, *jure* reprobavit? Id vero eſſe conſequens nego. *Nec iſta conſequentia eſt bona*, inquit *Cardin. de* Turre cremata. * *Factum fuit ſic, ergo legitime factum fuit. Nos enim non debemus reſpicere, quid factum eſt in præterito; ſed quid juridice fieri debuit in futurum. Ut in cap.* cum ad cauſam *de Elect.* At, *Otto* Imperator exauctorationi conſenſit: hominem ſe eſſe probavit. Vid. etiam infra §. XXIII. quid *Baronius*, & §. XXIV. quid ad objectiunculam iſtam, invidioſam magis, quam validam Cardin. *Ballarminus* reſpondeat: aut ſi, quia *Recentiores* ſunt; non placent iſti; dabo Scriptorem *Ottoni* fere Synchronum, *Ditmarum* Epiſcopum Merſeburgicum, qui anno MXVIII. vixiſſe ſe teſtatur, & apud *Baronium* ** ita conqueritur: *Romanorum præpotens Imperator* Otto ſecundus (*ſic enim appellat* Ottonem Magnum *habito reſpectu ad ejus avum patrem* Friderici, Ottonem *pariter nominatum*) *valentiorem ſibi in* Chriſto *Dominum Apoſtolicum* Benedictum *nomine, quem nullus absque Deo judicare potuit, injuſte* (*ut ſpero*) *accuſatum deponi conſenſit, & (quod utinam non feciſſet) exilio ad Hamaburg relegari præcepit. Benedictum* autem, qui *Hamaburgi* exulavit, conſtat ejus nominis non VII. ut erravit *Papirius Maſo*, ſed V. fuiſſe, teſte *Baronio* ibid. Quibus poſitis ſunt hæc conſequentia 1. ergo Author eorundem pœne *temporum*, & Epiſcopus ſimul *Germanus* judicavit Romanum Pontificem legitimum a nemine, niſi *a ſolo Deo* poſſe judicari. 2. Depoſitionem *Benedicti* V. fuiſſe injuſtam. Ergo 3. Ele-

* Summ. de Eccles. *l. II. cap. III.*

** *apud* Baronium *ad annum DCCCCLXV. n. III.*

3. Electionem *Leonis* VIII. invalidam. Et 4. Exauctorationem *Joannis* XII., licet conſentiente *Ottone M.*, jure nullam. Igitur 5. falſum eſt, quod §. *ſuo* IX. dicit Vindex, iſtius *facti poſſeſſorium tot per Secula, neque publice, neque privatim* fuiſſe *contradictum.* Non arctius ejusdem catenæ annuli inter ſe nectuntur, quam quinque iſta conſectaria. Inſtat Vindiciarum Author. *Hoc Eccleſiæ Romanæ factum nullus extrancorum Archi- & Epiſcoporum, nullus contemporaneorum ſcriptorum improbavit.* Cui ego: *Junt, qui, quod ſentiunt, etiamſi optimum ſit, tamen invidiæ metu non audent dicere.* Cic. *de Offic. L. 1.* Nec ſemper, qui tacet, conſentit. De *Ditmaro* Scriptore tantum non Synchrono, jam vidimus: de eo, qui *appendicem ad* Luitprandum *affixit*, videantur ſenſa *Baronii* hic *§. IX.* de aliis ejuſdem ætatis ſcriptoribus, qui ſunt *rari nantes in gurgite vaſto*, liberum erit Vindiciarum Authori reſponſionem, quam voluerit, ex hiſce tribus unam eligere: aut *primam* ex Principio ſuo IV.; aut *alteram* ex *Natali*; *rem illos non examinaſſe*; aut *tertiam*, quæ mea eſt; *eorum numerum contra* certam *rationem in quæſtione* juris *non magnopere valere.* Urget Adverſarius: *Hoc pro exemplo deponibilitatis eſſe* adductum *a Cardin.* de Turrecremata *cum prælaudatis 3. ſequacibus.* Hæc ficta eſſe, ſatis eſt, ſemel demonſtraſſe. Vid. in Animadvers. *ad applicat.* §§. V. VI. VII. Verum *Synodum* Joannis *contrariam Eccleſiæ non curavit.* Subita Metamorphoſis! *viginti duo* Cardinales Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi *Joannem* deponunt, jamque Vindici eſt *Sancta Romana Eccleſia*, quæ deponit; quam non curare flagitium ſit: *Octodecim*, Leone, ejusque Synodo damnatis, Joannem recipiunt, & quidem ex iisdem, qui juverunt deſtituere Joannem, *quindecim:* jam Synodum hanc Eccleſia *non curat.* Nonne ſunt iſta feſtiva? At Leo VIII. *reſtitutus fuit. Joannes XII.* vivere deſierat, nec multis poſt ejus obitum diebus Romani Benedictum V. elegerant, ipſo ſic ſtatuente Vindiciarum Authore, quod indicio eſt, quam illi parum tribuerint primæ *Leonis* electioni: cumque, ut ait *Pagius*, * Joannem XII.... *contra ſacros Canones depoſitum*, & Leonem VIII. *Antipapam in ejusdem locum ſubrogatum conſtet, electionis* Benedicti *validitas in dubium non revocanda. Nec refert, quod coram Legatis Cæſareis, ut* Ottonis M *conſtitutio ferebat, conſecratus non fuerit; Romani enim mortuo* Joanne XII. *antequam ad novi Pontificis electionem procederent, de electione a ſe facienda* Ottonem M. *monuere.* Quid porro neceſſe fuit de electione nova Imperatorem monere, ſi *Leonis* electionem valere exiſtimabant Romani? Metusne erat, ne, ut aliquando Pythoniſſa *Samuëlem*, ita tunc ex Romanis mulieribus aliqua, Pythonem habens, *Joannem* ab inferis ſuſcitaret, vindictam de Romanis ſumpturum, ſi *Leoni* honores pontificios detuliſſent? *Romanorum nuntii*, inquit *Chronographus Farfenſis apud Ducheſnium Tom. III.* ** *ad*

* Tom. IV. *ad annum DCCCCXCIX.*

** *Ibid.*

eum (Ottonem M.) *in civitate Reatina venerunt, mortemque* Joannis *intimantes* Benedictum *ei Diaconum petierunt; ſed minime obtinere valuerunt. Revertentes autem Legati eundem elegerunt* Benedictum *ſine conſenſu Imperatoris. Unde Imperator magis in iram exarſit, & civitatem undique gravit, & in tantam penuriam adduxit, ut modius furfuris venderetur triginta denariis. Coangustati vero Romani innocentem* Benedictum *Imperatori tradiderunt, & Dominum* Leonem *Papam* coacti *receperunt.* Ecce cauſam *Leonis* recepti. *Otto M.* an anathematis vinculo ligatus fuerit, non eſt præſentis loci diſcutere: ego conſtrictum fuiſſe non aſſerui: nec, a quo ſolutus fuerit, habeo neceſſe, ut oſtendam. *Du Meſnilius*, ſi viveret, de *cenſura* Vindicis facile ſe vindicaret: nunc res ipſa illum vindicet.

XII. *Trita* eſt Vindici in Jure Regula, *actum magis conſervandum eſſe, ut valeat, quam, ut nullus fuiſſe dicatur.* At, non minus tritæ ſunt, quas dedi in *animadverſione* mea 1. ad *Princip. I.* §. XII. Sed: *non eſt* præconceptis Theſibus *inhærendum, ex quibus facti ejusmodi nullitas velut corollarium ex principiis* fluere contendatur. Quæ, amabo, *Theſes* illæ *præconceptæ?* An, quod inferior non poſſit deponere ſuperiorem? Principium eſt, ut fatetur Vindiciarum Author §. *ſibi* XX. Quod Summus Pontifex ſit Supremum caput Eccleſiæ? quod habeat *Primatum* non ſolius *honoris*, ſed etiam *Jurisdictionis?* Dogma eſt Catholicis indubitatum. Quod ſit Superior qualibet Synodo ſaltem *particulari?* quis Canoniſta nobilis? quis magni nominis Theologus hoc negat? An innuunt contrarium Concilia *Conſtantienſe*, & *Baſileenſe*, quorum authoritate Vindex triumphat? Atqui hujuscemodi ex principiis prono alveo fluit Theſis mea. Et hanc factum unicum, inſolens, ante, & poſt illa tempora inauditum, non hæc illud emendabit?

XIII. Hæret id alte animo Vindicis, quod *caſum tertium deponibilitatis, quem deformitatem vitæ vocamus*, addiderint *plures.* Si plures intelligit illos, de quibus hic §. V. VI. & VII.) reſponſum habet; ſin alios: cur eorum nomina religioſo premit ſilentio? Quanquam nominat unum. *Nominatim*, ait, *hunc caſum addidit* Julianus *Cardinalis, Legatus Eugenii IV. ad Concilium Baſileenſe, vir ſanctus, devotus Papæ, nullatenus ſuſpectus in ſua ad Eugenium Epiſtola.* Quo tempore? quo loco? qua ætate ſua? An non *Baſileæ?* an non *junior?* An non eo tempore, quo *Baſileenſibus* contra *Eugenium* IV. adhærens, & *Authoritatem Concilii mirum in modum extollens* (verba ſunt Pii II.*) *eminentiam primæ Sedis ſupprimere cœpit?* Illius vero loci, temporis, & ætatis errores quam poſtea ingenue confeſſus eſt? quam candide, quam ſolemniter retractavit? Digna luce, & attentione Vindicis ex *Juliani* cum Æneæ *Sylvio*, deinde *Pio* II. Papa, *concertatio-*

* Pii *Pap. II.* Bull. Retractation. *apud* Binium *Collect. Concil.* Tom. IV. P. 1. pag. 738. & *Concil. Collect. Reg. Maxim. apud* Harduin. Tom. *IX. colum.* 1455.

tatione familiari ſunt iſta; * *fateor* (ſic de ſe Julianus loquitur) *me dixiſſe, & ſcripſiſſe quæ refers, verum a vero remotum erraſſe. . . Præſumpſi de me ipſo, cum eſſem* Baſileæ *nimis, quamvis decepi, & credens prodeſſe, nocui. In medio Eccleſiæ docens, quæ non didici; cæcus erravi, & in tenebris ambulavi. Reliqui tandem Eccleſiam malignantium, & cum impiis ſedere recuſavi. Cognovi priorem errorem. . .* Eugenio, *cui fuiſſem rebellis, ſubmiſi cervicem. . . Expurgato veteri fermento, novum hominem indui & veræ matris lacte nutritus, ad fontem veri perveni, quem ſancti Doctores oſtendunt* Græci, & Latini. *Quorum una vox eſt ſalvari non poſſe, qui S. Rom. Eccleſiæ non tenet unitatem, omnesque illas virtutes mancas eſſe ei, qui Summo Pontifici obedire recuſat, quamvis in ſacco, & cinere jacens, dies, & noctes jejunet, & oret, & in cæteris videatur legem implere: quia* melior eſt obedientia, quam victimæ; & omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta eſt, & *Romanum Præſulem in Eccleſiæ* vertice *conſtitutum eſſe conſtat: a quo nullam ex ovibus* Chriſti *exemptam novimus. . . . . Ego ad ovile redii, qui diu erraveram extra caulas, & paſtoris* Eugenii *vocem audivi, Tu ſi ſapis, idem facies.* Credine poteſt, *Julianum*, cum hæc de ſe; ſenſiſſe illud, quod vult Author Vindiciarum? Quo fine, quo conſilio iſta non eleganter minus, quam ex animi ſenſu dicta, tacentur a Vindice? De primo Argumento jam ſatis.

XIV. Alterum mihi illud erat: *Romanus Pontifex legitimus non poteſt judicari, & exauthorari niſi propter crimen hæreſis.* Quod ſi verum eſt, quis non videt, *Joannem XII.* nec *hæreticum*, nec de *hæreſi inſimulatum*, nullo jure exauthoratum fuiſſe. Eſſe autem id verum probat *Natalis Alexander* hac ratione: *Patres in Concilio Romano ſub* Hadriano II. *ita locuti ſunt.* Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus; de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. &c. Unum hic, quod diligenter advertit Vindex, errat *Natalis Alexander*, cum eſſe hæc Verba *Patrum* affirmat. Non Patres, *ſed ad* Patres iſta loquitur *Hadrianus.* Hanc tamen *Hadriani* ſententiam non modo Patres nullo improbant verbo; ſed etiam in *Suggeſtione Concilii* ad eundem Summum Pontificem viſi ſunt probare; lectaque ſunt verba eadem in *actione* VII. Synodi VIII.: quin reveretur illa tanquam veriſſima ipſe Vindiciarum Author; ſed *contra* Photium *extraneum auſum cum ſuo conciliabulo Sententiam ferre in* Nicolaum I. Cur ſine hujusmodi limitatione pro veris illa non habeat, liberius forſitan duxit cogitare, quam dicere: ſed ſatis eſt, quod fatetur. *Utique*, inquit, *ſolus hæreſeos caſus licitum facit, minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtere.* Nihil ad rem noſtram accommodatius. Illud igitur quæro: ſintne *Cardinales*, & Epiſcopi Papæ *Suffraganei* Summo Pontifice *minores* nec ne: ſi affirmat; plana eſt Conſecutio. Si negat; ergo vel *pares* ſunt, vel *majores:* utrumvis elegerit, inſolens eſt, temerarium, falſum. Tiaram Summi Pontificis non aſſequi-

* *Ibid.*

quitur Purpura Cardinalium. Quam vero eſt parum id aptum, quod Vindex interrogat: *in quo Concilio dicitur, quod Eccleſiæ Romanæ non liceat, ob deformitatem morum alicujus Papæ, non quidem hæretici*, vel *dubii*, attamen *nequiſſimi.... ad hæc incorrigibilis, eundem exauctorare, ſive in Synodo generali, ſive in particulari ſua*, maxime, *ſi propter periculum in mora, aut difficultatem temporis, generale Concilium congregari nequeat?* Quaſi vero neceſſe ſit, ut Concilia proferam ad probandum, non licere Provinciæ Romanæ id, quod licitum ei eſſe nullo jure nec divino, nec humano probatur; quodque non eſſe licitum, ſi *Concilia* ſilerent omnia, hæc una convinceret ratio: quia in *Superiorem jus non habet inferior.* Definit Concilium Florentinum * *S. Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere* Primatum: *& ipſum Pontificem Romanum* Succeſſorem *eſſe B.* Petri *Principis Apoſtolorum, & verum* Chriſti *Vicarium, totiusque Eccleſiæ* caput; *& omnium Chriſtianorum* Patrem, *ac* Doctorem *exiſtere*, definit *ipſi in B.* Petro *paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam* a D. N. Jeſu Chriſto *plenam Poteſtatem traditam eſſe.* Affirmat hoc ipſum *in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus* contineri: & etiamnum neceſſarium erit, quod poſtulat Vindex, *ſpecificum* afferre *Canonem*, qui doceat, non poſſe *Primatem* univerſi orbis a *viginti duobus* Cardinalibus, & Epiſcopis, totius Eccleſiæ *caput* a paucis *membris*, omnium Chriſtianorum *Patrem*, ac *Doctorem* a quibusdam *filiis*, & *diſcipulis* illa, quam non ab *homine*, ſed *a D. N. Jeſu Chriſto* ſibi traditam accepit univerſalem Eccleſiam paſcendi, regendi, ac gubernandi plenam poteſtatem, exſpoliari? Apage has ineptias; Hiccine *Senſus communis* Eccleſiæ? hæc *Germanorum* Antiſtitum doctrina? Conſulantur *Acta* Concilii Quintilineburgenſis Anno MLXXXV. celebrati; hæc Epiſcoporum Germaniæ ea ætate doctrinam declarant. Sic enim Acta apud *Harduinum*: ** *Quidam Bambergenſis Clericus, nomine* Gunibertus *Romani Pontificis Primatui derogare volens, in mediam Synodum ſe contulit, afferens Romanos Pontifices hunc ſibi primatum adſcripſiſſe, non aliunde conceſſum hereditaſſe; videlicet, ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio ſubjaceant. Qui cum aperte a tota Synodo confutaretur*, præcipue *tamen a quodam* Laico *convictus eſt per illud evangelicum:* non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum. Matth. 10. *Cum enim hoc generaliter in omnibus Eccleſiaſticis ordinibus obſervandum deputetur*, ne major a minore judicetur, *quis hoc Vicario Sancti* Petri *denegare potuit, quem omnes Catholici pro* Domino, & Magiſtro *venerantur.* Subſcripſere huic Concilio per ſe, aut Legatos ſuos præter *Hermannum* Regem Romanorum *Salisburgenſis*, & *Magdeburgenſis* Archi-Epiſcopi; *Wirtzburgenſis, Bathavenſis, Mersburgenſis, Citicenſis, Mœſia-*

* *In* Decret. *Union. Græcor.*

** *In Concil. Collect. Reg. Maxim.* Tom. VI. *P.* 1. *Column.* 1914. *&* 1615. *Et apud* Binium Tom. III. P. II. *pag.* 405.

Mœſianus, *Vangionus*, *Halberſtatenſis*, *Mediomatricus*, *Mindenſis*, *Auguſtanus*, *Conſtantienſis*, & *Bambergenſis Epiſcopi*. Hæc doctrina eſt *Germanorum*. Quid ad illam elumbe Vindicis Enthymema: *omnis Eccleſia remedia juris habet adverſus Paſtorem ſuum, non ſolum hæreticum, vel dubium, ſed etiam incorrigibilem: ergo & Romana?* Judicem *Supremi* Principis dicere in terris eſſe, cum *inferiorum* ſit, hominis eſt parum conſiderate argumentantis, atque in magno errore verſantis. Paſtores aliarum Eccleſiarum agnoſcunt in terris ſuperiorem, ad quem poſſint deferri: nullum Romanus legitimus Pontifex, *extra caſum hæreſis:* certe, non *particularem* Eccleſiam Romanam. *In tantum fides mihi neceſſaria eſt* (verba ſunt Innocentii III. *) *ut, cum de cæteris peccatis Deum ſolum judicem habeam, propter ſolum peccatum, quod in fide committitur, poſſem ab Eccleſia judicari.* Et Bonifacius VIII. ait ** *Si deviat terrena poteſtas, judicabitur a poteſtate ſpirituali, ſed ſi deviat ſpiritualis minor, a ſuo ſuperiori: ſi vero ſuprema, a ſolo Deo, non ab homine poterit judicari.*

XV. Statuit *Can.* 21. Concil. *Conſtantinopol.* IV.: *ſi Synodus usque adeo univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas, & controverſia; oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia, de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere: non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices.* Arguebam ex, & cum *Natali*: *multo minus contra* Joannem XII. ſententiam potuiſſe dici a Synodo *infra Oecumenicam & merito, & numero longe poſita.* Hic in ratiocinando *ineptiarum* damnor a Vindice; non convincor: Negat iſto Canone præſcribi legem univerſali Synodo, *vel* particulari *Romanæ*: ego præſcribi affirmo: moveorque præter alias, ut ita ſentiam, hac etiam ratione; quod verba *Hadriani II.*, ejusdem Synodi *Act. VII.* lecta, de *Honorio*, in Synodo *Oecumenica VI.* damnato, ita ſtatuant: *quamvis & ibi nec Patriarcharum, aut cæterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit, proferre ſententiam, niſi ejusdem ſummæ Sedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet.* Si in Romanum Pontificem *mortuum* ſententiam quamlibet etiam in Concilio *Oecumenico* ſine conſenſu viventis Romani Pontificis nefas eſt; in *viventem* dicere fas erit?

XVI. Redeamus ad Principium: *minor non poteſt judicare, vel deponere majorem:* eo enim revertitur & ipſe Vindiciarum Author §. *ſuo* XX. quod, cum negare non auſit, vario, tanquam ſi hamum momordiſſet, diſcurrit, ut moleſtis, quæ ex eo pendent, Corollariis ſe ſe expediat. Ex illo Principio fatetur recte ſequi: *ergo non ſolum nullus Prælatus inferior, ſed nec ulla Synodus particularis* extra Eccleſiam Provinciæ Romanæ, & ſine iſta *poteſt exauctorare Papam; quia*

* Serm. II. *de Conſecrat. Sum. Pontif.*

** Extr. com. *unam Sanctum de* M. & O.

extraneæ *Synodi junt* ſimpliciter minores *Papa.* Oportebat *Provinciam Romanam* non excipere; quia *qualibet* particularis Synodus eſt *ſimpliciter* minor Papa; & verum erat Corollarium. *Atqui Papa exauctorabilis eſt. . . etiam in caſu incorrigibilis deformitatis vitæ.* Ultimum hoc negavi, & nego: ſed contra *allatas*, ait, *authoritates ſ. VIII. L. b. & XVII.* Nolo moleſtus eſſe Vindici. Revocet, niſi grave eſt, in memoriam, quæ hic §§. V. VI. VII. & XII. de allatis authoritatibus diſſerui; nec vereor, ne poſthac *contra ſanum ſenſum* negari id aſſerat, quod tanti viri negarunt: erigorque in ſpem, fore, ut, ſi tranquillo iſta repetierit animo, de *præjudicatis opinionibus* ipſe ſe tacitus contemnet.

XVII. Difficilem deinde mihi quæſtionem Vindex objicit. Quid ſi ego tunc temporis fuiſſem *Theologus* Ottonis M., *dum duo Cardinales, ut refert* Platina, *Literis* Ottonem *obſecrarunt, ut clerum, populumque Romanum e manibus Berengarii, Joannisque duodecimi vendicare conetur, aliter chriſtianam fidem cum Imperio perituram?* Quid ſi me *Otto* Imperator conſuluiſſet? Quid conſilii fuiſſem daturus? Non quidem *tanto* me *dignor honore*, ut Theologus ſim Auguſtiſſimi Imperatoris: Oneri tanto humeri debentur Atlantici; mei *quid ferre recuſent, quid valeant*, non ignoro: attamen quoniam Viro clariſſimo, hanc ut tantiſper Perſonam agam, placuit; agam: Hæc igitur *Auguſtiſſimo* Imperatori: Vias primum molliores tentandas; ſin fructu careant; vim injuſtam juſtis armis prohibendam; Clerum, populumque Romanum a *Berengarii* tyrannide defendendum; ruinam chriſtianæ fidei non formidandam; Naviculam *Petri* ne flagitioſa Pontificis vita evertat, *Chriſto* curæ futurum: profligati autem *Joannis* mores ut corrigantur, nec in pernitiem aliorum ſerpant longius, imitandum eſſe *Pauli* zelum, *Petro* in faciem reſiſtentis, commonendos præterea univerſim ſubditos non de eo, quod Vindex huc intrudit, *irreperibili* apud *Gratianum* Bonifacii M., ſed de altero *Chriſti* dicto: Matth. XXIII. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Recurrendum ad Orationem, commune omnibus calamitatibus perfugium; precibus, jejuniis, piis operibus inſtandum, ut caput languidum aut ſanet, aut tollat *Deus:* dejicere illud loco ſuo, non eſſe homini æquum: adhæc, rem fore peſſimi in futuras ætates exempli, ob privata, quin & publica ſcelera Principem ſummum throno deturbare; & ſubditorum arbitrio ſubjicere Majeſtatem imperantis: quibus ſi graſſari in Principem ſemel licuerit obtentu criminum, quem deinde throni fore ſecurum: exempla hujusmodi cum hierarchio Eccleſiæ regimini exitioſa, tum Monarchis omnibus eſſe metuenda. Scio, ſi vita *Cardinalis de Turre cremata* in iſta incidiſſet tempora, placuiſſet hoc illi conſilium meum; eique authoritate ſua adjeciſſet pondus; confirmans *Ottoni M.*, hæc demum eſſe remedia, *ad quæ convenientius, & conſultius in articulo neceſſitatis*

tatis, sive casus prædicti confugiendum foret, quam usurpando divinum judicium, & involvendo se infinitis difficultatibus, multiplicando scandala scandalis tentare ad veri, & indubitati Pontificis Romani depositionem, cujus rei practica non modo divinæ Majestatis, cujus judicium usurparet, esset offensiva; sed etiam nimis difficilis, & schismatis introductiva, quæ longe scandalosior, & damnosior Ecclesiæ esse posset, quam vita turpis unius Pontificis. Eademne arrident Vindici? *Teneat talia*, inquit cum stomacho §. XX. Vir alioquin phlegmaticus, *qui volet*; nos tenemus, *ab Ovili Christi arcendum esse quemlibet, qui ex pastore fit lupus, sive Lupus fiat propter hæresin, sive propter alias causas: satis est, quod sit Lupus.* Quam decretorie? Pythagoræ quidem discipulis satis foret, ita Magistrum suum fuisse locutum; quibus ferunt præ, & pro omni ratione solemne illud fuisse: ἀντοσ ἔφα: mihi nequaquam sufficit hæc a Professore Juris, licet publico, audiisse: liber sum; rationem postulo; cur demum id sit *satis*. Hic illud antiquum movet: *hoc de omnibus Ecclesiarum pastoribus verum est*, inquit, *si de* solo Pastore Ecclesiæ Romanæ *falsum esset*, primæ, *atque* centrali *Ecclesiæ minus providisset Christus, quam* secundis, & inferioribus, *quod incredibile aliquid sonat.* Apodeictice? *Christus* in Ecclesia sua ordinem instituit hierarchicum, quo fit, ut, quemadmodum *prima*, & *centralis* Ecclesia reliquis præeminet omnibus; ita illius Pastor Verticem supra *secundarios* Pastores omnes extollat; & cum hi, tanquam *inferiores* ab illo; ipse, quia Pastor *Supremus*, a nullo, nisi *a solo Deo* dependeat: *ergo* Ecclesiæ *primæ*, & *centrali* minus providit *Christus*, quam *secundis*. Hæc argumentandi forma pertinet ad genera *Paradoxorum*.

XVIII. Miseret me Viri, qui frustra se fatigat quærendo §. XXI. *Si vero Papa ob deformitatem Vitæ, aut periculum Ecclesiæ Romanæ* deponendus veniat instar alterius Episcopi, *a quo deponetur?* Dantur *Propositiones*, quas appellamus de *falso supposito*: dantur & ejusdem farinæ *Quæstiones*: pro exemplo est hæc Vindicis. Ex falso autem nil sequitur natura sua, nisi falsum. Levabo metu suo Vindicem. Vigilat ipse pro *Domo* sua Dominus; nec, quam inter tot tantosque furentium Tyrannorum assultus sustinuit, eam vertigine *unius* hominis periclitari patietur. Procul inanes curæ: Eadem chorda oberrat Vindiciarum Author §. XXII. *Juvit se* Romana *Ecclesia, sicut potuit*: *imo* sicut juvare se posse competit Ecclesiæ illi, *hoc ipso, quod sit* prima *Ecclesia, omniumque* suprema. Sed non ex arte. Romana Ecclesia *suprema* est: igitur & caput ejus *supremum* est. Hoc illa, ne qua forte putredo membra inficiat, audeat sibi amputare? *Risum teneatis amici!* Jam alio eandem iterum chordam sollicitat plectro. Auribus favete! Hæc Supremitas *ipsi tribuit præ reliquis Ecclesiis omnibus, quod ipsa sola* eligat *sibi Pastorem*, & eligendo Pastorem faciat, sine quavis cujusvis Concilii, *vel Ecclesiarum cæterarum* confirmatione. Necdum felici digito. *Eligit* quidem sola Ecclesia Romana & sibi, & toti Ecclesiæ Pastorem;

ita

ita tamen, ut & *forma* electionis, & *ordo*, & *numerus* eligentium legibus ſubjaceant Pontificum, qui *modum* & *formam* electionis legitimæ aut conſtituerunt ipſi, aut confirmatione ſua illis pondus dederunt. *Eligit* Romana Eccleſia; ſed eligendo *Poteſtatem Papalem* non confert; *Perſonam* duntaxat *nominat, deſignat, determinat* illam, cui *Poteſtas Papalis immediate* confertur *a Chriſto*. Principi nemo *Vicarium* dat, niſi Princeps ipſe; *Chriſto*, niſi *Chriſtus*. Poteſtatem ergo, quam, eligendo, Provincia Romana non contulit, *jure* auferet? Dicemus de hoc argumento iterum. Nunc Vindicem, eandem cantilenam tertio canentem auſcultemus. *Hujus Eccleſiæ Sponſus* renuntiare *poteſt ſpirituali conjugio ſuo*, ſine cujusvis *interpoſita* authoritate, *cæterarum Eccleſiarum Sponſi non ſic*. Quid reſonat? Audin'? *Ergo* etiam Eccleſia Romana *Sponſa* poteſt renuntiare Spirituali conjugio repudiando *Sponſum*. Belle! artificioſe! eximie! Non aliter ſylvas poſt ſe traxit *Orpheus*. Imitemur Artem. In Lege Veteri poterat uxori *vir* dare libellum repudii: *ergo* etiam viro *uxor?* Poteſt a ſe abdicare regnum Rex: *ergo* etiam ſubditi poſſunt abdicare regno Regem? Quid poſt tam amœna exſpectes, niſi *ſaltum?* Ecce, quantum eodem etiam §. moliatur Vindex; ſed *extra oleas* De jure Romanum Pontificem exauthorandi agendum erat: Ille, quid primitus omnes *Synodi provinciales* in Metropolitanum valuerint; quid poſt *Can. 9.* Chalcedonenſem in *Metropolitanum* potuerit ejus aut *Primas*, aut *Patriarcha*, quid juris in Metropolitanum Synodo Provinciali reſtituerit *Baſileenſe* Concilium; quid in Synodo provinciali liceat *Suffraganeo* in collegam ſuum, laborat explanare; idque, ut evincat, quod non diſceptatur, *Jus*, contra communem regulam, *ne inferior condemnet Superiorem*, velle *aliquando*, ut *major* judicetur ab his, *quibus præeſt*, & *par a paribus*. Hanc vero exceptionem in exauthorando propter *Vitæ deformitatem* Romano Pontifice locum habere, nullo Juris Civilis textu, nullo Canone Juris Pontificii, nullius Concilii Oecumenici deciſione, nullis Decretis probat. Cum talem nactus fueris Adverſarium, non momentis, quibus cauſam, ſed moderatione, qua animum ab ira tuearis, opus eſt.

XIX. Quid deinde §. XXIII. tanti paſſus; ſed omnes *extra viam?* De more antiquo Vindex perorat, ut Papa criminis accuſatus defendat ſe *coram ſuo Concilio*; hunc debuiſſe perſtare contendit; coram illo ſteriſſe *Damaſum* I. accuſatum de adulterio, *Sixtum* III. *Leonem* III. Huc pertinere illud *Gregorii* IV. in Can. 42. II. q. 7. *Si quis ſuper his* &c. Electionem etiam fuiſſe olim Papæ, ut ſe *Imperiali* judicio defenderet. Quo obſecro hæc omnia? Ut paginam impleant. *Damaſum*, *Sixtum*, *Leonem*, innocentiæ ſuæ ſecuros examen, & judicium Concilii ſui *ultro* admiſiſſe, ut de flagitiis per *calumniam* ſibi objectis Patres viderent, non nego: ut Concilio ſe, ſuamque dignitatem ventilandam ſubjicerent, nec probat Vindex, nec probabit unquam. Innocentiæ, maledicentia inimicorum preſſæ, debebatur *defenſio*; flagitio, ſi quod manifeſtum deprehen-

hendiſſent Patres, poterat *fraterna correctio* adhiberi; vindicare illud per *Exauctorationem* nec *Imperiali*, nec *Synodali* æquum erat judicio. Quam non fuiſſet difficile Vindici intelligere, ut, quæ dictitat, nulla ſint ad præſentem controverſiam, ſi modo in cauſa *Leonis*, quam repetit §. XXVII, ad hæc Patrum verba voluiſſet animum advertere: *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus; nam ab ipſa nos omnes, & Vicario ſuo judicamur.* Cur hæc non expenderit vir oculatus, ænigma eſt. *Oedipus* non ſum; ſic tamen conjicio: multa invitos fugiunt; aliqua volentes.

XX. Totum videtur Vindicem ſua occupaſſe cantilena, ut quartum eandem occinat §. *ſibi* XXIV. Quo tamen faſtidium pellat Auditorum, Muſicæ *Dialecticam* miſcet. Sonat nænia: *Luitprandi acta* videntur ſtudioſe mentionem feciſſe *Romanorum Pontificum, videlicet Rom. Provinciæ Suffraganeorum, Cardin. Presbyterorum, & Diaconorum &c.* ut indicarent, *quod Provincia* ſuum deſtituerit *Metropolitanum.* Sequitur Sorites dialecticus: *Qui vero non eſt amplius* Metropolitanus *Provinciæ Romanæ, is nec* Epiſcopus Senioris Romæ, *qui iſte non eſt neque* Papa univerſalis *eſt, cum Papatus ſit* Metropoli Romanæ *annexus, ſic, ut qua* iſtum Metropolitanum *facit Eccleſia, eadem quoque* Papam *faciat: ſicut autem* ſola facit, *ita quoque* ſola deſtituit, *nam in Eccleſiis*, quæ ſe majorem non habent, *inſtitutio, & deſtitutio ſtant neceſſario, & naturali ratione penes* eandem cauſam efficientem. Vetamur quidem veteri proverbio *actum agere*, jamque ſupra patuit, non poſſe a Provincia Romana exauthorari Metropolitanum ſuum: verum tamen, quoniam in Arte Dialectica confidit Vindex; *Dialecticorum remis*, ut ait Tullius, *propellamus paululum Orationem*, & artem trudamus arte. Qui *Metropolitanus* eſt Provinciæ Romanæ, is & *Epiſcopus Senioris Romæ*; qui iſte eſt, etiam *Papa* eſt *univerſalis Eccleſiæ*, ſi quidem *Papatus* ſit Epiſcopatui *Senioris Romæ* annexus ita, ut neuter ſine altero conſiſtat: qui *Papa* eſt univerſalis Eccleſiæ a *Provincia Romana* nullo jure, nec divino, nec humano poteſt exauctorari: ergo, qui *Metropolitanus* eſt Provinciæ Romanæ, is a Provincia Romana non poteſt exauctorari. Hic Geometra facile ſubjungeret ſuum: Q. E. D. Quæ perſpicua ſunt, longa eſſe non debent: ſi quis plura: adeat *Cardinalem de Turrecremata*, quem tanto lubentius nomino, quod ejus authoritatem revereri Vindex videatur.

XXI. Id vero quo aut conſilio, aut caſu fieri dicam, ut multa Vindiciis ſuis immiſceat Author, ad id apta unum, ut animum adverſarii a conſtitutæ quæſtionis ſcopo ad alia omnia diſtrahant; dubius hæreo; *ſtudio*, an oblivione *ſtatus* controverſiæ? hoc quidem affirmo: rationem, cur nullo hic ſpeciatim verbo in §§. *ejus* XXV. XXVI. XXVII. animadvertam, non eſſe mihi aliam, niſi, quod *pleraque* illis contenta ſint ab inſtituta inter nos quæſtione aliena; nihil autem,

* Summ. *de Eccleſ. L. III. Cap. XLIII. & XLIV.*

tem, quod ad eam aliquantulum valeat, cui ſua in ſuperioribus data non ſit reſponſio. Æquitatem legentium appello.

XXII. Flebile etiam illud eſt ſolatium, quo demereri Romanum Pontificem §. *ſuo* XXVIII. Vindex ſtudet. *Non habet*, inquit, *Romanus Pontifex, vel Eccleſia Catholica, cur ab hac poteſtate Romanæ Provinciæ quidquam reformidet.* At habet, niſi me vehementer fallo, Romanus Pontifex, cur juſtiſſime conqueratur, ſi, quo tempore Hæretici ſummam ejus in Eccleſia authoritatem, & Primatum Jurisdictionis, ſub vano prætextu *abominandos*, ut ajunt, * *illius abuſus* tollendi, foris viis omnibus perditum eunt, eodem Scriptores domi reperiantur, qui, quamvis hanc poteſtatem detecta fronte non aggrediantur; eas tamen propugnent Theſes, quibus diminui illa paulatim, & finis, quem Religionis noſtræ hoſtes unice in votis habent, facilius obtineri queat.

XXIII. Poſtularet naturalis rerum Ordo, ut, ſi quid ad Argumentum mihi *tertium* dixiſſet Vindex, quo ejus vacillaret robur, id refellerem; at quoniam iſtius vim, quod monui §. XIX. non expendit; reliquum eſt, ut, quæ in *quarto* carpit, qualia ſint, diſcutiamus. Commoveri animo videtur Vindex, cum *Natali Alexandro* præeunte, contendo, in Synodo, contra *Joannem* XII. celebrata, *omnia perperam, contra Canones*, & *tumultuoſe* acta eſſe, eamque Synodum *ingenium Eccleſiæ nullatenus* ſapere. Hinc gravi ſupercilio inquit: hoc *temerarie ſatis Anthitheſis projecit in chartam.* Poſſem & ego frontem hic contrahere: ſed ſtipulemur: pacate, quæ dixit feram, ea lege, ut ne iraſcatur & ipſe, ſi Eminentiſſimum R. E. Cardinalem jamque (non enim dubito) vel confeſſione Vindicis *JCtum*, & *Maximum* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Parentem *Baronium*, eadem de Synodo ſenſa animi ſui explicantem induxero. Sic itaque Baronius: ** *unum loco omnium hoc ſatis habeto*, nunquam *me legiſſe, Orthodoxorum conventum Synodalem aliquando habitum, in quo* magis *Eccleſiaſticum* jus *offenſum, magis Canones violati, vulnerata Traditio, conculcata, oppreſſa, atque majore dedecore proſtrata Juſtitia. Mentiar, niſi tu ipſe iſta cuncta cum videris, manibus tetigeris (ſi cultor es juſtitiæ) præ animi indignatione exclamare cogaris, O indignum facinus, audax, & inſolens! niſi tamen te cohibeant tum turpis vita* Joannis, *tum zelus* Imperatoris, *de quo illud* Apoſtoli *congrue dici poteſt:* Rom. 10. Teſtimonium ipſi perhibeo, quod zelum habet, ſed non ſecundum ſcientiam. *Qua carentes Epiſcopi illi, in quibus eſſe debebat, ſibi, aliisque paravere ruinam, ſicut* Matth. 15. ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadant. *Quo nomine ea divina ſententia ipſi primum privandi fuerant Sacerdotio, ſic apud* Oſeam *Prophetam* Domino *conteſtante:* Oſee 4. Quia tu ſcientiam repuliſti: repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Hactenus

* V. *Nova acta Eruditorum publicata Lipſiæ Calendis Januarii, & Februarii Anno MDCCLXIV.*

** *Ad annum Chriſti DCCCCLXIII. n. XXXI.*

us Cardinalis. Nunc ego; & vela quidem. Orationis explicabo; quoniam & 'index opportunis ad excitandum motum utitur amplificationibus. *Non eru-uit*, ait de me Adverſarius, *toti* coadunatæ *Provinciæ* Romanæ.... *hanc perpe-tam maculam affricare, quod ipſa* aliquem ſaltem Pontificem contra canones, ac er tumultum deſtituerit. Retorqueamus telum dextra validiore. Non *erubuit* 'index *octodecim* Cardinalibus, quos inter *quindecim* ex viginti duobus, qui *Leo-m* VIII. ſoli elegerant, hanc ſempiternam inurere notam ignominiæ, quod *eonem* VIII. Pontificem a ſe electum, & a Vindice pro legitimo habitum in ynodo *Joannis* XII. damnaverint. Non *erubuit* Summum Chriſti in terris Vica-um, Epiſcopum, & Paſtorem univerſalis Eccleſiæ unius *provincialis*, & *par-cularis* Concilii authoritati exauthorandum ſubjicere, quod nullo jure po-uit; nec ſcio, an ullo præeunte magni nominis Doctore Theologo, feceꝛ t. At: *Sanctam Matrem* meam proſtitui *amore Theſis* meæ, *odio Theſis* ad-erſæ. Non amo Theſin Vindicis, fateor; non, quia *Vindicis* eſt; ſed, uia *falſa* eſt. Veritatem amo; propterea amo *meam*, quam veram eſſe nnino judico; *ſanctam* vero *matrem meam*, hoc eſt, *Catholicam*, & *Apoſto-am Romanam Eccleſiam*, *omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram* ſumma im reverentia agnoſco, & tota cordis affectione veneror; ſimulque, quod oto, ut faciant omnes, Romano Pontifici, Beati *Petri* Apoſtolorum Principis ucceſſori, ac *JEſu Chriſti* Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro; ſed ardinales *viginti duos*, cum contra fas, jusque omne legitimum ſuum Paſto-em, & caput univerſalis Eccleſiæ throno dejiciunt, *Sanctam Romanam Eccleſiam* ppellandos eſſe nego; neque eo ſignificatu, in *Profeſſione fidei* juxta Bullam *ii IV.* & præſcriptum *Concilii Tridentini* emittenda, tam honorificam appella-onem uſurpari, pro certo teneo. Atqui poteram *honorem tantæ Eccleſiæ* (vi-nti duorum Cardinalium debebat Vindex dicere) defendere vel *ex ſolo Prin-cio Juris naturalis*, *quod*, qui hoſtis fit, ſe ipſum extorrem faciat, perinde, que ſi abdicaſſet a ſe Magiſtratum. Itane vero? hoccine eſt *Juris Naturæ* Prin-pium; cum ad Magiſtratus, ad Superiores, ad Principes, etiam moribus erverſos, quin & nullam emendationem admittentes applicatur? hoc *Ulpia-us* docuit? Ergone Jus *Naturæ* contrarium eſt *Legi divinæ:* 1. Pet. II. 18. *Ser-i ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis; ſed etiam ſcolis.* Et: Rom. XIII. 5. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit?* t quid, ſi Vindicis obtineat Principium, certius erit conſequens, quam Pote-atis cum ſæcularis, tum ſpiritualis ruina, & ultimus interitus? Sic enim, ıſtituti a Vindice, cogitabunt ſubditi, ſi forte Princeps pronus ruat in vitia, ſi nmoderato Vectigali, ſi oneribus injuſtis ſuos prægravet: Princeps noſter pu-iat contra *bonum commune* aut vitæ *exemplo*, quia flagitioſus; aut *facto*, quia in ios iniquus eſt: *hoſtis* igitur eſt Rei publicæ. Si hoſtis, ergo *perinde ſe extor-m facit, atque ſi abdicaſſet a ſe magiſtratum.* Si ita: cur tam duram ſervimus

ſervitutem? Cur non detrectamus obedientiam? cur jugum non excutimus? Jubeat æqua Epiſcopus; juſtiſſima exigat Supremus Paſtor; at moribus ſuis ſit gregi offendiculo; noceat ovibus publicorum contagie ſcelerum: non parebitur deinceps: oves enim Vindicis imbutæ principio, ita ſecum: hic *lupus* eſt; *hoſtis* eſt; idem eſt, ac ſi paſtorale pedum abjeciſſet; quid dicto ejus auſcultemus? Tam fatale Syrma male ominatus ille poſt ſe Cometa trahit. Sed; *ſcimus bene* (ſubdit initio §. XXXI. Vindiciarum Author) *quod Prælatus Eccleſia, per hoc, quod vitioſus fiat, non excidat ſua poteſtate.* Cur ergo *pugnantia* loquitur? cur Principium figit, quod vel hanc ejus ſcientiam, vel hæc iſtud deſtruat? Nolim affine quid audeat *Jeſuita.* Eſſet; in quo, nec immerito, ſtylum ſuum exerceret Vindiciarum Author. Tanti refert, cum Principia adoptantur, illud meminiſſe *Ariſtotelis*: * *Oportet ſapientem non ea ſcire tantum, quæ ex Principiis deducuntur; ſed etiam circa Principia ipſa verum dicere.*

XXIV. Dixi aliqua in eam Synodi, quæ *Joannem* XII. depoſuit, Propoſitionem: *Judas ... quamdiu bonus inter Diſcipulos fuit, ligare, atque ſolvere valuit, poſtquam vero cupiditatis veneno homicida factus, vitam occidere voluit, quem poſtea ligatum ſolvere, ſolutum ligare potuit, niſi ſe ipſum, quem infeliciſſimo laqueo ſtrangulavit;* nec dixiſſe me pœnitet; quæ totum Vindicis phlegma ſolverunt. Ita enim, quod torquebat præcordia, expectorat §. *ſibi* XXXI. *Hic noſter ſervidus Theologus erroris,* Wicleffiani *habens ideam in capite ſuo, imputat Synodo Propoſitionem contra fidem.* Judicatne Canoniſta noſter (Epithetum, nec illud ineptum, poteram & ego hic addere, niſi re, quam verbis mallem vincere) judicatne inquam, quod dixi, ſcelus eſſe, gyaris dignum? Bene eſt: non ibo incomitatus. Iniquum enim eſt, ut qui in eodem ſunt crimine, non ſint in eodem ſupplicio. Comites erunt Cardinales duo: *Baronius*, & *Bellarminus.* Quæſtione nihil opus eſt: ipſi de ſe confitentur. Prior inquit: ** *Quam inſuper ille intolerabilis in his* error, & *inter* hæreſes *numerandus, dum illud* erroneum, & hæreticum *aſſerunt, Epiſcopi iſti, quod exemplo* Judæ *confirmant, nimirum propter* peccata *auferri a Pontificibus Clavium Poteſtatem, ligandi, atque ſolvendi a Deo traditam facultatem .... quod eſſe* hæreticum *Catholicus quis negabit?* Alter: *** *licet mirandum non ſit, Othonem Imperatorem, qui Synodo intererat, minus peritum fuiſſe verum Eccleſiaſticarum: ipſi tamen Synodo nullo modo ignoſci poteſt. Siquidem* (*ut eſt apud* Luitprandum *L. c.*) *non ſolum ſine ullo exemplo Antiquitatis Epiſcopum prima Sedis judicare auſa eſt; ſed etiam illius* Excommunicationem *contempſit, eo prætextu, quod* malus *Epiſcopus nec ligare poſſit, nec ſolvere. Quem eſſe manifeſtum errorem ne* Illyricus *quidem negaret.* Quam præterea male ſibi Vindex proſpicit, cum

* *L. VI.* Ethicor. *cap.* 3.

** *Ad annum Chriſti DCCCCLXIII. n. XXXVI.*

*** *De* Translat. Imper. Rom. *L. II. C. IV.*

cum me accuſat: quod neſcierim, hoc eſſe *vere ſcriptum a Synodo?* ſi ignorabat, quos, & quantos viros ſequerer; at illud debebat advertere, expeditam mihi fore retorſionem: cur, ſi *Acta Luitprandina* non faciunt geſtorum in illa Synodo certam fidem, eodem ex fonte Vindex ipſe §. *ſuo IX. L. f. a n. 9. ad 19.* tam horrida, tamque pudenda flagitia *Joanni* XII. objiciat. *Accuſatorem* oportet eſſe *memorem.* Præterea, ſi incertum eſt, ſitne iſta Epiſtola ſcripta a Synodo, cur ibidem me condemnat, tanquam qui Archi-Epiſcopum Trevirenſem *Henricum* I. (de quo ne verbulo memini) erroris in fide inſimulaverim? quod ipſum alia non probat ratione, quam, quod hanc Epiſtolam etiam de *conſilio Henrici* I. Trevirenſis ita ſcriptam eſſe memorat *Continuator Luitprandi.* Si obſcurum eſt, an Synodus dictaverit Epiſtolam, qui clarum erit, eam de conſilio *Henrici* I. ſcriptam, & *ita* eſſe ſcriptam. Habeo certiores Vindicem accuſandi cauſas; ſed ex *Horatio* memini virtutem hanc eſſe, & Venerem ordinis ſicut in Poëta, ita in alio quovis authore, *ut, jam nunc debentia dici, pleraque differat: & præſens in tempus omittat.*

XXV. Agam ingenue cum Vindice. Quod ſcripſi de errore in fide a Synodo admiſſo, quamvis præeuntibus Eminentiſſimis Viris ſcripſerim, retractabo tamen; dum Vindiciarum Author a vero me deflexiſſe oſtenderit. Hoc turpe ſibi non putavit, errore agnito, magnum Eccleſiæ lumen, *S. Auguſtinus:* ego cur mihi indecorum exiſtimem? At ratiocinio ſuo illud Author Vindiciarum non præſtat. Eſt hoc ejusmodi: *Juda excommunicatoriam ſententiam, ſi quam poſt apoſtaſiam in eos tuliſſet, Apoſtoli non juiſſent curaturi: ſubſumo:* atqui niſi venerit ad Synodum Papa Joannes, & objecta purgaverit, habebitur proditor, traditor, venditor, hoſtis, Apoſtata, & deſertor ſuæ Eccleſiæ: ergo comminata ejus excommunicatio non curabitur. *Quid hic erroris in fide eſt?* Hanc argumentandi rationem ad circumveniendum incautos, quam ad vincendum ratione, eſſe aptiorem judico. An enim *Judas* prodendo Chriſtum amiſerit *jurisdictionem*, quam, & in quos *ante* habuit, pendet ex eo, utrum *cupiditatis veneno homicida factus* ſimul in eam incurrerit *Apoſtaſiæ* ſpeciem, quæ *ipſo facto* aufert Jurisdictionem, an non: ſi non; manet error in fide, cum propter *ſolam vitæ perverſitatem* Jurisdictione excidiſſe aſſeritur. Si ita: nulla eſt Patrum illorum *a Juda* ad *Joannem* XII. paritas, nulla retorſio; hæretque error in *conſequente;* propterea quod ab *Apoſtata a fide* argumentum aſſumant ad Apoſtatam *a bonis moribus:* De *hæreſi* enim, & multo etiam amplius de Apoſtaſia *a fide* Joannem XII. quod ſæpius dixi, ſed tamen dicendum eſt iterum, Patres illum ne accuſarunt quidem. *Reprobato ob mores improbos*, inquiunt, *Joanne Apoſtata.* Quæ ſatis indicant Vocem *Apoſtata* hic per *translationem*, quodam Vocabuli abuſu, eoque ſenſu accipi, in quo qui *Apoſtata* fuerit, eum propterea poteſtate Jurisdictionis *ipſo facto* privatum aſſerere, ſit in fide erroneum. Igitur rede-

undo ad initium, cum credi non poſſit, Patres voluiſſe ineptire argumentando; cum probari nequeat *Joannem XII.* improbitate vitæ in Apoſtaſiam *a fide*, adeoque nec *ab Eccleſia Romana* incidiſſe; cum hoc Patres non judicaverint; illud ſupereſt, ut exiſtimaverint *ſola vitæ malitia* Epiſcopum facultate Jurisdictionis ſpoliari; qui eſt error in *Wicleffo* damnatus. Fabricet ſibi in cerebro ſuo aliam hac de Propoſitione Ideam Vindex; ſed *rebus ideas* non *ideis res* accommodet. Illud quidem, quod *a Leone VIII.* ordinatis, cum juſſu *Joannis XII.* degradarentur, mandatum eſt, ut ſcriberent: *Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit*, qua ratione, nè ſit error in fide, interpretari oporteat, non eſt dictu difficile. Quid enim planius, quam iſta ſic accipere. *Qui mihi ſacros ordines contulit, nullam Juris dicundi poteſtatem ipſe habuit: nullam igitur mihi dedit.* Nihil hic tortum: non flexiones, non Mæandri quæruntur.

XXVI. Denique, quæ ultimis tribus §§. Vindiciarum obmovet Author, poteram ſine diſpendio rei tacitus præterire; ita ſunt levia: multa tamen dicti tanti, aliqua reddam; ſed per ſumma capita. Synodum ſub *Ottone M. tumultuoſe*, non *ordinate* habitam, hæc oſtendunt; quod *Joannem* XII. ſeu *bis*, ſeu *ter* citatum (neutrum aſſerui; utrumvis aſſeras, parum ad rem) non *Imperator* a Patribus, ſed ab Imperatore *Patres* petunt *a Sancta Romana Eccleſia* pelli, aliumque *ejus loco* ſubſtitui; quod Sede ſua dejectus in ordinem redigitur, & Succeſſorem videt, quin ante in *Joannem* lata fuerit depoſitionis ſententia; quin in publico conſeſſu recitata; quin firmata Patrum Subſignationibus Hoc agendi genere ne in Hæreſiarcha quidem, aut perditiſſimis quibusvis Perſonis plectendis Concilia, in quibus ordo, & moderatio floruit, uſa commemorantur. Synodum *Joannis* XII. ſi terror præceſſit, non continuo ſequitur, ut eam fuerit comitatus. Vim in ferendis Suffragiis *a Joanne* Patribus adhibitam *Sigebertus* tacet, nec *Acta Concilii* teſtantur. Stetit ſua Patribus Libertas. *Spiritum mendacii* in Concilio *Joannis* XII. quod ait Vindex, *mox adfuiſſe*, id ego falſum, alii calumnioſum arbitrabuntur. Patres in Concilio Chalcedonenſi *Neſtorium*, quamvis hæreſiarcham accuſatum, & convictum, *Reverendiſſimi* tamen, & *Sanctiſſimi* titulo honeſtare non deſtiterunt ante, quam legitima illum exauctoraſſet Sententia: quid ergo prohibebat, ne *Joannem* XII., licet voluptuoſum, Sede tamen ſua per injurium dejectum, Patres & *piiſſimum*, & *coangelicum* appellarent? Non fuerit conveniens tam honorifica appellatio *Joannis* vitæ; at congruebat muneris *Dignitati*. *Joannes* cum conqueritur, *ſe fuiſſe expulſum imperiali vi a propria Sede*, dolet accidiſſe id, quod in Synodo ſub *Ottone M.* Patres male petierant, ut fieret. Juſte *Leonem* appellatum eſſe *adulterum* & *alienæ Sponſæ invaſorem*, ac *intruſum* probant ea omnia, quæ *Joannem* injuſte abjectum fuiſſe demonſtrant. *Leoni* ſi locum in Pontificum Catalogis ante *Baronium* negavit nemo; diſcat ex eodem *Baronio* * Vindex, ſcriptorum errorem

* *Ad annum Chriſti DCCCCLXIII. n. XXXIIX.*

:m Veritati nullum afferre poſſe præjudicium. Poſtremo, cur multis de Sy-
ɔdo ſub *Ottone*, an fuerit *regulariter* celebrata, an Provincia Romana *Metro-*
litanum ſuum jure exauctoraverit, Patres inquirerent, nihil erat. Prompta
atrum ad interrogationem *Joannis* XII., de hoc ſciſcitantis, reſponſio: *proſti-*
tutum favens adultero, indicio eſt, rerum actarum injuſtitiam tum temporis fuiſſe
atribus exploratam. In manifeſta autem, & comperta longiorem admittere
quiſitionem, hominum eſt & otio, & aliena patientia intemperanter abuten-
um.

XXVII. Ultimum omnium illud eſt, ut a Vindiciarum Authore effla-
tem, rigoroſum inſtituat examen in Veritatem hujusmodi, quas Vindiciæ
us complectuntur, Propoſitionum: *Provincia Romana poteſt deſtituere Metro-*
litanum ſuum, ſimulque Supremum Chriſti in terris Vicarium, ac Eccleſiæ univer-
ſis caput, ſi mores ejus emendationem reſpuant. Prima Eccleſia, quem eligit, etiam
ſtituit, ſi mereatur, uti meritus eſt Joannes XII. Qui hoſtis ſit, ſe ipſum extor-
m facit, perinde, ac ſi a ſe abdicaſſet Magiſtratum. Nec abs re erit non ne-
igentem ſuſcipere inquiſitionem in iſtarum valorem Illationum: Papa poteſt
ɔdicare Papatum. *Ergo* & Provincia Romana abdicare Papam. Eccleſia in
biſmate, ubi nullus erat Papa certus, *tricipiti Papatu* ſe liberavit. *Ergo* & Pa-
ım *certum*, ſi correctionem non admittit, poterit exauthorare. Datur in
rris ſuperior, qui Paſtoribus *ſecundarum* Eccleſiarum, ſi *lupi* fiant *moribus*,
ıram gregis jure aufert. *Ergo* etiam datur humana Poteſtas, quæ Paſtorem
imæ, & *centralis* Eccleſiæ, Paſtorem a Chriſto Domino *immediate* conſti-
ıtum, & in terris ſupremum, a cuſtodia Dominici gregis arceat, ſi
ta illius huic fuerit pernitioſa. Quæ ſi mente inſpiciantur ab omni perturba-
ɔne, & *anticipatis* defœcata opinionibus, pellucide cum *priorum* Propoſitio-
ım, tum conſecutionum *poſteriorum* falſitas ſe ſe oſtendet, ac veluti lumine
ɔlis nox, ita luce Veritatis diſſipabitur. Timor inanis eſt, qui prohibet di-
re, Depoſitionem *Joannis* XII. fuiſſe injuſtam, eo terriculamento, ne ſis non
verens *in ſanctam ſemper, juſtamque Eccleſiam* Romanam, & *technologice* magis,
ıam *theologice* excogitatus. Lapſus tot Epiſcoporum in *Latrocinio* Epheſino,
ror *Baſileenſium* non impediunt, quo minus Concilia *Oecumenica* ſancta ſem-
er fuerint, ſint, & vere appellentur: Cardinalium *viginti duorum* hallucinatio
ficiet, ne Eccleſia Romana *ſancta*, & *juſta* vere dicatur? Non intelliguntur
oncilia perfecte *Oecumenica* ſine Romano Pontifice, nec Eccleſia Romana *ex-*
uſo Paſtore. Viri boni eſt, quod Vindiciarum prædicat Author, dimicare
ro honore Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, pugnare pro gloria S. Sedis: ſed ejus-
em eſt, ita membra fovere, ut Caput non offendat; ita Cathedram *Petri* ama-
, ut *Petrum* non averſetur; ita honorare filios, ut Patrem non deſpiciat. Glo-
a patris honor eſt filiorum. Igitur conjungamus utrumque. Non virtuti

virtus,

virtus, uti nec verum vero adverſatur. Ego quidem ſic mecum conſtitui: Eccleſiam Chriſti cum univerſalem, tum particulares omnes, ac cumprimis *Sanctam Romanam Eccleſiam*, *Matrem*, & *Magiſtram omnium* filiali ſemper pietatis affectu complectar; at Romanum etiam Pontificem tanquam communem omnium *Patrem*, & *Doctorem* venerabor: nec unquam Supremum Eccleſiæ Principem, etiam, ſi forte a trito glorioſis plurimorum Pontificum veſtigiis tramite virtutis receſſerit, aut Provinciæ Romanæ, aut cujuscunque particularis Synodi judicio ſubjiciam condemnandum. Qua in ſententia ut plurimum ſim confirmatus, id Vindiciis Adverſarii debeo: nihil enim in illis vidi ad momenta rationum mearum reſponderi ſolidum; nihil, quod ad vindicandam ab injuſtitia *Joannis XII.* exauctorationem vim habeat, in medium proferri; non locos Theologis *domeſticos*, ſed extraneum *ab Invidia* Locum diligentiſſime pertractari; perſpexi accuſatum, ne noceat, de callida ſimulatione *Natalem Alexandrum*: *Baronio*, ut levior ſit ejus authoritas, detractam Epomidem; Cardinalem *de Turre cremata*, *Sylveſtrum Prieratem*, *Franciſcum Victoriam* invitos, ac modis omnibus reluctantes, contra fidem, in partem tractos; de Cardinali *Juliano*, quæ junior ſenſit, jactitari; quæ ſenior emendavit, taceri; Principia cudi peregrina; dici abſurda; intrudi aliena; miſceri omnia: quo factum eſt, ut multo jam illud profundius inſculptum ſit animo, doctrinam præſidio Rationis tam deſtitutam, tamque nudam ab Authoritate, ut non niſi Spolio nomen quærat, nemini, qui Theologus eſſe velit, ne *exercitii* quidem *cauſa*, eſſe amplectendam. Quæ dum ſequor, longiſſime abfuturum me arbitror ab ea caſtigatione, qua in *Guilielmum Barclaium*, de Romano Pontifice, ejusque Poteſtate agentem, licet & is initio Libri ſui monuiſſet Lectorem, *omni ſe reverentia, & benevolentia Sedem illam proſequi; nec hic aut id, aut alibi agere, ut debitæ poteſtatis, & dignitatis aliquid decedat Vicario* Chriſti, *& Succeſſori Ss. Apoſtolorum Petri, & Pauli*, quondam animadvertere non dubitavit Cardinalis *Bellarminus* *: Hoc videri ſimile eſſe ei, quod ſcribit *S. Marcus:* c. XV. *percutiebant caput ejus arundine, & ponentes genua adorabant eum.* Et, quod *S. Joannes* c. XIX. *Veniebant ad eum, & dicebant: ave Rex Judæorum, & dabant ei alapas.* Sic enim *Barclaium* omni reverentia, & benevolentia proſequi Apoſtolicam Sedem; ſed interim poteſtatem ejus fere dimidiare. Et quoniam hiſce Animadverſionum mearum primitiis ad communem utilitatem aliquid conferre eſt animus, illud vehementer exopto, ut, quæ mihi dicebam eſſe conſtituta, ſint aliis conſilia; uti danti non moleſta; ſic utilia iis, qui accipiunt.

* *In Apolog. contra Barclaium.*

O. A. M. D. G.

V. PY.

V.

PYTHAGORAS
NOVUS EXCUSSUS
SIVE
DISCEPTATIO
IN APOLOGIAM HISTORICO-CANONICAM PRO S. PROVINCIA ROMANA
IOANNEM XII. PAPAM, UT APOSTATAM, REPROBANTE ET CORAM
OTTONE M. IMP. LEONEM VIII. CANONICE
ELIGENTE,
DIE 3. SEPT. 1766. IN AUDITORIO MAJORE ACADEMIAE TREVIRENSIS
EXERCITIO JURIDICO PUBLICE PROPOSITAM,
PRAESIDE ME
(UT IN FRONTE LEGITUR)
GEORGIO CHRISTOPHORO NELLER
J. U. D. et ad Ss. Theol. Doctoratum admisso &c.
QUAM
ADEODATUS ENS Canonicus Leodiensis, et Judicii Eccles. Assessor faciebat.
Leodii Anno 1767.

Religiosi viri, atque perfecti secundum Canones concessam Sedi Apostolicae potestatem nimirum conantur eripere, et sibimet eam contra Canones usurpare.

O Canonum Magistros, atque Custodes!

S. Gelasius P. Ep. 2. ad Faustum, apud Harduin. T. II. CC. pag. 885.

Adeodatus Ens Theodulpho,
Canonico Trevirensi, S. P. D.

S. V. B. E. E. B. V. Rem mihi gratissimam feciſti, dum pro veteri noſtra amicitia, & conſuetudine muneris loco miſiſti mihi Vindicias apud vos nuper propu-

propugnatas. Ex quo tempore ſcholam veſtram Juris Canonici tenet vir ille clariſſimus, miras prodire in lucem concertationes vidimus. Singulari videtur eſſe ingenio vir. Si commentationes ejus, a pluribus jam annis in lucem datas perluſtro; ut perluſtravi plerasque omnes, partim a te, mi Theodulphe, partim a familiaribus meis aliis mihi ſubmiſſas: videor mihi videre redivivum Pythagoram, exemplum ſapientiæ veteris. Quidquid enim IPSE DIXIT, & PRÆSIDE SE, illud quantumlibet paradoxum, novum, ac fundamento omni deſtitutum fuerit: tamen vult omnes impreſſo ori digito altum conticeſcere, nec contra hiſcere quemquam mortalium. Si quid vero alii, quantumlibet magni nominis, virtutis, atque eruditionis fama clari, viri dixerint; ſive Doctorum; ſive Præſulum, ſive ſummorum Pontificum auctoritate fulſerint: ſi ſuo id palato non arriſerit, nullo loco habendum exiſtimat. Maxime ſi Jeſuitarum *quis* quid dicere auſus fuerit: hoc unum ad bilem ei in naſum ciendam ſufficit; dictaque illorum velut puros putos logos, ac nugas deſpuit, & conculcat. Pythagoræ tamen gravitati videri poſſet adjungere aliquid de Diogenis mordacitate cynica. Nam mutire contra eum auſit aliquis: ſentiet continuo fuſtem Diogenis, impacta in caput feroce dice. Quæ vult, dicit: audire, quæ non vult, renuit. Hanc quidem ex ejus ſcriptis videor mihi effingere poſſe viri imaginem. Nondum tamen effingo, aut pro vera effigie vendito. Falli enim queo. Nihil eo forſan modeſtius, nihil demiſſius, nihil moderatius, aut humanius. Proinde nihil de eo gravius temere pronuntiavero. Imo potius ſummæ mihi voluptati fuerit, mi Theodulphe; ſi tu, qui hominem abs dubio noſti propius, errore, quo forte laboro, me liberaveris. Cupiam plane illum noſſe, ut exiſtimationem de eo, qua dignus eſt, & concipere ipſe animo, & conciliare ei apud alios poſſim. Varii enim de illo hominum ſermones, ac ſenſus ſunt. Ego inter utramque partem anceps hæreo, nec de viro, haudquaquam mihi ſatis cognito, quid ſentiendum, ſcio. Hoc unum mihi videor affirmare poſſe; quod, cum cæteris in lucubrationibus ſuis alios ſui generis omnes ſuperaverit, in poſtrema hac ſeipſum ſuperaſſe videatur. Tam multa enim in illa occurrunt ſingularia, eaque, quæ non cujusvis ingenii ſit aut excogitare mente, aut verbis complecti. Perlegi illam ſtudioſe, atque ita comparatam reperi; ut cupido me inceſſerit appendendi illam ad ſtateram; præſertim cum tribunalibus hoc tempore ſilentibus, & procul negotiis ruri degens, pluſculum nactus eſſem otii. Non dubito quidem, quin Jeſuita, quem aggreſſus eſt, ſe defenſurus ſit ſtrenue. Non ſolent enim Jeſuitæ hoc in concertationum genere indigere adjutore, aut defenſore aliunde accito. Sed tamen obſervavi, Jeſuitas hactenus armis adverſus eum uſos quidem validis, ſed ſubtimide. Quis ſcit, an non a latere ſuo ſtantes aliquos Pythagoræ hujus Atlantes continuo reſpicere debeant, ne offendant. Nos Leodienſes aſſueti ſumus ſententiam libere, atque ingenue dicere, nec gratiæ inſervire. Neque abs re futurum putavi; ſi intelligeret, non Jeſui-

tis

tio ſolis, ſed aliis etiam, qui emunctioris ſe naſi eſſe exiſtiment, exotica ejus aſſerta graviter olere. Accipe igitur hancce meam in vindicias iſtas diſceptationem. Quam ſi probaveris, gaudebo: ſi minus, eundem tamen manſurum tibi apud me, qui ſemper fuit, amicitiæ, ac benevolentiæ locum, nullus ambiges. Vale. Dabam in Villa ſuburbana IV. Non. Oct. 1766.

Procœmium

§. 1. *Occaſio diſceptationis.*

1. Propoſuerat vir Clariſſimus, quicum hic nobis res eſt, propugnandam in Auditorio majore Academiæ Trevirenſis Præſide ſe hanc ex Jure canonico Theſin: *Et Papam accuſari poſſe etiam extra caſum deviationis a fide, docet inter alia exemplum Joannis XII. & XXIII. depoſitorum. Non obſtante* Can. 7. Diſt. 21. Can. 6. Diſt. 40. Can. 14. IX. q. 3. Propugnata eſt 25. Martii 1766.

2. Quoniam hæc IPSE dixerat; oportuiſſet Pythagoræ hujus auctoritati acquieſcere omnes, & imitari illud Virgilii Æn. L. 2.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant. Maxime cum ortum ex ea Theſi in urbe catholica ſcandalum, nec datum eſſet, nec natum (ſi ipſum dicentem audimus) ſed phariſaicum, contra quod nemo eſt tutus. Nihilominus, aliorum nemine contra hiſcere auſo, repertus eſt audax Jeſuita. Nomen ejus non prodidit: credo, ut famæ parceret. Is non exhorruit priori Theſi non ſimplicem duntaxat (quod ſatis fuiſſet temerarium) Theſin contrariam opponere: ſed ſuam etiam variis argumentis ſtabilire; & menſe Majo defendendam publice exponere.

Improbum facinus indigne ferens, vix tribus menſibus interpoſitis, paratas habuit vindicias; quas iterum, PRÆSIDE SE, luci, & diſputationi publicæ expoſuit 3. Septemb. Anno eodem.

3. Has nunc ventilare aggredior. Sed quoniam tantam in illis rerum, ac verborum confuſionem, ac quadrata rotundis miſceri reperio; ut non illuſtrando, ſed obtundendo, ac caligine involvendo lectoris cerebro natæ, factæque videantur: opus eſt ante omnia, ut in certum totam rei ſummam ordinem redigam; quo ſuo quæque loco diſtributa, ac diſtincte ob oculos poſita expendi clarius, ac facilius poſſint. Atque imprimis, quod fieri in cujuslibet cauſæ diſceptatione debet, ſpecies facti exponenda eſt fideliter, ac dilucide. Deinde inſtituenda eſt quædam quaſi litis conteſtatio, ut conſtet, quibus in rebus par-

tes utrimque conſentiant; de quibus inter ſe diſſideant, atque ita dijudicari poſſit, quodnam ſit verum cauſæ crinomenon; quid cuique probandum incumbat; ac demum, quam recte quiſque probaverit id, quod incumbebat probandum. Sit itaque

§. 2. *Species Facti.*

1. Albericus, qui fuerat Urbis patritius, opibuſque ac clientibus pollens, principatum Romæ ſibi arripuerat, filium habuit, Octavianum nomine, a juventute Clericum. Is Patre Alberico mortuo, cum clericus eſſet, principatum adeptus eſt primum. Poſt, Agapeto II. Rom. Pontifice pariter vita functo, etiam Papa Urbis effectus eſt, & mutato nomine Joannem XII. ſe dixit.

Rem ita narrat Flodoardus in Chronico ad annum 954. Alii referunt ad annum 956. Verum modica hæc ſcriptorum de temporum ratione diſſenſio non mutat facti ſubſtantiam.

2. Fuit hic Joannes, dum ſedem Apoſtolicam invaderet, octodecim circiter annorum adoleſcens, ac pene puer, perditis, & diſſolutis moribus.

Quamvis enim Ottoni Friſingenſi viſum ſit durum credere omnia, quæ ei objecta fuere (uti & mihi durum eſt credere omnia, quæ Vindiciarum ſcriptor ei impingit, de quibus ſuo loco videro) fatendum tamen, quod res eſt, & tanto ſcriptorum conſenſu teſtatum.

Quæ de expeditione adverſus Pandulphum, Capuanum Principem infauſtis avibus ab eo ſuſcepta traduntur, non ſunt quidem hujus loci: non eſt tamen omnino abs re, ea paucis his verbis notaſſe.

3. Circa hæc tempora Berengarius Italiæ Rex, cum Adelberto Filio ſuo, in regni ſocietatem adſcito, omnem late viciniam, ac Romanam etiam Eccleſiam armis infeſtam habuit, nec ſacris parcens, nec humanis rebus, cædibus, & rapinis obvia quæque devaſtans.

4. Compulſus in anguſtias Pontifex Ottonis I. Regis Germaniæ, opem implorvit per legatos. Is exoratus, ut refert Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 962, cum exercitu in Italiam tetendit; & conciſis primo impetu Berengarii, & Adelberti viribus, Romam perrexit; ubi a Pontifice ſplendide eſt exceptus, & Imperii corona ritu ſolenni ornatus; cui non ſolum propria reſtituit, verum etiam ingentibus eum muneribus honoravit.

5. Otto & ante, quam Italicam expeditionem ſuſciperet, coram Oratoribus Pontificiis juratus promiſerat, ſe bene conſulturum Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ; omniaque Rom. Eccleſiæ bona, a tyrannis ſublata, redditurum: & Romæ poſt præſens, quæ ex tyrannorum faucibus ad id tempus eripuerat, non

modo

modo fideliter reſtituit; ſed donationes etiam a Pipino, & Carolo M. Eccleſiæ Rom. factas ſplendido diplomate confirmavit.

Viciſſim vero a Joanne Papa juramentum accepit ſupra Corpus B. Petri, & præſentibus omnibus Civitatis proceribus: ſe nunquam Berengario, & Adelberto ſuppetias laturum.

6. Aſt Cæſare vix ad extinguendas penitus belli reliquias Roma digreſſo, Papa fidei datæ, & jurisjurandi immemor, non multo poſt ad Berengarii partes defecit. Ejus Filium Adelbertum profugum, ac cum copiis ſuis huc illuc diſcurrentem, precibus multis expugnatus, in urbem, ac ſuam fidem recepit.

Quo Cæſar comperto, mox ſoluta, qua Berengarium in Monte Leonis premebat, obſidione, Romam revolavit cum exercitu. Sed Joannes Papa cum Adelberto, & ſumpta ſecum pecunia, non exſpectato Ottonis adventu, ſe trans Tiberim jam fuga receperat. Quamvis civium alii Pontificis, alii Cæſaris partibus ſtuderent: omnes tamen receperunt Ottonem in urbem, &, datis obſidibus, ejus ſe poteſtati dediderunt.

7. Imperator, urbe in fidem accepta, tertio poſt die convocavit ſynodum, ad quam cum accerſitus Joannes venire recuſaret, ſed reſcriberet paucis: Audiſſe ſe, quod velint alium creare Pontificem; quod ſi tentaverint, ſe illos excommunicare, & omnem alios ordinandi, ac Miſſas celebrandi facultatem adimere: alia actione decreta in illum altera evocatio. Quæ tamen ad eum non pervenit; quia longius a Tiberi in ſecretos nemorum receſſus ſe jam abdiderat.

8. Tertia igitur actione gravium ſcelerum accuſatus eſt; atque annuente Imperatore Protoſcriniarius quidam Neophytus, id eſt, vel nondum, vel recens admodum clericorum ordini adſcriptus, in ejus locum ſuffectus, qui ſe Leonem VIII. nominari voluit.

Synodum hanc habitam fuiſſe VIII. Idus Nov. anno 963., id eſt. 6. Nov. conſtat ex Synodica Leo VIII. in Palatio Lateranenſi conſecratus traditur die 6. Nov. A. E.

9. Duobus circiter a conſecratione Leonis menſibus lapſis, Joannes Papa, miſſum faciens Adelbertum, qui & ipſe ultro conceſſit in Corſicam, Romam rediit, atque a civibus, ſuarum partium ſtudioſis, intromiſſus eſt. Sumpto de quibusdam, qui in eum præcipue conſpiraverant, ſupplicio, Romæ die 26. Februarii anno 964. celebravit ſynodum, in qua Concilium ab Ottone, addictiſque ejus partibus Epiſcopis habitum, damnatum fuit, velut proſtibulum favens adultero, invaſori ſcilicet alienæ ſponſæ, Leoni VIII. Leo ipſe anathemate perculſus; qui eum ordinaverant, uti & ſacris ab eo initiati, de gradu

dejecti; intentata anathematis comminatione prohibitum, ne quis Leonis partes sequeretur deinceps, aut adjutaret.

10. Joannes post assertum sibi denuo Pontificatum non diu superstes fuit. Nam, ut tradit continuator Reginonis, II. Idus Maji, id est, pridie Iduum, sive 14. die, rebus humanis excessit.

11. Dum hæc Romæ gererentur, Leo, qui adventante Joanne vix cum paucis, facultatum omnium nudus ex urbe evaserat, apud Imperatorem, in Camerino Ducatu tum degentem, versabatur.

12. Joanne mortuo Romani paucis post diebus elegerunt Benedictum Diaconum, cognomento Grammaticum. Memores tamen juramenti Ottoni præstiti, nunquam se Papam electuros, aut ordinaturos præter consensum, atque electionem Ottonis Cæsaris Augusti, filiique ipsius Regis Ottonis: missis ad Imperatorem oratoribus, ejus expetiere assensum.

13. Nihil impetrari ab Ottone potuit, taleque ab eo responsum acceperunt Legati: *Quando dimisero ensem meum, tunc dimittam, ut Dominum Leonem Papam in Cathedra S. Petri non restituam.*

14. Nuntiis reversis, Benedictus nihilominus consecratus est, & Benedictus V. appellatus. Quod audiens Imperator, majore furore exarsit. Undique circumvallavit civitatem Romanam, per diversas civitates cœpit deprædari, incendere, atque vastare, & funditus dissipare; & in tantam penuriam, & captivitatem eam adduxit; ut modius furfuris venundaretur triginta denariis. Consternati autem, & afflicti Romani, & tam pessimum malum sufferre non valentes, innocentem Benedictum Imperatori tradiderunt, & Dominum Leonem in Romanam & Apostolicam sedem susceperunt, spondentes ei obedientiam, & Domino Imperatori super corpus B. Petri Apostoli.

Hæc tradit Petrus Bibliothecarius in vita Joannis XII. nondum edita apud Papebrochium. Chronographus Farfensis apud Duchesnium Tom. 3. eadem prorsus refert, de Romanis hoc addens: Dominum Leonem Papam *coacti* receperunt. Ex suo Continuatore Luitprandino hæc addere potuisset Vindex. „Quo audito Imperator urbem vallavit, neminem, „qui non membris truncaretur, exire permisit: machinis, & fame usque adeo afflixit, donec, Romanis nolentibus, urbem reciperet. Leonem virum venerabilem debitæ sedi restitueret, ac Benedictum, summæ sedis invasorem, ejus præsentiæ repræsentaret. L. 6. c. 11. Actum de his in vindiciis, quas ventilamus, [illegible].

15. Leo in urbem receptus [illegible] synodum, ad quam [illegible] Benedictus V. Is, ut erat [illegible] ipsomet vindice nostro, vir bonæ mentis, pub-

poſtquam acerbe fuiſſet increpitus a Benedicto Cardinali Archidiacono, reſpondit: *Si quid peccavi, miſeremini mei.* Ut commotus ad lacrymas Imperator, nihil in ejus præjudicium fieri a ſynodo, commendaret. Ipſe vero Benedictus continuo ad Leonis, & Imperatoris pedes procidens, ſe peccaſſe, ſe S. Romanæ ſedis invaſorem eſſe conclamavit. Poſt hæc pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum pontificali ferula, quam manu gerebat, Domino Papæ Leoni reddidit. Tum ille humi ſedere juſſum caſula etiam, & Stola exuit, omni pontificatus, & presbyteratus honore privavit; Diaconatus tamen ordinem, in Imperatoris gratiam, ei habere permiſit, & Roma pulſum in exilium ejecit. Synodus hæc habita anno 964.

16. Adaldago igitur Hammaburgenſi Archi-Epiſcopo ab Ottone Imp. in cuſtodiam traditus eſt. „Archi-Epiſcopus vero magno eum cum honore uſque „ad obitum ejus detinuit. Nam vir ſanctus, literatuſque dicitur fuiſſe, & qui „dignus Apoſtolica ſede videretur a Pop. Romano, niſi quod per tumultum cle„ctus eſt, expulſo eo, quem ordinari juſſerat Imperator. Igitur apud nos in „ſancta converſatione vivens, aliosque ſancte vivere docens, cum jam Romanis „poſcentibus a Cæſare reſtitui deberet, apud Hamburg in pace quievit. Tran„ſitus ejus IV. Nonas, ſive 4. die Julii contigiſſe ſcribitur. Hæc Adamus Bre„menſis. *Lib. 2. Cap. 6.*

17. Imperatoris Roma diſcedentis exercitum dira peſte correptum, ac magna parte conſumptum fuiſſe ſcribit continuator Luitprandi. Ditmarus Lib. 2. Chron. vindicem hanc Dei ob Benedictum injuſte depoſitum pœnam exſtitiſſe opinatur. Deus ſcit, quid ſit rei. Leo VIII. Pontificatu diu fruitus non eſt, ſed Martio ineunte anni 965. mortuus.

Hæc ſincera facti, & ſuccincta narratio eſt, deprompta ex iisdem ſcriptoribus, quos & Vindiciarum auctor allegat, videlicet ex Continuatoribus Luitprandi, & Reginonis, Adamo Bremenſi, Petro Bibliothecario, Actis ſynodi Romanæ ſub Joanne XII. apud Harduinum. T. VI. CC. p. 631. Sciens prudens autem præſens in tempus omiſi quædam, quæ altiorem indaginem poſtulant, ac ſuum in locum diſtuli, omnia diſcuſſurus exactiſſime. Quod monendum duxi, ne forte ſuſpiçetur æmulus, me quædam dolo malo ſupprimere voluiſſe.

§. 3. *Separantur conceſſa.*

1. Extra controverſiam eſt, Papam Romanum, ſi fieret a Fide devius ita, ut in apertam hæreſin prorumperet, eamque Eccleſiam univerſam docere tentaret, e Petri Cathedra fore dejiciendum, ſuffecto in ejus locum alio Orthodoxo.

Res

Res ex SS. Canonibus, & communi Eccleſiæ ſenſu tam confeſſa, & manifeſta eſt, ut de ea Catholicorum nemo ambigat.

Quod ſi enim, quod abſit, &, Vindice pag. 31. n. XX. fatente, nunquam contigit, Papa fieret aperte hæreticus, & hæreſin conaretur in Eccleſiam introducere, deſineret eſſe membrum Eccleſiæ: quæ eſt congregatio fidelium unam Chriſti fidem, & doctrinam profitentium. Deſineret ergo & eſſe Caput Eccleſiæ. Non poteſt enim eſſe caput corporis, cujus membrum non ſit. Exauctoratus igitur tum foret, non a ſynodo particulari Romana, aut alia quacunque, ſed a ſemetipſo per voluntarium lapſum in hæreſin. Deſineret ergo demum eſſe major reliquis: cum per hæreſin hanc ſuam & corpore Eccleſiæ excidiſſet, & Pontificatu. Vacaret igitur tum ſedes Pontificia; ac fas eſſet Eccleſiæ per eos, ad quos de jure pertinet, eam alio, more majorum electo, rurſus implere.

2. Tempore ſchiſmatis, dum duo, vel plures de Pontificatu Romano contendunt, nullusque eorum ab univerſa Eccleſia agnitus, acceptatusque eſt; fas eſt Eccleſiæ, exautoratis, etiam invitis illis, qui juri ſuo qualicumque quæſito cedere recuſant, & recuſando non finire, ut deberent, ſed continuare ſchiſma moliuntur, certum ſibi Caput eligere.

Id docet nos Concilium Conſtantienſe; quod, hanc partem ſi ſpectes, ab Eccleſia univerſa acceptatum, ratumque habitum eſt. Nec ſatis proſpexiſſet Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Dominus; ſi non conceſſiſſet ei poteſtatem eligendi ſibi tali tempore Paſtorem certum, quem oves Chriſti omnes ſequi, ejusque vocem audire cum obedientia debeant.

3. Indubitatum pariter eſt Joannem XII. fuiſſe ante ſynodum ab Ottone I. collectam verum, acceptatumque ab univerſa Eccleſia Romanum Pontificem.

Quamvis enim non per legitimam electionem in ſedem B. Petri, ſed per ſuam, factioniſque ſuæ violentiam eluctatus, vel potius intruſus fuerit: tamen Eccleſiæ accedente poſt conſenſu (cui ſatius viſum, Pontificem, pene puerum, nec legitimis ſuffragiis electum, colere, atque acceptare, quam inconſutilem Chriſti tunicam diro ſchiſmate dilacerare) electionis vitium perſanatum fuit.

Electionis vitium ſanari per Eccleſiæ univerſæ, ita perperam electum acceptantis, aſſenſum docet nos exemplum Vigilii Papæ. Is quamvis malis artibus, ſuffragante Theodora Auguſta, thronum Pontificium invaſiſſet, S. Silverio Papa legitimo, Beliſarii ducis (quem auro ſibi Antipapa devinxerat) armis, & ſatellitibus, Pataram primum, Lyciæ urbem, ac dein iterum in inſulam palmariam ad exilium deportato; ubi vir ſanctus vel ærumnis, vel, ut alii rentur, inimicorum ferro confectus eſt. *Procopius de Bell. Goth. L. 1. C. 25. Liberatus C. 22. Anaſtaſius in Silverio.*

Poſt

Poſt Silverii mortem tamen in defuncti locum acceptatus ab Eccleſia, verus ac legitimus Pontifex habitus eſt; Pontificaliaque munia, nemine obſiſtente, ac cum laude adminiſtravit. Multa pro fidei, & Auctoritatis Apoſtolicæ defenſione acerba perpeſſus, vix mortem a Prætoris, a Juſtiniano Auguſto immiſſi ſatellitibus ſibi paratam effugit. (a) Theodorum, Cappadocum metropolitam, Origenis defenſorem acerrimum, & turbarum omnium incentorem omni ſacerdotii honore, & communione ſpoliavit. Mennam Cpolitanum, ac conſentientes Epiſcopos a communione ſuſpendit. (b) Poſt vero ad eundem Mennas, & Theodorus Cæſareenſis fidei ſuæ libellos mittentes, ac factorum veniam precantes, in communionem ut denuo reciperentur, rogarunt. (c) denique ſynodum oecumenicam V. Cpolitanam II. rogatus a Patribus, probavit ſuo calculo. (d)

(a) *Vigilius in Ep. encycl. & Clerus Italiæ in libello an.* 551. *ſcripto.* (b) *Baronius ad annum* 551. *N. VII. & XIII.* (c) *Acta Cpolitani II. in Conſt. Vigil. Coll.* 1. *Apud Hardu. T.* 3. *Cc. a pag.* 54. (d) *Apud eundem ibidem pag.* 218.

Aliud exemplum perſanatæ, per conſenſum acceptantis Eccleſiæ, electionis per ſe ſe illegitimæ occurret infra in cauſa Benedicti IX.

Jam vero Joannem XII. pariter ab Eccleſia univerſa acceptatum, agnitumque fuiſſe, negari non poteſt.

Nam anno 957. rogatus a Lothario, Franciæ Rege, ut monaſterii Humolarienſis, quod antea monachæ tenuerant, ad Monachos, propter collapſam apud illas vitæ religioſæ diſciplinam, translationem, a Ludovico, Patre ſuo, conſulentibus Artaldo Remenſi Archiep., aliisque factam, ratam, firmamque eſſe juberet: quod petitum fuit, præſtitit datis ad Regem literis, quas recitat Mabillonius *Sæc. II. Benedictino pag.* 1025.

Anno 959. Girardus, Auguſtodunenſis Epiſc., Romam profectus, deprecatus eſt Joannem, ut Iſuardum, ejusque ſocios, terras Eccleſiæ S. Symphoriani vi detinentes, anathemate feriret. Feriit, & ſententiam excommunicationis Archiepiſcopis Franciæ, ac Burgundiæ miſit: qui illam mandatis ejus obſequentes promulgarunt. *Vid. Hardu. Tom. 6. CC. P.* 1. *pag.* 621.

Anno 960. S. Dunſtanus ad Romuliam urbem profectus Pallium a Joanne XII. ſuſcepit. Teſtis Wilhelmus Malmasburienſis *Lib.* 1. *de Geſt. Pontif. Angl. in Dunſtano*, & Rogerius Dovedenus, pag. 425.

Ipſemet Otto M. Joannem agnovit verum, ac legitimum ſummum Pontificem. In diplomate enim ſuo Anno 962. die 13. Februarii dato, quod exhibet Hardu. *L. C. pag.* 623. ita loquitur: *Ego Otto D. G.... Tibi B. Petro Apoſtolorum principi, & clavigero regni cœlorum, & per te vicario tuo Joanni ſum-*

mo Pontifici, & univerſali XII. Papæ. &c. Imperii item coronam ex ejusdem manibus, quod illo ævo erat Romani Pontificis officium, ſuſcepit.

Artaldus Remorum Archiep., ab Heriberto Comite (filio ſuo Hugone in ejus locum intruſo) expulſus ſede ſua fuerat. Sed in ſynodo Ingelheimenſi anno 948. die 7. Junii, Præſide Marino, Eccleſiæ Polymartienſis Epiſcopo, & Agapeti II. Legato habita, reſtitutus, Hugo vero anathemate perculſus eſt. *Hardu Tom 6. CC.* P. 1. *pag. 603.* Synodi hujus ſententiam, & Hugonis damnationem confirmavit Agapetus in Concilio Romano. *Hardu. ibid. pag. 615.* Artaldo ad annum 961. vita functo, agebant quidam Epiſcopi, ut Hugoni ſedes nunc vacans reſtitueretur. Rei diſcutiendæ cauſa ad ſynodum convenere XIII. Epiſcopi ad Matronam amnem in pago Meldenſi ad medium menſem Aprilem anni 962. Hi nihil inconſulto Romano Pontifice ſtatui a ſe tanto in negotio poſſe rati, rem ad Joannem XII. referunt. Ac poſt allatum Roma reſponſum, rejecto Hugone, Odalrico Remenſem ſedem detulerunt. Quod argumento eſt, Joannem XII. ab iis agnitum fuiſſe ſummum Pontificem.

Quid multis opus eſt? Vel ipſa Ottoniana Synodus I. id ipſum agnovit. Prima enim ejus ſynodica Epiſtola ſalutat Joannem his verbis: *Summo Pontifici, & univerſali, Domino Joanni, Otto divina reſpectu Clementia Imperator Aug. cum Archiepiſcopis Liguriæ, Tuſciæ, Saxoniæ, Franciæ, in Domino ſalutem.* Altera vero in hunc modum: *Summo Pontifici, & univerſali Papæ, Domino Joanni Otto divina reſpectu Clementia Imperator Aug., ſed & S. Synodus, Romæ ob ſervitium Dei congregata, in Domino ſalutem.*

Neque inter accuſationum ipſi intentatarum capita verbum ullum, quo arguatur eſſe Pontifex illegitimus.

Neque auctor vindiciarum id ire inficias poteſt, niſi Andabatarum more velit verberare aërem, & cauſam ſuam deſerere. Antitheſiſta enim ſuus, ſic enim illum vocat, minime negabit, ſummum Pontificem nullatenus verum, ſed illegitimum, poſſe accuſari, damnari, deponi. De ſolo vero, ac legitimo hæc lis eſt.

4. Non opus eſt hoc loco negare, quæ de male feriatis ejus moribus narrantur: nec defendere, quod ſpreto jure jurando, ac datam Cæſari fidem fallens, ad Adelbertum defecerit.

Neque enim perſonæ Joannis, ſed auctoritati pontificiæ, quam, etſi indignus, gerebat, apologia hæc ſcribitur. Minime vero terreor iis, quæ pagina 18. N. VIII. lit. b. e pulpito ſuo, PRÆSIDE SE, pronuntiat vindiciarum auctor: Reddi eo ipſo difficillimam probationem harum aſſertionum: *Eccleſia Romana contra jus peccavit, dum loco nequiſſimi alium conſtituit pontificem. Otto M. contra jus peccavit, dum Leonem VIII. pro vero papa agnovit. Archi-*

&

& Epiſcopi Germaniæ, Lotharingiæ, Italiæ contra jus peccarunt, dum rejecto Joanne, Leoni obediverunt, nec Romanam Eccleſiam monentes, nec Imperatorem exhortantes, hoc eſſe contra Canones, & extra poteſtatem totius Eccleſiæ Catholicæ. Aſſertiones has enim probavero tam facile, quam vulpes pyrum comeſt. Dic, age: ſi ego, ſi tu, ſi quivis nobiſcum alius privatus, nulla publica legitima auctoritate pollentes, conſpiratione facta arriperemus nobis partes judicis, ac conſceleratiſſimum quempiam ex infima plebe hominem conaremur lata ſententia, ſi non capite, fortunis tamen ſuis multare: auderesne pronuntiare, contra jus minime peccaturos? Quid dicam, ſi idem machinaremur in eum, quem legitime nobis præpoſitum agnoſceremus, cuique obſequii, honoriſque exhibendi ſacramentum dixiſſemus? Ita plane, niſi demonſtratum fuerit, conceſſam hanc Romanæ Eccleſiæ, aliisque, qui interfuere, in legitimum, agnitumque ab omnibus Eccleſiis Pontificem max. poteſtatem eſſe; nihil erit aſſertionum iſtarum probatione facilius. Jam vero, utrum id legitime demonſtrent Vindiciæ; hoc eſt, quod nunc quærimus.

5. Neque etiam poteſt hoc loco eſſe quæſtio, fueritne Joannes XII. hæreticus, aut apoſtata, qui a fide, & Eccleſia Chriſti defecerit.

Imprimis enim nemo, quantumlibet facinoroſus, niſi facinus forte cum ipſa fide pugnans in ſe admiſerit, ſit hæreticus, & Eccleſia extorris. Certus quippe fidei catholicæ articulus eſt, in Eccleſiæ ſagena ex omni genere piſcium congregatos teneri, bonos, & malos. *Matth.* 13. v. 47. Deinde in illa Ottoniana ſynodo nulla adverſus eum hæreſeos accuſatio prolata eſt. Demum nec hæreſeos, aut apoſtaſiæ a fide reum agere poteſt Vindex. Aut nihil omnibus egit expenſis vindiciarum ſuarum. Probandum enim ſibi aſſumpſit, ſummum Pontificem poſſe, etiam extra caſum hæreſis, & ſchiſmatis plurium Paparum, propter *ſolam deformitatem morum* accuſari, & deponi. Contendit quidem pag. 38. N. XXX. & pag. 39. N. XXXI., quod Joannes fuerit hoſtis Eccleſiæ, ac ſeipſum ea extorrem fecerit; quod habendus ſit proditor, traditor, venditor, hoſtis, apoſtata, & deſertor ſuæ Eccleſiæ. Sed hoc ipſo ex capite convincitur ſecum ipſo pugnare; quæ ædificare moliebatur, deſtruere; ſuammet Theſin, quam vindicandam ſumpſit, prodere, tradere, vendere. Quod ei non eſſe inſuetum, ac novum, non ſemel videbimus.

6. Nemo pariter inficiabitur, Ottonem magnum iuſta adverſus Joannem, ad hoſtes Imperii, & Italiæ a ſe deficientem, fuiſſe ira commotum. Juſte poterat injuriam ſibi illatam propulſare, ac Papæ non minus, quam aliorum hoſtilium principum, molitionibus vim armatam opponere; ſalva tamen erga ſacram Pontificis poteſtatem reverentia.

Id vitio non datur Pandulpho, Capuæ principi, de quo in ſpecie facti

mentionem fecimus. Non datur tot aliis principibus, defenſionis jure, dum hoſtili Romanos Pontifices in ſe animo eſſe cernerent, non ſemel uſis.

7. Vindiciarum ſcriptor pagina 28. dicit N. XII.; Argumenta impugnantium depulſionem Joannis XII., & Benedicti V., vel deſumi a defectu poteſtatis, vel a nullitate proceſſus contra Joannem XII. formati.

Verum hoc quidem dixit; non nego, nec ad cauſam hanc diſcutiendam neceſſe eſt IPSI dicenti negare omnia. Tantum hic obſervo, quod ad penitus labefactandas ejus vindicias ſufficiat, ſolum opponere defectum poteſtatis. Poteſtas quippe judicandi in judice, cum baſis & fundamentum cujuslibet actus judicialis ſit: hac ſola deficiente nullitatem totius proceſſus conſequi neceſſe eſt; eſto, obſervata ad unguem fuerint cætera, quæ ad judicii formam jura requirunt. Quod quamvis qui neſciat, Ictorum nemo ſit; confirmari tamen invicte poteſt ſcito ex concilii Tridentini Seſſ. 14. c. 7. petito, ubi hæc legimus: *Quoniam igitur natura, & ratio judicii expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur: perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei, & veriſſimum eſſe Synodus hac declarat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet jurisdictionem.*

Quod hic de judicio interiori pœnitentiæ S. Synodus declarat; idem de judicio etiam exteriore quovis pronuntiet, dum huic declarationi hanc generalem cauſam præmittit: *Natura, & ratio judicii expoſcit &c.* Niſi igitur conſtiterit, eum vel illos, qui hoc judicium contra Joannem exercuere, habuiſſe in eum ordinariam, vel ſubdelegatam jurisdictionem, id eſt, jurisdicundi poteſtatem legitimam: nullius momenti, ac roboris ſententia eſſe debet; nec formæ obſervatæ ratio ulla habenda eſt.

8. Ut hanc Judicibus Joannis XII. poteſtatem adſtruat, dicit ead. pag. 28. N. XIII. Priuſquam de poteſtate loquamur, quærendum, quis ergo Joannem exauctoraverit.

Quod & hic dicit, veritati, & rationi omnino conſentaneum eſſe, libens fateor. Qui enim illorum, qui judicium hoc exercuerunt, jurisdicundi poteſtatem in dubium vocare, aut penitus negare poterimus; niſi ſciverimus, quinam id fecerint?

9. Audiamus igitur, a quo exauctoratum fuiſſe Joannem dicat.

Primum negat id factum ab Ottone (eod. N. XIII.) quippe qui nec actor fuerit, nec teſtis, nec judex. Queritur, hoc perperam aſſeri a ſuo Antitheſiſta cum, & ex ſuo Natali Alexandro. Sed Ottonem ait, dediſſe ſuum imperiale *placet* ad aliorum judicium. N. XIV. deinde negat id factum a ſynodo Epiſcoporum Lotharingiæ, Saxoniæ, Franciæ, Germaniæ, Italiæ, extra Provinciam

vinciam Romanam ſitæ. Natalis Alexandriſtam incuſat, quod hoc contra ſpeciem caſus ſuppoſuerit, & ideo contra umbras pugnaverit vago hoc argumento: *Synodus particularis fuit, ergo jure non potuit deponere Papam.* Addit eam in rem N. XV. pag 29. Poſtulante enim Ottone Imp. quid ſuper hoc S. Synodus decernat: nullum verbum reſpondit Henricus Trevirenſis, Adaldagus Hamburgenſis &c. Quis igitur tandem? „Sancta, *inquit N. XV*, Romana „Eccleſia coram ſuo advocato nato, & extraneis aliarum Eccleſiarum de utro„que regno, Germaniæ, Italiæque Archi- & Epiſcopis. Et ne dubium nobis relinqueret, quid demum Eccleſiæ Romanæ nomine intelligat; ſubdit continuo: „Per Romanam Eccleſiam intelligimus Provinciam Romanam, qua talem, con„ſtantem ex Epiſcopis Papæ ſuffraganeis, Cardinalibus presbyteris, & diaco„nis &c. Hæc Papam, & metropolitam ſuum patriarchalem exauctoravit ſola. Verbum nullum reſpondente Henrico Trevirenſi, aliisque extraneis Præſulibus, „Sola Eccleſia Romana eſt locuta; ſola reprobavit Joannem velut improbum, & „apoſtatam, nulla opera emendabilem, cunctis nocivum &c. Ipſa vero ſola ele„git Leonem, aſſenſum more illius temporis præbente Imperatore, communio„nem dantibus electo Archi- & Epiſcopis Imperii: ipſa ſola inthroniſavit ele„ctum, conſecravit.

Multa hoc loco nobis narrat PRÆSIDE SE, quibus non poſſumus plenam, citra dubitationem omnem, adhibere fidem. Eſto tamen. Ponamus caſum, qualem ipſe ſtatuit. Sola Provincia Romana qua talis, qualem deſcribit, exauctorarit Joannem, elegerit Leonem, inthroniſaverit, conſecrarit. Acceptemus tantisper utiliter hanc, ſive veram, ſive falſam, hypotheſin, tamquam propriam ejus confeſſionem. Tanto certius poſt ſuo Theſin ipſius gladio jugulabimus.

10. Obſervat pag. 28. N. XI., Acta ipſamet duarum Romanarum Synodorum pro Leone VIII. non haberi, ſed quæ loco eorum inſeruit Tom. ſuo VI. Harduinus, ex Hiſtoria Luitprandi eſſe. 2. Non eſſe accedendum Launoio, qui in dubium vocare voluit acta concilii Romani pro Joanne XII.; ut recte, inquit ipſe, ſenſit Natalis.

Acceptemus & hanc confeſſionem utiliter. Sed liceat & nobis obſervare; Quod Hiſtoria Luitprandina a Capite 6. ad 11. Libri 6. non ſit Luitprandi Cremonenſis Epiſcopi; ſed alterius cujusdam ignoti nobis continuatoris Hiſtoriæ Luitprandinæ, ut fatetur vindex pag. 38 N. XXXI., atque ipſemet illi parum ibidem fidei tribuit. IPSE DIXIT. Non auſim contra hiſcere. Inferre tamen licebit: Ergo acta duarum ſynodorum pro Leone VIII. non habent auctoritatem publicam, acta ſynodi pro Joanne XII. habent: niſi aliud probetur, non dicendo ſolummodo, ſed argumentis validis oſtendendo. Sunt enim in poſſeſſione.

His ita utrimque ſtabilitis pergamus ab controverſa.

§. 4. *Exponuntur controverſæ, & quid ſit utrimque probandum, ſtatuitur.*

1. 1ma controverſia eſt, utrum ſummus Pontifex, ab univerſa Eccleſia agnitus, atque acceptatus, etiamnum vivens, officio ſuo non ſponte renuntians, ſed palam ſe opponens, nec per hæreſin eo excidens, jure poſſit accuſari, judicari & exauctorari propter *ſolam deformitatem morum?* Theſis hoc aſſerit, negat Anti-Theſis.

Hoc ergo Theſeos vindici incumbit probandum: & Antitheſiſtæ argumenta refellenda.

2. Altera controverſia eſt, an particulari Eccleſiæ Romanæ, qualem ab ipſomet deſcriptam vidimus (*ſ. prec. n. 9.*) competat poteſtas legitima exauctorandi Papam, & Paſtorem ſuum. Vindex Theſeos hoc aſſerit, Antitheſiſta nihil hactenus, quod ſciam, oppoſuit. Ego nego.

Et hoc igitur incumbit ipſi probandum.

3. Tertio controverſum eſt, an ſummus Pontifex lege obſtrictus ſit, ut accuſatus de morum deformitate compareat coram ſua ſynodo, ac ſe purgare teneatur. Vindex Theſeos hoc ſimpliciter aſſerit. Ego facere id Papam ſi ſponte voluerit, poſſe, concedo: lege ad hoc faciendum cogi, nego.

Vindici igitur probandum, an & ubi exſtet ejusmodi lex.

4. Quarta controverſia eſt: an ſynodus Romana I. pro Leone fuerit legitima, altera pro Joanne illegitima?

Probandum vindici illam fuiſſe legitimam, hanc illegitimam.

5. Quinta controverſia eſt, an Joannes XII. factus ſit hoſtis Eccleſiæ, ſe ipſum extorrem fecerit, perinde atque ſi abdicaſſet a ſe magiſtratum: & an, niſi venerit ad Synodum, & objecta purgaverit, habendus jure fuerit proditor, traditor, venditor, hoſtis, apoſtata, & deſertor ſuæ Eccleſiæ? Affirmat vindex pag. 38. N. XXX., & pag. 39. N. XXXI. Ego hæc omnia nego. Quare incumbent Vindici probanda.

Quinque hæc capita niſi ſolidis argumentis comprobaverit vindex, in nihilum concident totæ, quantæ ſunt, ejus vindiciæ. Prius tamen, quam in decretorium deſcendamus certamen, prævias duas velitationes committamus. In prima contendam, Principia, quæ ſtatuit, vel non eſſe principia, vel, ſi ſint, ipſummet ea non ſequi. In altera, perperam ab eo actionem inſtitui in poſſeſſorio.

Hæc duo ubi oſtendero, pergam deinde demonſtrare quodammodo ad oculum, nihil eorum, quæ probanda ſunt, probari a noſtro vindice; nihil eorum,

eorum, quæ refellanda ſunt, refelli, denique ſcatere vindicias multis ineptiis, nihil ad propoſitum facientibus.

§. 5. *Expendantur principia, quæ ſtatuit.*

1. Non eſt integrum cuilibet ſtatuere pro ſuo arbitrio principia, ſive axiomata, quæ ſuo propoſito videantur maxime opportuna. Sed

2. In principiorum numero cenſendæ non ſunt, niſi propoſitiones ejuſmodi; quæ vel ita per ſe ſe notæ ſint, ut alio ex principio notiore demonſtrari nequeant; vel ſi demonſtrari poſſint, ea probatione minime indigeant; vel ſaltem communi ſapientum ſenſu ita receptæ ſint, ut non niſi temere negari a quoquam poſſint. Communis enim omnium conſenſus quædam naturæ vox eſt, ut ait Cicero. Ariſtoteles vero ait, pro veris habenda, quæ omnibus, vel plurimis, & ſapientioribus videntur. Ad hanc igitur normam exigamus vindicis principia.

Principium I. pag. 16.

In jure publico Eccleſiæ, & imperii docent, probantque facta publica, & exempla, donec auctoritate publica, vel ſenſu communi reprobentur, velut non jure facta.

3. Principium hoc, ſano in ſenſu acceptum, admitti poteſt tanquam legitimum. Communis enim ſapientum ſenſus eſt, ſtandum eſſe pro jure ſuperioris, quouſque non apparet manifeſta in ejus præceptis, vel factis injuſtitia.

4. At vero principium hoc non ſequitur ipſemet hac ipſa in cauſa. Factum enim Joannis XII., qui uti ante tanquam legitimus Pontifex, & ſuperior agnitus fuit ab omnibus (*Proœm. §. 3. N. 3.*) ita cenſendus eſt talis manſiſſe, donec aliud probetur: hujus, inquam, factum Joannis, ſedem ſuam, qua pulſus fuerat, denuo ſibi vindicantis, eſt factum publicum, & exemplum. Hoc auctoritate publica, vel ſenſu communi reprobare non poteſt, velut non jure factum. Non auctoritate publica: quia reprobare non poteſt, niſi ex actis duarum ſynodorum pro Leone, quæ probavimus, atque ipſemet confiteri debet (*Proœm. §. 3. N. 10.*) carere auctoritate publica. Non ex ſenſu communi: quia illum probare nullatenus poteſt, ut ex diſceptationis hujus decurſu planum, manifeſtumque fiet. Et tamen illud, velut non jure factum, reprobat; nihilque eo doceri, & probari contendit.

Principium II. pag. 16. Diſputationes Doctorum Scholaſticæ in contrarium, dum facta quidem ejuſmodi concedunt, jus vero negant, non attendunur, quam diu non reſultat ex prædictis alterutrum

5. Et

5. Et hoc principium acceptavero non invitus, ſed in ſuum illud auctorem detorqueo. Si diſputationes Doctorum Scholaſticæ Theologiæ, factum exauctorationis Joannis XII. concedentium, jus vero negantium non attenduntur, quam diu non reſultat ex prædictis alterutrum; eodem jure diſputationes unius Doctoris Scholaſticæ Jurisprudentiæ, qui factum Joannis, in ſuam ſe ſedem reſtituentis, concedit, jus vero negat, non erunt attendendæ, quouſque non reſultaverit ex prædictis alterutrum. Primum enim non eſt vindex, niſi unus Doctor, & non niſi Doctor Scholaſticus Juris prudentiæ.

6. Deinde neque auctoritate publica reprobare hoc Joannis XII. factum poteſt, velut non jure factum; ut modo inſinuavimus (N. 4. h. §.) Niſi forte ex inſcriptis apologiæ ſuæ fronti Titulis auctoritatem ſibi publicam arrogare voluerit. Neque etiam ſenſus communis reſultat ex ejus vindiciis.

7. Cæterum ex ſchola neque Theologica, neque canonica petendus eſt ſenſus communis Eccleſiæ. Nam ſenſus communis non eſt accommodandus ſenſis ſcholaſticorum: ſed potius ſenſa ſcholaſticorum, ut ſana ſint, debent ſe accommodare communi Eccleſiæ ſenſui.

8. Quis vero fuerit communis, & ſemper ſibi conſtans Eccleſiæ ſenſus circa eos, qui vivente legitimo Pontifice, & magiſtratu ſe ſuo non ultro abdicante, vel ipſimet ſe ingeſſerunt in ſedem pontificiam, vel a clericis quibuſdam ſuffecti ſunt, vel potentium factione intruſi fuere: liquido patet ex illo, quod ejuſmodi homines in Pſeudopaparum numero conſtanter habuerit, & hodie etiamnum habeat Eccleſia.

9. Eamus per ſæcula præcedentia. Primum S. Cornelio Papæ opponentem ſe vidit Eccleſia Novatianum Sæculo III. Vidit, & exhorruit. *Cornel. Epiſt. ad Fabian. Cyprian. Epiſt. 46, Pamelio 44.* Sæculo IV. Urſicinus (Urſinus vocatur ab aliis) Damaſo Papæ legitime electo oppoſitus eſt. *Epiſt. Synod. Romani Conc. ad Impp. Grati. & Valent. & reſponſum Impp. apud Couſtant Rufin. l. 2. c. 10. Sozom. Lib. 6. c. 10.* Sæculo V. Eulalius Bonifacio I. delatum a majore Cleri, populique parte ſummum ſacerdotium moliebatur præripere. *Libell. ſupp. Cleri Rom. ad Honor. Imp.* apud Baron. *ad an. 419. §. 8.* Eodem Sæc. V. exeunte Laurentius quidam Symmacho Papæ non modo ſub electionis initium, ſed & quinquennio poſt iterum faceſſivit plurimum negotii. *Act. ſynod. Palmaris apud Hardu. Tom. 2. CC. a pag. 967.* Sæc. VI. Vigilius per factionem Theodoræ Auguſtæ, expulſo S. Silverio, in ſolium Pontificum intruſus eſt, ut diximus *Præm. §. 3. ad n. 3.* Sæculo VIII., mortuo Paulo I. Dux Nepeſinus Todo fratrem ſuum Conſtantinum vi armata, invito clero, & populo, in ſedem Apoſtolicam aſſeruit; ſed is poſt menſes tridecim legitime electo Stephano III., (aliis IV.) ac die 7. Auguſti, an. 768. inaugurato, ſede inique occupata

pata pulſus eſt. In Synodo a Stephano rite convocata Actione I., habita Anno 769., menſe Aprili damnatus, cum poſtero die inſtaurare ſeditionem niteretur in legitimum Pontificem, male multatus, & rejectus eſt. Sæc. IX. Anaſtaſius oppoſitus fuit Benedicto III. rite electo. *Anaſt. Bibliothecarius.* Atque iſta quidem evenere ante ortam Sæc. X. inter Joannem XII., Leonem VIII., Benedictum V. contentionem, in qua modo verſamur.

10. Poſt iſta tempora, fluente etiam tum Sæculo X. ac ſedem Apoſtolicam tenente Gregorio V. rite electo, ad annum 996; anno altero Creſcentius Nomentanus, tyrannidem in urbe exercens, Joannem Placentinum, dictum Joannem XVI., in ſedem intruſit; Gregorio Ticinum fugere coacto. *Duo ſcriptores vitæ S. Adelberti Prag. Epiſc. eodem temp. viventes. Chronicum Hildesheimienſe ad hunc ann.* Sæculo XI. cum Benedictus VIII legitime electus fuiſſet anno 1012, Gregorius quidam excitato ſchiſmate ſedem invaſit: a quo Roma expulſus Benedictus ad S. Henricum Germaniæ Regem fugere coactus eſt. *Ditmarus Lib. 6. ad finem. & Rudolphus Glaber; duo Script. iſtis Tempp. coævi. Wern. Rolleuinck Faſcic. Temporum Schiſm. 13.* Eodem Sæc. XI. occurrit Sylveſter III. contra Benedictum IX. De quo alibi redibit loquendi occaſio. Res geſta eſt inter annum 1044, & 1046. Rurſus eodem Sæculo ad annum 1061. rite electus, & conſecratus eſt Alexander II., Huic inſtigante Agnete Auguſta, ſe oppoſuit Cadalus, ſive Cadalous, quem aliqui Honorium II. dictum tradunt. *Leo Oſtienſis L. 3. c. 20. Petrus Dam. Epiſt. ad Cadaloum, & altera ad Alex. II., Ejuſd. Opuſc. 4, in quo diſputat: inter Advoc.: Regium, & defenſorem Eccl. Romanæ.* Eodem item Sæculo Gregorius VII. anno 1058., dum ſolvendis Alexandro II. mortuo juſtis occupatus eſſet, magna populi concordia, atque acclamatione Pontifex poſtulatus eſt invitus, cui electioni Cardinales ſubſcripſere. *Acta Vaticana de rebus geſtis Greg. VII., & ipſemet Greg. Lib. 1. Epiſt. 3. ad Guibert.* Anno 1076. Gregorium Henricus IV. Germaniæ Rex in Wormatienſibus comitiis moliebatur deponere. *Lambertus Schaſnaburgenſis ad dictum ann.: Paulus Bernriedenſis in Vita Greg. C. 67. & ſeqq.* Anno deinde 1080. coacta Brixiæ ſynodo Antipapam creandum curavit Guibertum Ravennatenſem Archiepiſcopum, dictum Clementem III. *Auctor anonym. Vitæ Henr IV. Conrad. Urſpergenſis. Abb. Centius Camerarius in Lib. Cenſuali Cap. 3.* Guiberto mortuo ſucceſſerunt tres alii, ſed brevis regni. Sæculo XII. poſt Honorii II. mortem a Cardinalium majore parte electus Innocentius II. die 15. Febr. anno 1130. Poſtridie ab aliis intruſus eſt Petrus Leonis, dictus Anacletus II. Inde dirum in Eccleſia ſchiſma, vix tandem mortuo ad annum 1138. Petro Leonis extinctum. *Annales Abbatiæ Margan. ad an. 1130. Acta Eccleſ. Vatic. apud Baron. Ernaldus L. 2. Vitæ S. Bern. Clarevall. & alii.* Eodem Sæculo XII. per Cardinales omnes, excepto Octaviano, & duobus aliis ejus partes foventibus, fuit Alexander

der III. die 7. Sept. anno 1159. Duo alii Cardinales ſuperinduxerunt Octavianum, & Victorem IV. dixere. Hinc rurſus tetrum, ac funeſtum ſchiſma. *Scriptor coævus codicis Vaticani.* Sæculo XIV. Joanni XXII. Ludovicus Imp. die 12 Maji anno 1328. Petrum Raynalducii de Vico Corbario ex Ordine Fratrum minorum Antipapam oppoſuit, indito Nicolai V. nomine. Res eſt ex illorum temporum ſcriptoribus teſtatiſſima. Eodem Sæculo XIV. ortum eſt famoſiſſimum illud Occidentis ſchisma; cum poſt mortem Gregorii XI., anno 1378. conſecutam hinc electus eſt Urbanus VI., inde Clemens VII.

11. Sed quorſum iſta commemoro ad lectoris forte nauſeam? Feci id idcirco, ut palam fieret cuilibet; quis jam inde a tertio fidei Chriſtianæ ſæculo communis, & conſtans Eccleſiæ ſenſus fuerit de iis, qui vivente, & invito Romano Pontifice indubitato, atque ab Eccleſiæ majore parte agnito, in S. ſedem vel irrepſerint, vel intruſi fuerint. Supra memoratos enim omnes, ac ſingulos communis Eccleſiæ ſenſus in Pſeudopaparum, Antipaparum, ac ſchiſmaticorum catalogo repoſitos habet. Vigilium non acceptavit prius Eccleſia, quam S. Silverio ad ſuperos recepto. Iſtum communem, ac perpetuum Eccleſiæ ſenſum repente in uno Leone VIII. mutatum fuiſſe, magna, validaque probatione indiget, qualem a Vindiciarum auctore nullam prorſus allatam eſſe, oſtendemus. Ex adverſo a communiter contingentibus prudens naſcitur præſumptio.

12. Aliud quidem occurrit in hiſtoria Eccleſiaſtica exemplum, quod ſub incude vindicis eam poſſet in ſpeciem transformari, ut videri poſſet ejus cauſæ omnino patrocinari. Res vero ſi, ut vere geſta eſt, exponatur, palam erit, nulla eam ratione ipſi ſuffragari. Sæc. VII. Conſtans Imperator, Monothelitarum infectus contagie, Martinum I. Papam, criminum in eum confictorum obtentu, Roma Conſtantinopolim abripi, aliumque ejus loco Epiſcopum ſubrogari juſſerat. Martinus die 19. Junii anno 653. ſummo mane Roma abductus, rebatur, ut necdum aliquando factum fuerat, ita non futurum aliquando, ut in abſentia Pontificis eligererur alius. *Epiſt. Martini 15. ad Theod. apud Harduin. T. 3. CC.* Clerus tamen interim Romanus, veritus, ne, ſi cunctaretur ipſe, hæreticis faventem obtruderet Cæſar, elegerunt Eugenium. De cujus electione certior factus Martinus aſſenſum præbuit Epiſt. *ejuſd. Mart. ex Cherſoneſo, quo Cpoli deportatus fuerat*, data poſt paſcha anni 655. ubi ait: „Ve„runtamen Deus . . . Stabiliat corda eorum in Orthodoxa fide, præſertim Pa„ſtorem, quem eis nunc præeſſe monſtratur. Poſt hunc Martini conſenſum, ab Eugenio, & Clero Romano acceptatum, is primum cœpit eſſe Romanus Pontifex, & proprio nomine adminiſtrare Eccleſiam, quam ante velut Pontificis abſentis Vicarius rexerat. Aliud ergo ex his nihil evinci poteſt, niſi electionem alterius, ignorante, nec opinante ſuperſtite priore Pontifice factam, poſſe

per

per hujus, re poſt comperta, aſſentientis ratihabitionem reddi ratam, ac firmam. Neutiquam vero ſequitur, poſſe ſuperſtiti priori, atque omnimodis reluctanti alium ſuffici; eique viventi, videnti, invido acerbiſſimum funus duci.

13. IPSE DICIT quidem pag. 41. N. XXXIV. nihil in ſynodo, Joannem deponere auſa, factum, quam tota S. Romana Eccleſia pleniſſime conſentiente. Sed pleniſſime id falſum eſſe, ſi totius S. Romanæ Eccleſiæ nomine intelligatur non ſola provincia Romana, ſed toto rerrarum Orbe diffuſa univerſalis Eccleſia, quæ vocari ſolet tota Eccleſia Rom., planiſſime demonſtro; primum ex ipſomet, dicente pag. 33. N. XXI. „Solæ nationes Germanica, „& Italica ſalutem (ſi ſuperis placet) Romæ, & Romanæ Eccleſiæ in curis ha„bebant; cæteræ nationes, & Eccleſiæ non curabant, quid mali Romæ fieret." Non curare, & pleniſſime conſentire nationes, & Eccleſias cæteras, dic, ex quo tempore idem ſonant? Rurſus pag. 16. Princip. II. innuit Gallorum Regem, & ipſorum Epiſcopos ad actum illum non concurriſſe, ac propterea ſcriptores gallos negare, jus illi adſtitiſſe. Non concurrere eſtne pleniſſime conſentire? Porro pag. 17. N. IV. Primus ille (de Joanne XII.) caſus, inquit Vindex, concernebat directe Eccleſiæ Rom., & Imperii Romano Germanici ſalutem... *Quin ſe immiſcerent Eccleſiæ reliquæ.* Non immiſcere ſe eſtne pleniſſime conſentire? Idem liquet ex illis, quæ ex Ottonis Friſingenſis Lib. 6. c. 3. allegat ipſusmet pag. 18. N. VI. ubi, narrata paucis hac hiſtoria, ſubjungit Otto: *Quæ omnia utrum licite, aut ſecus, acta ſint, dicere non eſt præſentis operis. Res enim geſtas ſcribere, non rerum geſtarum rationem reddere propoſuimus.* Quod manifeſto ſigno eſt, dubitatum ea, qua Otto Friſing. ſcribebat, ætate fuiſſe, utrum hæc licite, aut ſecus acta fuerint. Non ſunt ergo acta *pleniſſime conſentiente* tota S. Rom. Eccleſia. Hæc ex ipſomet Pythagora.

14. Non deſunt etiam argumenta alia, quibus pleniſſime falſus oſtendatur ille totius S. Rom. Eccleſiæ pleniſſimus conſenſus. Joannes Beslius in hiſtoria Pictavienſium Comitum, & Ducum Aquitaniæ pag. 136, obſervavit, quod Aquitani, cum vellent annos Pontificum conjungere cum annis Regum Franciæ, in illa caligine, dum duo erant, qui ſe jactarent Pontifices, loco Pontificis nominarent *Salomonem*, forte, ut ſignificarent, Chriſtum Dominum, novum Salomonem, turbidis iſtis temporibus æterna ſua ſapientia gubernare navem Eccleſiæ. Profertur eam in rem diploma, *Datum menſe Martio, Luna XXIV. Lothario Rege, Salomone regnante, anno 964.* Cum igitur Joannes 14ta Maji ejuſdem anni mortuus ſit (*Proœm. §. 2. N. 10.*) non multo ante ejus mortem tempore, id eſt, eodem, quo hinc Joannes, inde Leo VIII. gerebant ſe pro ſummis Pontificibus, hoc diploma datum eſt. Ergo in Francia nemini eo tempore conſtabat de pleniſſimo totius S. Rom. Eccleſiæ in electionem Leo-

nis VIII. conſenſu. Ditmarus item in chronico, quod perduxit ad annum 1018, lib. 2. judicavit Benedictum V., injuſte depoſitum (*Vid. Proœm. §. 2. N. 17.*) Hæc ſcriberet Epiſcopus Mersburgenſis, & Germanus Ditmarus; ſi de pleniſſimo totius Eccleſiæ in Leonem VIII. conſenſu perſuaſum fuiſſet Germaniæ?

15. Si vero totius S. Eccleſiæ Romanæ nomine Theſeos vindex accipit totam, ſed ſolam Romanam Provinciam; fucum imprimis facit lectoribus vocis ambiguitate; deinde ſumit ſibi, velut certum; quod maxime eſt controverſum, atque ab eo nullatenus probatum; videlicet utrum Provincia Romana gaudeat legitima ad exauctorandum ſuum, atque omnium ovium Chriſti Paſtorem auctoritate. Quo de videbimus ad Controv. ſecundam. Ægre ferat Vindex, dictum a Nat. Alexandro, Præſules iſtos nihil obmoviſſe, ut adularentur Cæſari: negare non poterit, multum conſtrictam fuiſſe Cæſaris præſentis timore libertatem;

16. At enim videbitur ſaltem, ſi non aperte, tacite tamen acceſſiſſe ſynodo iſti, Joannem in ordinem redigere tentanti, pleniſſimus totius Eccleſiæ Romanæ univerſalis conſenſus. Dicit enim vindex ſuæ Theſeos *pag. 29. N. XV.* „Hoc Eccleſiæ Romanæ factum nullus extraneorum Archi- & Epiſcoporum, nul„lus contemporaneorum ſcriptorum improbavit: ſimilia dicit pag. 20. N. VIII. „lit. b.„ Improbavit ſane Ditmarus & Epiſcopus, & ad provinciam Rom. non pertinens, & temporibus illis ita vicinus, ut cenſeri poſſit coævus, (*b. §. n. 13.*) improbare non auſurus, ſi de tacito totius Eccleſiæ non pleniſſimo conſenſu ætas illa ſciviſſet quidquam. Non auſus probare Otto Friſingenſis Epiſcopus (*b. §. n. 12.*) Probare autem debuiſſet, ſi compertum, exploratumque habuiſſet hunc pleniſſimum tacitum conſenſum. Non auſi probare Franci, qui maluerunt in temporibus tam perplexis ſcribere *Salomone regnante*, quam vel Joanne, vel Leone (*b. §. n. 13. cit.*) Cur autem hac cautione (quam tempore ſchiſmatum familiarem fuiſſe Francis oſtendit Papebrochius in Leone VIII.) uterentur; niſi ignoraſſent penitus iſtum pleniſſimum conſenſum. Quis non miretur frontem hominis, jactantis tanta fiducia, quorum veritas nulla ratione evinci, falſitas vero revinci tam perſpicue poſſit? Fixum igitur, ratumque ſit, ex communi, probatoque tot ſæculorum uſu Eccleſiæ ſenſu Pſeudopapas habendos, qui in vivi, & inviti legitimi Rom. Pontificis ſedem quoquo modo evaſerint. Idem ergo de hoc Leone VIII. ſentire poſſumus.

17. Propter ſynodum Joannis, inquit pag. 41. in N. XXXIV., nemo ante Baronium negavit Leoni VHI. locum in Catalogo Pontificum. Etiam poſt Baronium, quem non ſequuntur omnes, reperitur paſſim in Pontificum catalogo, & ordine. Qui enim ejuſdem nominis Pontifex ordine ſequitur ad annum 1049. non VIII., ſed Leo IX. dicitur. At quid jam poſtea? ſimili ratione in quibusdam Rom. Pontificum catalogis reperitur Joannes XVI. contra Gregorium V. erectus;

Grego-

Gregorius VI. poſt Benedictum IX.; Benedictus X. ante Nicolaum II. a populo per tumultum, contradicentibus Cardinalibus, & Epiſcopis electus; Urbanus VI. aliique poſt ipſum, tempore magni ſchiſmatis ante Martinum V. electi. Nihilominus communi ſenſu Eccleſiæ Joannes XVI., Benedictus X palam habentur pro ſchiſmaticis; de Gregorio VI., Urbano VI., ac magis de reliquis, qui ante Martinum V. fuere electi, dubitatur in hanc horam, num fuerint legitimi. Nihil certum igitur pro Leone VIII. ſtatui ex Rom. Pontificum catalogis poteſt. Papebrochius (Jeſuitam hunc ab eo nominari ſine impacto aculeo miror) in Joanne XVI., & Leone VIII., Pontifices iſtos retur in Catalogo relictos propterea, quod exſtent quædam eorum acta; quæ annis ſlabentibus per errorem, vel ignorantiam priſcorum temporum, ac mutati a Baronio ordinis, tribui poſſent ſequentibus ejuſdem nominis; ſi & ipſi eundem nominis ordinem, ſive numerum retinuiſſent. Inclinat item eo Papebrochius, uti refert vindex; ut ſaltem poſt abdicatam a Benedicto V. pontificiam dignitatem, Leonem VIII. legitimum Pontificem cenſeri poſſe exiſtimet. Ait enim, cur non poſſimus credere, Benedictum, virum utique humilem, & ſanctum, in Rom. ſynodo depoſitionis ſuæ ſententiam, licet injuſtam, ratam tamen habuiſſe, ne contra nitendo nihil ſibi niſi malum, Eccleſiæ vero ſcandalum accerſeret. *In Leon. VIII. n. 3.* Et iterum *in Ben. V. n. 1.* „Potuit certe vir Sanctus, ut dixi, „quamvis injuſte depoſitus, noluiſſe, ut ſua cauſa ſchiſma fieret, ideoque ab„dicaſſe, quod citra gravius malum non poterat retinere." Quamvis non ſatis compertum ſit, an poſt piam hanc Benedicti ceſſionem, univerſa Eccleſia Leonem, quem coacti dura obſidione, inedia, atque ærumnis Romani receperunt (*Proœm. §. 2. N. 14.*) acceptaverit, ut olim Vigilium: ſi tamen dare hoc ultro voluero; ac propterea poſt alteram a mortuo Joanne electionem, eum legitimum fuiſſe Pontificem; & in Romanorum Pontificum catalogo merito retinendum conceſſero; nihil id prodeſſe cauſæ Vindiciarum poſſet, nec noſtræ officere. Neque enim inde ſequitur, primam electionem vivente, & reluctante Joanne in ſynodo prima Ottoniana inſtitutam, vim habuiſſe, ac Joannem jure exauctoratum: qua ſola de re hic nobis contentio eſt.

18. Anget te tamen forte ſcrupulus aliquis, mi Theodulphe. Forſan enim tute tecum: Adeodate, elabetur manibus anguilla, quam teneri manifeſte exiſtimas; modo dixerit, nullum eorum, quos commemoraſti, Pontificum fuiſſe ob deformitatem morum, & a ſynodo particulari ſua Rom. depoſitum: adeoque aliam eorum, ac præſertim S. Silverii cum Vigilio, aliam Joannis XII. cum Leone cauſam eſſe: quoniam ille ſanctus; hic impius fuit. Non elabetur, ne metue; ſed nec prævola. Non poſſunt eodem tempore, & uno quaſi halitu dici omnia. Elabi non poterit, niſi probaverit duo hæc capita: Poſſe legitimum Pontificem deponi invitum *ob ſolam deformitatem morum*; &

poſſe deponi *ab Eccleſia particulari Rom.* de quibus erit Controv. 1., & 2. diſcep-tandi locus. Duo hæc capita cave amittas ex oculis; ac cætera ſine omni ſcrupulo, atque inoffenſo pede decurres; perſpicueque intelliges, illud Silverii ſanctitatem inter, & Joannis improbitatem diſcrimen ad rem non eſſe, quouſque duo illa, quæ dixi, non probaverit capita. Revertamur ad principia.

Principium III. pag. 16. ead. Ad hoc raro perveniunt ratiocinia Recentiorum, qui e. g. Sæc. XVI. priore, aut noſtro primum inceperunt quæſtionem juris ſuſcitare contra facta antiquiſſima e. g. Sæculi X., vel XI., ante ipſos non reprobata.

19. Ne tenuem quidem umbram principii in hoc principio reperio, craſſam vero falſitatem non unam. Falſitates videamus primo loco. Contra facti quidem, in quo verſamur, veritatem quæſtionem ſuſcitavit nemo antiquus, ſuſcitat nemo recentior. Quod vero quæſtio juris contra hoc factum ſæculo primum noſtro, aut ſuperiore ſuſcitata fuerit; aperta eſt falſitas. Ea enim quæſtio jam tum agitabatur tempore Ottonis Friſingenſis (*h.* §. *n. 12.*) Nec minus falſum eſt, hoc factum ante recentiores non fuiſſe reprobatum. Reprobavit enim Dirmarus (*h.* §. *n. 13.*) vicinus illorum temporum: quod ille facere auſus non fuiſſet ſolus, niſi ſciviſſet in eadem multo plures ſuæ ætatis eſſe ſententia.

20. Inſpiciamus principium ipſum. *Quod ad hoc* (videlicet, juxta principium I., ad res ſuas auctoritate publica, vel ſenſu communi ſtabiliendas) *rare perveniant ratiocinia recentiorum hujus, vel ſuperioris Sæculi*, ex quo lumine naturæ per ſe notum eſt? ex quo per conſecutionem evidentem deducitur? cui innititur vel omnium, vel plurium, & ſapientiorum ſenſui? Factioſorum quorundam hujus, & ſuperioris ſæculi hoc principium eſt; quod oſtiatim inculcare nituntur devotæ ſibi plebeculæ auribus, eo conſilio, ut aſſuefaciant vulgus, deſpicatui habere Doctores a ſuo grege alienos; qui dolos eorum, & fallacias ſolent inveſtigare, proferre, diſſipare. Volunt ſoli audiri, & ſuſpici; alioquin nihil proficient artibus ſuis. *Vid. La Realite du Projet de Bourg. fontaine, P. 1. §. 1.* Qui libellus etſi e Gallia exterminatus, Romæ tamen recuditur. Iſti interim deſpectis aliis ſcriptoribus. „Captant plerumque veteris cujuspiam viri „ſcripta paulo involutius edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi „congruant. Ut illud neſcio quid, quodcunque proferunt, neque primi ne„que ſoli proferre videantur. *Vinc. Lir. c. 11.*

21. Ut ſtatuere prudenter poſſimus, quid de poſterioris ævi ſcriptoribus ſentiendum ſit: duos illorum ordines diſtinguendos, non quidem pro auctoritate dixero PRÆSIDE ME, ſed pro tenuitate mea exiſtimem.

22. Primum pono eorum, qui dicta SS. voluminum, Decreta CCorum, effata SS. Patrum, acceptas a majoribus traditiones, mores, conſuetudineſque Eccleſiæ

Eccleſiæ, hiſtoriam Eccleſiaſticam candide proferunt: nihil ſuomet ex cerebro depromptum addunt, aut ſine ullo veſtigio antiquitatis ſibi credi ſolis poſtulant: nihil adulterant, nihil alienum in ſenſum per vim verbis illatam detorquent; nihil quod maxime ad rem faciat, ſuppreſſum lectoris oculis eripiunt: ex candide, atque integre narratis non texunt fallacias, & ſophiſmata; ſed ducem rationem, exactamque dialecticam ſequentes ratiocinantur appoſite: librorum, atque auctorum delectum faciunt, ac pretioſum a vili ſeparant: ſi damnatorum ab Eccleſia ſcriptorum quandoque ſententias proferant, non eo id conſilio faciunt, ut illas adoptent, ac defendendas ſuſcipiant; ſed ut ſincere expoſitas certius refellant: denique contra æmulos ſuos argumentorum ſolidorum armis, non inanibus convitiis decertant. Ejuſmodi cujuſcunque ævi, ſive novi, ſive antiquioris fuerint, ſcriptores magni faciendos exiſtimem, velut fidos cuſtodes, ac conſervatores paternarum traditionum: nec facile ab iis, quamquam in rebus ad religionem non pertinentibus inter ſe non nunquam diſſideant, cum deſpectu diſcedendum putem: quando pars illorum potiſſima in rebus ad fidem, ac pragmaticam, ab ipſomet Chriſto Dno conſtitutam, ſanctionem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, cui religio noſtra omnis innititur, ſpectantibus in eandem conſpirat ſententiam. A qua minime nos retrahi debere arbitror paucorum, quamvis doctorum, ac piorum ſingularibus opinionibus. Ita enim dum ipſis in antiquiſſimis Patribus ſingulares quaſdam unius, aut alterius opiniones notamus; quibus contradicant majore numero ſive antiquiores, ſive coævi, ſive poſteriores etiam alii; horum potius, quam illorum auctoritatem ſequimur. ut e. g. quis hodie defendat cum D. Hieronymo, mendacium non ſemper eſſe peccatum. *Vide Vinc. Lir. c. 3. & 4.*

23. Altero in Recentiorum ordine eos colloco, qui prioribus contraria omnia faciunt; & quo minus ſanæ rationis adferre poſſunt, hoc plus ſpirant audaciæ. Pluribus verbis opus non eſt. Hujuſmodi homines non modo nauci faciendos, ſed etiam arguendos, obſecrandos, increpandos omni in patientia, & doctrina cum D. Paulo exiſtimo; nec publice etiam illis parcendum, ſi ſua inſomnia publice ſpargere non omiſerint: ne rudes, vel ex ſemiſſe; aut ex quadrante tantum eruditos fallaciis ſuis irretiant. Huic principio communem omnium bonorum ſenſum aſſentiri, nullus ambigo.

24. Interim, an ad id, quod hoc ſuo in principio vindiciarum ſcriptor poſtulat, ipſe pervenerit, docebunt ſequentia; ubi ſuo unumquodque loco ventilarum fuerit.

Principium IV. ibid. Auctoritas recentiorum ejuſmodi, ut ut eruditorum, redditur ſuſpecta ex ſpiritu nationis, vel ſuæ profeſſionis; item ex loco, ubi ſcribunt; ex fine politico aulæ ſuæ, *quem non pauci ſcribentes a latere ſuo ſtantem continuo reſpicere debent, ne offendant.*

25. Pri-

25. Primo exigat, cuicunque libuerit, hoc principium ad dotes in principio requiſitas (*b.* §. *n. 2. & 19.*) & deſiderabit in eo principium... Cujus genii eſt ea, quæ ſuæ cauſæ opportuna videntur, quamtumvis incredibilia, ſimplicibus inculcare velut certa, omnibuſque nota ita, ut de iis dubitare perinde non liceat, ac de axiomatis mathematicis, e. g hoc: *Si de æqualibus demantur æqualia, quæ remanent, ſunt æqualia?* Quis, niſi temerarius, & Chriſtianæ charitatis expers judex, pronuntiet audacter, ac perſuadere nitatur aliis: Recentiores ejusmodi (qui hoc, & ſuperiore ſæculo ſcripſere) inſuper habita veritate, ac paterna traditione, ſpiritum duntaxat nationis, vel ſuæ profeſſionis, vel loci, ubi ſcribebant, vel finem politicum aulæ ſuæ ſecutos? Quis hoc temere credat de tot viris, ut ut eruditis, virtute conſpicuis, dignitate fulgentibus, de rep. ſacra, ac politica tam præclare meritis: modo id IPSE DIXERIT, & PRÆSIDE SE, ſcriptor inter recentiores recentiſſimus? Quinam hoc principium popello perſuaſum optent, non eſt neceſſe (*ex b. §. n. 19.*) repetere.

26. Quod ſi hoc principium in eos hujus, & ſuperioris ævi ſcriptores ſtatueret, qui ad ſecundum ordinem recentiorum, *ſupra n. 22.* deſcriptum, pertinent: bonos omnes ſibi facile aſſentientes haberet. Ex ipſa enim ſcribendi ratione, illic & n. 21. expoſita, & factis nimium quantum dilucide apparet, non veritatis, ſed alterius ſpiritus eos ductum ſequi.

27. Neque etiam videt, hoc ſuo principio ſuorum ſcriptorum, ac teſtium, quorum auctoritate nititur, fidem ſuſpectam reddi, imo nullam.

Scriptor actorum ſynodi primæ contra Joannem ſcribebat in Ottonis comitatu, cujus finem politicum a latere ſuo ſtantem debebat ſine dubio continuo reſpicere, ne offenderet. Reſpexiſſe, liquet ex ipſismet actis, in quibus Otto magnifice ubivis extollitur: Joannis XII. paſſus pene omnes atro calculo notantur. Reginonem, vel ejus continuatorem, non avertiſſe multum oculos ab Imperatore, gravis ex eo ſuſpicio eſt; quod in Benedictum V. reperiatur iniquior; ut obſervat Papebrochius, & obſervare poteſt quivis legens Reginonem; quamvis ad extremum laudet Benedicti pietatem. Jam vero Sigebertus Gemblacenſis, quem Vindex laudat pag. 19. N. VIII. lit. d., non modo ſuſpectæ, ſed nullius fidei eſt. Eſt enim apertus ſchiſmaticus, Henrici IV. a Gregorio VII. graviter diſſidentis, partibus efflictim devinctus. Non voluit is quidem adulari Ottoni I., ſed ut aſſentaretur Henrico IV., eumque confirmaret in ſuo adverſus S. Gregorium VII odio, laudavit Ottonis factum, & Leonem VIII. agnovit rite electum. Teſte ad hoc comprobandum alia opus non eſt, quam oculis cujuſque, qui ſchiſmatici hujus hac de re ſcripta legere voluerit. Reperiet item in ejus Chronico ad annum 1074. impactam Gregorio VII. palmarem calumniam; quaſi vero is negaſſet, *quod Sacramenta, quæ in Eccleſia fiunt, Baptiſmus*

ptiſmus ſcilicet, Chriſma, Corpus & Sanguis Chriſti, Spiritu S. latenter operante eorundem Sacramentorum effectum, ſeu per bonos, ſeu per malos intra Eccleſiam Dei diſpenſentur &c. valida *ſint.* Quod nunquam Gregorio in mentem venit. Sed in ſua Synodo, Romæ anno 1074 Dom. 1. Quadr. habita, prohibuit duntaxat, ne *populus* ſacerdotum conjugatorum aut concubinariorum *ullo modo officia recipiat.* Ut conſtat ex Epiſtola Gregorii ad Ottonem Conſtantienſem data, quæ exſtat Tom. X. Concil. Labbei pag. 315. Quæ fides autem habenda homini Schiſmatico, & mendaci?

28. Univerſe demum ſuſpectos habere poſſumus eos, qui in ſupremam Romani Pontificis auctoritatem calamum acuere non verentur Cum enim nulla per ſeptendecim jam ſæcula hæreſis extulerit caput, quod conterere omni ſtudio non laboraverint Romani Pontifices: compertum eſt, nullum per tam diuturna tempora fuiſſe fidei catholicæ hoſtem, qui non fuerit Pontificiæ auctoritatis inimicus. An autem omnes, qui Pontificiæ auctoritatis inimici extitere, fuerint fidei hoſtes, meum quidem non eſt definire: ſi tamen ſchiſma vel fecerint, vel faverint ſchiſmati, ſuſpectæ non minus auctoritatis ſunt, quam cæteri.

Principium V. pag. 16. Nominatim Gallorum ſcriptorum auctoritas, dum factis Imperatorum, & Epiſcoporum Imperii, ad quæ ipſorum Reges, & Epiſcopi non concurrerunt, jus adſtitiſſe negant; non debent contra Germanos, Italoſque, qui S. R. Imperium conſtituunt, ſuſcipi ab his, qui ſunt de S. R. Imperio.

29. Neque hoc in principio (*ex h. ſ. n. 2. & 19.*) vel fucata apparet principii ſpecies. Si tamen ageretur de peculiaribus quibuſdam nationis Germanicæ cum S. Sede concordatis, aut privilegiis huic inclyto Imperio (cujus & nos Leodienſes pars eſſe gloriamur) conceſſis, atque ad univerſalem Eccleſiam non pertinentibus: poſſet relinqui huic principio locus. Nemo enim negaverit facile, ex iis, quæ ſunt Germanis propria, argumentum duci non poſſe ad Gallos, Hiſpanos, Afros, alioſque; neque viciſſim ab his ad illos. Concilium enim Conſtantienſe Seſſ. 43, 21 Mart. 1408. habita diſerte cavet: *Concordata, cum una natione facta, non adferent in aliquo alteri nationi præjudicium.*

At vero agitur hoc loco de ſanctione pragmatica Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, quæ ex Chriſti Dni conſtitutione non intra ſolius Germaniæ, Italiæque, ac S. R. Imperii terminos continetur, ſed ex voluntate ejusdem Chriſti Dni ad omnes nationes, tribus, & linguas extenditur. Hujusmodi autem in negotio non unius duntaxat, ſed omnium nationum ſenſa communia ſuſcipi ab omnibus debere, docet nos multo ſanius Vincentii Lirinenſis principium *Lib Cont. Hæreſes Cap. 4.* ubi in dubiis circa religionem (ad quam certe pertinet ſtatus Hierar-

chiæ, quem ordinare ſolus Chriſtus potuit) exorientibus dandam ait eſſe operam; ut Chriſtianus Catholicus collatas inter ſe majorum conſulat, interrogetque ſententias: *eorum duntaxat, qui* DIVERSIS LICET TEMPORIBUS, ET LOCIS, *in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione, & fide permanentes, magiſtri probabiles exſtiterunt.* En non ſolius Germaniæ, Italiæque, non ſolius Romani Imperii, non ſolius iſtius temporis Magiſtros conſulendos, interrogandos monet, ſed eos, qui diverſis *licet temporibus*, ſive ante factum hoc, de quo quærimus, ſive eodem tempore, ſive poſt illud, *diverſis licet locis*, ſive in Anglia, ſive in Hiſpania, ſive in alia quacunque regione, in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione, & fide manentes, magiſtri probabiles exſtitere. Sanctus pariter Irenæus ad unanimem Eccleſiarum in religionis Chriſtianæ rebus conſenſum provocans, ait: „Neque hæ, quæ in Germania fundatæ ſunt Ec„cleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ, quæ in Iberis (Hiſpa„nia) ſunt, neque hæ, quæ in Celtis (Gallia), neque hæ, quæ in Oriente &c. „*Lib. 1. Adv. Hær. Valent.* Qua auctoritate igitur Catholicos Magiſtros Gallos hoc in negotio excludemus? Hic enim communis Doctorum, diverſis temporibus, & locis ſcribentium, conſenſus non pro ſola Vincentii ætate vim habet; ſed habebit pro omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.

Principium VI. pag 17. Ad hæc contingit, ut auctor abſque eo ſatis multa prævisis ſui cenſoribus diſplicentia ſcribens, nonnulla ſaltem ipſis placentia intermiſceat, ne per omnia exoſum ſe faciat.

30. Quod contingit, aliquando fit; aliquando non fit; & certe poteſt non fieri. Si ergo contingat, ut auctor ſuis ſcriptis interſerat, ex humano cenſorum ſuorum metu, aut gratiæ eorum aucupandæ ergo, quædam ipſis placentia, quamvis ſecus in animo ſentiat: hoc non poteſt ſtatui velut principium. Principia enim debent eſſe neceſſaria, & æternæ, ut ajunt, veritatis. Quod ergo contingit verum eſſe ex accidenti in uno, alterove; fallitur autem in aliis, & poteſt per ſe falli in omnibus: quo pacto poterit eſſe principium? Ejuſmodi in impoſtorem, qui talia feciſſe convincatur, ſi quando incideris; valide illum contunde, per me licet: nihil inde Theſis tua emolumenti, nihil Antitheſis detrimenti capiet. Cæterum ſi quis ſcripſerit, quæ placere communi conſenſu plurimis, loco quamvis, & natione diverſis, videt; non eſt temere increpandus.

Principium VII. pag. ead. Interdum quoque artificioſa diſſertationis ſuæ digeſtione, & ſub ſpecie diſcreti diſputatoris, vel reductoris auctoritatum ad rectum ſenſum, vel propoſitæ, non ſatis ſolutæ objectionis, idem præſtat auctor, ac ſi ſententiam, quam impugnat, tenuiſſet.

31. Interdum quod eſt, principium non eſt *ex N. prac.* Tales ſi qui ſint;

ſint; id nihil nec cauſæ Vindiciis prodeſt, nec noſtræ obeſt. Pag. 18. N. VII. videtur hoc, & præcedente principio pungere Natalem Alexandrum, de quo ait, ſe, ſuosque ſentire; quod ipſe ſub ſpecie refutandæ ſynodi Romanæ dixerit, quæ ſuo tempore *abſque præſtrato facto* dicere auſus non fuiſſet, ob nimias, quas prævidit, contradictiones æmulorum. Hinc mira metamorphoſi Alexandrum ex impugnatore ſuæ Theſeos ſua phantaſia tranſmutat in ejusdem defenſorem. Sed quæ ſuggeſta ab eo ſibi gloriatur arma, jam confracta a nobis ſunt in ſuperioribus. Relege, niſi tibi moleſtum eſt, mi Theodulphe, *hujus §. n. 9.* Videbis communi Eccleſiæ ſenſu reprobata, ante hoc ſynodi Romanæ factum, univerſa facta omnia, quibus in legitimi Pontificis, ab omnibus acceptati, viventis, & inviti locum alius ſuffectus eſt. Eadem facta communi Eccleſiæ ſenſu reprobata fuiſſe poſt tempora Leonis VIII. leges *ibid. n. 10.* Ipſo eodem tempore factum hoc minime probatum fuiſſe a Pictavienſibus, & Francis; de ejus jure dubitatum tempore Ottonis Friſingenſis; reprobatum a Ditmaro illis temporibus proximo; obſtructum ipſi ab ipſomet, & ab aliis effugium ad totius S. Romanæ Eccleſiæ pleniſſimum conſenſum apertum, vel ſaltem tacitum, perſpicies *n. 12, 13, 14, 15.* Ex relicto in Pontificum Rom. catalogo Leonis VIII. nomine nihil certum ſtatui poſſe, habes *n. 16.* Quæ alia a Natali ſuppeditata jactat cauſæ ſuæ præſidia, eripiam ipſi, ne dubita. Sed eripiam ſuo loco. Interim ſi quando habueris obvium, percontare ipſum a me: ſi Natalis Alexander, quia tibi videtur propoſitam non ſatis ſolvere objectionem aliquam, cenſendus eſt idem præſtare, ac ſi ſententiam, quam impugnat, tenuiſſet, ac propterea cauſæ ſuæ prævaricator dicendus; quod eſt infame in jure crimen: quid de te ſtatuemus, qui nullam objectionem ſatis in tuis vindiciis ſolviſti? Perge Theodulphe, animo æquo pervolvere hanc diſceptationem: occurret, unde eum convincas.

Principiis affinia ſunt poſtulata. *Pagina 18. N. V.* Severus, ac gravis Dictator hanc legem ſancit. „In Diſputatione de facto (Qs) Eccleſiæ Romanæ „non curamus allegatas auctoritates Recentiorum, Card Baronii, Petri de Marca, Natalis Alexandri, Hyacinthi Graveſonii, Pagii, Du Mesnilii. Produ„catur auctoritas non ſuſpecta, coæva, aut ſuppar nixa auctoritate publica, vel „ſenſu communi Eccleſiæ, aut Doctorum ejus temporis. DIXIT. Potuiſſetne aliquid majore gravitate ſtatuere in ſuis de Rep. commentariis PLATO?

32. Severa Lex, quam aliis poſuit, non ſibi! Amplectitur ſententiam, quæ ſupremum legislatorem negat teneri ſuis legibus. Quæſo, Theodulphe, & quicunque hæc lecturi eſtis, diligenter attendite. Quas tandem ipſe auctoritates profert in medium non ſuſpectas, coævas, vel ſuppares, nixas auctoritate publica, vel ſenſu communi Eccleſiæ, aut Doctorum ejus temporis? Acta ſynodi primæ contra Joannem XII. quæ, ut vidimus ante (*Proem. §. 4. n. 10.*)

ſunt auctoris ignoti nobis, cui ipſemet parum fidei tribuit, ac proinde publica auctoritate omni carentia. Continuatorem Reginonis, pariter ignotum, & privatum. Geſta Trevirorum *pag. 19. N. VIII. lit. d.*, ignoti non minus auctoris, & privati; non coævi. Tres graves ex ordine S. Dominici viros, quos tamen ab eo non ſtare oſtenſurus ſum *controverſia prima.* Sed & hi recentiores ſunt, non coævi, & privati, quales a dicendo teſtimonio arcet Legislator. Demum prodit in ſcenam Sigebertus Gemblacenſis, homo ſchiſmaticus, & mendax (*b. ſ. n. 27.*) Hujus auctoritas IPSI minime ſuſpecta, coæva, quamvis ſit ſæculi XII. ſcriptor, nixa auctoritate publica & ſenſu communi Eccleſiæ, ac propterea omnibus illis recentioribus, ut ut eruditis viris, quos lege ſua proſcripſit, longiſſime anteponenda! Confer, Theodulphe, auctoritates, quas tibi indicavi *n. 31.*, & *aliis locis ibi* nominatis, cum hiſce auctoritatibus. Utraſque in bilance expende.

Irritatus Antitheſiſtæ ſui audacibus, quibus IPSI contradicit, aſſertis; ad coercendam hanc temeritatem *pag. 19. N. VIII. lit. b.* hanc alteram legem ſtatuit: „Quæ ab his, qui auctoritate publica pollent, decreta ſunt, & facta, „pari, non privatorum auctoritate refelli debent.„ In Codicem hæc referri meretur inter leges ab Imperatoribus olim Treviris datas.

33. Quam diſtricte hæc aliis imperat; tam libere ea ſe lege eximium habet. Pollebat Joannes XII. (*Proœm. ſ. 3. n. 3.*) utpote verus, & legitimus Pontifex, auctoritate publica, atque in hujus poteſtatis ſuæ poſſeſſione (*ut mox patebit ſ. ſeq.*) erat, & manebat conſtitutus: Decreta autem ejus, & facta in ſynodo ſua quam magnificis auctoritatibus publicis refellat Legislator noſter, vidiſti, mi Theodulphe. Pollebat Otto auctoritate publica in Imperium ſuum, atque exercitum; Præſules Romanæ provinciæ in ſuam quiſque diœceſin. An vero auctoritatem habuerint publicam exauctorandi ſuum paſtorem, hoc ipſum eſt, quod hoc loco quæritur. Id negat Antitheſiſta; Theſeos vindex an probet, in eo laboramus. Ergo hoc non eſt ſumendum, velut certum. Hoc niſi gravibus, inconcuſſisque rationum momentis evicerit; non publica legitima, ſed nulla auctoritate exauctoratum dicemus Joannem XII.

Provocat tamen pag. 29. N. XVI. ad juris aliquod principium, ſive Axioma. „*Si eſt*, inquit, *trita in jure regula, Actum magis conſervandum eſſe, ut „valeat, quam ut nullus fuiſſe dicatur:* quanto magis actus tam ſolennis Roma„næ Eccleſiæ, geſtus coram Imperatore religioſiſſimo, cum Epiſcopis regni „utriuſque, ob Dei ſervitium (*ut jactabant*) congregatis pro adjutorio Eccleſiæ „Romanæ, extremum oppreſſæ, & periclitatæ &c."

34. Non eſt tritum, ſed ſoliditate ſua integra ſemper ſubſiſtens hoc juris axioma: *Ea quæ fiunt a judice, ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.*

ſunt. R. J. 26. in 6. Nulla item parte detritum eſt ſcitum Conc. Tridentini. *Seſſ. 14. c. 7. Natura, & ratio judicii expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur.* Hæc duo inter ſolidiſſima principia, ceu totidem molares lapides, ſi affundatur prior illa trita regula; ita conteretur, ut pro præſenti cauſa ſtabilienda nihil penitus ſoliditatis retineat; quam diu non probatur, quod tam ſæpe diximus eſſe probandum. Fruſtra ergo tot conquiſitis undique coloribus depingitur illius ſolennitatis majeſtas. Recole *Proœm. §. 3. n. 7.*

§. 6. *An Actionem recte inſtituat in poſſeſſorio?*

1. Primum, quod ſolicito ſtudio cavendum litis Patrono, illud eſt, ne a genere actionis, quam jura cuilibet cauſæ tribuunt, aberret. Ab hoc ſi in ipſo cauſæ limine aberraverit; error errorem toto deinceps in curſu excipiet; manet certa in fine litis clientem damnatio, adverſarium victoria, cauſidicum ignominia.

2. Longe *commodius quidem eſt poſſidere, quam petere... Nam commodum poſſidendi in eo eſt: quod etiam, ſi ejus res non eſt, qui poſſidet: ſi modo actor non potuerit ſuam eſſe probare; remanet in ſuo loco poſſeſſio. Propter quam cauſam cum obſcura ſunt utriusque jura, contra petitorem judicari ſolet. Inſt. Lib. 4. §. Retinenda.*

3. At vero hanc ipſam ob cauſam *plerumque fere ſemper ingens exiſtit contentio de ipſa poſſeſſione. Inſt, ibid.* Hanc *de poſſeſſione ipſa* contentionem decidere, non eſſe in hujus, vel illius partis poteſtate, vel arbitrio, ſed exſpectandam judicis legitimi ſententiam; quis eſt, qui dubitet?

4. Præſenti vero in cauſa non poteſt non eſſe *de ipſa poſſeſſione* contentio. Vindiciarum ſcriptor pag. 21. N. IX. nullius implorato judicis officio, indicta cauſa, PRÆSIDE SE, pronuntiat pro SE, poſſeſſionem ſuæ parti tribuit, adverſæ petitionem obtrudit, perinde ac ſi nullum ea ſuper re ſupereſſe poſſit dubium. Ut cauſam igitur ſibi ſuam commodiorem reddat, adverſario difficiliorem; actionem in poſſeſſorio inſtituit, ac proſequitur uſque ad finem.

5. Rationem decidendi hanc pro ſe allegat *ibid.* „ Contra facti hujus poſſeſſorium tot per ſæcula neque publice, neque privatim contradictum eſſe.

Quis non obſtupeſcat viri ingenium? Quam dextre, dum aliud in contentione eſt, aliud agit? Quam ſcite lectoris oculos a vero cauſæ crimeno quaſi per faſcinum, & præſtigias abducit?

6. Nemo in controverſiam vocat, an factum ipſum, ſive *facti veritas*, in poſſeſſione ſit. Quamquam enim adjuncta quædam, factum circumſtantia,

a continuatore Luitprandino narrata, viſa ſint Ottoni Friſingenſi dubia; mihi vero alia quædam, a Vindice per hyperbolen ſuperjecta, plane falſa videantur; tamen facti, ſi ſubſtantiam ejus ſpectes, *veritas* in confeſſo eſt, &, ſi vis, in poſſeſſione. Nemo per tot ſæcula ſive publice, ſive privatim negavit. Joannem XII. in ſynodo Romana, abſente Pontifice congregata coram Ottone M. exauctoratum, & ſuffectum in ejus locum Leonem VIII.

7. At at! ex facti poſſeſſione nulla eſt ad poſſeſſionem juris, de quo ſolo hic contentio eſt, conſecutio. Declaremus rem in exemplo paſſim noto ex hiſtoria Romana veteri. P. Clodium in via Appia publica interfecit T. A. Milo. Factum erat in confeſſo, nec inficiabatur Milo. Conſtabat Clodium fuiſſe tumultuoſum & pernicioſum civem; Milonem autem virum bonum, reip. ſtudioſum, ac fortem. Defenſor Milonis Cicero veritatem facti negare non poterat; eædem jure factam contendebat. Hoc negabant Clodiani. Mi Theodulphe, & quiſquis hæc lecturus es ſanæ mentis; quid arbitraris. Rectene Milonis partes defenſurus fuiſſet Tullius; ſi ducto a poſſeſſione facti argumento poſſeſſionem juris adſtruere tentaſſet Miloni, Clodianos ad petitionem rejicere? Nihil nec amore meo dicas velim, nec cujuſquam odio. Neminem tamen futurum arbitror; quin dicturus ſit, Milonem jus, quod aſſerere ei contendebat defenſor ſuus, non poſſediſſe, ſed debuiſſe petere.

Validiora multo argumenta ſuppetunt, quæ poſſeſſionem juris a parte Joannis XII, Pontificiæque poteſtatis & tum ſtetiſſe, & nunc etiam ſtare, videntur evincere.

8. Fuit ante illam ſynodum (*Proœm. §. 3. n. 3.*) Joannes XII. legitimus Pontifex, ab univerſa Eccleſia agnitus, Pontificiæque auctoritatis munia, nemine obſtrepente, exercuit. Hujus Pontificiæ poteſtatis ſuæ poſſeſſionem quietam, ſi Flodoardi Chronicon (*Proœm. §. 2 n. 1.*) ſequimur, per novem; ſi aliorum calculum prætulerimus (qui videtur verior, ſed nihil ad rem præſentem) per ſeptem annos retinuerat.

9. Ex adverſo jus, quod univerſali Eccleſiæ, Oecumenica in ſynodo collectæ, quidam tribuunt, deponendi Papam ob ſolam morum deformitatem, extra hæreſis, aut ſchiſmatis caſum, certo eſt dubium. Adſtruitur a paucis, nec fere Conſtantienſi Concilio anterioribus; negatur a plurimis & antiquioribus. Demum adhuc ſub judice lis eſt. Soli vero particulari Eccleſiæ Romanæ jus ejusmodi competere nulla prorſus ratione probari poteſt; ut liquebit ex controverſia 2. In hac ergo de *ipſa poſſeſſione* contentione, pro qua parte pronuntiari ſoleat, ac, pro more iſto in omnibus jam recepto judiciis, debeat; decernit Juſtinianus. *Inſt. l. c.*

10. Spargit quidem hinc inde quædam ſuis in vindiciis noſter Pythagoras, ex quibus perſuaſum facere vellet ſuis, Joannem poſſeſſione hac ſua excidiſſe.

Pag. 38. N. XXXI. contendit, Joannem declaratum fuiſſe a ſynodo apoſtatam, ac per hoc verbum declaratum deſertorem Eccleſiæ Romanæ. Addit de ſua penu: *Utique vero plus erat, quam ſimplex deſertor; quia poſitivus hoſtis, & traditor.* Vide autem, quam ſolerter, & acute ſe præmunierit, ad Joannem his armis a poſſeſſione ſui juris dejiciendum. Præmiſit ibid. N. XXX., hoc, quod dicit Juris naturalis, principium: *Quod, qui hoſtis ſit, ſe ipſum extorrem faciat, perinde atque ſi abdicaſſet a ſe magiſtratum.*

11. Mitto quærere hoc loco, quæ ſit ſynodi hæc declarantis auctoritas. Quam quæſtionem mihi hic reſervo integram, & ventilandam promiſi controverſia 4. fidem vero meam liberabo ad aſſem. An Joannes XII. jure, & vere dici poſſit fuiſſe apoſtata, hoſtis, traditor, venditor, deſertor Romanæ Eccleſiæ, penſitabimus Controverſia 5.

12. Dicam unum, quod in præſentia ſufficit: Joannes XII. tantum abeſt, ut deſerendo urbem, deſerere Eccleſiam Romanam in animo habuerit: ut oppoſitum & ſcriptis ſynodo teſtatus fuerit, & factis, ut primum Cæſare Roma digreſſo licuit, comprobarit (*Proœm. §. 2. n. 7. & 9.*) Romanæ igitur Eccleſiæ, magiſtratuſque ſui poſſeſſione per fugam hanc ſuam nulla ratione excidit. Audiamus Juſtinianum *Inſt. L. 4. De interd. §. Poſſidere autem. Quin etiam animo quoque ſolo retineri poſſeſſionem placet: id eſt, ut, quamvis neque ipſe ſit in poſſeſſione, neque ejus nomine alius, tamen ſi non relinquendæ poſſeſſionis animo, ſed poſtea reverſurus inde diſceſſerit, retinere poſſeſſionem videatur.* Quid, ſi præſentem de *ipſa poſſeſſione* contentionem propoſuiſſemus Juſtiniano viventi: an potuiſſet ſententiam pro tribunali dicere clarius? Verum novi Pythagoræ tribunal, *ipſo præſide*, ante cauſam per appellationem ad ſe devolutam, reformat Juſtiniani ſententiam.

13. Si qui hoſtis ſit, ſe ipſum jure naturæ extorrem facit, perinde atque ſi abdicaſſet a ſe magiſtratum: in duos Vindiciarum ſcriptor laqueos incidet; ex quorum altero ſi extricare ſe voluerit, altero conſtrictus tenebitur. Vel enim probandum erit, Joannem non modo factum eſſe Cæſaris, ſed etiam Eccleſiæ hoſtem ab ea deficiendo, ſicut defecit a Cæſare. Vel ſi hoc evicerit, ſequetur, Joannem non a ſynodo per Ottonem congregata eſſe exauctoratum; ſed eum per hoſtilem in Eccleſiam animum, palam demonſtratum, ſuamet culpa Chriſti Eccleſia extorrem factum, & magiſtratu ſuo excidiſſe, (*Vid. Proœm. §. 3. ad n. 1. & 5.*) Quo pacto igitur illud factum, & exemplum, quod vocat tam illuſtre, docebit, & probabit: poſſe legitimum Pontificem, ab omnibus agnitum, extra caſum hæreſis, & apoſtaſiæ a fide, deponi? Quo de argumento redibit alibi diſceptatio.

14. Hoc loco id ſolum agitur: utrum Vindiciarum ſcriptor recte, auctoritate propria, poſſeſſionem ſibi, petitionem adverſario adjudicaverit. Cauſæ momen-

momenta protuli. Judicent non quilibet e trivio Lectores, ſed ad quorum officium ſpectat. Paucorum menſium Candidati juris, qui Cl. Domino Profeſſori Inſtitutionum operam dederint, facile explicaſſent hoc poſſeſſionis negotium tot annorum D. Profeſſori juris Canonici exiguam, vel non ſatis exactam ejus ideam habenti: in materia præſertim, quæ non ex arbitraria acceptione vocum pendeat, ſed in jure ſatis aperte a Juſtiniano explicata ſit.

Controverſia I.

Utrum Summus Pontifex ab univerſa Eccleſia agnitus, atque acceptatus, etiamnum vivens, officio ſuo non ſponte renuntians, ſed palam ſe opponens, nec per hæreſin eo excidens, jure poſſit judicari, & exauctorari?

1. Velitationibus res geſta eſt hactenus; nunc deſcendamus in prælium. Non eſt autem mei conſilii in medium proferre omnia, quæ dici de propoſita quæſtione poſſent. Romanam (a) ſedem nulli humano ſubjectam eſſe judicio, ſæculo VI. jam tum ex ſcripturis, & antiquis Patribus egregie comprobaverunt Ennodius Ticinenſis, & Avitus Viennenſis Præſules. Nam cum gravium a malignis criminum anno 503 apud Theodoricum Gothorum Regem accuſatus fuiſſet Symmachus Papa; ille, & ſi Arianus princeps, judicium exercere in ſummum Pontificem renuit; ſed cauſam ad ſacerdotum concilium deferendam duxit. Congregati ejus juſſu Romæ antiſtites ad ſynodum, quæ a loco, ubi celebrata eſt, Palmaris dicta, ſuggeſſerunt Regi, ſynodum ab ipſo accuſato debuiſſe convocari; ſcientes, quia ejus ſedi *primum* Petri Apoſtoli meritum, vel principatus, *deinde ſecuta juſſionem Domini* Conciliorum venerandorum auctoritas ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem, nec antedictæ ſedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio. Sed cum Rex, prolatis Symmachi literis, & ipſum conſentire in ſynodum oſtendiſſet; ipſeque veniens Papa idem teſtaretur; Patres adhibita deliberatione decreverunt: Symmachi cauſam divino judicio reſervandam, rejectisque malevolorum criminationibus, ſuo eum in officio a nemine turbandum. *Acta Syn. Palmaris apud Hardu. T. II. a pag. 967.*

(a) Sedis Romanæ nomine citra controverſiam intelligendus eſt legitimus ejus poſſeſſor. Muta enim ſedes, quacunque ex materia conſtiterit, nec hæreſis, nec morum deformitatis, nec judicii, nec damnationis, nec abſolutionis capax eſt.

2. Quoniam tamen inquieti homines quidam ſynodi decreto, qua verbis, qua ſparſis in vulgus ſcriptis obtrectare non deſinebant; negotium datum eſt Ennodio ante dicto, ut apologia, pro ſynodi decreto ſcripta, obtrectatorum ora obſtrueret. *Exſtat apud Sirmondum T. II. CC. Galliæ.* Hæc in ſynodo Rom. V. ſub

ſub Symmacho, non multo poſt congregata, ab Epiſcopis juſſa eſt prælegi; prælecta probata eſt, omnibus una voce dicentibus: *Hæc futuris temporibus conſerventur, atque ab omnibus teneantur, & in omnibus ſerventur. &c.* Additus his Canon: Ne oves in paſtorem, niſi a recta fide aberrarit, rebellare præſumant. *Act. huj. Syn. apud Hardu. T. II. a pag. 985.* Idem Argumentum præclare tractavit Avitus, quem dixi, Viennenſis, *cujus opera exſtant in Bibliotheca* PP.; nec minus graviter Leo III. Epiſt. 7 ad Carolum M.. Scripſere de eadem re variis temporibus varii paſſim noti, ex quibus ſi referre vellem omnia, ni-miam in molem Diſceptatio excreſceret. Nec vero id neceſſe ad refellenda Vindicis allata, cui rei ſoli inſiſtam.

3. Nemo etiam a me exſpectet, ut hoc de argumento diſputem eo modo, quo confligendum eſſet cum Acatholicis, Papalem omnem auctoritatem impugnantibus. Neque enim eo progreditur Vindiciarum ſcriptor, ut, abjectis palam principiis catholicis, ſedem Pontificiam funditus ſubverſam velit. Hanc ei calumniam ſi quis auderet impingere, egomet partes ejus ſtrenue adverſus quemcunque defendendas ſuſciperem. Loquitur imo honorificentiſſime de ſede Apoſtolica paſſim; ſumma cum veneratione Romanam Eccleſiam ſalutat S. Matrem noſtram, & magiſtram; ejus honorem, quem ab Antitheſiſta ſuo ſine rubore violatum ingemiſcit, reparare omni ope adnititur.

4. Nolo pariter tribunal erigere, aut ſententiam ferre in Doctores quoſdam catholicos, eruditos, ac pios, qui defendunt poſt Joannem Gerſonem, eſſe auctoritatem Concilii Oecumenici ſuperiorem auctoritate Romani Pontificis. Quos S. Mater, ac Magiſtra noſtra Romana Eccleſia non affecit nota, ego afficere qui auſim? Cum ſolo vindiciarum auctore ſingulare mihi certamen eſt; atque expendo, quam recte IPSE ſua probet, ſibi objecta refellat.

5. Liceat mihi tamen præmittere duo principia, non quidem lumine naturæ, ſed ex Dei Verbo, quod lumine omni naturæ ſuperius, firmiorem multo meretur aſſenſum, notiſſima.

Principium I. Chriſtus Dominus in rerum divinarum moderatoribus ac legis Doctoribus morum quidem ſanctitatem magnam ſine dubio deſiderat: ſed tamen illis, quamvis impiis, honorem, & obſequium vult exhiberi; neque eos propter morum, ſi qua laborent, pravitatem abjici.

Matthæi 23. a ℣. 1. *Tunc Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos dicens: ſuper cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & phariſæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite. Secundum opera vero eorum nolite facere.* Ac ne quis forte exiſtimet, minime enormem fuiſſe illorum hominum improbitatem; inſpiciamus, quam ipſemet Dominus effinxit, eorum imaginem. Poſt expreſſam ſuis coloribus illorum hypocriſin, faſtum, ambitionem, a ℣. 13.

hæc ſubdit: *Væ autem vobis ſcribæ, & phariſæi, hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante homines: Vos enim non intratis nec introeuntes ſinitis intrare.... Comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis Judicium... Circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelythum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos.* Hoc loco verbis; Joannis 18. ℣. 23. exemplo etiam docuit, quam vellet antiſtitibus ſacrorum, quamvis improbiſſimis, haberi reverentiam. Stans ante Annam Pontificem, hominem ex livore, ira, internecino in innocentiſſimum mortalium odio, vitiisque omnibus compoſitum, tamen cum ab aſſiſtentium miniſtrorum uno alapa percuſſus increparetur: *Sic reſpondes Pontifici?* pro ſe pauca, & modeſte; nihil in Pontificem gravius dixit. Magiſtri exemplum ſecutus S. Paulus Act. 23. v. 5., cum ante durius aliquid locutus eſſet in Ananiam, quem neſciebat eſſe Pontificem; ubi primum monitus eſt ab adſtantibus: *ſummum ſacerdotem Dei maledicis?* reſpondit continuo: *Neſciebam Fratres; quia princeps eſt ſacerdotum. Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices.* Hæc ſi D. Paulus ſenſit convenire etiam in neſcientes: quid dixiſſet de iis, qui Principi Sacerdotum ſcientes maledicunt? Nec prætereundum hoc loco; quod ipſemet Chriſtus Dominus, cum divina providentia ordinaret Eccleſiæ ſuæ ſtatum, inter Apoſtolos eum potiſſimum voluerit cæterorum eſſe caput, & moderatorem Eccleſiæ, qui omnium turpiſſime ipſum negaverat. Et tamen propterea, uti obſervat S. Optatus Milevit. Lib. 7. *Apoſtoli bono unitatis per charitatem noluerunt a communione Petri recedere, ejus ſcilicet, qui negaverat Chriſtum.* Appoſitiſſime deinde in rem noſtram ſubjungit: *unde intelligitur, omnia ordinata eſſe providentia Salvatoris; ut ipſe acciperet claves. Intercluſa eſt malitiæ via; ne Apoſtoli licentiam judicandi conciperent, & ſevere contemnerent eum, qui negaverat Chriſtum. Stant toti innocentes: & peccator accipit claves, ut unitatis negotium firmaretur.*

Principium II. Spiritus S. aſſiſtentis donum non eſt gratia gratum faciens, ſed gratis data (*a*) quæ poteſt dari, & non ſemel data eſt peccatoribus.

(*a*) In linguæ Theologicæ ignarorum gratiam, in quorum manus hæc folia forſan incident, paucis noto: *Gratia gratum faciens* dicitur, quæ a Deo conceditur ad ipſius accipientis ſalutem procurandam: *Gratia gratis data* vero, quæ non ad accipientis ſalutem, ſed in aliorum bonum datur. Qualia ſunt donum prophetiæ, donum linguarum, gratia ſanitatum, aliaque ejuſmodi, quæ recenſentur a D. Paulo *Epiſt. 1. Cor. 12. a* ℣. 8. Quamquam alio in ſignificatu omnis gratia ſit gratis data.

Ita Num. 23, & 24. legimus Balaamo Ariolo, atque impio conceſſum donum prophetiæ. Luc. 9. una cum aliis undecim Apoſtolis etiam Judas accepit a Chriſto Dno *virtutem & poteſtatem in omnia dæmonia, & ut languores curarent.* S. Joannes Cap. 11. ℣. 51, & 52. teſtatur Caipham Pontificem, impium ſane, nec pilo uno Socero ſuo Anna meliorem, prophetaſſe. Quod ſi ergo in veteris legis

legis Pontifice Spiritus S. aſſiſtentis donum non extinxit hominis improbitas: cur in novæ legis Pontifice extingueret?

Atqui non perſonæ ſanctitate, non eruditione, non donis aliis ſive naturalibus, ſive ſupernis, ſed promiſſa Petro, ejuſque ſucceſſoribus perpetua S. Spiritus aſſiſtentis ope poteſtatem pontificiam regendi, docendi, paſcendi oves Chriſti ſuffultam ſtare profitemur Catholici. Hanc perpetuam S. Spiritus opem Petro, & in Petro ejus ſucceſſoribus promiſſam eſſe a Chriſto Domino, concludimus ex ejus verbis Luc. 22. ℣. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, aliisque. Fides quouſque in Pontifice non deficit, morum improbitas ejus poteſtatem non labefactat. Labefactari per pravitatem morum *ipſo facto*, ne ipſe quidem vindiciarum auctor, Wicleffianæ hæreſis memor, dixerit: labefactari propter eam poſſe ab auctoritate humana, videamus, quo modo probet.

§. 1. *Expenduntur Vindiciarum auctoris argumenta.*

1. Romanum Pontificem indubitatum ob ſolam morum deformitatem judicari, & deponi poſſe, probaturus, Conciliorum auctoritate ſatis ſe munitum credit. Synodi quidem Sinueſſanæ acta de Marcellini in Idolatriam lapſu in ſuppoſititiis, ac fabuloſis numerat pag. 37. N. XXVII Non reprehendo. Eandem enim S. Auguſtini de illis mentem fuiſſe ſentiunt multi. Neque ad rem præſentem neceſſarium eſt diſquirere, aut definire, fabulane ſit, an hiſtoria. Eam tamen, quantumvis ponamus eſſe fabulam, ingenioſiſſime in rem ſuam derivat. *Ibid.* Audiamus „Ipſa acta ſuppoſititia, inquit, de Marcellini in ido„latriam lapſu hunc morem auctori fabulæ notum demonſtrant: *Ex te juſtifi„caberis, aut ex ore tuo condemnaberis. Can. 7. Diſt. 21.*

Huic gladio bilix a me opponitur lorica. Primo quidem non evincit, quod volebat, ſed prorſus oppoſitum. Nam ſi auctori fabulæ notus fuit mos antiquus, qui, dum criminis accuſatur Rom. Pontifex, ei detulit hunc honorem, *ut ſeipſum judicaret*, ex ſe juſtificaretur, *aut ex ore ſuo condemnaretur*: igitur vel ipſa acta illa ſuppoſititia demonſtrant, non fuiſſe morem antiquum; ut Rom. Pontifex *judicaretur a ſynodo, aut ex ore ſynodi condemnaretur.* Rurſum ſi vel ipſa acta ſuppoſititia demonſtrant illum morem antiquum; ut Romanus Pontifex criminis accuſatus coram ſynodo compareat: cur non etiam demonſtrant notum fuiſſe fabulæ auctori communem ea ætate Eccleſiæ ſenſum: quod *Prima ſedes non judicetur a quoquam. Can. 7. eod.* Cur hac ultima ſententia canonem detruncavit Vindex? ſi ille, quamvis mendaciorum architectus, ſatis apud ipſum fidei invenit ad demonſtrandum illum morem antiquum; cur non reperit ad demonſtrandum hunc antiquum Eccleſiæ ſenſum communem? Habet certe hoc argumentum pares ad utrumque probandum vires. Vel ſi pro uno vires ſuffi-

cientes non habet; habebit pro neutro. Adde, quod Sinueſſam confluxiſſe trecentos, & amplius Epiſcopos acta commemorent, ut adeo numero fere par fuiſſe videatur Nicænæ I. Oecumenicæ. Si ergo ex ſynodi illius actis, quamvis fabuloſis, colligere eſt, ſenſum communem illius temporis fuiſſe; ne a tanto quidem Concilio, quod Oecumenico par videri potuiſſet, judicari debere primam Sedem, & nullum tot Epiſcoporum proferre in eam ſententiam auſum eſſe: quomodo hæc ſynodus habere vim ullam poterit ad probandam illam, quam vindex aſſerit, ſynodi particularis Romanæ prærogativam. Replicabit forſan, verba illa Patrum Sinueſſanorum (ſi vere prolata eſſent) cenſenda verba honoris, non neceſſitatis. Hæc poſſet IPSE DICERE: ſed quomodo probaret? Mos antiquus, inquiet, hunc Romano Pontifici honorem ſponte detulit. Honorem iſtum fuiſſe ſemper ei debitum, liquebit ex hac Diſceptatione. Nunc enim id agimus, ut oſtendatur illum nec ſua probare, nec ſibi objecta poſſe refellere. Si tamen quis properet, relegat interim, quæ diximus *h. controv. init. n. 1. & 2.*

2. Ad Concilium Conſtantienſe confugit pag. 30. N. XVII. ex illius decreto tentans evincere, poſſe verum, & pro legitimo agnitum Papam (de tali enim ſolo hæc lis eſt) deponi „ſicut in hæreſi, ſic in aliis duobus caſibus, iſti enim „tres,„ ait ex Cardinalis Juliani Epiſtola ad Eugenium IV. Papam, „pariſi„cati ſunt per concilium Conſtantienſe, quod & facto approbavit hanc ſenten„tiam: quia propter ſchiſma privavit Petrum de Luna, & NB. propter defor„mitatem vitæ privavit Joannem XXIII.„ Tum addit: „utrum decreta illa „Seſſ. 4, & 5. Concilii Conſtantienſis ſint Oecumenica, necne, hic nihil refert: „ſenſum tamen tot Prælatorum Eccleſiæ . . . manifeſtant de tribus caſibus; pe„titoriique certitudinem Antitheſiſtæ auferunt præponderante auctoritate.„

3. Hactenus IPSE. Non eſt neceſſe revocare tibi in memoriam, Theodulphe, quam parum jure fundata ſit poſſeſſio, quam ſuæ cauſæ, prætore non auctore, tribuit. Meminiſti enim. Examinemus ad trutinam pondus auctoritatis, quod tanta fiducia jactat præponderare. Laudo, quod decretorum Concilii Conſtantienſis Seſſ. 4. & 5. Oecumenicam auctoritatem aſſerere ſibi non fidat omnino. Cæteroquin facile mihi, atque in promptu foret oſtendere, decretorum illorum auctoritatem Oecumenicam eſſe certo dubiam. Sed habemus fatentem reum. Hoc ſufficit. Auctoritas autem certo dubia non multum habere poteſt ponderis. Dicere igitur: *utrum decreta illa ſint Oecumenica, necne, hic nihil refert;* mihi idem videtur, ac ſi diceretur: utrum Decreta illa pondus habeant, necne, hic nihil refert.

4. At ſenſum tamen tot Prælatorum Eccleſiæ manifeſtant. Si ſeſſionum iſtarum ipſarum eſt dubia auctoritas, neque ſatis gravis ponderis, cujus ponderis erit ſenſus Prælatorum in illis pronuntiantium? Accedit, quod fuerit ille quidem

quidem Prælatorum quorundam ſenſus, non tamen communis omnium conſenſus. Interceſſerunt enim his decretis Cardinales. Nec immerito. Nam Cl. Scheleſtratus *in Diſſert. de actis Concil. Conſtantiens.* teſtatur *ex 4. M. SS. Germanic. apud Harda. T. VIII. pag. 296.* ita pene ſemper in omnibus decretis Ccii factum eſſe, ut Cardinalibus ita arcto, ac brevi tempore oſtenſa ſint decreta jam concluſa in nationibus; ut non fuerit in eorum poteſtate deliberare, imo in magno contemptu habiti ſint. Et quamvis de contemptu conqueſti ſint, non potuerunt tamen obtinere jus ſuum.

5. Ac ſpeciatim ante Seſſionem V. Cardinales, cum fruſtra ad illud tempus reclamaſſent decretis promulgandis, & una cum ipſis Oratores Franciæ, proteſtationem ſecretam in Camera Palatii Conſtantienſis interpoſuerunt coram Sigiſmundo Imp. & Deputatis nationum: ituros ſe ad ſeſſionem propter ſcandalum evitandum, non animo conſentiendi his, quæ audierant in ipſa ſtatui debere, maxime *quod Papa, & CCium plenam libertatem habuerint* (Quod inter cætera audiverant ſtatutum iri) Addunt: „Quorum plura ſtatuta non ſunt, ſed ad „ſeſſionem aliam reſervata. Atqui hoc ipſum Decretis illis plurimum detrahit ponderis; aut potius nihil relinquit. Ex eo enim habemus: quæ tempore ſeſſionis IV, & V. geſta ſint, non eſſe acta *conciliariter*, id eſt recepto in SS. Conciliis more; in quibus nihil decernitur, ac promulgatur, niſi quod ſententiis libere dictis ſtatutum prius communiter fuerit. Martinus autem V. Seſſ. ult. ea duntaxat rata habet; quæ conciliariter acta fuerant in hoc Concilio. *Act. apud Hard. T. VIII. pag. 258.*

6. Ipſum Decretum I. Seſſ. IV. corruptelæ ſuſpicione non caret. Nam illa verba decreti ultima: *Et ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & membris*, nec reperiuntur in primo exemplari Concilii hujus edi cœpto Conſtantiæ an. 1499. abſoluto Hagenoæ an. 1500, nec in ſecunda editione Mediolanenſi de an. 1511; nec in tertia Pariſina anni 1524; nec in eadem recuſa Coloniæ an. 1530; nec in duobus codicibus Vindobonenſi (Viennenſi in Auſtria) & Wolffenbutelenſi; nec in Brunſvicenſi, Gothano, & Lipſienſi, teſte Hardtio *T. IV. P. 1., a pag. 86*; nec in novem aliis Mſſ. codicibus a Scheleſtrato viſis. *Hardu. T. VIII. pag. 251.* Reperiuntur primum in editione, quam Petrus Crabbe excudi curavit Coloniæ anno 1538, juxta exemplar juſſu Concilii Baſileenſis poſt Seſſ. 25tam, cum jam ferveret ſchiſma, extractum. Editionem Crabbeanam ſecuti ſunt deinde poſteriores ſynodographi aliquot. *Tom. V. CC. Germ. pag. 44.* Hæc ab Harduino aliisque obſervari, minime videri debet paradoxum, quamvis viſum fuerit Febronio. Cap. 6. §. 5.

7. Ne tamen ſeverus nimium Judex eſſe videar, dabo ei plus, quam ipſemet poſtulare auſus ſit. Eſto, fuerint Decreta illa Oecumenica, & juſti ponderis: loquitur tamen cum illis tempus, quo lata ſunt; eo videlicet, cum

tres ſimul ſe ſe pro Papis gererent, neque ullus eorum eſſet certus, & ab univerſa Eccleſia agnitus. Dubiis vero imperari poterat. (*Proœm.* §. 3. n. 2.) Mentem etiam Decreti I. planius exponunt verba illi inſerta. „Cui quilibet, „cujuscunque ſtatus, vel dignitatis, etiam papalis, exiſtat, obedire tenetur, „in his, *quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis, & reformationem „dictæ Eccleſiæ in Capite, & membris.* In illa autem contra Joannem XII. ſynodo, de nullo contra fidem errore agitabatur Controverſia. Nullum erat ſchiſma antea, ſed illud poſt fecit ſynodus, opponens Joanni Leonem. Schiſma autem dicemuſne eſſe aptum medium ad reformationem Eccleſiæ in Capite, & membris? credat cum Febronio Judæus appella! Nihil ergo prorſus decretum iſthoc juvare præſentem Vindicis cauſam poteſt.

8. Attamen Concilium facto comprobavit hanc ſententiam; quia propter ſchiſma privavit Petrum de Luna, & NB. propter deformitatem vitæ privavit Joannem XXIII. Verum NB. Joannes XXIII. non fuit certus, atque ab univerſa Eccleſia agnitus Papa; ſed dubius. Dubium Papam autem poterat Concilium judicare, & damnare tam propter ſchiſma, quam propter morum turpitudinem. Nobis ſermo eſt de Rom. Pontifice certo, atque ab univerſa catholica Eccleſia agnito.

9. „Compara, inquit, ead. pag. 30. N. XVII. crimina Joannis XXIII. re„lata in ſententia dopoſitionis, cum criminibus Joannis XII., & videbis hunc „multo magis deponibilem fuiſſe.„ Factum puta, imo factum eſt. Campavi, ad Mandatum Cl. D. N. Decani Facultatis Jurid. Treviris, crimina utriusque Joannis. Viſis actis Concilii Conſtantienſis, reperi oppoſitos fuiſſe Joanni XXIII. articulos tres, & quinquaginta, idoneis teſtibus comprobatos. In articulo 48. accuſatur, *quod ſchiſma nutrire voluit, apud Hardu. Tom. VIII. pag. 356.* Artic. 52. Arguitur *fautor ſchiſmatis. Ibid. pag. 357.* Poſt hos tres, & quinquaginta artic. reperi alios quosdam ex codice Card. Barberini depromptos. In horum uno accuſatur, quod ſæpe coram diverſis Prælatis, & aliis honeſtis viris pertinaciter, ſuadente diabolo, dixit, aſſeruit, dogmatizavit, adſtruxit, vitam æternam non eſſe, nec aliam poſt hanc. Item quod negaverit immortalitatem animæ humanæ, & reſurrectionem mortuorum. *T. VIII. CC. eod. pag.* 360. Viſis deinde etiam actis ſynodi I. Rom. contra Joannem XII., inter objecta ipſi accuſationis capita nullam ſchiſmatis, aut hæreſeos mentionem reperi. Teſtes omni exceptione majores ſint oculi cujuslibet, qui inſpicere acta voluerit. Aut, ſi quis hæreſeos aliquam ipſi labem objectam illic videre ſibi videbitur; is mutabit noſtrum caſum: uti non ſemel jam monui. Uter jam *depoſibilior* fuerit; judicent, ad quorum ſpectat officium.

10. Quid ergo fiet de Cardinale Juliano, Legato Eugenii IV. ad Concilium Baſileenſe, Viro ſancto, devoto Papæ, nullatenus ſuſpecto. Jam faxo, vindiciarum auctorem appellati hujus illuſtris Viri pœniteat, pigeat, pudeatque.

Nihil

Nihil detractum velim de laudibus, quibus Virum, pluribus etiam encomiis dignissimum, exornat. Fero potius ægerrime, unam ab eo virtutem tacite prætermissam; quæ præ cæteris in illo meretur suspici, & Vindici ad imitandum proponi. Quænam illa? Quod vir modestissimus non fuerit judicii sui superbe tenax; sed errorem suum simul atque agnovit, retractaverit, ac damnaverit. Theodulphe, adverte animum ad ea, quæ dicturus sum, diligenter.

11. Justinus Febronius in Libro suo singulari Cap. 6. §. 1. n. 4. ex operibus Æneæ Sylvii pag. 75. incaute exscripsit Epistolam Cardinalis Juliani, quam scripsit eo tempore, dum inter Patres Basileenses degens, quotidianis adversus Pontificiam auctoritatem clamoribus vel illectus, vel abreptus fuerat in eorum sententiam. Febronium incaute exscripsisse mihi videtur Vindiciarum scriptor, ab eoque esse deceptus. At vero nescivit, credo, uterque, quod idem Cardinalis S. Angeli Julianus post non modo errorem suum pristinum damnaverit, sed ab eodem etiam revocaverit Æneam Sylvium. Audiamus loquentem ipsummet Sylvium. Paulo prolixiora erunt, quæ proferam, sed ita in rem præsentem opportuna, ut vix quidquam prætermitti debere existimaverim. „Per id „tempus, „ inquit Æneas Sylvius, „Julianus S. Angeli Cardinalis ex Hunga„ria... venit Flavianum (quæ hodie Vienna dicitur) præcipuum Austriæ colu„men. Sæpe cum eo sermonem... miscuimus, sæpe de rebus Basileenſibus „disputavimus. Tuebamur antiquam sententiam (nostram) ille novam „ (*quam „sua antiqua deposita, jam amplexatus fuerat*) „defendebat. Extollebamus gene„ralis CCii auctoritatem; ille Apost. Sedis potestatem magnopere collaudabat. „Dicebamus CCium Basileense jure perseverasse, quamvis Eugenius Præsiden„tes revocasset, & hoc ejus factum accusabamus. Ille dissolutum, seu trans„latum rite CCium affirmabat, & Basileensium opera multis modis detestaba„tur: Basileæque non synodum Ecclesiæ, sed Satanæ, ministrorumque ejus sy„nagogam remansisse dicebat. Diutina fuit inter nos concertatio ... Ad extre„mum cum suis scriptis, dictisque Cardinalem vinceremus, premeremusque „vehementer: subridens ille, Tu, inquit, Ænea, tabellis obsignatis agis me„cum: & quoniam aliquando sensimus, ut dicis: idcirco & hodie idem putas „debere sentire; & addictos priori sententiæ censes. Verum propterea nos „sumus liberi, quia mutare sententiam usque ad mortem possumus. Cur enim „non liceat omni tempore, relicto falso, verum amplecti? Fateor me dixisse, „& scripsisse, quæ refers, verum a vero remotum errasse. At tu, qui, ut ais, „me Doctore Basileensibus credere adductus, errantem olim sectatus es; cur „modo non sequeris recta monentem? &c. &c. Tum de se Æneas. „Hæse„runt pectori nostro verba Viri, quæ sæpe ad nos repetiit non sine charitate „ardenti, & amore singulari. Ista de se, & Cardinale Juliano testatur Æneas Sylvius, cum jam esset Papa Pius, ejus nominis II. in Bulla, quam ad Univer-

sitatem

ſitatem Colonienſem dedit 26. Apr. 1463. In qua & quæ ipſemet Colonienſibus, vel aliis ſcripſit aliquando de hoc argumento, tanquam erronea, & juvenilis animi parum fundata judicia, revocat, atque omnino reſpuit, dicens „*Seni „magis, quam juveni credite... Æneam rejicite, Pium recipite...* Bulla exſtat apud „Petrum Matthæum *in Summ. Conſtit. Rom. Pontif. Editionis Lugdun. anno 1589. pag. 12. Harduinum Tom. IX. In CC. Germaniæ Tom. V. in ſuppl pag. 945.*

Quid tibi nunc videtur, Theodulphe? Cui Juliano fidem habebimus? An juniori, flagrante jam Baſileenſi ſchiſmate, & inſurgentium Pontificiam in auctoritatem vel torrente abrepto, vel incantationibus faſcinato? An maturiori, re melius expenſa e tenebris in lucem emergenti, errorem priſtinum fatenti, atque omnibus, quibus poterat, modis retractanti? Pluſne Epiſtolæ ejus, dictiſque prioribus fidei habebimus, quam haberi ipſemet velit? Vel ſcivit hæc a Cardinale Juliano ita geſta eſſe, vel ignoravit Vindex? ſi ſcivit: tenetur ejus fallacia, qua imponere ignaris voluit tacendo veritatem: ſin ignoravit, quod potius credidero: diſcat Febronium, ejusque anteſignanos legere cautius, nec cæce intrare in eorum veſtigia in foliis præſertim publice ſparſis. Ne ruborem poſt reportet, redargutus manifeſte, pudeatque hæc dici potuiſſe, (a ſuis adverſariis) & non potuiſſe refelli: uti flens ingemiſcit Phaëton in Metam. Ovidii... I, nunc, Julianum Cardinalem appella. Si plures huic ſimiles teſtes produxerit; audiemus illos citra ullam exceptionem.

13. Concilio Conſtantienſi admiſcet Baſileenſe dicens: „Quibus (Con„ſtantienſibus) adhæſerunt Baſileenſes, acceptantibus Germanis, & Gallis.„ Hæc tanta fiducia aſſerit; ut jurares, quod opponi poſſit, eſſe prorſus nihil. Verum ſine; retegam tibi deliteſcentes ſub paucis his verbis multas fallacias.

14. Audiſti ſine dubio, Theodulphe, non ſemel, alios Concilio Baſileenſe, ejuſque decretis tribuere plurimum: alios repudiare illud, nec habere in Cciorum legitimorum numero. Quæ cum ita vage, atque indiſtincte jactari utrimque audires; hæſitaſti forſan anceps, quam in partem vela verteres. Ut autem, quæ ad præſentem rem pertinent, magis ad intelligendum perſpicua ſint; diſtinguamus primo tempora; deinde res in eo geſtas. *Ex ipſis actis.*

15. Si ſpectemus tempora: reperiemus illud auctoritate Concilii Conſtantienſis; Papienſis poſt ſubortæ peſtis cauſa Senas translati; Martini V, eoque mortuo, Eugenii IV. auctoritate inchoatum, nulla re, ad legitimum Ccium inchoandum requiſita, deſtitutum fuiſſe, primamque ejus ſeſſionem habitam 7. Decembr. 1431. Eugenius Papa non multo poſt, 18 ejusdem menſis, ex ſententia S R. E. Cardinalium variis de cauſis Concilium hoc diſſolvit, Legatum ſuum Julianum Card. revocat, aliudque Ccium poſt annum cum dimidio Bononiam indicit. Huic Pontificio decreto ſe magno æſtu opponunt Patres

Baſileen-

Baſileenſes. Res eo progreſſa eſt, ut 30. April. 1432. Seſſ. III. Eugenium, & Cardinales ejus ad cauſam coram ipſis dicendam evocarent. Poſt multas, acreſque utrimque concertationes, ad annos circiter quatuor productas, tandem Eugenius Sigiſmundi Imp. opera reconciliatus eſt Ccio 21. Jan. 1434. Seſſ. XVI. Manſerunt per annos fere quinque in concordia, ac legitime proſecuti ſunt Concilium. Sed Patribus identidem plus ſibi arrogantibus, quam ſalva auctoritate Romanæ Sedis concedi eis poſſe exiſtimaret Pontifex, gliſcere paulatim cœpit utrimque diffidentia, & nova ſparſa ſunt diſcordiarum ſemina. Occaſio demum novæ contentionis orta eſt circa loci pro Ccio cum Græcis habendo deſignationem: dum una ex parte Eugenius Græcis volentibus conceſſiſſet locum ipſis commodiorem; ex altera parte vero Baſileenſes, contra datam ante Græcorum Legatis fidem, invitis, renuentibuſque Imperatore eorum, ac Patriarcha Cpolitano, contenderent pertinaciter cogere illos vel Baſileam, vel Avenionem, vel in Sabaudiam. Græci poſtmodum rejecta Baſileenſium ad ſe legatione, Eugenio potius morem gerendum cenſuere, quam Concilio. Hac igitur ex occaſione in novas, ac prioribus multo pernicioſiores flammas exarſit diſcordia. Baſileenſes enim Seſſ. 26, contradicentibus incaſſum Juliano Cardinale, & Collega ſuo, Legatis Pontificiis, Eugenium in jus vocare iterum, eique tanquam reo diem dicere non dubitarunt. Neque ab hoc propoſito ſe revocari paſſi ſunt aut Sigiſmundi, aliorumque Regum hortatu, aut interceſſione, ac receſſione Oratorum Hiſpaniæ, aut Legatorum Pontificiorum diſceſſu. Eugenius obviam iturus eorum molitionibus, datis publice literis, ſynodum Baſileenſem, velut ſchiſma nutrientem, diſſolvit, aliud Concilium Ferrariam indicit, factum hoc ſuum multis argumentis defendens. Confluxerunt ad Concilium Ferrariam Patres frequentes, ac prima ſeſſio Præſide Nicolao S. Crucis Cardinale, Eugenii Legato, celebrata 9. Jan. 1438, in qua communi conſenſu decretum, translationem Ccii Ferrariam eſſe legitimam, & Canonicam, Baſileenſem ſynodum nunc omni poteſtate privatam. Menſe Februario eodem ſe contulit Eugenius, & in Seſſ. 2, die 18. menſis ej. Præſide ipſomet Pontif. habita, damnati, qui remanerent Baſileæ, omneſque Ferrariam ſub gravium pœnarum interminatione evocati. Græcis 7. Mart. eandem urbem ingreſſis, 9. Aprilis ſeſſio 3. fuit, in qua Pontifex, aſſentiente Imperatore Græcorum, Patriarcha Cpolitano, reliquorum Patriarcharum Orientis Legatis, ac cæteris Patribus, qui Ferrariam convenerant, declaravit, legitimum illic congregatum eſſe Oecumenicum, & generale Ccium pro unione cum Græcis facienda, & perficienda alia, Baſileæ cœpta. Deinceps hoc Ccium magno cum Eccleſiæ fructu continuatum, ob peſtem, Ferrariæ exortam, Florentiam translatum, Romæ demum in Laterano conſummatum, atque ab Eccleſia Ccii Florentini nomine receptum.

Quam bene comparatum eſt, quod ad firmitatem, auctoritatemque Conciliis tribuendam neceſſarius non ſit Juſtini Febronii, ejuſque anteſignanorum, & ſectatorum conſenſus. Iſtis ſi credimus; nec Florentino, nec conſecuto illud Lateranenſi Concilio multum dabimus, imo nec Tridentino. Cauſantur, fuiſſe Patres illarum ſynodorum præventos principiis falſarum Decretalium Iſidori Mercatoris, & aliorum; per quæ vetus ſyſtema Hierarchiæ Eccleſiaſticæ funditus everſum ſit. At vero ſi ſalvis SS. Scripturis, Cciorum genuinis actis, Ss. Patrum monumentis, ſalutaris aliqua peſtis falſas decretales omnes, confictaque ejus generis inſtrumenta abſumeret: nihil detrimenti pateretur Catholica Romana Eccleſia; poſſentque ex iis, quæ ſuperfutura eſſent, dictorum Cciorum decreta abunde defendi, ſi res poſceret. Sed non putem, in eadem cum iſtis Vindicem eſſe ſententia. An poſt Græcorum diſceſſum Florentina ſynodus perrexerit eſſe Oecumenica, ſive univerſalis, & totius Eccleſiæ; id ad contentionem vocis delabitur. Perrexit certe eſſe ſynodus Patrum & multorum, & gravium, ſupremo ſuo Capiti conjunctorum, ac conſentientium. Voca, per me licet, ſive univerſalem, ſive particularem. Particularibus etiam ſynodis, de rebus fidei, atque ad univerſam pertinentibus Eccleſiam ſi quid ſtatuant Præſide aſſentiente, ac probante ſummo Pontifice, vim ac robur eſſe, profitemur Catholici.

16. Perſtiterunt tamen in propoſito ſuo Baſileenſes, quamvis plurimis, atque optimis quibuſque inde diffluentibus; ita quidem, ut, cum poſt primam cum Eugenio reconciliationem ſubinde centum circiter Infulati interfuiſſent, vix triginta ſupereſſent; dum dies Eugenio dicebatur: in ejus exauctoratione vero non niſi ſeptem Epiſcopi. Admiſſi fuere, ad augendum ſuffragiorum numerum, non tantum Epiſcopi, & Abbates; ſed inferioris etiam ordinis Clerici: quibus de jure, & conſuetudine non definiendi, & judicandi; ſed conſulendi duntaxat votum in Conciliis competit.

17. Poſtquam diſtinxiſti hoc modo, Theodulphe, tempora Baſileenſis Ccii, primum inchoati; deinde ab Eugenio diſſidentis; poſt reconciliati; denique iterum ab illo diviſi: facile ſtatues, illud pro tempore primo, & tertio cenſendum eſſe legitimum, omnique veneratione dignum.

18. Nunc diſtinguamus etiam res in hoc Ccio geſtas, ut, quæ præſentem cauſam non concernunt, ſegregemus ab iis, de quibus nobis unice contentio eſt.

19. Seſſione I. Ccii Baſileenſis decretum eſt: Verſari debere hanc S. Synodum totis viribus inprimis ad extirpandas hæreſes ex Eccleſia Dei; tum ad pacandos Chriſtianorum animos, ſedandaſque fidelium contentiones, poſtremo ad mores, vitamque Clericorum, & populi Chriſtiani ubique reſtituendos, omen-

emendandoſque. Hæc ſaluberrima citra omne dubium. Neque etiam reſpuendum, quod ſæpe (*h. Contr. n. 7.*) repetierunt poſtea, conveniſſe ſe ad reformationem generalem Eccleſiæ *Dei in capite, & membris.* Eumque in finem Eugenius ultro eis permiſerat plenam morum ſuorum inde a primis pueritiæ annis cenſuram. Noli oblivisci, Theodulphe, propter tria hæc capita congregatum fuiſſe hoc Concilium.

20. Hunc in finem in eadem Synodo multa ſunt acta, tempore præſertim, quo reconciliati Eugenio fuere, tum in materia fidei pro conciliandis Eccleſiæ Bohemis, tum pro reſtauranda Eccleſiæ diſciplina; quæ nemo negaverit præclariſſima, omnique cum obſervantia merito ſuſcipienda. Concluſa ſunt præterea quædam concordata cum Germanis, quædam cum Francis, quæ & acceptata fuere ab utraque natione, & ab Eugenio IV. confirmata interim, uſque ad futuram modificationem. *Bulla Eug. IV. anno 1447. 5. Febr.* De his nulla nobis in re præſenti concertatio. Motæ quædam & aliæ cauſæ; quæ pariter nihil ad nos.

21. Sola illa ad præſentem cauſam pertinent, quæ geſta ſunt tempore gemini diſſidii inter Eugenium, & Baſileenſes circa arrogatam ſibi ab his auctoritatem judicandi, atque exauctorandi certum Pontificem. Hæc igitur diligenter expendenda.

22. Tempore primi diſſidii in Seſſ. 2, habita 15. Feb. 1432., ſtatuunt, S. Synodum Baſileenſem eſſe canonice congregatam, & inchoatam. Hoc extra controverſiam.

Renovant decretum Ccii Conſtantienſis, quo declaratur, Ccia generalia legitime congregata auctoritatem ab ipſo Chriſto Domino habere, eique debere obedire unumquemque, etiam Rom. Pontificem &c.

Innovant & alterum Conſtantienſe decretum, quo iſta ſynodus ſtatuit, non parentes Cciis rite convocatis gravi pœna mulctandos, etſi ſit Rom. Pontifex.

Decernunt item Baſileenſem ſynodum in Spiritu S. legitime congregatam a nullo, neque etiam a Pontifice maximo, diſſolvi, prorogari, transferrive poſſe, ſine expreſſo Ccii conſenſu. Quibus ſubjungunt alia quædam ex prioribus conſequentia.

Seſſione 3. habita 30. Martii a. e. ſuum ad tribunal citant Eugenium, ejuſque Cardinales.

Tempore ſecundæ diſſenſionis ſeſſione 27. citant iterum Eugenium, objectis ei variis criminibus... 4. Oct. 1437. Seſſ. 30. diſſolutionem Ccii, translationem ejus ab Eugenio factam, aliaque ejus in hanc rem decreta damnant, nulliuſque eſſe momenti ſtatuunt.

Seſſione 31. 24. Jan. 1438, Eugenium, ut manifeſtum contumacem, e omni adminiſtratione Papatus ſuſpendunt.

Poſt multa alia, ante 26tam Martii 1439. Baſileenſes obfirmati in propo ſito dejiciendi e ſolio pontificio Eugenium, veriti tamen, ne objecta ei crimin ad ferendam tam feralem ſententiam non viderentur orbi Chriſtiano ſufficienti eo converſi ſunt, ut hæreſeos nomine conſilium ſuum prætexerent. Itaqu per Theologos ſuos cudunt octo concluſiones, aperte contradicentibus omniu Principum Legatis, & Panormitano. Facta horum ſeceſſione, cum majo parte Prælatorum dicente, ſe concludere, non eſſe concludendum; concluſ runt tamen urgente Arelatenſi Card. tres Epiſcopi titulares, cum aliorum nc prælatorum multitudine: *tres tantum primas concluſiones eſſe approbandas.* Qu ſunt hujusmodi: „Veritas de poteſtate Ccii. generalis, univerſalem Eccleſiæ „repræſentantis, ſupra Papam, & quemlibet alterum declarata per Conſtant „enſe, & hoc Baſileenſe generalia Concilia, eſt veritas Eccleſiæ Catholicæ.

„Veritas hæc, quod Papa Concilium generale, univerſalem Eccleſia „repræſentans, actu legitime congregatum ſuper declaratis in præfata veritat „aut aliquo eorum, ſine ejus conſenſu nullatenus auctoritative poteſt diſſolver „aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco in locum transferre, eſt verit „fidei Catholicæ.

„Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, eſt cenſendus h reticus.„ Hæ igitur tres concluſiones ſunt in Seſſ. 33. 26. Maj. 1439. approb tæ, declaratumque eas eſſe fidei Catholicæ veritates, ab omnibus affirmanda

Quid multa? proceſſerunt ad damnationem Eugenii 25. Junii; ad electi nem vero alterius Pontificis, Sabaudiæ Ducis Amadæi 4. Nov. 1439. confi marunt electionem ab Amadæo acceptatam, eumque coronarunt denique, Felicem V. dixere.

23. Hæ duorum CC. Conſtantienſis, & Baſileenſis auctoritates ſunt b ſes præcipuæ, quibus nituntur, quas præ manibus habemus, vindiciæ. quoniam tam varius de utraque hac ſynodo in utramque partem rumor eſt; ipſimet nonnunquam eruditi hæſitent, quid ſentiendum putent: propterea n ceſſarium duxi, rerum geſtarum ſeriem pluribus paulo, ſed exacte exponer His enim cognitis dijudicari facilius poterit, quid argumenta inde a Vindi petita ponderis habeant. Interim paucis, & quaſi in tranſitu obſerva, The dulphe; quod, ut ſummæ auctoritatis forent, quæ ex Baſileenſi profert; nil tamen adjutarent ipſius cauſam. Baſileenſes enim videri voluerunt, non *ob lam morum prævitatem, ſed hæreſin contumacem, & pertinacem* exauctoraſſe Eug nium. Ponderemus nunc, cujus auctoritatis ſint iſta decreta, & facta (de al enim nobis ſermo non eſt) Concilii Baſileenſis. Deinde videamus, num veru

ſi

ſit, quod quaſi certiſſimum prædicat: acta illa eſſe acceptantibus Germanis, & Gallis.

24. Inprimis motiva credibilitatis pro iſtis tribus, ſic dictis, veritatibus fidei non proferuntur alia, niſi Decretum I, & II. Conc. Conſtantienſis Seſſ. IV, & V. Jam vero de ſeſſionum iſtarum binarum decretis non diffiteturipſemet Vindex eſſe ingens dubium, utrum Oecumenica fuerint, ac proinde falli neſcia auctoritate pollentia. Nonnulla quoque in medium protulimus (*b. §. 4 n. 3.*) quæ Decretorum iſtorum pondus multum ſaltem diminuant: plura in hanc rem qui cupit, adeat Apologiam pro Eugenio IV, in ſynodo Florentina dictam a Joanne Turrecremata Ord. S. Dom.; cujus fides ſuſpecta eſſe non poteſt Vindici, cum illum inter ſuæ cauſæ patronos nominet. *Exſtat hæc Apol. apud Hardu.* Tom. IX. CC. Ex quibus omnibus liquet, auctoritatem iſtarum tam ſeſſionum, quam Decretorum eſſe certo dubiam. Si eſt dubia, non poteſt excludere omnem prudentem de oppoſito formidinem. Hanc ſi excludere non poteſt, neque poteſt eſſe motivum credibilitatis ſufficiens ad proponendam nobis veritatem fidei. Ex communi enim Doctorum, & confirmata Pontificiis decretis ſententia, debent motiva credibilitatis ita eſſe more humano certa; ut nullam relinquant prudentem formidinem, ne non loquutus ſit Deus. *Propoſ. 21. damnata ab Innoc. XI.*

25. Jacent ergo hæ, tam magnifice deprædicatæ, tres fidei veritates, tum ſponte ſua collapſæ, quia fundamento carent ſolido: tum proſtratæ in Conc. Florentino, in quo Eugenius Papa, conſentientibus, & approbantibus magno numero, ſummaque voluntate Patribus, Baſileenſes cum ſuis veritatibus juxta pravum intellectum illorum, factis demonſtratum, damnat; aſſerens præter mentem Conſtantienſis ſynodi interpretatos eas eſſe Baſileenſes. Non adhæſerunt igitur Baſileenſes Conſtantienſibus; ſed, quæ Conſtantienſes tempore trium dubiorum Pontificum conſtituerant, præter ſynodi mentem interpretati ſunt, atque ad veros, ab univerſa Eccleſia agnitos, Pontifices perperam niſi ſunt extendere. Quæ Conſtantienſes *ad extirpationem ejus*, quod Eccleſiam illo tempore dire vexabat, *Schiſmatis* prudenti conſilio decreverant; ea Baſileenſes in anſam novi Schiſmatis converterunt. Conſtantienſes univerſali Eccleſiæ, quam turbatam invenerant, pacem feliciter reſtituerunt. Baſileenſes, quam magno Sigiſmundi Imperatoris, aliorumque Regum, ac conſcriptorum ex nationibus Catholicis Præſulum labore pacatam invenerant, conturbarunt novo Schiſmate: quod illis exprobravit Sigiſmundus. Hoc ſi eſt adhærere Conſtantienſibus; quid ſit in alia omnia abire, neſcio.

26. De Synodi ipſius Baſileenſis auctoritate pro tempore, quo alterum eam inter, atque Eccleſiæ Caput exarſit diſſidium, quid ſentiendum ſit, docet nos Oecumenica, atque ab omni Eccleſia Catholica Chriſti recepta Synodus

Florentina in tribus primis Seſſ. Ferrariæ celebratis (*h. ſ. n. 15.*) In Concilio Later. ſub Leone X. Synodus Baſileenſis appellatur Schiſmaticum, ſeditioſum, nullius prorſus auctoritatis conciliabulum. De eadem quis Æneæ Sylvii, poſt Pii II., & laudatiſſimi Cardinalis Juliani ſenſus fuerit, antea vidimus (*h. ſ. n. 11.*) An non horum auctoritas præponderat?

27. At enim poſſet aliquis tibi, Theodulphe, exoriri ſcrupulus ex eo, quod Eugenius in Bulla, qua reconciliatus eſt Baſileenſibus (*Habetur Seſſ. 16. Conc. Baſil.*) declaraverit, Synodum Baſileenſem legitime inchoatam, velle ſe eſſe continuatam; revocare ſe, nullas, atque irritas fuiſſe, & eſſe declarare literas ſuas omnes contra eam editas &c. ſeque pure & ſimpliciter adhærere Synodo. Ex quo videtur tibi forſan conſequens eſſe: quod facto ipſo oſtenderit Eugenius, debere ſe obtemperare Concilio; quodque probando continuationem Synodi, probaverit pariter ejus acta, inter quæ eſt etiam illa Decretorum I. & II. Conſtantienſium inſtauratio.

28. Hunc tibi ut ſcrupulum eximam, hæc habe. Adhæſit utique Eugenius Ccio pure, ſimpliciter, ac ſincere; adhæſiſſetque conſtanter, ſi Baſileenſes quieviſſent. Aliud enim de tanti Viri candore, cujus virtutes ejus ætatis ſcriptores magnopere extollunt, ſuſpicari non licet. Alias etiam poſtea ad Synodum literas dedit 23. Junii 1434. benevoli ſui, ac paterni in eam animi teſtes.

29. Cæterum nullo verbo in reconciliationis bulla innuit, ſe Concilii imperio coactum diſſolutionem ſuam priorem revocare. Sed hanc duntaxat mutatæ voluntatis ſuæ rationem adfert; quod compertum fuerit, ex diſſolutione illa diſſenſiones magnas ortas eſſe, & majores timeri poſſe; propterea, & ex deſiderio videndi felicem eorum, propter quæ Ccium indictum, & inchoatum fuerat, exitum ſe illam revocare, & declarare, illud legitime inceptum, & continuatum fuiſſe. Ac per conſequentem hanc ejus ratihabitionem continuatio reddita eſt rata. Quia ratihabitionem retrotrahi, & pro mandato convenit haberi. R. J. Nec deſunt exempla, in quibus Cciorum citra conſenſum ſummi Pontificis conſtituta, accedente poſtea ejus conſenſu, reddita ſint firma ac rata. Nullo autem modo per hæc declaravit Eugenius, aut faſſus eſt, haud potuiſſe ſe pro ſua poteſtate diſſolvere Ccium: ſed propter cauſas graves, ac pro pacis, & reip. Chriſtianæ bono voluit ſponte concedere aliquid de jure ſuo; ut notat Joan. Turrecremata *Lib. 2. C. 100. de Eccleſia.*

30. Major videri poſſet difficultas moveri ex eo, quod Eugenius declaret, nullas atque irritas *fuiſſe*, & eſſe litteras ſuas contra hanc Synodum editas. Noli perterrefieri, Theodulphe. Hunc ſcrupulum eximit Titulus *de Reſcriptis L. 1. decretal.*, ex quo diſcimus, Reſcripta vitiari poſſe, non ſolo defectu

ctu legitimæ poteſtatis in Reſcribente, ſed variis etiam aliis modis: propter quos eædem literæ poſt declarari poſſunt *fuiſſe* & eſſe nullæ, atque irritæ: ut e. g. ſi cauſæ moventes poſt deprehendantur non ſubſiſtere, quæ videbantur antea ſatis graves, aut non conducere ad finem principalem, quem ſibi Reſcribens habebat propoſitum. Ita revera Eugenius IV. in reconciliationis Bulla profitetur: comperiſſe ſe, diſſolutionem præcedentem Concilii non modo nihil conferre ad finem propoſitum, ſed ex illa potius diſſenſiones magnas ortas eſſe, & majores timeri poſſe, nihilque ſe optare magis, quam quod ſancta opera (propter quæ indictum, atque inchoatum fuerat Ccium) debitum ſortiantur effectum. Has adducit cauſas, cur præfatam diſſolutionem irritam, & inanem declaret, & literas contra auctoritatem Concilii editas *fuiſſe* & eſſe nullas, & irritas. Ex hoc *autem* nulla legitima conſecutione fluit: *Eugenius priorem diſſolutionem poſt declaravit, & ipſemet agnovit irritam, & inanem. Ergo declaravit, & agnovit ſe non habuiſſe legitimam Ccii diſſolvendi poteſtatem.* Diſputa enim, ſodes, in hunc modum: *Omne Reſcriptum a non habente legitimam poteſtatem profectum, eſt reſcriptum, quod fuit ab initio, & eſt nullum. Ergo omne reſcriptum, quod fuit ab initio, & eſt nullum, eſt reſcriptum, a non habente legitimam poteſtatem profectum.* Clamabit omnis tyronum Dialecticorum turba cum ſibilo; peccare te in regulas Converſionis, ac perinde eſſe, acſi concluderes: *Omnis homo eſt animal, ergo omne animal eſt homo.* Multis ſane aliis ex cauſis poteſt Reſcriptum fuiſſe, & eſſe nullum; ac tale poſt declarari, atque agnoſci ab ipſomet reſcribente, ut fit non nunquam, quin propterea ſequatur, caruiſſe eum legitima poteſtate.

31. Multo autem minus Eugenius probare, & rata habere voluit acta iſtius diſſidii tempore omnia. Non enim ſemper Romani Pontifices, dum Ccia probant, probant acta eorum omnia. Sed quædam mutant, imminuunt, corrigunt, quibusdam etiam palum contradicunt, prout viſum fuerit in Domino. Ita S. Leo Conc. Chalcedonenſis acta cætera probans, extremis tamen decretis ejus, ſine Legatorum ſuorum aſſenſu conſtitutis, non ſemel, & graviter contradixit. Minime vero omnium in animo habuit Eugenius, approbare, quæ contra ſe, ac Pontificiam poteſtatem tempore diſſidii acta noverat.

Nam teſte eodem Joan. Turrecremata, qui Florentinæ Synodo interfuit, Eugenius in ea interrogatus, an unquam hæc Baſileenſia decreta calculo ſuo confirmarit, reſpondit: *Nos quidem bene Ccii progreſſum approbavimus, ut nempe eo, quo cœperat, pede progrederetur; non tamen ejus decreta approbavimus, nec approbamus.* Hæc ex ore ipſius Eugenii a ſe audita refert Turrecremata. Adverte animum diligenter, Theodulphe: Approbaverat Eugenius, ut Ccium progrederetur eo pede, quo cœperat. Cœperat autem Seſſione I; in qua, quid fecerit, jam legiſti. *(b. ſ. n. 19.)*

32. Verba ipſa, quibus in Bulla reconciliationis Eugenius utitur, dubitare nos nulla ratione ſinunt; quænam acta præcedentia rata habuerit. Ait enim: declaramus..... „ Omnia, ad ea, pro quibus convenerant, ſpectan„tia decreta, & decernenda, rata, firmaque eſſe oportere, perinde ac ſi nulla „diſſolutio facta fuiſſet.„ Convenerant autem propter tria illa Capita, quæ ſupra (*b. ſ. n. 19.*) recenſuimus, atque ipſemet in dictæ Bullæ initio commemorat Eugenius. Ad illa vero minime pertinebant, quæ contra Eugenium tam primæ, quam ſecundæ diſſenſionis tempore decreverunt Baſileenſes. Imo ad hæc perficienda plurimum ponebant obſtaculi ita, ut merito ipſis non ſemel exprobaverint non modo Eugenius, ſed etiam Sigiſmundus Imp. & aliorum Principum Legati: Ipſos, qui glorientur ſe pro pace ſtabilienda conveniſſe, ſuſcitare diſcordias: Quo pacto promoturos unionem cum Bohemis, & Græcis; qui Catholicos ipſos, & Latinos Schismate inter ſe ſe moliantur collidere, & committere. Quæ certe nunquam ſe approbaſſe, nec approbare oſtendit Eugenius in Conſtitutione *Moyſes.* lata, ſacro approbante Concilio. (*Vid. ſupra h. ſ. n. 15. lit. a.*)

33. Videamus nunc etiam, an hæc geſta ſint a Baſileenſibus, acceptantibus Germanis, & Gallis. Acceptata a Germanis, & Gallis concordata quædam, aſſentiente etiam interim Eugenio IV., jam ſupra indicavimus (*h. ſ. n. 20.*) Verum hæc ad acta contra Eugenium nullo modo pertinent, neque de his contentio in re præſenti eſſe ulla ratione poteſt. Quæ contra Eugenium inſurgentes facere adniſi ſunt; ea non modo non acceptata fuiſſe ab utraque inclyta hac natione, ſed omnimodis repudiata, deteſtataque, jam oſtenſurus ſum. Etſi negare non intendam, fuiſſe principio non nullum ad ita dictum Felicem V. non ignobilem affluxum.

34. Notandum monet Vindiciarum ſcriptor, pag. 19. N. VIII. lit. C. Germanum, germanico pane veſcentem, debere potius loqui cum his, quibuscum veſcitur, nec debere eſſe immemorem honoris ſuæ nationis, & ſui Imperatoris. Quam præclarum ſit hoc monitum, nondum diſputo; diſputabo alibi. Interim quia & nos Leodienſes ſumus Cives Imperii Romani Germanici, ac proinde pane etiam Germanico veſcimur; non ero ita immemor honoris nationis noſtræ, & Imperatorum noſtrorum, ut eorum defenſionem negligendam mihi exiſtimem.

35. Cum Sigiſmundo Imp. mortuo Francofordiam anno 1438. conveniſſent ad novum Cæſarem ſubrogandum Imperii Electores, intelleriſſentque reciproca Eugenii in Baſileenſes, Baſileenſium in Eugenium fulmina; neque in ea rerum caligine ſtatuere ſatis poſſent, quam ſibi partem eligendam putarent; Die 18. Martii communi conſenſu decreverunt neutram partem ad ſex menſes ſequi, & interea nec Papæ, nec Baſileenſium decreta ſuſcipere, teſtati tamen

ſe

ſe a ſanctæ Sedis obedientia, & reverentia non diſcedere. Hoc neutrius partis ſtudium, concordiæ conſervandæ nomine ad ſex menſes primo ſuſceptum, ſex ipſos annos tenuit, nec Papa illud probante, nec Baſileenſibus. An probandum ſit, necne, non eſt nobis neceſſarium diſcutere hoc loco. Ut ut enim ſe res iſta habeat; certo tamen argumento eſt, hæc contra Eugenium decreta non fuiſſe a Germanis acceptata.

36. Anno 1439. in frequentiſſimo Ordinum Imperii conventu Francofurto Moguntiam translato, Principes Germaniæ inſtantibus Legatis Baſileenſium acceptarunt omnia Concilii Baſileenſis decreta, exceptis iis, *quæ ad judicium contra Papam quoquo modo ſpectarent.* Hoc factum 26. Mart. a. e .. Poſt tentatam a Baſileenſibus 26. Junii exauctorationem Eugenii, miſſi iterum ad Comitia Moguntina Legati eorum obnixe egerunt omnia, ut ab Imperii Ordinibus obtinerent ſententiæ a ſe latæ acceptationem: ſed repulſam paſſi ſunt, Principibus neutrius partis ſtudium adhuc retinendum ſtatuentibus. In quo conſilio ſe magis obſirmarunt in Francofordienſi conventu, poſt Albertum Cæſarem 27. Oct. mortuum, congregato: in quo 4. Februarii 1440, Fridericus, Auſtriæ Dux, Cæſar renuntiatus, Legatis Baſileenſium eodem convolantibus, ut electum a ſe Amadæum admittendum urgerent. Cæſaris novi, & Principum nomine nihil aliud reſponſum, niſi, non poſſe ſe ab illis, quæ prius ſtatuerant, recedere: daturos tamen operam pro viribus, ut procuretur pax, & quies Eccleſiæ.

37. Anno 1441. Conventus iterum Moguntiam ad diem 2. Februarii indictus fuerat, qui non modo Legatorum Cæſaris, & Ordinum Imperii affluxu, ſed & Regum, ac Principum exterorum legationibus ſplendidus fuit Qui a Felice V. quaſi Legatus a latere eo miſſus fuerat Cardinalis Arelatenſis, & alii quidam Cardinales, ad alloquium ea tantum lege admiſſi ſunt, ut ille legationis inſignia, hi purpureos Galeros domi relinquerent. Tridentinum Epiſcopum, quem Cardinalem, & Patriarcham Aquileenſem appellabant, Viennam a Baſileenſibus legatum, Cæſar ſine rubro pileo venire juſſum, ſuſcepit: Nuntii, a Baſileenſibus ad explorandos Principum animos per Germaniam dimiſſi, renuntiaverunt, majorem Principum partem inclinatam eſſe ad Eugenium. Poſſent complura alia adduci, ex quibus elucet, Germaniæ Principes, ac populos iſta adverſus Eugenium judicia Baſileenſium & antequam fierent, exhorruiſſe, modisque omnibus impedire conatos; & poſtquam facta ſunt, acceptare conſtanter renuiſſe.

38. A Germanis progrediamur ad Gallos. Quamquam enim Vindex illorum auctoritatem, dum ſibi adverſantur, nullo loco ducendam pronuntiet, *Princip. 5.* Hic tamen eos pro ſe allegat: videamus, quam vere. Simon Vigorius quidem, ex quinque fundatoribus novæ Eccleſiæ Janſenianæ non poſtre-

mus, prædicat, a Gallis Basileense Concilium, tamquam regni Gallici Palladium, habitum fuisse, ejusque Decreta tanti æstimata, ac si de cœlo ad reformationem integræ Ecclesiæ delapsa essent. Sed mendacii convincit hominem Conventus Episcoporum, & Procerum Galliæ non multo post electionem Amadæi Biturigas a Rege Carolo VII. evocatus: In quo Rex, cum Episcoporum, & Procerum multitudine, auditis hinc Eugenii, inde Basileensium legationibus, re mature cum suis discussa, Die 2. Septembris per Episcopum Claromontensem exprobrari imprimis jussit Basileensibus, quod a se moniti, & rogati diligentissime nuntiis, & litteris, ut a judicio contra Eugenium superfederent, illi nihilominus spretis suis precibus Pontificatu illum dejecerint, & alium subrogaverint. Deinde declarat se ex consilio conventus statuisse perseverare in obedientia Eugenii Pontificis, nec alium recognoscere Romanum Pontificem, quam Eugenium &c. Laboraverit conventus hic alio quodam vitio, propter quod reprobrari meruerit: quod non est hujus loci discutere: tamen liquet ex eo, Basileensium contra Eugenium judicia neque a Galliæ Rege Carolo VII., neque ab Episcopis, neque a Proceribus, ac proinde neque etiam a populo fuisse acceptata. Ex quo concludit Duvallius Doctor Sorbonicus *Tract. de Supr. Rom. Pontif. Potest. in Proœm. Q. 3.* pessime multos sua ætate sibi, aliisque persuadere, instar Palladii a majoribus habitum Conc. Basileense; cum habitum potius fuerit instar equi Trojani, & Sejani.

39. Ne tamen subdole aliquid reticere velle videar; non inficiabor, Galliæ Episcopos alio conventu, 30. Jan. 1432. in eadem urbe Bituricensi habito, censuisse, Concilium Basileæ legitime inceptum, ibi potius continuandum, quam alio transferendum. At non depositure propterea debitam Pontifici obedientiam, sed Legatos ad eum destinaverunt, rogaturos; ut pro Reip. Christianæ commodo dissolutionem Ccii revocet, sinatque Basileæ esse Concilium.

40. Credidissesne, mi Theodulphe, tot in paucis, quæ ex Vindiciis protuli (*h. §. n 2. & 13.*) verbis delitescere fallacias, a vero longissime remotas? An non miraris, hæc a tanto viro ea fronte potuisse in orbem literatum spargi, proinde ac si vel periissent omnia historiarum monumenta, ex quibus argui falsitatis posset; vel neminem ullum credidisset existere, qui hæc ei ponere ob oculos auderet; sed omnes IPSI DICENTI cæce assensuros existimasset. Videri posset forte quibusdam, fuisse satis futurum, si in falsitates istas digitum paucis intendissem. Verum quia non solus Vindiciarum scriptor, sed alii etiam, nempe Simonis Vigorii nepotes, hoc in argumento Decreta ista Constantiensia, & Basileensia vafritie summa ita objiciunt legentium oculis; ut nihil facilius sit, quam in fraudem adduci minus peritos: propterea non indicandas solum, sed pro viribus etiam refellendas istas offucias duxi.

41. Auctoritatem demum trium Clarissimorum ex S. Dominici familia lumi-

luminum appellat pag. 21. N. VIII. lit. h. Sunt hi Joannes de Turrecremata Card., Sylveſter Prieras S. Palat. Mag., Franciſcus Victoria Pariſienſis. Primi auctoritatem a Natali Alexandro muniri ait auctoritate Cardinalium Clementis Moniliani, & Michaëlis, poſtea S. Pii V.

42. Si ſequi vellem Princip. IV. & V. Vindicis, & legem ab eo latam pag. 18. N. V., nihil foret facilius, quam diſſare omnes iſtas auctoritates. Franciſcus Victoria enim fuit Gallus; Galli autem non debent in hoc negotio ſuſcipi, Ipſomet dicente; omnes fuerunt privati, & Recentiores. At fuere tres inter illos Cardinales. Fuit etiam Baronius Cardinalis; cui tamen propterea auctoritatem publicam tribuendam non putat Vindex. Sed perpendamus ipſorummet dicta.

43. Turrecremata Lib. 3. Sum. de Eccleſ. Cap. 10, nihil aliud aſſerit, quam Cciorum congregationem utilem eſſe ad refrænandas exorbitantias quorundam Pontificum, qui Pontificatum ſuum aut ſpretis SS. Patrum regulis pro voluntate exercent, aut ſimoniaca pravitate dehoneſtant, aut ſæculi vanitate, & vita ſcandoloſa confundunt. Nihil dicit de Pontificum exorbitantiis refrænandis per exauctorationem; de qua ſola hic quæſtio eſt. Aut forte ad perſanandas, vel refrænanda capitis vitia aliud medium non ſupereſt; niſi ut illud amputes? At pergit Card. Turrecremata: „Hujus cauſa congregatum legitur Ccium „Epiſcoporum Italiæ per Imperatorem Romæ contra Joannem XII, qui venator, & lubricus publicus, & incorrigibilis erat. „Hæc dici non nego; fateor etiam Conc. iſtud potuiſſe eum ad finem eſſe perutile, ſi PP. intra præſcriptos a jure terminos ſe continuiſſent. Subjungit ibidem Turrecremata ex Hormiſdæ Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ hæc verba: „Difficile eſt ut cujuſquam cor ſic „induretur, ut in ſe patiatur culpandus fieri; cum noverit judicium ſubeundum „Concilii. „ Verum Hormisda non loquitur de judicio Concilii, quod Papa, ſed quod alii inferiores Papa ſubire debeant. Manifeſtum id erit cuilibet legenti Epiſtolam totam *apud Hardu. T. I. pag. 1019.* Cæterum quæ fuerit Turrecrematæ de ſuprema Rom. Pontificis poteſtate, nulli humano judicio obnoxia, ſententia, oſtendit in Apologia pro Eugenio IV a ſe in Conc. Florentino dicta. Niſi idem Card. de Turrecremata, ubi vel obſcuriſſime videtur favere Vindici, ſummus; ubi aperte adverſatur, nullus eſt. Eſt hoc ipſi ſolenne.

44. Sylveſter *in. Sum. Verb. Papa*, hæc habet: „ Quod ſi Papa ſuis mo„ribus deſtruit Eccleſiam Dei, poteſt convocari Ccium contra ejus voluntatem; „ut per illud Papa moneatur, & Deus invocetur, & reſiſtendo malis remedium „apponatur. „ Nullum hic de Papa exauctorando verbum. Reſiſtendum ſane malis, ſive morbis languentis Capitis, & his reſiſtendo remedium apponendum. Aſt præcidere caput eſtne malis ejus remedium apponere? Alia media præſcribit Sylveſter, ceu Medicus, non carnifex; *ut Papa moneatur, & Deus invocetur,*

vel ad inflectendum ſua gratia Papæ cor, quod in manu Domini eſt; vel ad exorandum aliud a Divina Providentia ſua remedium.

45. Franciſcus Victoria *Lib. de Poteſt. Pap. & Conc. prop. 23.* loquitur in hæc verba: „Propter injuſtas diſpenſationes, vel alia mandata inſolentia, quæ „in perniciem Eccleſiæ procedunt, poſſet convocari, & congregari Ccium, con„tra voluntatem Papæ, ut ei reſiſteret, & obviaret.„ Et laudat Sylveſtrum, ac Turrecremata, inquit Nat. Alexander Bene habet. Si hos laudat; loquitur ex eorum ſententia. Quod igitur de his duobus dictum, etiam de Franc. Victoria dicendum. Idem Franc. Victoria Relect. 4. prop. 5. Sententiam Gerſonis, plus poteſtatis Ccio, quam Pontifici tribuentem, non dubitat vocare haud procul diſtantem a Schiſmate, imo peſtilentem.. Gerſonis pietatem, & eruditionem veneror, ejuſque ſententiam tempore Schiſmatis ſcriptam, dum tres de Pontificatu contenderent, non reputabo plane pro eo tempore fallam, ſi ejus ſubſtantiam ſpectemus. Hoc volo duntaxat arguere ex iſto Franciſci Victoria dicto, nulla ratione favere eum cauſæ Vindicis. Imo illam tota illa prælectione acerrime impugnat.

46. Vindiciarum Scriptor pag. 35. N. XXIII. ſupercilium attollens ratiocinatur pro more ſuo gravitate Pythagorica in hunc modum: „Papam potuiſſe „ſuo genio vivere, omnia ſuſque deque vertere in ſpiritualibus, & temporali„bus, omne judicium defugere, modo non eſſet hæreticus, aut in Schiſmate „electus... Ex nullo genuino canone oſtendi poteſt.„

47. Genuinum canonem non unum attulit Vindicis Antitheſiſta, ut oſtenderet, Papam certum, ab univerſa Eccleſia acceptatum, nec ſponte juri ſuo cedentem, lege nulla adſtringi ab ſubeundum ullum judicium humanum, ſive Imperatoris, ſive Synodi aut particularis, aut univerſalis; niſi deprehendatur a fide devius. Ad iſta quam nihil aptum Vindex reſpondeat, mox videbimus *§. ſeq...* Oporteret ab ipſo proferri genuinam legem, aut Canonem, quo cogatur ex neceſſitate Papa ad ſubeundum Synodi, præſertim particularis, judicium. Ejuſmodi genuina lex nullibi exſtat, niſi in Pythagoræ veſtri cerebro. Nullam certe protulit hactenus, nullam proferet unquam.

48. Non tamen inde conſequitur, poſſe Papam ſuo genio vivere; omnia ſuſque deque vertere in temporalibus, & ſpiritualibus; omne judicium defugere. Ut enim nulli obnoxius ſit humano judicio, divinum tamen nec vivus, nec mortuus effugiet; ubi ſeveriſſimam factorum ſuorum cogetur rationem reddere, ac pœnas tanto graviores dabit, quanto ſublimiori in faſtigio collocatus, pernicioſo ſuo exemplo plus aliis nocuerit. *Potentes potenter tormenta patientur.* Neque in hoc plus difficultatis eſt, quam in Regibus, & Principibus, nullum in terris Superiorem habentibus. Quibus, etſi nullo humano judicio poſſint coerceri, non tamen licet, quod libet.

49. „Quid

49. „Quid ſi, interrogat Vindex *pag. 23. N. XX*, Exim. Antitheſiſta „tunc fuiſſet Theologus Ottonis M., conſultusque deſuper reſpondiſſet, nefas „eſſe reſiſtere Pontifici extra duos caſus, committendum illum ſolius Dei judi„cio, non poſſe illum dethroniſari, etiamſi monita ſperneret, perniciemque „ultimam & Romæ, & Imperio in temporalibus inferret, quia per hoc non„dum eſſet hæreticus. Quid factum fuiſſet Eccleſiæ Romanæ, & Imperio, ſi „Otto per ſimplicitatem ſuo Theologo credidiſſet?„ Hoc habet Antitheſiſta! quo ſe jam vertet?

50. Si quem tunc Otto in illo ſuo doloris, juſte quidem ex Joannis in ſe perfidia concepti, æſtu conſuluiſſet Theologum gnavum, & cordatum; potuiſſet is quidem reſpondere, nefas haud eſſe reſiſtere Pontifici cum hoſte colludenti, ita tamen, ut non tranſiliret poteſtatis ſuæ terminos. De præcipitando autem e throno Pontificio Joanne ſi conſultus fuiſſet; debuiſſet omnino, propoſito ſibi etiam capitis periculo, cum reverentia omni, libere tamen, S. Joannis Baptiſt. exemplo reſpondere: *Non licet tibi* Cæſar. *Non licet vobis* PP. ex particulari Rom. Provincia conſcripti. Simplicitas alia eſt prudentiæ expers, quæ vituperio; alia carens dolo, non prudentia, quæ laudi eſt, & commendata a Chriſto Domino dicente. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Quod ſi ergo Theologo ſuo hæc reſpondenti credidiſſet Otto; fuiſſet illa prudens, & ſancta ſimplicitas.

51. Heus tu autem, quid tum factum fuiſſet Eccleſiæ Romanæ, & Imperio? Detrudi ſolio ſuo Joannem nec neceſſarium, nec conveniens fuit mali perſanandi remedium. Non neceſſarium; quia Cæſari tam potenti non deerant alia Imperio, ſi periclitabatur, ſuccurrendi media. Eccleſiæ fides non periclitabatur; quia nulla tum exorta hæreſis memoratur ab iſtius hiſtoriæ ſcriptoribus. Si Eccleſiæ diſciplina periclitata fuit; poterant adhiberi media, quæ adhibita fuerunt ſimili in calamitate temporum alias. Non fuiſſe etiam conveniens remedium, patet. Uti enim in infirmitatibus corporis ſi accommodatam ſtatui morbi medicinam non porrexerit Medicus: non levatur malum, ſed magis ingraveſcit: ita & irritatus violento, atque alieno remedio iſto morbus invaluit ferocius; atque invaluiſſet magis; niſi Deus, cujus ſolius judicio reſervabatur Joannes, medelam attuliſſet præſentiorem. Sed ne ſublato quidem e vivis Joanne extinctum fuit ſchiſma, ſed fuccrevit, Deo permittente, ex primo alterum, Benedictum V. nter & Leonem VIII. Quod non niſi Benedicto cedente, & Leone vita functo, tandem ſedatum eſt. Tam pernicioſa res eſt Schiſma. Incendi facile poteſt, ægre extingui.

52. Favete Linguis. Perorat pag. 42 ead. ad calcem Nri XX. „An „Theologus Ottonis reſpondere debuiſſet ex irreperibilibus dictis Bonifacii M. „apud Gratianum Can. 6. *ſi Papa* Diſt. 40. *Papa culpas iſtic redarguere præſumit*

„*mortalium nullus, tametſi innumerabiles populos catervatim ſecum ducat in Gehen-*
„*nam, quia cunctos ipſe judicaturus a nemine eſt judicandus, niſi deprehendatur a fide*
„*devius?* An propter hunc fragilis auctoritatis textum Joannes XII. in ſuo fu-
„rore, veſania, & vaſtatione Eccleſiæ relinquendus fuiſſet, donec ipſum Deus
„e medio ſuſtuliſſet?„

53. Debuiſſet omnino reſpondere ita Ottonis Theologus. Non poſſint reperiri iſta Bonifacii M. dicta, quæ reperiuntur apud Gratianum; ſint plane conficta, ſi vis. Quid noſtra? Nec Ivone, nec Burchardo, nec Iſidoro, nec Gratiano nititur, aut indiget Eccleſia Catholica. Nec plus auctoritatis tribuimus iſtis, quam per ſe ſe habeant illa, quæ proferunt. Hæc ſi falſa probentur, non pluris eos facimus, quam Pythagoram. Interim confer illa, quæ feruntur, Bonifacii M. dicta cum Matthæi Capite 23. *ſuper Cathedram Moyſi* &c. videbis congruere ad amuſſim. Si fragilis igitur auctoritatis iſte apud Gratianum textus eſt; fragilis pariter auctoritatis eſt ille textus apud Matthæum. Non tamen propterea relinquendum fuiſſe in ſuo furore Joannem dico. Poterat is cohiberi remediis aliis opportunis.

54. Vocem nunc tollens altius exclamat ibidem: „Teneat talia, qui
„volet. Nos tenemus, ab ovili Chriſti arcendum eſſe quemlibet, qui ex Paſtore
„fit lupus, ſive lupus fiat propter hæreſin, ſive propter alias cauſas; ſatis eſt,
quod ſit lupus. „ DIXIT, & hoc dicens forte inſtar Jovis in Lycaonem irati apud Ovid. L. 1. Metam. (a)

Terrificam capitis concuſſit terque, quaterque
Cæſariem; cum qua cœlum, mare, ſidera movit.

(a) Lycaoni a Græca voce λύκος, *lupus*, nomen impoſuerunt Poëtæ; eumque ob crudelitatem, morumque feritatem in Lupum a Jove mutatum fingunt.

55. Magnum profecto oſtendit zelum pro ovili Chriſti. Optem & ego, crede mihi Theodulphe, & vehementer optavi pridem, ab ovili Chriſti arceri quemlibet, qui ſive ex paſtore, ſive ex ove fiat lupus. Sed meum zelum non eſſe ſecundum ſcientiam, didici ex Patre-familias dicente: *ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem: & in tempore meſſis dicam meſſoribus: colligite primum zizania &c. Matth. 13.* ℣ 30. An vero ipſius zelus ſit ſecundum ſcientiam, videamus. Utinam, O noſter Pythagora, præſens adfuiſſes ſermoni Domini habito ad turbas, & diſcipulos Matth. 23. *ſuper Cathedram Moyſi* &c. Tum tu finito ſermone acceſſiſſes, blande Dominum compellans: Magiſter bone, ut tu nobis depingis Scribas, & Phariſæos, veniunt ad nos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A quibus nobis attendendum monuiſti nuper. *Matth.* 7. ℣. 15. Quin ergo jubes eos præcipites dari de Cathedra Moyſi? Dicunt nobis quidem, quæ præcepit Moyſes. Quid tum? ſunt tamen lupi:

lupi: hoc ſatis eſt. Reſpondiſſet, ni fallor, divinus Magiſter: Neſcis, cujus Spiritus ſis: ſicut ſimili reſponſo præcoquum diſcipulorum zelum repreſſit *Luc. 9. ℣. 55.*

56. Queritur pag. 31. N. XX. negari aſſertum ſuum ab Antitheſiſta contra allegatas ſuas auctoritates N. VIII. lit. h, & N. XVII, imo contra ſanum ſenſum. Auctoritates ab ipſo allegatas appendimus in ſtatera. An quidquam pro ſuis aſſertis ponderis habeant; judicent, quorum eſt. Card. Juliani, credo, auctoritatem deſpectam dolet. Sed tantum abeſt, eam ut deſpiciamus; ut longe præferamus cæteris, quas allegavit, omnibus, ac ſumme veneremur (*b.* §. *n. 11.*) Negat aſſertum antitheſiſta contra ſenſum Vindicis. Sed an ejus ſenſus ſolus ſanus? an aliorum omnium, IPSI dicenti non aſſentientium, inſanus? An ipſius ſenſus ſanior, quam Synodi VIII. Oecumenicæ ſub Adriano II, & tot aliarum, quarum mentionem partim fecimus, partim faciemus?

57. Sed tandem a me exſpectabis, Theodulphe, ut ediſſeram, quo demum modo malis, & incommodis occurrere poſſit Eccleſia, quæ promanare in Dei populum contingeret ex male feriati Pontificis moribus. Nihil dicam PRÆSIDEME, ſed quæ in veterum monumentis inveni, referam. Poſſet congregata Synodus monere cum reverentia Pontificem, eumque exhortari ad morum emendationem. Fecit id cum aliquot Cardinalibus S. Bruno Signienſis, Paſchalem II. reverenter admonens, ut refert Petrus Diac. *Lib. 4. Chron. Caſſin. C. 42.* Eodem reverentis admonitionis officio functus eſt Wilhelmus Reomanenſis Abbas erga Joannem XIX, data ad illum Epiſtola verecunde monitoria, &, ut ait, filiationis diligentia, filiali dilectione. Hanc Epiſtolam Glaber *L. 4. Hiſt. C. 1.* inſeruit, S. Bernardus Abbas Clarav. multa præclara monita, materno, ut inquit, affectu ſuggeſſit Eugenio *in Libb. de Conſid.* Poſſent & Principes Pontificem arguere, obſecrare, increpare, ad officium ut redeat. Quod ab Ottone M. factum non ſemel in Joanne XII, omni reprehenſione caret. Ita cum Alexander VI. non ea, qua parerat, morum integritate Romæ viveret; Emmanuel, Luſitaniæ Rex, & Ferdinandus Rex Catholicus Legatione Romam miſſa, non illata vi, non intentatis minis, ſed cum veneratione gravitati admixta admonuerunt officii Pontificem: nec inani opera, ut narrat Oſorius *Lib. 1. de Rebus Emman.* Quemadmodum autem quivis mortalium lege tam naturali, quam divina obſtringitur, ut declinet a vitiis, pravos mores corrigat, ſalutaria conſilia non contemnat: eadem lege, quæ neminem habet eximtum, tenebitur & ipſe Romanus Pontifex. Quod ni faxit obſtinato in malitia animo, invocari Deus poſſet, ex Sylveſtri ſupra nominati conſilio; ac divino eſſet permittendus judicio.

§. 2. *Quomodo argumenta ſibi oppoſita ſolvat.*

1. Ad lapidem lydium ſi examinaveris omnia, quæ pro Theſis ſuæ cauſa peroravit acer Patronus; videbis, Theodulphe, alia eſſe (ſi pluſculum aliquid, quam mercantur, largiri iis volueris) leviſſimi ad ſummum ponderis; alia nullius; alia nihil juvare ipſius cauſam; ſed potius nocere ei plurimum. At forte peſſumdedit penitus ſui Antitheſiſtæ momenta. Aut forſitan in illum conveniet, quod de Lactantio ait D. Hieronymus *de Script. Eccleſ. it. Epiſt. 13. ad Paulin.* Lactantius, quaſi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit. At vero, quam parum Noſter confirmare ſua potuit, tam parum deſtruxit aliena. Adverte animum, Theodulphe! Sed noli obliviſci, quod ſemper debes memoria tenere: non quæri, an *facti veritas* a multis probata ſit; ſed an factum hoc *velut jure factum* approbandum, aut approbatum ſit; & a cujus auctoritatis ſcriptoribus.

2. Bonus Antitheſiſta magnum quid præſtitiſſe ſe exiſtimavit; dum ei oppoſuit auctoritatem nobiliſſimorum hiſtoricorum, Hyacinthi de Graveſon, Pagi, Du Meſnil, Natalis Alexandri, Cardinalis Baronii, Petri de Marca Archipræſulis Pariſienſis, qui jure factum negant. Horum ille auctoritatem. (*Proœm.* §. *5. n. 32.*) non curat, quia ſuſpecta, nec coæva, nec ſuppar, nec nixa auctoritate publica. &c. Præponderantem his opponit auctoritatem minime ſuſpectam, coævam, aut ſupparem, nixam auctoritate publica, vel ſenſu communi Eccleſiæ, aut Doctorum ejus temporis. Quoſnam ergo producit tam graves auctores, qui velut jure factam depoſitionem Joannis XII. approbent? Jam meminiſti, Theodulphe: Continuatorem Luitprandinum, ignotum nobis hominem, & cui ipſemet non ſatis fidit; Continuatores Reginonis, quos credit fuiſſe aſcetas Prumienſes, non audet tamen aſſerere, certo igitur nobis ignotos. Auctorem Geſtorum Trevirenſium, non minus privatum, & quem Ottoni minime coævum fatetur *pag. 19. N. VIII. lit. d.*, Sigebertum Abbatem Gemblacenſem (Non in terra noſtra Leodienſi, ut ipſe ait, ſed Brabantina; quod tamen facile ipſi erratum condono; nec eſt ad rem) Quem hominem! quod Lumen Eccleſiæ! Noſti, Theodulphe: Schiſmaticum, & mendacem! His addit PRÆSIDEM SE, qui unus eſt inſtar mille aliorum. Pudet me tui, & auctoritatum a te allegatarum, miſer, & ſimplex Antitheſiſta. Ad auctoritatum ab Ipſo allegatarum ſplendiſſimum lumen tuæ evaneſcunt, ut ad ſolis ortum minores ſtellæ. Serovenit Du Meſnelius tuus, e pulpito ſuo dicens, quadraginta Epiſcopos in illa Synodo factos Excommunicationi obnoxios. Duplex præterea in iſto homine eſt grave vitium, quod & Jeſuita ſit, & Gallus. *Princip. V.*

3. Audi vero, Theodulphe, quam egregie Cardinalis Baronii auctoritatem exoſſet. pag. 18. N. VI. Ubi inquit ore ad omnem majeſtatem compoſito:

ſito: „ De magno hiſtoriæ Eccleſiaſticæ parente Cardinale Baronio ſentimus, illum „maximi nomen meriturum fuiſſe: ſi intra eos fines manſiſſet, quos ſibi velut „hiſtorico præſcripſit Otto Friſingenſis Epiſc. Lib. 6. Cap. 3. in hac ipſa cauſa „Joannis XII, dum relata breviter hiſtoria ſic ſcribit: *Quæ omnia utrum licite, „an ſecus acta ſint, dicere, præſentis non eſt operis. Res enim geſtas ſcribere, non „geſtarum rerum rationem reddere, propoſuimus;* ſi, inquam, Baronius in his, & „in pluribus aliis non diſputaſſet ſuper jure, cum jura ex profeſſo non didice„rit, multo minus JCtus graduatus fuerit. Hiſtoricus, qui ſuper alio, quam „facto diſputat, evadit advocatus, aut ſectator partium. Videbimus autem, „quam male propriæ ſuæ Eccleſiæ Romanæ in diſputatione hac proſpexerit Cæ„ſar Baronius. „Magnifice! Baſilice! Habet, peractum eſt; truncus in ter„ram cadit Baronius.

4. Propoſuerat ſibi Otto Friſingenſis, res geſtas ſcribere, non geſtarum rationem reddere. Nec dubium, quin ſuas, cur id faceret, rationes habuerit. Ergo intra eosdem terminos manere debuiſſet Card. Baronius. Optima concluſio! Propoſitum fuit Baronio, Libris Centuriatorum Magdeburgenſium, ex factis partim veris, partim falſis varias contra Eccleſiam Catholicam concluſiones deducentium, opponere hiſtoriam Eccleſiaſticam integriorem; ac Magdeburgenſium commenta convellere. Sed quid hoc eum attinebat? Siviſſet Magdeburgenſes ex Hiſtoricis evadere advocatos, & ſectatores ſuarum partium. Partium Catholicarum defenſionem permiſiſſet venturo poſt ſæculum, & amplius JCto graduato; quſi Eccleſiæ Romanæ non ita male, ſi ſuperis placet, proſpiceret. Tum enimvero maximi nomen meriturus fuiſſet. Sed tandem ſerio, Theodulphe. Ponamus tantiſper Card. Baronium jura ex profeſſo non didiciſſe, nec JCtum graduatum fuiſſe: Putaſne, jus ab injuria ſecernendi vim eſſe in JCti graduati pileo & pallio academico? Eruditio & ſanum judicium, niſi ſtudio, atque indefeſſa bonorum librorum lectione comparata fuerint; neque ex pileo deſcendent, neque ex pallio in cerebrum aſcendent. Magnorum ſtudiorum, lectionis prope infinitæ virum fuiſſe Baronium, loquuntur paginæ ejus ſingulæ. Plus ſolidæ eruditionis in quarta paginæ cujuſvis parte reperias, quam in totis ICti illius graduati Vindiciis. Petrus Couſtant. in ſuæ Præfationis *Part. 3. §. 11. pag. 141.* hoc Baronio tribuit encomium. „In hoc ſtudio „inſignem præ cæteris laudem tulit Card. Baronius; cujus annales jure dixeris „locupletiſſimum literariæ rei penum.„ Et crede mihi, poſtquam illius ICti folia in piperis cucullos converſa, aut aliter abolita fuerint; fulgebunt in Bibliothecarum quarumlibet nobiliorum forulis volumina Baronii.

Quandoquidem igitur ceſſit Ipſi ex ſententia, alienas auctoritates tam facile ut deſtrueret; progrediamur ad reliqua. Antitheſiſta ſtatuerat hunc ſyllogiſmum; „ Inferior non poteſt judicare, multo minus deponere ſuperiorem;

„Synodus autem particularis (talis erat, quæ Joannem XII. depoſuit) eſt Ro„mano Pontifice inferior. Concludit Nat. Alexander: Non potuit ergo Ro„mana Synodus, ex quibuſdam ſolum Italiæ, & Germaniæ Epiſcopis congre„gata, Joannem XII. Pontificem Max. deponere. Majorem, pergit Antithe„ſiſta, in hoc Syllogiſmo propoſitionem qui aut neget, aut in dubium vocet, „non arbitro eſſe aliquem. „ Vulgo credebatur hactenus, eſſe hoc certum juris tam naturalis, quam divini poſitivi, & humani tam ſacri, quam civilis principium. Ipſius autem ingenium, ſupra vulgus deſpectans, modum reperit, quo illud deſtrueret.

6. Ac primo quidem agit per cuniculos. Cum obmoviſſet ei Antitheſiſta ex Concilio Romano ſub Adriano II. ſcitum hoc: „Propter quam (hæ„reſin) ſolum licitum eſt minoribus Majorum ſuorum motibus reſiſtere, vel „pravos motus reſpuere. „ Reſpondet: „utique ſolus hæreſeos caſus licitum „facit minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtere. „ Hæc *pag. 30. N. XVIII. Poſt pag. 31. N. XX.* „Atqui tamen, exclamat, Papa exauctorabilis „eſt! 1. ſi, quod nunquam contigit, hæreticus fieret. 2. in Caſu ſchiſmatis „Paparum; ut fatetur Antitheſiſta. „ Sed quorſum iſta? Mihi videntur eo iſta tendere, ut Antitheſiſtam ſuum tacite remittat ad verba Adriani II, quaſi confitentis, principium iſtud non eſſe uſquequaque firmum; ſiquidem caſus hæreſeos, & ſchiſmatis Paparum licitum faciat minoribus, majorum ſuorum motibus reſiſtere.

7. Id ſi facit, ut facere non occultiſſime videtur, ingenioſus eſt profecto. Eadem enim arte ex Evangelio perſuadere nobis poterit, cæcos videre, ſurdos audire, mutos loqui. Quis niſi plane truncus, & caudex, non intelligit, illa Evangelii verba non accipienda de iis, qui etiamnum cæci, ſurdi, muti ſint, ſed qui ante fuerint. Eodem prorſus modo etiam in caſu hæreſis licitum ſit minoribus, reſiſtere eorum motibus, qui majores eorum antea fuerint, ſed jam non ſint amplius. Papa enim ſimul atque in manifeſtam hæreſin incideret; deſineret eſſe Papa, caput Eccleſiæ, & major. Relege, niſi moleſtum eſt, dicta *Proœm. §. 3. n.* 1. Similiter in caſu Schiſmatis Paparum dubiorum nullus eſt certus Papa, ac proinde nec certe major. Pro tertio caſu ſolius incorrigibilis deformitatis morum, quem IPSE addit, non ſolus Antitheſiſta, ſed omnes Catholici negant Papam judicari poſſe, atque exauctorari *a minoribus*. Ipſi usque adeo, qui Pontificem ab univerſali Ccio judicari, & deponi poſſe defendunt ſtatuunt pariter, Conc. Generale eſſe Papa ſuperius, ut recte monuit Antitheſiſta.

8. Dum cuniculis nihil proficit; admovet deinde palam arietem, quo iſtud vulgi indocti judicium evertat. Sed nequam ille aries, impellentis ſe manui refractarius, magis ſtabilit ipſius ingratiis, quod debebat evertere. Audiamus

Ipſum

Ipſum loquentem. „Hic, ait, fruſtra fit argutia: Minor non poteſt condem„nare majorem. Sufficit enim, quod jus aliquando velit majorem judicari ab „his, quibus præeſt, & parem a paribus, ut in Feudalibus pares Curiæ ju„dicant & ſeniorem, & Convaſallos. Provide in Cap. 16. de M. & O. addi„tum eſt to *regulariter*, ad denotandum dari caſus exceptos: *Cum inferior ſupe„riorem ſolvere nequeat, vel ligare, ſed ſuperior inferiorem liget regulariter, & ſol„vat.* pag. 34. N. XXII.„ Notemus tantiſper duo. 1. Ipſum etiam Feudi Dominum directum judicari a paribus Curiæ, non auſus eſt dicere; quod maxime tamen huc pertinuiſſet. 2. Juris, aut potius legitimi Legislatoris, & Majoris eſt, caſus a communi regula excipere, non privati hominis, & minoris. Pergamus audire prædicantem cætera.

9. „Equidem, pergit ibid., poſt canonem 9. Chalcedonenſem. II. Q. „1. c. 46. Metropolitanus aut a Primate, ſi quem infra Patriarcham habuit, „aut Patriarcha ſuo, conſequenter in Occidente a Romano Pontifice judican„dus erat; reſtituit autem Baſileenſe Concilium Synodo provinciali *majoritatem* „in Metropolitanum ſuum eatenus ſaltem, ut illa in hunc aberrantem inquiſi„tionem habere poſſit. Hic ceſſat illud: minor in majorem non habet inqui„ſitionem. Sive enim Synodus provincialis minor ſit ſuo Metropolitano, ſive „major; jus, *omnibus majus*, dat illi inquiſitionem. Sicut quoque in Synodo „provinciali, dum Suffraganeus damnat collegam ſuum, ceſſat iſtud: par pa„rem non judicat. Quia canon dedit poteſtatem pari judicandi in Synodo pa„rem.„ Hæc ille.

10. Equidem contra Canonem 9. Calced. hac vice nihil excipiam. Patiar etiam valere auctoritatem Decreti Baſileenſis: *Pridem.* An canones dent Epiſcopo pari poteſtatem in Synodo judicandi, & exauctorandi parem, alibi videro. Tantum animum applica, Theodulphe, ad id, quod erat demonſtrandum. Propoſitio demonſtranda erat hæc: *Hic fruſtra fit argutia: minor non poteſt damnare majorem.* Verum tota ratiocinatio hujus ICti graduati ſtabilit, quod ſibi propoſuerat evertendum. Nam *Jus*, (nota hoc bene, Theodulphe) *Jus, quod majus eſt omnibus*, (& verba iſta cave amittas ex oculis) *vult aliquando* majorem judicari ab his, quibus præeſt, & parem a paribus. Ergo minor judicare majorem non poteſt, niſi pro caſu excepto, in quo jus, *quod eſt majus omnibus*, & a *majore* poteſtate proficiſcitur, id velit. Si minori igitur jus aliquando concedat judicare majorem (Idem judicium eſto de pari in parem) minor non auctoritate ſua, ſed auctoritate juris, *quod majus eſt omnibus*, judicat majorem. Itaque reipſa non minor, ſed poteſtas *major*, quæ jus condidit, judicat ſe inferiorem, etſi majorem altero delegato. Quis neſcit, in Cciis Oecumenicis non ſemel Legatos Pontificios, qui nonnunquam erant unius duntaxat Diœceſis Epiſcopi, nonnunquam Presbyteri, nonnunquam Diaconi, judicaſſe,

damnaſſe, exauctoraſſe Patriarchas, aliosque ſe majores? Aſt auctoritate non ſibi propria, ſed a ſummis Pontificibus ſibi delegata, auctoritate B. Petri Apoſtoli (Quod familiare Conciliis idioma eſt) reſidente in moderante tum Eccleſiam B. Petri ſucceſſore. Delegatus autem a majore quod facit, facit reipſa Major. Iſta igitur ICti ratiocinatione non evertitur ille receptiſſimi axiomatis coloſſus, ſed ſtatuminatur magis, & firmatur.

11. Ipſius etiam Conc. Baſileenſis Decretum, ab ipſo allegatum, eandem rem magis confirmat. Si enim *Majoritatem*, per Canonem 9. Chalcedon. Ccii nutantem, eatenus reſtituit Synodo provinciali in ſuum Metropolitanum; ergo minori, provinciali videlicet Synodo, conceſſit major, nempe Synodus Baſileenſis, in Metropolitanum ſuum inquiſitionem; & eatenus majoritatem. Duplici ergo craſſo vitio laborat ICti graduati noſtri argumentatio: nimirum quod non inferat negatum, ſive non probet, quod erat probandum; deinde quod probet prorſus contrarium illi, quod probandum propoſuerat.

12. Nec prætereunda ſine animadverſione altera vel inſcitia, vel ſaltem verborum confuſio, qua videtur poteſtatem inquirendi confundere cum poteſtate judicandi, & damnandi, quaſi vero duo hæc, toto inter ſe cœlo diſtantia, unum, idemque forent. Sæpe committitur quibusdam inquirendi, ac judicem de rei ſtatu, pro ut repertus fuerit, erudiendi provincia, ſine poteſtate ulla judicandi. Inquiſitio, ſive examen cauſæ commodius plerumque inſtitui poteſt in loco, ubi orta eſt. Sunt enim illic præſentes teſtes, veſtigia, atque indicia rei geſtæ, aliaque juris adminicula, quæ in loco judicis, longius diſſito, non æque in promptu ſunt. Cauſæ examinatæ, atque inſtructæ judicium fieri poteſt vel alibi, vel ibidem per delegatos ab ordinario judice judices. Quotidiana hæc ſunt in omnibus Dicaſteriis.

13. Si quid dicere, quod ad rem faceret, voluiſſet: debuiſſet demonſtrare, quod caſus ſolius perverſitatis morum ſit in *jure*, quod *omnibus majus* eſt, exceptus; propter quem jus velit, ſummum Pontificem certum, ab univerſa Eccleſia agnitum, vivum & invitum judicari, & damnari a *minoribus*. In hoc cardine tota rei ſumma vertitur. Hoc probari debuiſſet non dicendo ſolummodo, non afferendo inanes veritates Baſileenſes, quas Card. Cuſanus, inſigne ſoli Trevirici lumen, merito appellavit *falſas fatuitates*; ſed proferendo ſpecificum, genuinum, & firmum Canonem: alias ſtabit, quod Adrianus II. in Synodo Romana primum ſtatuit, ac deinde in Synodo Oecumenica VIII, Cpolitana IV; cujus iſta Romana præparatio fuit: *Propter quam* (hæreſin.) *ſolam* (Defige oculos, & mentem in particulam excludentem: *ſolam*) *licitum eſt minoribus, Majorum ſuorum motibus reſiſtere &c.* Quid ille autem? omiſſo hoc unico, & vero cauſæ crinomeno, diſcurrit inſtar rotati vertigine hominis per avia & devia. Lectorem per tot ambages circumducit; ad metam, quæ petenda erat, non perducit.

14.)

14. Aliud vertiginis ſuæ ſpecimen dat ead. pag 34. N. XXIII. ubi ait: „Quidquid autem contra morem, qui viguit primus, Chalced. Canon, & Baſile„enſe decretum *Pridem* de Metropolitano judicando ſtatuerit, hoc Romanam „Synodum provincialem non attinet; quia Papa Metropolitanus ejus nec ſub Primate, nec ſub Patriarcha eſt &c. Reliqua, quæ ſequuntur, videbimus *Controv. 3.* Hic quæro, potueritne hæc, quæ nunc retuli, ſcribere ſobrius? Si iſte canon, & illud Decretum nihil Romanam Synodum provincialem attinent: cur his, quæ rem ſuam non attinent, implevit antea paginam? cur ea oculis legentium importune obtruſit, ad offundendam videlicet iis rerum impertinentium objectu caliginem? Si, repeto, Chalcedonenſis Canon, & Baſileenſe Decretum Romanam Synodum Provincialem non attinent; ac proinde ad aſſerendam illi poteſtatem exauctorandi Papam nihil faciunt; nonne fuiſſet ſatius, omiſſis illis, proferre pertinentem ad illam Synodum, ſpecificum, genuinum, ac firmum Canonem, aſſerentem illi hanc (quæ negatur) poteſtatem; quam hoc (qui maxime hic neceſſarius erat) omiſſo, detinere lectorem impertinentibus, atque a vero cauſæ crinomeno avertere? Nonne ſuomet hoc teſtimonio, quod mille teſtibus eſt potius, convincitur, ſcripſiſſe, quæ rem non attinent? Idem de totis ejus vindiciis ſtatuere tuto poteris, Theodulphe.

15. Principium iſtud tamen alio præterea reſponſo conatur elidere *pag. 31. N. XX.* dicens: „ Ex illo principio: minor non poteſt judicare, vel deponere „majorem, recte ſequitur: Ergo non ſolum nullus Prælatus inferior, ſed nec „ulla Synodus particularis, extra Eccleſiam Provinciæ Romanæ, & ſine iſta „poteſt exauctorare Papam; quia extraneæ Synodi ſunt ſimpliciter minores „Papa. „ Hoc reſponſum nititur Principio alio a ſe ſtabilito, PRÆSIDE SE quidem, ſed nulla nec auctoritate idonea, nec ratione fundato, nimirum: Quod Eccleſiæ Romanæ particularis Synodo, qualem ab Ipſomet deſcriptam vidimus (*Proœm. ſ. 3. n. 9.*) competat poteſtas exauctorandi ob morum perverſitatem ſuum Paſtorem. Iſtud principium ventilabimus Controverſia ſequente, ſi Deus adfuerit. Interim ſic habe, Theodulphe, ad evertendum hoc fragile principium valida haud opus futurum machina, ſed uno halitu dicente: *Qui probas?* ab ipſo autem nullo modo id probari ut intelligas; invito te ad ſequentem controverſiam: ubi miros ſaltus ſpectabis.

16. Manet igitur inconcuſſa Propoſitio major in Antitheſiſtæ Syllogiſmo, non modo communi ſapientum ſenſu, ſed ipſius etiam Vindicis argumentationibus firmata: quod minor non poſſit judicare, multo minus deponere majorem. Synodum autem etiam Romanam particularem (Qualis erat, quæ Joannem XII. deponere niſa eſt) eſſe Romano Pontifice minorem, oſtendit Antitheſiſta ex propria confeſſione Synodi Romanæ, coactæ in cauſa Leonis III. præſente Carolo M, & Francorum Proceribus, & ex plurimis cum Italiæ, tum

Galliarum Epiſcopis conſtantis, qui in has voces erupere, teſte Athanaſio Bibliothecario in vita Leonis III: *Nos ſedem Apoſtolorum, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus, nam ab ipſa nos omnes, & ab ejus Vicario judicamur. Ipſa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit. Sed ſicut ipſe Pontifex cenſuerit, canonice obediemus.*

17. Quid reſpondet Vindex? Ideam competentis Eccleſiæ Romanæ particularis Synodo poteſtatis, exauctorandi ſuum Paſtorem, (Quam non probabit unquam) pertinaciter in capite ſuo defixam habens, huic aliud etiam æque fragile principium adjungit; *Quod quoad Papam debeat mos antiquus manere, ut criminis accuſatus defendat ſe coram Concilio ſuo.* Pag. 34 N. XXIII. His ergo duobus principiis ſuis titubantibus male nixus, reſpondet pag. 36. N. XXVII. in hunc modum: „ Huic prærogativæ (in Ipſius cerebro conceptæ, „& natæ) non obeſt paſſus ex Athanaſio Bibliothec. in vit. Leonis III; ubi „Archi- & Epiſcopi Romanorum, atque Francorum coram Carolo M. congre„gati noluerunt judicare Leonem, prius ab impio Paſchali, & Campulo Cleri„cis crudeliter in ipſis lytaniis tractatum, atque ſpoliatum, deinde vero crimi„natum, unanimiter dicentes: *Nos ſedem Apoſtolorum &c. ut ſupra.* Utique „enim, dum criminis accuſatur Rom. Pontifex, mos antiquus ei detulit hunc ho„norem, ut ſeipſum judicaret vel confeſſione, & ſuſceptione canonicæ pœni„tentiæ, aut expurgatione ſui facta. „ Audiſti, Theodulphe, Ipſius orationem. Quod ſi nunc oſtendero (uti Deo juvante me oſtenſurum confido in Controverſia III.) nullum exſtare morem antiquum, qui neceſſitatem ejuſcemodi imponat Rom. Pontifici: in haç quoque reſponſione nihil reperies, niſi titivillitia.

18. Antitheſiſta refert in Concilio Romano ſub Adriano II. ita locutos Patres: *Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum præſulibus judicaſſe legimus; de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum; ſciendum tamen eſt, quia ſuper hæreſi fuit accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtere, vel pravos ſenſus libere reſpuere.* Addamus continuationem verborum Adriani II, quam Antitheſiſta prætermiſit, forte quia non judicabat ſibi neceſſariam. *Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec caterorum Antiſtitum cuiquam de eo* (Honorio) *quamlibet fas fuerit proferre ſententiam, niſi ejusdem primæ ſedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet.*

19. Vindex inſultat primum Antitheſiſtæ pag. 30. N. XVIII, dicens, verba allegata non eſſe dictum, multo minus definitionem Patrum, ſicut Natalem exſcripſerit Antitheſiſta, ſed eſſe ex allocutione Papæ Hadriani ad Patres. Perſpice nunc, Theodulphe, quam ſit in Ceiorum hiſtoria verſatus homo. Conſule Synodi Oecumenicæ VIII, ſive Cpolitanæ IV. Seſſionem VII, ubi

ubi acta Synodi dictæ Romanæ reperies relecta, atque inter hæc reſponſionem Patrum ad allocutionem tertiam Adriani, eam per omnia probantium, ac pluribus etiam S. Scripturæ locis confirmantium; ſupplicantium tamen, ut reſipiſcentibus relinqueret veniæ locum. Decretis denique ab Adriano pronuntiatis ſubſcripſere poſt ipſum Epiſcopi XXX, Presbyteri ejuſdem Eccleſiæ IX, Diaconi V. *Apud Hardu. T. V. CC. a pag. 1078.* Subſcribentium nomina reperies *ibid. pag. 870.* Dicta, quæ probarunt Patres, & ſubſcriptione ſua acceptarunt, an non fecerunt ſua, ac definierunt abunde? Accedit & Synod. VIII. calculus, ex Adriani præſcripto ſententiam ferentis. At non potuit Vindex, quin inſultaret.

20. Attamen mox ſubdit: „Quam (Adriani allocutionem) veneramur, „ut veriſſimam contra Photium, extraneum auſum cum ſuo conciliabulo ſenten„tiam ferre in Nicolaum I. utique enim ſolus hæreſeos caſus licitum facit mi„noribus, majorum ſuorum motibus reſiſtere. Verum eodem fere puncto tem„poris ſubjungit: Aſt in quo Ccio dicitur, Quod Eccleſiæ Romanæ non liceat „ob deformitatem morum alicujus Papæ, non quidem hæretici, vel dubii, at„tamen nequiſſimi, monſtroſi &c. ad hæc incorrigibilis, eundem exauctorare; „ſive in Synodo generali, ſive in particulari ſua?„ Nunquid jurares, Theodulphe, hominem in eodem ſibi haliru contradicere? Erras: non contradicit ſibi; imo vero perſtat obſtipo capite in conſilio ſuo perſuadendi lectoribus: Synodum particularis Provinciæ Romanæ eſſe majorem Papa, licet alii Prælati inferiores, & aliæ Synodi extraneæ, quæcunque, ſint ſimpliciter minores Papa (*b. §. n. 15.*) Verum hanc chordam percurram diligenter in Controv. ſequente.

21. Hoc loco paucis ſic diſputo: ſi hæc allocutio Adriani eſt veriſſima contra Photium, eſt veriſſima contra quemcunque alium ſive extraneum, ſive intraneum, Tros, Rutulusve ſuat, nullo diſcrimine habetur. Nec ſolum veriſſima eſt contra ſingulos, ſed etiam omnes, quicunque auſi fuerint ferre ſententiam in Romanum Pontificem. Propoſitio enim negans: *Non legimus, de eo quemquam judicaſſe*, eſt univerſalis; neque ab ea excipit Adrianus, niſi ſolam hæreſin. *Non aliquis, Non quiſquam* idem eſt Dialecticis, quod *nullus.* Fabula Marcellini, quamvis fabula, demonſtrat tamen, communem Eccleſiæ ſenſum, commenti iſtius fabro notum, eo tempore fuiſſe: *Prima ſedes a nemine judicatur.* (Controv. 1. §. 1. n. 1.) *Nemo* idem eſt, quod *nullus.* Verba pariter duarum Synodorum Romanarum aliarum in cauſa Symmachi (*b. controv. princip. n. 1. & 2.*) & Leonis III. (*b. §. n. 16.*) ſunt generalia. Ex trium ergo ſynodorum Romanarum, ſub Symmacho, Adriano II, Leone III, propria confeſſione, quæ optima eſt probatio, habemus, & ipſam eſſe ſimpliciter minorem Papa. Ac propterea non immerito Adriani Papæ eadem allocutio exem-

plo

plo Synodi, ſub Symmacho celebratæ, ad confirmandum argumentum ſuum utitur.

22. Ne vero ex Honorii Papæ, in Synodo VI. Oecumen. anathemate perculſi, exemplo debilitata jam Vindicis reſponſio vires videatur poſſe reſumere: primo quidem obſerva id, quod Adrianus monuit, hæreſeos illum in Synodo iſta reum actum. Cujus tamen convictus non eſt; ſed ea labe purgarunt eum Leo II, & Benedictus II... 2. Patres Synodi VI. non exauctorarunt Honorium vivum, ſed mortui memoriam deteſtati ſunt. 3. Anathema, quod ei dixerunt, non habuit vim ſententiæ excommunicationis, ſed definierunt duntaxat, *projici* ejus, non ſecus, ac Sergii, Pyrrhi, aliorumque Monothelitarum, nomen *a S. Dei Catholica Eccleſia*; ut ferunt verba Decreti *apud Hardu. T. III. Cc. pag. 1331. & 1334.* Quod fiebat pro illius temporis more auferendo eorum nomen ex ſacris (*a*) diptychis. 4. Non exercuerunt hac ſententia jurisdictionem in Honorium (quippe quem ſuo in tribunali pridem judicatum, Deus humano omni judicio ſubtraxerat) ſed in fideles viventes; præcipientes eis, ne honorem ejus nomini, ac memoriæ haberent in publicis Eccleſiæ cœtibus. 5. Nihil fecere ſine præcedente primæ Eccleſiæ Pontificis (Agathonis) conſenſu, ut ex hac Adriani II. allocutione diſcimus.

(*a*) Sacra Diptycha in Eccleſia veteri dicebantur tabellæ duæ plicatiles, in quarum altera vivorum, in altera mortuorum deſcripta erant nomina; quorum in orationibus publicis fiebat memoria.

23. Theſi oppoſuerat deinceps Antitheſiſta Canonem XXI, Synodi Oecumenicæ VIII, Cpolitanæ IV. Præſidentibus Adriani II. Legatis habitæ anno 869. Fragmentum quidem canonis duntaxat recitant tam Antitheſiſta, quam Theſeos Vindex; non abs re tamen erit, audire integrum.

„Definimus, *neminem prorſus* mundi potentium, quemquam eorum, qui „Patriarchalibus ſedibus præſunt, inhonorare, aut movere a proprio throno „tentare, ſed omni reverentia, & honore dignos judicare, præcipue quidem „SSmum Papam ſenioris Romæ, deinceps autem Conſtantinopoleos Patriar„cham, deinde vero Alexandriæ, ac Antiochiæ, atque Hieroſolymorum. Sed „*nec alium quemcunque* conſcriptiones contra SSmum Papam ſenioris Romæ, ac „verba complicare, vel componere, occaſione quaſi diffamatorum quorundam „criminum, quod & nuper Photius fecit, & multo ante Dioſcorus. Quiſ„quis autem tanta jactantia, & audacia uſus fuerit, ut ſecundum Photium, „vel Dioſcorum in ſcriptis, vel ſine ſcriptis injurias quaſdam contra Sedem Pe„tri Principis Apoſtolorum moveat; æqualem, & eandem, quam illi, con„demnationem recipiat. Si vero quis aliqua ſæculi poteſtate fruens, vel po„tens pellere tentaverit præfatum Apoſtolicæ cathedræ Papam, aut aliorum „Patriarcharum quemquam; anathema ſit. Porro ſi Synodus univerſalis congregata

„gregata fuerit, & facta fuerit etiam de ſancta Romanorum Eccleſia quævis „ambiguitas, vel controverſia; oportet veneraliliter, & cum conveniente re„verentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut profi„cere, aut profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra ſum„mos ſenioris Romæ Pontifices. *Hardu. T. V. CC. pag. 909.*

24. Iſto Canone ita ſe laborat expedire, ut magis implicet, velut avis viſco hærens. Nam pag. 31. N. XIX. ait, iſtum Canonem manifeſte conditum eſſe propter Photium Conſtantinop. intruſum. Propter eum ipſum conditus eſt, fateor. Quid tum poſtea? Ne pari jactantia, & audacia imitaretur quiſquam Photii, ac Dioſcori exemplum; cavere per hunc canonem pro ſecuturis temporibus volens ſancta, & Oecumenica Synodus iſta provide conſtituit; atque in ſimilia deinceps auſuros æqualem, atque eandem, quam in illos, pœnam condemnationis ſtatuit. „Tuetur, pergit Vindex, omnes Patriarchas, præ„cipue Romanum, contra temeritates, irreverentias, criminum diffamationes, „depulſiones per ſæcularem potentiam. „ Bene habet. Tueri ergo debuit etiam Joannem XII. non modo contra Ottonis *potentiam* (a quo Vindex quidem negat fuiſſe depoſitum) ſed etiam *contra alium quemcunque conſcriptiones contra Papam Senioris Romæ vel verba complicantem, vel componentem, occaſione quaſi diffamatorum criminum.* Item contra quemcunque, *ſecundum Photium, & Dioſcorum inſcriptis, vel ſine ſcriptis injurias contra Sedem Petri, Apoſtolorum Principis*, moventem. Debuit ergo etiam tueri adverſus Germaniæ, & Italiæ Epiſcopos ab Ottone congregatos: niſi hi forte inter alios quoscumque numerandi non veniunt. Poſſet quidem quærere effugium dicendo: non moviſſe hos contra Petri Sedem injurias eo, quod Joannes XII. fuerit nequiſſimus, monſtroſus, atque ad hæc incorrigibilis. Sed reſponderet illud ipſum, quod quæritur, quodque eſt probandum; ab eo autem nullo modo probatum eſſe oſtendimus; videlicet: utrum Rom. Pontifex poſſit propter ſolam morum pravitatem exauctorari. Peteret igitur principium, nec pateret ipſi hoc effugium, jam ante diligenter obſtructum.

25. Ad poſtremam Canonis partem: Porro ſi ſynodus univerſalis fuerit congregata &c. reſpondet ibidem: „ Ratiocinium Antitheſiſtæ, ex hoc canone „formatum, ad Caſum Joannis XII & Romanæ Eccleſiæ ineptum eſt „ Videamus igitur, an Ipſe ratiocinetur aptius. „ Non enim, pergit, canon iſte „præſcribit legem univerſali ſynodo, vel particulari Romanæ; ſed his, qui „controverſiam facere vellent contra Romanam Eccleſiam, vel ejus Pontificem „in *ſynodo Generali*, ne irreverenter, & audacter cum dictione ſententiæ pro„rumpant, ſed ſciſcitentur, & ſolutionem accipiant a ſynodo; cui ſententiæ „dictio nullatenus ibi aufertur. Altum hic ſilentium eſt de poteſtate Romanæ „Eccleſiæ „ (particularem eum intelligere, conſtat tam ex præcedentibus,

quam conſequentibus.) „ exauctorandi ſuum Pontificem pro caſu neceſſita„tis extra ſynodum generalem.„ Audiſti ratiocinantem; nunc audi, quam ratiocinetur apte, mi Theodulphe.

26. Nullatenus *aufertur* ibi ſynodo (ſi qui facere vellent controverſiam contra Rom. Eccleſiam, vel ejus Pontificem,) ſententiæ dictio. Quamquam negare poſſem; eſto tamen tantiſper. Quid ergo? an continuo ibi tributa eſt? Altum hic de poteſtate illa Romanæ particularis Eccleſiæ ſilentium. Imo altiſſimum. Illius enim ideam poſt tot ſæcula ex Ipſius cerebro, ceu novam ex Jovis cerebro Minervam, naſcituram nemo providere, ac proinde ne cogitare quidem ullus de ea poterat. Quid inde? an propterea conceſſa? Nullatenus iſto canone aufertur Decano Facultatis Juridicæ Treveris ſententiæ dictio in Rom. Eccleſiæ Pontificem. Altum de hac Ipſius poteſtate ſilentium. Ergo tributa, atque conceſſa? quam apta conſecutio? Attamen ſi conferantur hinc allocutio tertia Adriani II. quæ fuit hujus ſynodi præparatio, & prodromus, inde ejusdem ſynodi acta, ac canonis ipſius verba, quibus conceptus eſt, generalia; hanc facultatem ſynodo tum generali, tum particulari Romanæ non tam ereptam, quam nunquam competiiſſe, in comperto erit.

Habes, ecce Theodulphe, tam quæ pro ſua cauſa dixit, quam quæ contra Antitheſiſtæ ſui ratiocinationes. An autem felicius deſtruxerit aliena, quam confirmare potuerit ſua: permittamus eorum, ad quorum officium ſpectat, judicio: cum non ſpectet ad noſtrum. Quid de conſcriptiones contra Papam Senioris Romæ, aut verba componentibus decernat Sacer canon; conſiderandum relinquamus Vindici.

Controverſia II.

An ſynodo particularis Eccleſiæ Romanæ competat poteſtas, exauctorandi propter morum perverſitatem ſuum Paſtorem.

1. Hactenus diſputavimus in Theſi: An Papa certus, ab univerſa Eccleſia agnitus, in quieta poſſeſſione Pontificatus per annos complures conſtitutus, vivens, & invitus poſſit propter ſolam morum deformitatem præcipitari ex B. Petri Cathedra. Nunc eandem quæſtionem ventilamus in Hypotheſi: An particulari ſynodo Romanæ qua tali, qualem deſcriptam ab Ipſomet vidimus (*Proœm. §. 3. n. 9.*) competat poteſtas exauctorandi Paſtorem ſuum talem propter ſolam morum perverſitatem. Quam quæſtionem, quemadmodum re diverſa eſt a præcedente, ita oratione diſtinguendam, ac diſtributius tractandam in hunc locum reſervavi.

2. Non diſſimulans ſuam diffidentiam torquet ſe miris modis pag. 30. n. XVII, ut reperiat commodam, quam inire poſſit, viam explicandi potius, qui

qui actus ille (depoſitionis Joannis XII.) valere potuerit; quam ut rigide dicatur: Jure non valuit. Spem tamen ſimulans vultu, cavendum lectoribus, monet, ne præconceptis Theſibus (ſui Antitheſiſtæ) inhæreant; promittitque per factum tam illuſtre correctum iri præconceptas Theſes.

3. Quam ergo tandem commodam ſibi viam excogitavit ineundam? Negat (ut legiſti, Theodulphe, *Proœm. ſ. 3. n. 9.*) Joannem depoſitum ab Ottone M., aut ab aliis Italiæ, & Germaniæ Præſulibus; ſed a ſola particulari Eccleſia Romana ſententiam pronuntiatam ait. Quamvis adduci non poſſim, ut hæc credam abſolute IPSI DICENTI omnia; tamen permiſi (*ibid.*), ut iſta ponantur interim eſſe vera; promiſique me, his poſitis, tanto facilius ſuomet ejus Theſin gladio jugulaturum. Stabo nunc, Deo auxiliante, promiſſis.

4. Ille vero ſic ſtatuit: Particulari Provinciæ Romanæ, compoſitæ ex ejus Præſulibus Eccleſiæ, tamquam primæ omnium, & centrali, competere jus ſoli, nullo poſtulato, aut exſpectato aliarum Eccleſiarum, aut ſynodi generalis adjutorio, exauctorandi propter ſolam morum deformitatem Paſtorem ſuum, Papam, & Metropolitam ſuum Patriarchalem, quanquam neque hæreticum, neque in ſchiſmate electum. Hoc invento ſuo putat ſe reperiſſe maxime commodam, quam inire poſſit, viam.

5. Monui in ſuperioribus (Controv. 1. §. 2. n. 15.) Principium iſtud nulla nec auctoritate idonea, nec ratione fundatum eſſe. Nunc de auctoritate primum, deinde de rationibus ejus differamus. Quæ duo ubi diligenter pertractaverimus: perſpicies plane, veriſſimum eſſe, quod notavi ibidem: ad ſubruendum hoc fragile principium alia opus non eſſe machina, niſi uno halitu dicente: *Quomodo probas?*

6. In negotiis hujusmodi, ad ſanctionem juris publici Eccleſiaſtici pragmaticam ſpectantibus, nihil temere, & ſine auctoritate idonea ſtatuendum eſſe, nemo ibit inficias. Non ſufficit hic: Αὐτὸς ἔφα, PYTHAGORAS DIXIT: ſed quæritur, an, & quando Chriſtus Dominus, unicus Hierarchiæ Eccleſiaſticæ fundator, dixerit, & ſanxerit? Quæritur, hæc Chriſti ſanctio, atque inſtitutio ex qua repetatur vel ſcriptura, vel traditione ſive divina, ſive Apoſtolica? quæ aut CCiorum ſcita, aut Sanctorum, & probatorum Patrum conſentientia teſtimonia hanc verbi divini ſive ſcripti, ſive traditi expoſitionem nobis reliquerint? quis Eccleſiæ communis ſenſus, & uſus eam conſtanter retinuerit? Hæc ſuper fundamenta qui non ædificat, ſuper arenam ædificat; & erit ruina domus iſtius magna.

7. Divinarum ſcripturarum, aut beatorum Patrum teſtimonia fruſtra quæras in totis Ipſius vindiciis: quia non ſunt. Ex CCiis pariter nullum emendicare poteſt ſubſidium.

Non ex Synodo VI. Oecum., anathema detorquente in Honorium; tum propter ea, quæ notavi antea (*Controv. 1. §. 2. n. 22.*) tum maxime, quia iſta non erat particularis Eccleſiæ Romanæ, ſed Eccleſiæ univerſalis ſynodus œcumenica.

Non ex CCiis Conſtantienſi, & Baſileenſi. Horum enim ut ſumma foret auctoritas; diſertiſſime tamen loquuntur, non de particulari ſynodo Provinciæ Romanæ, ſed de univerſali, & œcumenica. Certe non erat e re ſynodi Baſileenſis, imaginarias ſuas veritates prodige in ſolam ſynodum provinciæ particularis Romanæ profundere: Dilapidaſſet enim hoc pacto totum ſuum patrimonium: Siquidem iſtius Provinciæ Præſules, & S. R. E. Cardinales plerique omnes ad Eugenium Ferrariam Concilii habendi cauſa confluxerant.

8. Doctores quoque illi Catholici, qui Papam Conciliorum judicio obnoxium volunt, repellunt Ipſum a foribus. Nam nonniſi CCiis œcumenicis, univerſam Eccleſiam repræſentantibus, auctoritatem iſtam largiuntur, particularibus nihil dant. Non flagito, poſſes dicere, hoc dari conſtanter particulari Rom. Eccleſiæ, ſed ſaltem pro caſu urgentis, & frangentis neceſſitatis, maxime ſi propter periculum in mora, & difficultatem temporis generale CCium congregari nequeat; ut loquitur *pag. 31. N. XVIII.* qualis caſus erat ſub Joanne XII. Apage; reſponderent merito; neceſſitas iſta, & periculum conficta ſunt. (*Vid. Controv. 1. §. 1. n. 51. & infra de eodem hoc argumento occurrent plura.*)

9. Simon Vigorius (quem ſupra laudavimus controv. 1. §. 1. n. 38.) in volumine, cui nomen: *Libri quatuor de ſtatu, & gubernatione Eccleſiæ* pag. 405. ait: „Quando Papa malus eſt œconomus Domus Dei, ejusque gratia excidit; „quia officio ſuo defuit, ad Eccleſiam deferri poteſt; & ſi in illius auctoritate, „ac poteſtate eſſe recuſet, nec morem gerat, ſicut ethnicus, & publicanus ha„bendus eſt„. At Vigorio Eccleſia eſt cœtus fidelium, Fideles autem non ſoli Romani ſunt, ſed & alii per nationes omnes, ac populos diffuſi. Alius quidam, cujus mentio fit in Actis, & Decretis Synodi II. Provinciæ Ultrajectenſis anno 1763. habitæ, ſuppreſſo ſuo nomine ſcriptum ſparſit per Belgium, cui nomen dedit: *Précis d'un acte de denonciation ſolennelle &c.* Sed obſcurus iſtius denuntiationis ſcriptor ipſo in Proœmio ſuo teſtatur: *J'ai fait un acte en forme, par lequel je denonce ſolennellement à l'Egliſe les Papes, leurs Cour, leurs ſuppots, & leurs attentats: mais comme je ne publierai peut-etre pas ſitôt ledit acte.... je declarè, que le précis tres-court, que je vais faire, doit paſſer lui-meme pour une denonciation juſte, veritable, & ſolennelle, que je fais a l'Eglise univerſelle.* Id eſt: „Confeci actum in debita forma, quo denuntio Eccleſiæ Papas, ipſorum cu„riam, ipſorum gregales, & attentata. Sed cum actum iſtum publicaturus „forte non ſim tam cito... declaro, breviſſimam, quam facturus ſum, actus

„mei

: epitomen habendam loco juſtæ, veræ, & ſolennis denuntiationis, quam Ec-..eſiæ *univerſali* defero.,, *Acta. Syn. pag. 38.* En, denuntiationem ſuam non particulari Eccleſiæ Romanæ, ſed *univerſali* defert. Ipſa ſynodus hanc Paparum denuntiationem, etiamſi *Eccleſiæ univerſali* factam, refellit, ac damnat. Caruit quidem hæc ſynodus poteſtate judicandi, & damnandi legitima; iſtud tamen ex his liquet: multo minus eam approbaturam fuiſſe denuntiationem, quæ facta fuiſſet Eccleſiæ Rom. particulari. Itaque & ipſi Janſenianæ factionis proceres, & principes ſuum novitio Vindicis invento ſuffragium palam denegant. Ipſimet, qui inter illos ſe appellantes nuncupant, non provocant ad particularem Romanam Eccleſiam, quippe quam vel maxime exoſam habent, quia ſemper molitionibus ſuis experti ſunt adverſantem; ſed Eccleſiæ univerſalis Concilium appellant. Quam recte, non eſt hic diſputandi locus. Satis eſt, quod per ſua hæc ſive perperam, ſive recte facta, remotiſſimos ſe ab hac Vindicis ſententia oſtendant.

10. Non me præterit, eſſe apud Lutheranos, ac Calvinianos uſu receptiſſimum; ut particulares Provinciarum, ſive ditionum ſingularum Eccleſiæ Miniſtros ſuos alibi per ſeniorum ſimul, ac populi collegium, alibi per Principes, ac Dominos (quibus hanc poteſtatem alii jure imperii competere, alii libera collegii voluntate delatam prædicant) promoveant, judicent, amoveant. Quam in rem multa Puffendorffius in Libello *de habitu Religionis Chriſtianæ ad vitam civilem*, quem ejus amici aureum vocant. Verum abſit, ut vel ſuſpicari auſim, velle Theſiſtam ab his ſuæ iſti doctrinæ auctoritatem quærere. Diceret me certe, ac palam pronuntiaret calumniatorem maximum.

11. Si quos alios iſtius aſſerti auctores probatos habet, quorum nullum in vindiciis reperio; proferat eos; ut examinemus, qui genus, unde domo ſint.

12. Attamen exemplo, ex antiquitate petito, ſtabilire rem ſuam laborat. Nam pag. 63. N. XXVI. ſic infit: „Hanc ſe ipſam, ſine generali ſynodo ju„vandi poteſtatem, exercuit Romana Eccleſia, dum in ſynodo Sutrina, coram „Henrico III. Imp. celebrata liberavit ſe anno 1046. tribus Papis ſimul, atque ſe„mel ſedentibus Romæ, reditusque nationum inter ſe pacifice partientibus, Bene„dicto IX. Sylveſtro III, & Gregorio VI. Non diſputabimus hic, an Gregorius „VI. depoſitus fuerit in Sutrina ſynodo, an vero viſa Patrum diſquiſitione, „ejusdemque fatali contra ſe exitu prævio, ante ſententiam ſeſe abdicaverit, „certe non abdicaturus, ſi permanere potuiſſet, nec ſynodi virtutem timuiſſet, „*velut ſynodicis canonibus, atque ſententiis ſimoniacus probatus:* ut ſcribit Leo „Oſtienſis Lib. 2. Chron. Caſſin. Cap. 80... Saltem hoc eſt certum, quod Rom. „Eccleſia, opitulante ſuo Advocato Henrico III. ſe tunc expedierit abſque „Ccio generali a tricipite Papatu „

13. Saltem eſt certiſſime falſum, quod Eccleſia particularis Romanà in ſynodo Sutrina exercuerit poteſtatem liberandi ſe Papa certo, legitimo, invito. Et niſi certiſſime falſum oſtendero, Theodulphe; nihil mihi unquam quidquam deinceps accreduas. Exponamus ante omnia factum; præmiſſo hoc axiomate: Quamvis ſcriptores coævi, aut his proximi in narrandis facti alicujus adjunctis varient; in iis tamen, in quibus inter ſeſe conſentiunt, quæque ad facti ſubſtantiam ſpectant, plenam apud prudentes omnes fidem merentur.

14. Joanne XIX. ad annum 1033 mortuo, Theophylactus, Conſulis Alberici Filius, conciliatis per largitiones profuſas Romanorum ſuffragiis electus eſt, & Benedictus IX. appellatus. Conſentiunt de hoc facto Hermannus Contractus *in Chron. auctiore Caſſin.* Glaber *Lib. 4. Hiſt. c. 5.* Victor III. Pap. *Lib. Dialogorum 3.* Puerum fere decennem fuiſſe primum dicit Glaber, poſt tamen vocat puerum annorum circiter duodecim. Alii verba ejus largius interpretantes annos circiter decem, & octo tribuunt Benedicto, cum crearetur Pontifex. Moribus, & factis exſtitiſſe tanto ordine indignis conſentiunt tres hi ſcriptores. Fuit igitur Joanni XII. non abſimilis.

15. Ab Eccleſia tamen univerſa graviorum malorum præcavendorum cauſa agnitum, Pontificaliaque munia, nemine ſe opponente, exercuiſſe, conſtat multis ex argumentis. Adam Bremenſis L. 2. C. 50. tradit, eum ipſo primo creationis ſuæ anno Pallium conceſſiſſe Hermanno Archiepiſcopo Hamburgenſi. Anno 1036, vel ut alii tradunt 1037, celebravit Romæ ſynodum, cujus fragmentum exſtat in Tomis Cc., & Tom. IX. Italiæ ſacræ Ughelli. Relatum ab eo in Sanctum Confeſſorum catalogum S. Simeonem Syracuſanum, qui magna religione colitur Treviris, ex antiqua inſcriptione oſtendit Browerus Annal. Trevir. L. X. ad annum 1042. Circa annum 1040, vel 1041. Caſimiro, Miſeconis II. Poloniæ Regis Filio &c. Cluniacenſi Monacho, & jam Diacono indulſit Poloniæ Legatorum rogatu, ut votis ſolutus paternum ſolium conſcenderet, uxorem duceret, regiam ſtirpem propagaret. Teſtis Joannes Longinus *in Hiſtor. rerum Polonic.* Denique nemo hactenus Benedicto IX. litem de legitimo ejus Pontificatu movit; nec movere Theſeos ſuæ Vindex poteſt; cum de ſolo legitimo, & agnito ab univerſa Eccleſia Papa hæc nobis controverſia ſit.

16. Tandem anno 1044. Romani, opitulante Ptolomæo Conſule, ejus crimina non ferentes, ejecerunt Benedictum, ſuffecto in ejus locum Joanne Epiſc. Sabinenſi, quem dixere Sylveſtrum III. Conſentiens de hoc pariter Scriptorum teſtimonium eſt, Petri Diaconi in *Chron. Caſſin. Lib. 4. C. 63;* Hermanni Contracti *in Chron. ad hunc an:* Victoris Papæ III. *Lib. Dial. cit.* Leonis Oſtienſis *in Chron. Caſſin. Lib. 2. C. 80. cit.*

17. Poſt

17. Poſt tres circiter menſes Benedictus propinquorum ſuorum. Comitum Tuſculanorum, ea tempeſtate potentium, opibus adjutus, pulſo Sylveſtro, Romanam ſedem iterum occupat. Conſentientes iterum hac de re habemus productos *n. prec.* teſtes. Priſtinos tamen mores minime mutavit, addit Victor III. L. c. Hactenus in pari vita paribus fere, queis Joannes XII., fatis virit.

18. Sed Benedictus videns ſe Romanis ob morum turpitudinem exoſum, & deſpectum, in Joannem Archi-Presbyterum Pontificatum tranſtulit, qui Gregorius VI. dictus eſt. Ipſe vero ex Urbe emigrans in paterna ſe caſtella recepit; teſtibus iisdem Scriptoribus.

19. Hactenus conſentientia ſunt teſtimonia. Sequitur nunc levis aliqua differentia. Victor III. Papa l. c. Joanni huic Archipresbytero inditum fuiſſe tradidit Gregorii VI. nomen, eumque annis duobus, & octo menſibus ſacerdotium adminiſtraſſe. Otto autem Friſingenſis, Lib. 6. Cap. 23, tribus his ſedem Romanam ſimul eodem tempore occupantibus videtur adjungere quartum, Gratianum nomine, qui tribus præcedentibus, puta Benedicto IX, Sylveſtro III, & Joanni Archipresbytero, datis ex S. Sede pecuniis, & Benedicto reditibus Angliæ, quia hic majoris videbatur auctoritatis, relictis, perſuaſerit, ſibi ſoli ſummum ut ſacerdotium cederent. Ob ea, ait, Cives præfatum Presbyterum (Gratianum) tanquam liberatorem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium VI. vocaverunt. Sed quoniam alii teſtes omnes, & ipſe Clemens II Gregorii VI. ſucceſſor in ſuis ad Bambergenſem Eccleſiam, cujus ante Epiſcopus fuerat, literis trium duntaxat mentionem faciunt: propterea Critici Ottonem Friſing., qui centum poſt annis ſcripſit, ſeque, quæ audierat, ſcribere teſtatur, judicant falſis rumoribus deceptum.

20. Quamvis autem Joannem Sabinenſem, dictum Sylveſtrum III. a Benedicto reduce pulſum, ad ſuum Epiſcopatum rediiſſe, ac Benedictum abdicato in Joannem Archipresbyterum (cui forte & Gratiano nomen fuit) ſummo ſacerdotio, in propria caſtella conceſſiſſe narratur: videntur tamen hi tres Poſtea Romam denuo conveniſſe; & tripartito diviſis inter ſe Eccleſiæ vectigalibus non tam gubernaſſe, quam devoraſſe Pontificatum. Tradunt enim allegati a nobis teſtes, tres eodem tempore Romæ ſediſſe Pontifices. Quibus conſentit & Bonizo Epiſcopus Sutrinus, poſt Placentinus, ac demum Martyr; qui eodem, quo hæc geſta ſunt, tempore vivebat Romæ proximus. *Annotator Baronii ad Annum 1044. N. 8.* Hæc obſcura non eſt neceſſe dilucidare hoc loco. Conſtat

21. Quod anno demum 1046. Henricus Rex, qui tunc Germaniæ, Pannoniæ, & Italiæ imperabat, ad ſuſcipiendam de manu Pontificia Imperialem coronam, Italiam ingreſſus, Romanam adierit Urbem. Sed antequam Urbem ingre-

ingrederetur, plurimorum Epiſcoporum, nec non Abbatum, Clericorum quoque, ac Religioſorum Monachorum in Sutrina urbe Concilio congregato, Joannem, qui Gregorius dictus eſt, miſſis ad eum Epiſcopis, venire rogavit; ut de Eccleſiaſticis negotiis, maxime de Romana tunc Eccleſia, quæ tres ſimul habere Pontifices videbatur, ipſo præſidente tractaretur. Joannes confirmandi ſibi ſoli Pontificatus ſpe illectus, venit. Sed poſtquam eo ventum, & res agitata, ac diſcuti in ſynodo cœpta, agnoſcens ſe non poſſe juſte honorem tanti ſacerdotii adminiſtrare, ex Pontificali ſella exiliit & ſemetipſum Pontificalibus indumentis exuens poſtulata venia ſummi ſacerdotii dignitatem depoſuit. Et Suidegerus, Bambergenſis Epiſcopus, invitus ac reluctans electus, indito Clementis II. nomine. Hæc teſtatur Victor III. l. c. Idem narrat Hermannus Contractus l. c. Hæc facti ſumma: quam ob oculos poni oportuit integram; ut eluceſceret manifeſtius, nullum prorſus ex eo poſſe Vindicem repetere cauſæ ſuæ præſidium.

22. Nam imprimis ſynodus illa Sutrina non conſtabat ex ſolius particularis Eccleſiæ Romanæ Præſulibus; ſed plurimorum etiam aliorum Epiſcoporum, & Abbatum. Id nos diſertiſſime docet Hermannus Contractus his verbis „omnium tam *Romanorum*, quam *aliorum* conſenſu, Suidgerum Epiſcopum, „qui poſt Eberhardum primum ſecundus Babenbergenſem ſexto jam anno re„gebat Eccleſiam, nimium reluctantem, ſummum Romanæ Eccleſiæ elegit „Pontificem: Sicque circa vigilias Natalis Domini ipſam ingrediuntur Urbem„ cum Rege ingreſſos Urbem ſynodi etiam Sutrinæ Patres teſtatur Victor III. hæc ſcribens „Poſt hæc Urbem ingreſſus, congregato in Eccleſia B. Petri Apo„ſtoli Romano clero, & populo, una cum Epiſcopis, qui in prædictam con„venerant ſynodum, communi conſilio Clementem Babenbergenſem Epiſco„pum elegerunt„ Electio nimirum Sutrii, commendante Henrico Rege omnium conſenſu peracta, tum accedente etiam Cleri, & populi Romani calculo laudata fuit, atque acceptata.

23. Deinde, etiamſi liberaliſſime dare voluero, hæc fuiſſe tam Sutrii, quam Romæ ſolius particularis Eccleſiæ Romanæ ſynodi auctoritate geſta, Imperatore, aliisque Præſulibus extraneis præſentibus: tamen certiſſime falſum eſt, in ea ullum legitimum, ab omni Eccleſia tum agnitum Romanum Pontificem fuiſſe depoſitum; quod tamem unice eſt hic probandum. Victoris III. tempore tam Henrico Regi, quam omnibus paſſim erat perſuaſiſſimum, tres illos eſſe injuſtos ſedis Apoſtolicæ invaſores. Audiamus Victorem „jam enim „dudum Regio animo inſederat, ut tres illos, qui injuſte ſedem Apoſtolicam „invaſerant, cum conſilio, & auctoritate totius Concilii juſte depelleret; & „unus, qui ſecundum ſtatuta Ss. Patrum Dominico gregi ſollicite præeſſet, Cle„ro & populo eligente, ordinaretur.„ Clemens II. in ſuis ad Eccleſiam ſuam

Bamber-

Bambergenſem literis hæc habet. „Exploſis tribus illis, quibus idem nomen „Papatus rapina dederat.„ Non ex ſuo duntaxat, ſed ex communi ejus ævi ſenſu hæc ſcripſiſſe, hi teſtes cenſendi ſunt. Quos igitur Eccleſia illius temporis in injuſtorum invaſorum, ac raptorum numero habuit uſque ad idem tempus, pro juſtis certe Pontificibus non agnovit.

24. Sed quid teſtibus opus eſt: intueamur ipſos illos tres, qui ſynodi Sutrinæ tempore ſedere Romæ videbantur.

Benedictus IX, quamvis antea acceptatus, agnitusque fuit ab Eccleſia: (*h. Controv. n. 15.*) poſtquam tamen expulſo Sylveſtro III. ſeipſum ſede recuperata privavit, & Joanni (Gregorio VI.) ſummum ſacerdotium relinquens tradidit; (*h. Controv. n. 18.*) deſiit eſſe ſummus Pontifex. Neque ad abdicatum ſponte magiſtratum redire poſtliminio potuit ſine nova electione canonica; quæ nulla interceſſit.

Sylveſter III. viventi Benedicto per tumultum, & ſeditionem ſurrogatus, nunquam ab Eccleſia acceptatus fuit, & a nemine ſummorum Pontificum catalogo inſertus: ſed in Antipaparum cenſetur numero. Ac propterea neuter horum vocatus eſt ad ſynodum.

De Gregorio VI. dubitatur in hunc diem. Quidam, partim moti diplomate quodam Henrici Regis, in quo inter præcedentes Romanos Pontifices poſt Benedictum IX, tacito prorſus Sylveſtro III. nominatur Gregorius VI; partim quia in ſummorum Pontif. catalogo reperitur, & eum ſequens ejusdem nominis Gregorius VII. nuncupatur, putant eum referri poſſe inter legitimos Pontifices. Alii negant; tum quia teſtes hic (*n. 23.*) producti tres iſtos, ſine diſcrimine, dicunt injuſtos Sedis Apoſtolicæ invaſores, & raptores; tum quia ex Pontificum catalogo nullum firmum in hoc genere duci argumentum poteſt. (*Vid. Proœm. §. 5. n. 16.*) Quin ipſemet Gregorius non ſatis fidebat cauſæ ſuæ; nam agnovit ſe non poſſe *juſte* honorem tanti ſacerdotii adminiſtrare, ut N. 21. ex Victore III. retulimus.

25. Facio tamen optionem Theſiſtæ; utram e duabus amplecti his opinionibus malit. Si Gregorius VI. non fuit legitimus Pontifex; ergo legitimus nullus Pontifex fuit exauctoratus in ſynodo Sutrina. Nam Benedictus IX, & Sylveſter III. non erant eo tempore legitimi: ſed neque ex hac ſententia Gregorius VI. Ergo totum hoc factum non probat, quod erat probandum; & incaſſum a Theſiſta profertur in medium.

26. Sin malit dicere, fuiſſe legitimum; nihilo magis Theſin ſuam juvat. Nam is a Synodo depoſitus non eſt, ſed ipſemet relicta ſella ſua, & inſignibus depoſitis, ſummi ſacerdotii dignitatem depoſuit. Ergo nec ſic probatur, quod erat probandum. Ridiculum vero cauſæ ſuæ patronum agit, dum dicit: Non

disputabimus hic, an Gregorius VI. depositus fuerit in Synodo Sutrina; an vero, visa Patrum disquisitione, ejusque fatali contra se exitu prævisо, ante sententiam se se abdicaverit. Quasi diceret: Non disputabimus hic de eo, de quo hæc unice suscepta est disputatio. Non est certe disputatio hic: an Romanus Pontifex is, qui dubitare ipsemet de legitimo suo in S. Sedem ascensu incipit, nec deponere dubium suum potest, nec suum jus probare Patribus, deponi possit, nisi sponte renuntiare dignitati voluerit. Non quæritur etiam, an Papa, quantumlibet legitimus, abdicare a se magistratum, si velit, possit. Sed quæstio unice est, an Papa legitimus, qualem Gregorium VI. fuisse ponit ista sententia, possit a Synodo particulari Romana deponi invitus? Id nullo modo probatur ex hoc facto. Nam vel Papatus ejus fuit, ipsomet agnoscente, dubius, & potuit in ordinem redigi ingratiis. Vel fuit certus; & isto facto aliud nihil evincitur, quam quod juri suo ultro cesserit. Sed quid luctor diutius cum homine; qui non vult disputare, an argumenta sua probent intentionem suam, necne?

27. Certo, inquit, non abdicaturus, si permanere potuisset, nec Synodi virtutem timuisset, velut probatus simoniacus, ut scribit Leo Ostiensis. Timuerit virtutem Synodi, agnoscens se juste non posse tanti sacerdotii dignitatem retinere, & conscientia remordente de suomet jure dubius. Sequiturne virtutem inesse particulari Romanæ Synodo in Pontificem indubium, atque agnitum ab omni Ecclesia, excepto casu hæreseos? Qui scit deinde, certe non abdicaturum fuisse, si manere potuisset? An certam, Dei instar, possidet futurorum scientiam? Paucis: palpare manibus, ut ita dicam, potes, Theodulphe, certissime falsum esse, quod particularis Ecclesia Romana in Sutrina Synodo exercuerit potestatem, abdicandi se Pontifice certe legitimo, atque invito. Itaque uti ex aliis Synodis nulla invento Ipsius accedit auctoritas, ita neque ex hac Sutrina. Narratis hisce vagis, neque historiam, prout reipsa gesta est, integre referentibus, audacter tamen jactatis, fucum facere posset imperitis, quem ego, ne imponatur incautis, clara luce, ex testibus omni exceptione majoribus hausta, dissipandum putavi.

28. Discutiamus nunc, Theodulphe, an ratione firmius, quam auctoritate, stabilire rem suam possit.

29. Incipit pag. 31. N. XVIII. venum exponere ratiocinationes suas. Sed mercium istarum vitia, specioforum verborum integumentis involuta, tam luculente retegam; ut nemo eas empturus sit, qui sapiat. Composita ad gravitatem oratione ita fatur: „ Contra hanc potestatem necesse est specificum Ca„nonem, qui eam prohibeat, afferre: alias factum stabit, ut diu stetit, incon„cussum, donec venerint Recentiores illud improbantes. „

30. Fa-

30. Factum quid ni ſtaret? Factum enim infectum fieri nequit. Stabitque, ut diu ſtetit, inconcuſſum tota, quam longa eſt, æternitate? ſive illud probent, ſive improbent omnes tam novi, quam veteres. Illa autem, de qua unice quæſtio eſt, poteſtas particularis Rom. Eccleſiæ nunquam ſtabit; donec venerint, qui illam probent, veteres. (*vid. h. Contr. n. 6.*) Veteres ſi hactenus non venerint (ut veniſſe, probari non poteſt) nec venire jam amplius quibunt. Nunquam igitur ſtabit illa poteſtas. Non eſt neceſſe afferre canonem ſpecificum (quamvis ſatis multi allati ſint in Controv. præced. §. 1. & 2.) qui eam prohibeat. Sed neceſſe eſt Ipſum, qui rem Catholicis omnibus, imo & Janſenianis, hactenus ignotam, conetur adſtruere, afferre Canonem ſpecificum, qui eam probet. Quia aſſerenti incumbit probatio. Poſſeſſio, quam Ipſe cauſæ ſuæ ſine auctore Prætore perperam arrogat, pridem exploſa eſt. (*Proœm. §. 6. toto*)

31. „ Ni, pergit, Canonem, & exceptionem protulerint, manebit hoc „argumentum: Omnis Eccleſia remedia juris habet adverſus Paſtorem ſuum, „non ſolum hæreticum, vel dubium, ſed etiam alias incorrigibilem: Ergo & Romana.

32. Ni proferat, pergam ego, ante omnia Canonem, quo ſuum inventum probet; nihil aget. Argumentum iſtud, quod tanta Majeſtate proponit, concedo totum. Quæ remedia juris adverſus Paſtorem ſuum, ſi male feriatis moribus ſit, habeat Eccleſia Romana, ex veterum monumentis oſtendi (*Controv. præc. §. 1. n. 57.*) Quæ remedia habeant aliæ Eccleſiæ particulares adverſus Paſtorem ſuum; loquuntur magno numero Canones. Fallacia Sophiſmatis, quam ſollicite tegit, in eo ſita eſt: quod Eccleſia Romana, non ſecus atque aliæ Eccleſiæ, adverſus Paſtorem ſuum certa quædam remedia habeat; ex eo minime conſequens eſt, quod hujus etiam ſpeciei habeat remedium, *ut exauctorare poſſit Paſtorem ſuum*, ſi monitoribus aſper corrigi recuſet: quod tamen hic quæritur unice. Ex ſpecie una, aut altera non eſt legitima conſecutio ad aliam toto genere diverſam. Ita non ſequitur e. g. Sordes lutum habet: ergo etiam aurum. Norunt hoc duorum, aut trium menſium tyrones dialectici melius, quam.... Exponuntur ſophiſmata in Elenchis Ariſtotelis, ut diſcamus ea & vitare ipſi, & ab aliis propoſita diſſolvere. At uſurpari illa a Viro tam gravi, tam gravi in negotio, ad ſanctionem pragmaticam pertinente Eccleſiaſticam, in foliis publice diſſeminatis, in conſpectu orbis literati; quale eſſe dicemus, Theodulphe?

32. Rectius argumentabimur: Nulla Eccleſia particularis habet poteſtatem exauctorandi Paſtorem ſuum, non modo corrigi nolentem, ſed ne dubium quidem, imo hæreticum *per ſe ſolam.* Ergo nec particularis Romana. Exauctorare enim paſtorem non poteſt, niſi gregis Dominus, aut is, quem Domi-

nus gregum ſuorum particularium paſtoribus præfecerit. Grex, ſi paſtor officio defuerit, invocare ſupremum totius ovilis conſtitutum divinitus paſtorem, aut ipſum Dominum poteſt, ejuſque implorare, ac cum patientia exſpectare auxilium: removere ab officio non poteſt *ſola ſua auctoritate.*

33. Paradoxum hoc videbitur Ipſi, qui ex, & cum Febronio, non dico ſuo, C. 4. §. 8. velut rem certam, atque omnem extra controverſiam poſitam venditat pag. 33. N. XXII, primitus omnes Synodos provinciales habuiſſe poteſtatem, ut quemlibet de provincia Epiſcopum, ipſum quoque Metropolitanum, deponere poſſent. Producit in hanc rem Epiſtolam Conc. Romani ſub, & pro Damaſo I. Pap. ad Gratianum, & Valentinianum Impp. & Reſcriptum Imperiale ad eandem Anno 378. Quæ reperitur apud Couſtant. pag. 523. & Hard. T. 1. CC. a *pag. 841.* Sed verbis, ad rem ſuam probandam facientibus, ex utraque Epiſtola proferendis, cautiſſime abſtinet. Ne pateret nimirum, non modo nihil in illis contineri, quod Ipſius aſſerto faveat ſed de Metropolitano etiam ſtatui prorſus contraria his, quæ tanta fiducia lectoribus occinit.

34. Inſpice tuiſmet oculis utramque Epiſtolam vel in Petro Couſtant vel in Harduino *Pagg. citt.* ſi fraudem tibi a me fieri, forſan pertimeſcis Prius tamen, quam lectionem aggrediaris, hæc habe: Ut Reſcripti cujuscunque ſenſus genuinus intelligi, efficaxque ex eo argumentum peti poſſit; attendendum, qua occaſione, a quo, vel quibus, & quem in finem fuerit ſcriptum.

35. Occaſio iſtarum Epiſtolarum hæc fuit: Cum anno 366. Damaſi fuiſſet legitime electus, factioſi quidam homines Antipapam ei oppoſuerat Urſinum (Alii Urſicinum vocant) non ſine tumultu, & multa hominum cæde Valentinianus Auguſtus, pacem Urbi redditurus, per Prætextatum Urbis Prefectum jufferat Urſicinum cum ſuis deportari in Galliam. *Ruffinus L. 2. C. Sozomenus L. 6. C. 10. Ammonius Marcellinus L. 27.* Poſt per varia alia Valentiniani reſcripta Urſini relegatio modo non nihil relaxata, modo iterum gis reſtricta fuit. Circa annum 378. Cæſare bellis exteris diſtento, & U præſidiis nudata, in novas ſpes erectus Urſinus cum aſſeclis ſuis rediit in liam Clam, per eos, quos illicite ſacrilegus ordinavit, viliſſimum quen ſollicitare conatur. Ejuſque factio ita invaluit denique, ut per ſuborn Iſaacum, Judæum baptizatum, ſed ad Synagogam turpiter reverſum, D caput peteretur, ſanguis innocentum funderetur &c. Ad conflandam D apud plebem invidiam, & contemptum impegerunt Pontifici, quem S. H nymus Epiſt. 50. ad Pammachium, Virginem, & Eccleſiæ Virginis Doc vocat, adulterii calumniam. Urſicini exemplo alii, qui ſe intelligeba mani Sacerdotis judicio pro meritis damnandos, vel damnatos viderun acquieſcebant hujus judicio, ſed judices ſuos terrore mortis exagitab

contemptis, vel fugatis cognitoribus ſuis illicitum retinebant Sacerdotium. In his Parmenſis Epiſcopus dejectus judicio Synodi, & Pontificis, Eccleſiam tamen retinebat impudenter. Damnatus æque Florentius Puteolanus poſt ſextum annum repſerat in Civitatem, tenebat iterum Eccleſiam, atque Puteolis, unde dejectus fuerat, ſeditiones excitabat. Reſtitutus Africanus juſſus cauſam dicere apud Epiſcopos, ſæva inſolentium manu judicium diffugit. Rurſus per Africam Rebaptizatores, juſſu Cæſaris expulſi, ordinarunt ſibi Claudianum, eumque ad perturbandam Urbem deſtinabant Romam quaſi Epiſcopum. Paucis: vilis ab iſtis hominibus habebatur paſſim Pontificis, & Synodorum ejus auctoritas. Damaſus innocentiam ſuam non modo Imperatoribus (a quibus & immunis objecta criminatione repertus eſt) diſcutiendam permiſit; ſed etiam coram hac Synodo, anno 378. habita, ſe canonice purgavit. Hæc, Theodulphe, in ipſius hujus Epiſtolæ narratione haud obſcure expoſita reperies; ut aliis teſtibus minime indigeas.

36. Patres igitur ad comprimendam iſtorum audaciam, defenſores Eccleſiæ Auguſtos implorandos cenſuere; uti implorarunt hiſce literis: quibus quem haberent finem propoſitum, elucet tum ex eo, quo flagrabant, Schiſma præſens reſtinguendi ſtudio, tum ex iis, quæ petierunt ab Auguſtis. Petierunt autem 1. ut urgerent Edictorum ſuorum in Urſinum, ejuſque nefariam cohortem dudum latorum obſervantiam; quæ per judicum vel ſocordiam, vel intempeſtivam indulgentiam neglecta eatenus non reſponderant votis, neç malo medelam attulerant. 2. ut Schiſmatici iſti, ac refractarii Pontifici, Synodiſque ſacerdotes, ad ſubeunda Eccleſiæ judicia, forti Præfectorum manu compellerentur. 3. Ut Sacerdotum cauſæ non tractarentur in publicis, ſive profanis judiciis; id quod jam ante Imperatores decreverant.

37. Accede nunc mecum, Theodulphe, ad legenda, atque expendenda Patrum verba: „Quæſumus Clementiam veſtram... ut jubere pietas veſtra dig„netur, quicunque vel ejus (Damaſi) vel noſtro judicio, qui Catholici ſumus, „fuerit condemnatus, atque injuſte voluerit Eccleſiam retinere, vel vocatus a „Sacerdotali judicio per contumaciam non adeſſe, ſeu ab illuſtribus Viris præ„fectis prætorio Italiæ veſtræ, ſive a Vicario accitus ad urbem Romam veniat: „aut ſi in longinquioribus partibus hujuſmodi emerſerit quæſtio, ad Metropo„litanum per locorum judicia deducatur examen: Vel„ (Huc geminas huc flecte acies, Theodulphe) „ſi ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſario, vel „ad eos, quos Romanus Epiſcopus judices dederit, contendere ſine dilatione „jubeatur..... Certe ſi vel Metropolitani, vel cujuſce alterius ſacerdotis „ſuſpecta gratia, vel iniquitas fuerit; vel ad Romanum Epiſcopum, vel ad „Concilium certe quindecim Epiſcoporum finitimorum ei liceat provocare.... „Quicunque vero ita meruerit excludi; ſileat, & quieſcat, &, ſi Dei judicium

„non veretur, minus tamen peccare vel neceſſitate cogatur, ut ſaltem de cæte„ro pacifici, atque concordes Serenitati veſtræ congruas apud Dominum no„ſtrum gratias referre poſſimus.„

38. Quid hic de Metropolitano legis? Verbum nullum de poteſtate, quam primitus habuiſſe dicuntur omnes Synodi provinciales, ut quemlibet de provincia Epiſcopum, ipſum quoque Metropolitanum, poſſent deponere. Lege, relege millies tam Synodi, quam Auguſtorum Epiſtolam; apicem hac de re nullum reperies. Reperies ex adverſo, Metropolitanum, ſi & ipſe de refractariorum numero fuerit, Romam neceſſario, vel ad eos, quos Romanus Epiſcopus judices dederit, ſine dilatione compellendum. Cur ergo has laudavit duas Epiſtolas? Divinare poteris, quamvis Oedipus non ſis, Theodulphe, niſi ego Davus ſim: aut neminem putavit futurum, qui Lectorum oculis ab ipſo ſubtracta proferret in lucem; aut non inſpexit ſuis.

39. At inquies: ex his ſaltem Epiſtolis hoc non negabis, poſſe vel a Romano Epiſcopo, vel a quindecim Epiſcoporum finitimorum Concilio Epiſcopum deponi. Feſtina lente, Theodulphe; & cave, ne verba iſta: *Certe ſi vel Metropolitani, vel cujuſce alterius ſacerdotis ſuſpecta gratia, vel iniquitas fuerit, & reliq. ut ſupra*, a totius corporis trunco avulſa intuearis. Conjunge membra ſui corporis habitui; ac vide, de quibus hic ſermo ſit. Non agitur de *damnandis, aut dejiciendis* a ſede ſua *Epiſcopis* ſed de iis, qui vel Damaſi, vel Synodi Romanæ (*vel noſtro*, inquiunt Patres) *judicio fuerint condemnati, & injuſte voluerint Eccleſiam retinere, vel vocati a ſacerdotali judicio non adeſſe.* De his ſi in longinquioribus partibus *hujusmodi emerſerit quæſtio*, indulget ſacra Synodus, & conſentiens ei Damaſus, ut ad Metropolitanum per locorum judicia deducatur examen: vel certe, ſi Metropolitanus ſuſpectus fuerit, eis liceat, ſi voluerint, ad 15. Epiſcoporum provocare Concilium. Apud iſta igitur judicia, ſi hi de pertinacia ſua, & Eccleſiarum, a quibus per priorem Damaſi, vel Epiſcoporum Catholicorum ſententiam dejecti jam ante fuerant, injuſta occupatione, ac contumaci declinatione judicii fuiſſent convicti, damnari ad ſtandum prioribus ſententiis poterant; Imperatoreſque rogitabat S. Synodus, ut ita denuo damnatos, ab Eccleſiarum, quas turbabant, finibus per Præfectos prætorio, vel Vicarios ſuos ſegregent; ne rurſus impudentes uſurpent, quod jure ſublatum ſit. De depoſitionis autem ipſius prima ſententia a Metropolitæ judicio, vel finitimorum Epiſcoporum Concilio ferenda, ut hic quæſtio non erat, ita nulla fit mentio.

40. Non ſum neſcius, exſtare ſacros Canones, qui ſtatuant Epiſcoporum cauſas in Synodis cognoſcendas, ac terminandas. At vero conſtanti Eccleſiæ uſu, conſuetudineque receptum fuit; ut, ſi de Epiſcopo ſua ſede ſpoliando ageretur, Synodorum particularium ſententiæ non eſſent ratæ, ac firmæ;

mæ; niſi ſummorum Pontificum, aut miſſorum ab his Vicariorum calculo probarentur. Latas ejuſcemodi a Synodis particularibus ſententias modo ratas habebant Pontifices, ſi juſtas comperiſſent; modo reſcindebant, ſi videbantur injuſtæ. Contigit etiam nonnunquam, ut ſi quas, ad ſe recurrentium fraude decepti, reſciciſſent prius, poſt tamen veritatem edocti, iterum haberent ratas. Nota hæc ſunt ex Hiſtoria Eccleſiaſtica. Nonnulla ad imperitiorum inſtitutionem adducenda cenſeo exempla.

41. Paulus Samoſatenus Antiochenæ Cathedræ præpoſitus erat ad annum 260. homo judaicæ perfidiæ magis, quam Chriſtianæ fidei deditus, quippe qui in Chriſto Domino nihil, præter merum hominem, agnoſceret eximium. Is fefellerat quidem doloſis verborum involucris (ut eſt verſipelle, atque aſtutum hoc genus hominum) Synodum circa annum 264 adverſus eum congregatam apud Antiochiam. At non poſſunt id genus homines, ſi vigiles in eorum paſſus omnes intendantur oculi, latere diu; ſed ſuo indicio pereunt tandem ſorices. In Synodo alia, anno 269. habita, detracta doloſæ vulpi ovina pelle damnatus, ac Sede pulſus eſt. Sententiam ſuam Patres per epiſtolam Synodicam enumeratis ejus ſceleribus indicarunt tum aliis Epiſcopis, tum maxime Dionyſio Papæ; cujus, interea vita functi, ſucceſſor Felix acta contra Paulum probavit. *Euſeb. Lib. 7. C. 30.*

42. Circa annum 311. Cæcilianus, Carthaginenſis Epiſcopus, a Synodo Africana Sede ſua exactus, ſuffecto in ejus locum Majorino, ad Melchiadem Pap. confugit, ab eoque in ſedem ſuam reſtitutus eſt, ſuffragante Synodo Romana ab ipſo congregata. Qua de re, ut alios brevitatis cauſa præteream, in hunc modum ſcribit *S. Auguſtinus Epiſt. 162.* „Erat Carthago Ci„vitas ampla, & illuſtris... non mediocris utique auctoritatis habebat Epiſco„pum (Cæcilianum) qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimico„rum; cum ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathe„dræ viguit principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipſam Africam „venit, per communicatorias literas eſſe conjunctum, ubi paratus eſſet cauſam „dicere, ſi adverſarii ejus ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.„ Agnoſcebat igitur S. Auguſtinus, potuiſſe Cæcilianum jure confugere ad Romanæ Eccleſiæ, & Pontificis Rom. judicium, maxime eo, quod eſſet Epiſcopus. Addit quippe: „Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris or„dinis Clericis, ſed de Collegis agebatur; qui poſſent aliorum Collegarum ju„dicio, præſertim Apoſtolicorum, Eccleſiarum cauſam integram reſervare.„ Reprehendit ibidem S. Auguſtinus Numidiæ Epiſcopos, quod a damnato mox Cæciliano Majorinum prius conſecrarint, quam Rom. Pontificis mentem exploraſſent. Quid multis opus eſt? ita probavit illius temporis Eccleſia iſtud Melchiadis judicium; ut Cæciliani nomen inter Nicæni Concilii Patres legamus.

43. S.

43. S. Cyprianus *Epiſt. 63.* Cum ægre ferret Marcianum, Epiſcopum Arelatenſem, Novatiano addictum, impune tam diu gloriari, necdum ſe abſtentum eſſe: & eundem tamen depoſitum percuperet; non ad Epiſcopos Provinciæ particularis Arelatenſis, ſed ad Stephanum Papam ſcripſit, hunc rogans, exhortans, atque urgens: „Dirigantur in Provinciam, & ad „plebem Arelate conſiſtentem a Te literæ, quibus abſtento Marciano, „alius in locum ejus ſubſtituatur.„ Cur id feciſſet S. Cyprianus, ſi non perſpecta ei fuiſſet communis fidelium ejus temporis ſententia, non poſſe Epiſcopum, etiam palam hæreticum, Sede ſua citra Rom. Pontificis auctoritatem, & judicium dejici ?

44. Idem S. Cyprianus, cum Baſilides eundem Stephanum Pap. mendaciis circumventum induxiſſet, ut ab eo Sedi reſtituendus juberetur, qua exturbatus fuerat a Synodo Provinciæ Bæticæ, vel potius criminum conſcientia motus ſemet ſponte abdicaverat, alio jam in ejus locum legitime ſuffecto; ægre hoc tulit quidem: non tamen hanc denegavit Romanis Pontificibus poteſtatem. Ait enim „Stephanum Collegam noſtrum longe poſitum, ac geſtæ rei, ac tacitæ „veritatis ignarum, fefellit..... Neque enim tam culpandus eſt ille, cui ne„gligenter obreptum eſt, quam hic execrandus „(Baſilides) qui fraudulenter „obrepſit.„ *Vid. S. Cypriani Epiſt. 68.*

Dum S. Cyprianus igitur Provinciæ Bæticæ Epiſcopos hortatur, ne Baſilidem, qui Stephano fraudulenter obrepſerat, reciperent: non ſequitur, eum hanc in Stephano poteſtatem non agnoviſſe: ſed illud duntaxat, quod Reſcriptum hoc Papæ, utpote obreptum, nullius eſſe roboris cenſendum putaverit. Obreptum enim ex Ulpiano eſt, quod mendacio, fraude, ac dolo impetratum. Hujuſcemodi autem Reſcripta, etiamſi a maxime legitima poteſtate ſive ſacra, ſive politica fuerint impetrata, ſunt de jure nulla. *Errantis enim nullus eſt conſenſus.*

Subiratus antea S. Cornelio Papæ fuerat S. Cyprianus; quod a ſe in Synodo ſua remotos a communione fidelium Clericos quoſdam cum Pſeudo-Epiſcopo Fortunato S. Cornelius, ad ſe confugientes, non continuo rejecerit. *Epiſt. 58. Edit. Parm.* Sed non agebatur illic Epiſcoporum, in particulari Synodo depoſitorum, cauſa, ſed Clericorum inferioris ordinis, a communione fidelium ſeparatorum. Quamvis enim inter eos unus eſſet Pſeudo Epiſcopus Fortunatus; hunc, quia poſt latam in ſe excommunicationis ſententiam a paucis hæreticis, & Schiſmatis ſociis contra jus, & fas omne conſtitutus fuerat, S. Cyprianus non niſi in ſimplicium Presbyterorum numero habendum merito cenſuit. Contendebant autem Africanæ Eccleſiæ, more, ac privilegio quodam ſuo, non competere inferioribus Clericis, in Synodo damnatis, ad Sedem Romanam refugium; ſed ad Primates duntaxat ſuos, aut majores Synodos Afri-

Africanas. Quod privilegium ſi conceſſum fuiſſe Eccleſiis his, fateri voluerimus; quod nec inficiari hic, nec neceſſe eſt adſtruere: tamen conſtaret ex jam allatis, de veris Epiſcopis aliud ſenſiſſe S. Cyprianum: niſi Cyprianum Cypriano contradicere, velis aſſerere.

45. Ipſi usque adeo Euſebio Nicomedienſi, Arianarum partium propugnatori acerrimo, & jurato S. Athanaſii Alexandrini hoſti, eadem mens fuit. Poſtquam enim duobus in Conciliabulis ſuis Athanaſium Alexandrinæ Eccleſiæ gubernatione exuendum decreverat circa annum 339. „Legationem „miſit ad Julium Rom. Epiſcopum, rogans, ut cauſæ Athanaſii ipſe judex eſſe „vellet, & cognitionem negotii ad ſe traheret„ inquit Socrates *Lib. 2. C. 11.* Idemque atteſtatur ipſe Athanaſius *in Apolog. 2.* Quamvis indicta poſt a Julio Romam Synodo, & S. Athanaſio fruſtra eos ibidem per menſes decem, & octo exſpectante, Euſebiani judicio ſe ſiſtere refugerint; imo faſtus, atque audaciæ plenas ad Pontificem literas dederint.

46. Quibus Julius ea, qua caput Eccleſiæ decebat, gravitate reſpondit per epiſtolam, non illam quidem, quæ ab Iſidoro Mercatore conficta circumfertur, ſed eam, quam ex S. Athanaſii Apologia 2da deſcriptam, habemus integram, atque incorruptam. Ubi hæc leguntur inter cætera: „Nam ſi omnino, ut dicitis, aliqua eorum„ (a vobis exauctoratorum. Exauctoraverant enim non ſolum S. Athanaſium, ſed & Marcellum Ancyræ, & Aſclepam Gazæ Epiſcopos) „culpa fuit, judicium ſecundum canones, nec eo pacto „fieri oportuit. Oportuit omnibus nobis „(Romæ congregatis) „ſcribere, „ut ita ab omnibus, quod juſtum eſſet, decerneretur. Epiſcopi enim erant, „qui patiebantur, nec vulgares Eccleſiæ, quæ vexabantur, ſed quas ipſi Apoſto„li per ſe gubernaverant. Cur autem de Alexandrina potiſſimum Eccleſia nihil „nobis ſcriptum? An ignoratis hanc eſſe conſuetudinem, ut primum nobis „ſcribatur, & hinc, quod juſtum eſt, decernatur?

Novi, eſſe Recentiores, qui detorquere hæc eo moliantur, ut intelligenda contendant de ſola Eccleſia Alexandrina, tum quod ea ſola hic potiſſimum nominetur; tum quod hæc peculiari quodam modo ad B. Petri Cathedram pertineat: quia B. Petrus, Romæ jam fixa Sede, per Diſcipulum ſuum S. Marcum, in omnibus utique Doctoris ſui magiſterio conſonantem, fundarit Alexandrinam. Forte idipſum poſſe etiam videri dictum a Julio de Ancyræ in Galatia Epiſcopo Marcello, quam S. Paulus fundaverit Eccleſiam. Conqueruntur itaque de Socrate Lib. 2. c. 17. ſcribente: Julium per has literas Euſebianis exprobraſſe, quod contra Canones ipſum ad ſynodum non vocaſſent; „cum „Eccleſiaſtica regula interdictum ſit, ne præter ſententiam Rom. Pontificis „quidquam ab Eccleſia decernatur„ de ſecuto item Socratem Sozomeno, tradente: „pro irritis habenda eſſe, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani

„geſta fuerint.„ utrumque in eo falſum eſſe, quod iſta Julii verba, de una Eccleſia Alexandrina ab eo dicta, de univerſis interpretati ſint. Sed Recentiores iſti apertam Julii dictis vim inferunt. Loquitur enim tam hic, quam in Epiſtolæ curſu reliquo, de Epiſcopis citra exceptionem. Cujus autem Eccleſiæ *potiſſimum* nominatim mentionem ad Euſebianos faceret; niſi ejus, *quæ potiſſimum* ab illis atrociſſime divexata fuerat? De Socratis, ac Sozomeni auctoritate ſentiat quiſque, quod collibitum fuerit. Sufficiunt Patrum, quæ protulimus, ſenſa agnoſcentium, generatim Epiſcopos Eccleſiis ſuis excludi non poſſe, niſi accedente Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Hi nobis mille ejuſcemodi Recentioribus debent eſſe potiores. Dabo etiam, ſi quis voluerit, Julium hoc loco de ſola Alexandrina locutum. Stabit tamen, quod de conſtanti Eccleſiæ uſu diximus, ac dicemus porro. Non poſſunt enim uno in Reſcripto dici omnia.

47. Nec minus fortiter Sedis Apoſtolicæ gravitatem tuitus eſt factis, quam verbis Julius. Nam in ſynodo Romana anno 342. a ſe collecta non modo ſententiam in S. Athanaſium Alexandrinum, & Marcellum Ancyranum (hos enim forte largientur Julio, propter Sedium Apoſtolicarum prærogativam) ſed etiam in Aſclepam Gazæ Epiſcopum latam reſcidit, in communionem recepit, Sedi ſuæ reſtituendum præcepit; quod & effectum dedit Synodus Sardicenſis. *Epiſt. Syn* Sicut autem Aſclepam reſtituit; ita potuit & alios, per varias provincias Epiſcopos, qui ſe (ut legere eſt in Epiſt. Julii) ab eadem Euſebiana factione Eccleſiis ſuis pulſos querebantur, reſtituere; & ſi Sozomeno Lib. 3. c. 8. fides, reſtituit.

48. Synodus Sardicenſis, circa annum 347. habita, canone 3. ſtatuit, quodſi aliquis Epiſcopus judicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere... S. Petri Apoſtoli memoriam honorandam, & ab his, qui cauſam examinarunt, ſcribendum Julio Rom. Epiſcopo: & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit, talem cauſam eſſe, ut non refricentur ea, quæ acta ſunt; quæ decreverit, pro confirmatis eſſe habenda.

Canone 4. additur: ut, cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur; & proclamaverit, agendum ſibi negotium in urbe Roma: alter Epiſcopus in ejus cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur; niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata. Canone 7. „Placuit autem, ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & judicaverint congregati Epiſcopi regionis ipſius (en Epiſcopos deſignari Provinciæ ſingularis) & de gradu ſuo „eum dejecerint; ſi appellaverit is, qui dejectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri... ſi juſtum putaverit„ (utique Rom. Epiſcopus) „ut renovetur judicium, vel diſcuſſionis examen; ſcribere „his

„his Epiſcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is, „qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum „Romanum, ut e latere ſuo Presbyterum mittat; erit in poteſtate Epiſcopi, „quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreverit mittendos eſſe, qui præſentes „cum Epiſcopis judicent, habentes auctoritatem ejus, a quo deſtinati ſunt, „erit in ſuo arbitrio. Si vero crediderit, Epiſcopos ſufficere, ut negotio „terminum imponant, faciet, quod ſapientiſſimo conſilio judicaverit.„

Ex canone tertio habemus, in poteſtate & arbitrio Rom. Pontificis eſſe, ubi ab Epiſcopis, qui cauſam examinarunt, de rei ſtatu edoctus fuerit, vel renovare judicium, & dare judices: vel confirmare priorem ſententiam, ſi cenſuerit talem cauſam eſſe, ut non videantur ea, quæ acta ſunt, refricanda; ut factum in cauſa Pauli Samoſateni (*h. Controv. n. 41.*) Ex canone 7. habemus, liberam pariter Rom. Pontifici optionem eſſe, ſi renovandum eſſe judicium cenſuerit; ut poteſtatem omnia requirendi, & juxta fidem veritatis definiendi committat vel ſolis Epiſcopis vicinæ „(non ejusdem, in qua depoſitus videtur Epiſcopus appellans)„ provinciæ; vel miſſis a ſuo latere, ejus, a quo deſtinati ſunt, auctoritatem habentibus, qui præſentes cum Epiſcopis judicent. Utrumlibet fiat, fit auctoritate delegata ſummi Pontificis Romani. Neutro canone vetatur, ne cauſam ipſemet, ſi voluerit, cognoſcat. Gregorius IV. in Epiſtola ſua, ex qua deſumptus eſt Can. 42. Cauſ. 2. Q. 7. a vindiciarum Scriptore pag 34. N. XXIII. pro ſua cauſa productus, id ſibi jus aſſerit ex antiquis Canonibus, & contra quemcunque defendere paratum ſe exhibet.

49. Canones iſtos non putavit e re ſua vindiciarum Scriptor, oculis legentium ſubjicere; nec divinare mihi facile eſt, quid de illis ſentiat. Alii, ad clare iis aſſertam Rom. Pontificis auctoritatem enervandam, ajunt, non concedi hic poteſtatem renovandi judicium, ſed reviſionis duntaxat, ut vocant. Sed hoc effugium obſtruunt verba ipſa Canonis 3. *Judicium renovetur, & det judices.* & Canonis 7. *Si juſtum putaverit, ut renovetur judicium, vel diſcuſſionis examen.* Et: *Qui præſentes cum Epiſcopis judicent.* Alii hos Canones Sardicenſes ajunt ante ſæculum VII. aut VIII. neque in Orientis, neque in Occidentis Eccleſia notos fuiſſe. Non eſt mihi neceſſarium ad præſens propoſitum diſcutere, verumne id, an falſum ſit. Verum foret licet; tamen eundem, ſine ſcripto canone morem, conſtanter viguiſſe ante Sæculum VII. & VIII. elueeret ex iis, quæ non multo poſt prolaturus ſum.

Multum nonnulli putant momenti eſſe in contentione illa, quæ circa Canones Sardicenſes Eccleſiam Africanam inter, & Zoſimum Pap., ejuſque Succeſſores Bonifacium, & Cœleſtinum Sæc. V. incunte exorta eſt. Sed laborabant Africani Præſules errore facti; cui occaſionem præ-

buerat commonitorium Zosimi datum Legatis suis ad Synodum, ad quam ex omnibus Africæ provinciis confluxuri erant Episcopi. In hoc commonitorio Zosimus allegavit inter cætera Canonem VII. Sardicensem: *Placuit autem*, totidem verbis, quibus eum supra (*h. Controv. n. 48.*) exhibuimus integrum. Sed Zosimus eum appellavit *Nicænum*. Qui mos eo tempore non erat infrequens: sive quod Sardicensis synodus habita fuerit velut appendix, & complementum Nicænæ; sive quod quibusdam in Codicibus, Canonum Nicænorum titulo insignitis, post Nicænos descripti legerentur & Sardicenses. Ut ut ista sint; cum Africani in suo, quem præ manibus habebant, codice Canonem istum VII. non reperissent, motum eis est dubium. Non tamen eum plane rejecerunt; sed pro sua in RR. Pontifices observantia obtemperantes omnibus, quæ Zosimi commonitorio continebantur, & profitentes, se servaturos, quod in Nicæno Ccio constitutum sit, id unum sibi reservarunt; ut de isto Canone plenius edocerentur. *Act. Conc. Carthag. VI, apud Hard. T. 1. Cc. a pag. 1241.*

Quamvis itaque illo tempore nondum innotuerint Africanis isti Canones: certe tamen notam fuisse illis, ignorato etiam tum scripto Canone, perpetuam traditionem majorum suorum de residente in Rom. Pontifice potestate synodorum particularium sententias, in Episcoporum deponendorum causa latas, vel confirmandi, vel rescindendi, dilucide probant; quæ (*a n. 42. h. Controv.*) attulimus; quibus, si necesse foret, addi possent plura.

Afros postea priorem facti errorem dedoctos, non vocasse amplius in contentionem jus Episcoporum in causa ejusmodi provocandi ad Rom. Sedem, discimus ex Epistola 261. S. Augustini ad Cœlestinum I. Cum enim Antonium Fusalensem Episcopum, a semet quamvis antea promotum, S. Augustinus propter prodentia se postmodum ejus infanda facta in synodo removisset ab illa Ecclesia, isque confugisset ad Bonifacium, ejusque deinde Successorem Cœlestinum; non recusavit Hipponensis judicium Papæ: Sed eum de actis contra Antonium in Africa certiorem faciens, obsecravit solummodo, ut Cœlestinus suo judicio & Fusalensis populi, a suo Pastore divexati, & Antonii saluti velit prospicere, ne & hic, & ille periret. Quod si contingeret, magno sibi mœrori, pro sua in utrumque charitate, futurum ostendit.

Accedit, quod in illa Synodo VI. Carthag. nullius Episcopi deponendi, sed Apiarii Presbyteri, Africam cum ingenti scandalo perturbantis, causa ageretur. Nec in Epistola Synodica Patres deprecabantur Papam, ne Episcopos damnatos, sed ne de communione fidelium dejectos

ctos a ſe, ad communionem ipſe facile, præpropere, & indebite reciperet contra Can. V. Nicænum.

50. Juſtinus Febronius in Libro ſuo ſingulari C. V. §. 6. aliam expediendi ſe his canonibus viam inivit. Aſſerit enim ex mente, & diſpoſitione iſtius Synodi, adjectitium eſſe hoc privilegium, a memorata ſynodo primo Epiſcopo tributum, originarie, & ex natura Primatus Apoſtolici eidem non competens, & ne indolem quidem genuinæ appellationis habens, proinde prætenſum illum Primatum jurisdictionis proprie dictæ deſtruens potius, quam ſuſtinens.

51. Primatum quidem jurisdictionis proprie dictæ in Vindiciis negari Rom. Epiſcopo, nullibi reperio. Propterea hoc Febronii aſſertum earum ſcriptori abſit, ut impingam; nec cauſam præſentem attinet. Relinquo id diſcutiendum illis, qui Febronii fallacias partim retexerunt hactenus, partim retecturi ſunt forſitan. In hac depoſitorum a Synodis Epiſcoporum cauſa, quam præ manibus habemus, morem iſtum ante ſcriptos Sardicenſes Canones fuiſſe inde a Sæculo III conſtanter obſervatum, oſtendi (*a n. 41. b. Cont.*) & poſt ſcriptos continuatum mox oſtendam. Poſtulat tamen hæc ipſa etiam cauſa, ut Febronii caput paucis lavem. Faxit Deus, ne lavem æthiopem. Poterat eodem ingenii ſui acumine dicam, an ſtupore, pronuntiare: Verbi æterni Divinitatem in Nicæna I. contra Arium; Spiritus S. Divinitatem in Cpolitana I. contra Macedonium; unitatem perſonæ Chriſti Domini in Epheſina I. contra Neſtorium, & Deiparæ nomen ejus Beatiſſimæ Matris; duas naturas Chriſti Domini in Chalcedonenſi I. contra Dioſcorum & Eutychen; duas voluntates Chriſti in Cpolitana III. contra Monothelitas, cæteraque ejusmodi in Cciis Oecumenicis aliis aſſerta, ac declarata, eſſe *adjectitium privilegium*, illis Perſonis a Synodo *tributum*; *originarie tamen*, & *ex natura* illarum iiſdem *non competens*. Appage! dices: non ſunt hæc tributa a Synodorum Patribus, ſed ex Apoſtolicis, & Beatorum Patrum traditionibus ab illis aſſerta, declarata, definita. Nihil ab illis novum, & antea inſolitum conſtitutum. Plane tecum ſentio, quiſquis iſta diſputas. Sed idem de Patribus Sardicenſibus omnino ſentiendum eſt. Nihil illi ſtatuerunt novum, & ante inſolitum; ſed quæ auctoritati ſupremi Capitis originarie & ex natura ſua competere, ex traditione Patrum acceperant, atque uſu, ac moribus Eccleſiæ hactenus recepta intellexerant, aſſeruerunt, declararunt, definierunt. Provocationis, & Appellationis verba, in his canonibus occurrentia, de indole genuinæ appellationis accipienda ſunt; donec veteres venerint, qui abuſive interpretanda doceant. Novorum hominum interpretationes nihili facimus.

52. Veniamus nunc ad id, quod oſtenſum a me iri, non ſemel jam promiſi: nimirum poſt Sardicenſes Canones eundem morem conſtanter retentum, ac continuatum fuiſſe in Eccleſia.

53. Ex Baſilii M. Epiſtola 74, alias 187. ad Terent. conſtat, Euſtathium Sebaſtenum a Synodo Mitilinenſi depoſitum, a decepto ejus hypocriſi Liberio Papa literas reſtitutionis obtinuiſſe; iiſque oſtenſis in Synodo Tyanenſi ſuſceptum. Dum autem poſt detectæ fuerunt ejus fraudes, non ſunt tamen auſi ejuſdem Provinciæ Epiſcopi deponere eum, niſi monito Rom. Pontifice, ac rogato, ut illum canonum ultioni permitteret.

54. Sæculo ſequente circiter annum 434 Neſtorio in Epheſina I. damnato, ac pace inter Joannem Antiochenum, qui Neſtorii partibus ante ſtuduerat, & S. Cyrillum Alexandrinum compoſita, Helladius Tarſenſis, & Eutherius Tyunenſis Metropolitæ, cum aliis quibusdam Neſtorianæ etiamtum factioni perdite deditis Epiſcopis, confugerunt ad Sixtum III. Papam: poſtularuntque ab eo, tamquam Eccleſiæ Capite, ut reſciſſis Synodi Epheſinæ, quam non habebant pro Oecumenica, decretis, ſe in ſedibus, e quibus partim electi erant, partim ejiciendi videbantur, auctoritate Apoſtolica tueretur. Epiſtola eorum habetur in Synodico Caſinenſi, ex quo eam refert Harduinus *T. 1. CC. a pag. 1635.* Ipſe Eutyches, quamvis Archimandrita duntaxat, ſive Abbas, non Epiſcopus; tamen a S. Flaviano Cpolitano in Synodo damnatus, ad S. Leonem Papam libellos appellationis miſit. *Epiſt. 7. Leonis ad Theodoſ. Imp., & 8. ejuſd. ad Flavianum, & Flaviani ad Leon.* Sed S. Leo confirmavit ſententiam a Synodo Flaviani latam. *Epiſt. Synod. CCii Chalced.* Uſque adeo pervagata erat in Eccleſia ejus temporis traditio, patere Epiſcopis, ac Prælatis particulari a Synodo dejectis ad Sedem Romanam perfugium: ut ipſimet etiam hæretici ad eam, velut ſalutis portum confugere non dubitaverint. Ex quo perſpicuum eſt, quantum ſallantur, ac fallant ii, qui perſuadere conantur, Orientis Epiſcopos nunquam ad Romanos Pontifices, ſed ad totius Eccleſiæ Synodos provocaſſe.

55. Illa vero cui, in hiſtoria Eccleſiaſtica vel modice verſato, ignota ſunt: S. Chryſoſtomum ſemel in Synodo ad Quercum, atque iterum in alia damnatum, ab Innocentio I, ad quem confugerat, reſciſſa utriusque Synodi ſententia abſolutum, atque in Sedem reponi juſſum. *Palladius in Dialogo de Vit. S. Chryſ. aliique.* Item S. Flavianum Cpolitanum, & Theodoretum Cyri Epiſcopos, in Latrocinio Epheſino Cathedris ſuis exturbatos, ad Romanum Pontificem provocaſſe. Ac quamvis Flavianus, ſive fato ſuo, ſive inimicorum machinationibus illata morte præoccupatus, appellationis fructum nullum reportarit: Theodoretum tamen a Leone Pap. ſuæ Eccleſiæ redditum, ideoque a Concilii Chalcedonenſis Patribus, mox poſt dictum Neſtorio anathema, in Synodi conſortium receptum, reclamantibus incaſſum Ægyptiis, citra diſcuſſionem aliam præviam, conſtat ex Actis *Con. Chalced. Act. 1ma* In Act. autem 8va non revocarunt ad examen, neque relegi voluerunt acta apud Pontificem in cauſa Theodoreti; ſed ejus ſententiæ ſimpliciter ſubſcripſere. *Nihil relegi volumus,*

lumus, modo anathematiza Neſtorium. Rurſus S. Ignatium Cpolitanum contra Photii injurias ab Adriano II. defenſum loquuntur acta Synodi VIII.

> Non ignoro artes, quibus Novitii quidam homines, aliam factis his induere faciem, contra antiquitatis omnis fidem, moliuntur. Sed nihil adferunt; quod expenſis veterum monumentis non corruat ſponte; & jam millies labefactatum non ſit. De Epiſcoporum Sede ſua deponendorum cauſa hic ſolum agimus. De provocationibus ad Sedem Pontificiam in cauſis aliis, diſceptare ad rem præſentem non pertinet.
>
> Cæterum compluribus aliis exemplis probari poteſt perpetuus ille mos; ut Epiſcopis a Synodo particulari dejectis fas ſit appellare Sedem Romanam. Ea hic brevitatis ergo non tam prætereo, quam aliud in tempus, ſi quando neceſſarium foret, reſervo.

56. Ac ne forte cauſetur quis, ex dictis aliud non ſequi, quam poſſe Epiſcopos, a Synodis illegitimis, ac per injuriam dignitate exutos, a Rom. Pontificibus petere, atque impetrare remedium: Conciliorum hiſtorias perlegentibus palam fiet, ne in legitimis quidem, atque Oecumenicis Synodis Epiſcopos, niſi intercedente Rom. Pontificis auctoritate, exauctorari ſolitos. Ita in Synodo III. Neſtorius Cpolitanus, in IV. Dioſcorus Alexandrinus, hic Leonis I, ille Cœleſtini I. auctoritate fuerunt depoſiti. Quod ſi movere aliquis voluerit ex eo ſcrupulum, quod hi, aliique non ſolius Rom. Pontificis, ſed Synodorum etiam judicio fuerint loco ſuo moti, vel reſtituti: is aliam quæſtionem injicit, quam hoc loco attingere nullatenus opus eſt. Propoſitio Vindicis ea eſt: poſſe Synodum particularem Romanam *ſolam, nullo intercedente aliarum Eccleſiarum, aut Synodi generalis auxilio* exauctorare Paſtorem ſuum, etiam ob ſolam morum corruptelam. Iſtam ut probaret, aſſerit: omnibus aliis Synodis provincialibus fuiſſe primitus hanc poteſtatem, ut poſſent quemlibet de Provincia Epiſcopum, imo & Metropolitanum deponere. Ergo idem dicendum inferebat de Synodo provinciæ Romanæ. Sive jam ad particularium Synodorum judicia ejuſmodi infirmanda ſufficiat ſolius Romani Pontificis, ſive requiri etiam dicatur Synodorum auctoritas: manet verum, nulli Synodo particulari competiiſſe primitus poteſtatem exauctorandi *ſola ſua auctoritate* ſuum Paſtorem. Q. e. d.

57. Inde a Sæculo VIII. non exauctorari Epiſcoporum ullum a ſolis Synodis, nulla intercedente ſuperiore auctoritate, nemo inficiabitur. Cedo enim mihi Epiſcopum ullum, qui a Diœceſana ullum Archi-Epiſcopum, qui a Provinciali, ullum Metropolitam, qui a nationali Synodo particulari ſola de throno ſe ſuo pateretur detrudi. Lamentantur novi diſciplinæ veteris inſtauratores, labem hanc ex confictis ab Iſidoro Mercatore decretalibus in Eccleſiam irrepſiſſe.

repſiſſe. Quid ad nos Iſidorus iſte? Oſtenſum (*a n. 41. b. Controv.*) ex antiquioribus Iſidoro, & probatiſſimis teſtibus, hanc non labem, ſed ſaluberrimam diſciplinam viguiſſe in Eccleſia inde a Sæculo III; & vigere in hanc diem, inficiari non poſſunt. Saluberrimam, inquam, diſciplinam. Compertum eſt enim, quod, quoties particulares Synodi eam ſubvertere molitæ ſunt, atque exauctorare Paſtores ſuos, ſive hæreſum, ſive ſolarum objectarum iis criminationum (uti Cæciliano, & Chryſoſtomo accidit) prætenſo nomine: totiens gravia exſtiterint inter Sacerdotes jurgia, in populis ſcandala, turbæ, ac ſeditiones. Quarum calamitatum moles Romæ etiam, ejecto Joanne XII. non exigua incubuit. Hoſne mores reductos cuperent præclari illi diſciplinæ veteris præcones?

58. Iſta ſi ex hiſtoria Eccleſiaſtica didiciſſet Vindex noſter, auſuruſne fuiſſet pag. 33. N. XX. ſcribere tam inſulſe? „Hoc de omnibus Eccleſiarum „Paſtoribus verum eſt: ſi de ſolo Paſtore Eccleſiæ Romanæ falſum eſſet, primæ atque centrali Eccleſiæ minus providiſſet Chriſtus, quam ſecundis, & inferioribus, quod incredibile aliquid ſonat.„ (Tu providiſſes melius, ſapientia) Quamquam enim non negavero, poſſe inferiores omnes Paſtores arceri ab ovili, quicunque ex paſtore fiant lupi ſive propter hæreſin, ſive propter alias cauſas: tamen falſum de omnibus Eccleſiarum Paſtoribus eſſe, quod poſſint *ſi* *lius* particularis Synodi auctoritate deponi, modo demonſtratum eſt. Si de ſolo Romanæ Eccleſiæ Paſtore verum eſſet; primo, atque centrali Paſtori, ſuque ſupremo in terris Vicario minus providiſſet Chriſtus, quam ſecundis, & inferioribus. Hi in Synodis depoſiti, ſi habere ſe bonam cauſam exiſtiment habent Sedem Romanam; apud quam reparationem dignitatis quærere valeant ac ſæpe repererint. Ille a Synodo læſus, quamtumlibet optimam cauſam habere ſe arbitretur, ad quem portum confugiet? Quod certe incredibile aliquid ſonat. Maxime ſi Synodus in eum inſurgens nec legitima ſit, nec ſecundum canones judicaverit.

59. Sed quidquid ſit de aliis Eccleſiis particularibus; hanc Eccleſiæ Romanæ præ cæteris prærogativam competere, contendit evincere aliis argumentis, ſed talibus, in quibus (Pace ſuæ Claritatis dixero) plures fere ſunt fallaciæ, quam ſententiæ. Non numeremus ea duntaxat, ſed penſitemus etiam.

60. „Juvare ſe poſſe„ (exauctorando Paſtorem ſuum) competit Eccleſiæ illi„ (Particulari Romanæ) „hoc ipſo, quod ſit prima Eccleſia, omniumque „ſuprema.„ Hæc Ipſe pag. 33. N. XXII. Eſt utique ex Catholicorum unanimi ſenſu prima, omniumque ſuprema Romana, etiam particularis, ſi ita vis Eccleſia. Sed ex quo fonte promanat hæc ejus prærogativa? Non ex peculiari privilegio illi, qua tali, qualis a vindiciarum auctore deſcribitur, conceſſo (Quod nullibi reperio, neque ipſa ſibi, ni vehementer fallor, arrogat) ſi

ex eo, quod, qui Urbis ſenioris Romæ Epiſcopus eſt, idem ſucceſſor B. Petri ſit, quem primum, omniumque ſupremum Chriſtus Dominus Paſtorem conſtituit. Dominus quippe non ſoli B. Petro, vitæ ejus arctis finibus circumſcriptam, ſupremam oves ſuas omnes paſcendi poteſtatem fecit: ſed quia ovile diebus omnibus uſque ad conſummationem ſæculi manere voluit; voluit eandem ad B. Petri Succeſſores tranſire. Romanos autem Pontifices eſſe B. Petri Succeſſores, ad eoſque hæreditario jure tranſire totam, quæ huic veluti Paſtorum ſupremo, conceſſa eſt, auctoritatem, non ſemel agnovere, & clare profeſſi ſunt Patres tum intra, tum extra Ccia Oecumenica.

61. Merito igitur fatetur Vindex pag. 53. N. XXIV. Papatum eſſe Metropoli Romanæ annexum ita, ut qui Metropolita Provinciæ Romanæ non ſit, is nec ſit Epiſcopus ſenioris Romæ; qui iſte non ſit, nec Papa univerſalis ſit. Verum magnæ inſcitiæ foret, ſi quis ſibi imaginaretur; illud Epiſcopum Romanum inter, atque univerſalem Papam vinculum prodire a Provinciæ Romanæ incude. Nexus ille partim ab inſtitutione Chriſti proficiſcitur, partim ex facto, quod ita certis documentis teſtatum, comprobatumque eſt, ut vocari in dubium a nemine ſano poſſit. Ex inſtitutione Chriſti proficiſcitur, quod, qui in B. Petri, tamquam ſupremi Paſtoris, officio ſuccedunt, ſint & ipſi totius Eccleſiæ Paſtores. Factum autem certiſſimum eſt, quod B. Petrus Romæ Sedem ſuam fixerit, ibidemque vitam finiens ſupremam Cathedram ſuam vacuam reliquerit. Quando Eccleſiam Antiochenam, ubi Cathedram ſuam primo conſtituerat, deſerens S. Euodio tradidit: non abdicavit ſe tamen Eccleſiæ Univerſalis Cathedra, ſed eam ſibi reſervavit, perrexitque fungi Paſtoris ſupremi officio, datis Roma duabus ante mortem ſuam ad Eccleſias undique diſperſas Epiſtolis. S. Ignatius Martyr igitur poſt S. Euodium alter fuit B. Petri Succeſſor in Eccleſiæ Antiochenæ, non Eccleſiæ Univerſalis Cathedra. Hæc non vacavit prius, quam vixiſſet Petrus. In ejus demortui locum, qui ſurrogatus eſt, non modo in Romanæ particularis, ſed Univerſalis etiam Eccleſiæ cathedra, tum primum vacante, ſucceſſit. Ex eo autem tempore, quotquot Pontificibus Romanis mortuis, aut ſedem ſuam ſponte deſerentibus, ſucceſſere; ſucceſſores B. Petri in ſummo Pontificatu fuiſſe conſtanter ab Orthodoxis agnitos, negare nemo poteſt, niſi in hiſtoria Eccleſiæ, & Cciorum plane hoſpes. Qui vero Eccleſiarum aliarum particularium Epiſcopis ſuccedunt, in eam duntaxat ſuccedunt cathedram, quam tenuit præcedens.

62. Ex his jam conſequens eſt; quod, ſi ne particularis quidem Eccleſiæ Epiſcopus poſſit *ſolus* Synodi particularis auctoritate deturbari e ſuo ſolio, multo minus id locum habere poſſit in primo, omniumque ſupremo Paſtore; a quo omnis in Eccleſiam particularem Romanam, quem habet, ſplendor dimanat. Aut ſi quis particulari Romanæ Synodo plus juris in primum, & ſupre-

mum Paſtorem, neminem in terra ſuperiorem habentem, (*ut probavimus Cor* 1.) afferere voluerit, quam particularibus aliis in ſuos Paſtores Synodis: demonſtrandum non depromptis ex ſuo cerebro fallacibus ratiunculis; ſed auc ritate traditionum veterum. (*h. Contr. n. 6.*) Hoc qui non poteſt, ut nu quam poterit Noſter, is nihil dicat PRÆSIDE SE, ſed digitum ori impo cum reverentia.

63. Imponeret autem ori digitum? Id alienum a dignitate Decani Fac tatis Juridicæ. Pergamus igitur audire gravitate ſolita garrientem: „H „ſupremitas, inquit pag. 33. N. XXII. ipſi tribuit præ reliquis Eccleſiis c „nibus, quod ipſa ſola eligat ſibi Paſtorem, & eligendo Paſtorem faciat, „quavis cujuſvis Concilii, vel Eccleſiarum cæterarum confirmatione; dum c „tra cæteræ Eccleſiæ confirmationes electorum ſuorum petere tenentur.

64. In iſta jam una ſententia: Quod Ipſa (Eccleſia particularis Roma qualem Ipſe deſcribit) *ſola eligat* ſibi Paſtorem, & eligendo Paſtorem *faci* duas trabales falſitates nota, Theodulphe! Prima eſt: Quod ipſa *ſola eli* ſibi Paſtorem; Altera, & atriore calculo notanda eſt: Quod *eligendo faciat* ſtorem, id eſt, Romanum Pontificem.

65. Falſum eſt imprimis, quod Eccleſia Romana, id eſt, ut ipſe mo (*pag. 35. N. XXIV.*) *conſtans ex Romanis Pontificibus*, videlicet *Romanæ Pro cie Suffraganeis, Cardinalibus, Presbyteris, & Diaconis*, eligat ſibi Paſtor Chriſtus Dominus conceſſit quidem Eccleſiæ poteſtatem eligendi ſibi Miniſt & Paſtores, etiam B. Petri Succeſſorem in ſummo Pontificatu: ſed modum, eligerentur, non determinavit. Fuit is pro varietate temporum varius, de hic pluribus differere, non eſt neceſſarium. Circa Sæculi XI medium in C Romano, habito an. 1049., ſub Nicolao II. demandata eſt ſolis S. R. E. C dinalibus, qui variis ex Nationibus deliguntur, poteſtas eligendi ſumm Pontificem; quod privilegium illis in Ccio Conſtantienſi, jam plene Oecu nico, rurſus confirmatum eſt unanimi Patrum conſenſu Seſſ. 41. etſi illa duntaxat vice electio Martini V. peracta ſit per additos Cardinalibus De tatos Nationum Anglicæ, Germanicæ, Hiſpanicæ, & Italicæ. Ex eo t pore ſoli S. R. E. Cardinales eligunt Romanum Pontificem. Ad Conclave ctionis non admittuntur amplius Epiſcopi Provinciæ Romanæ Suffraganei, qui ex illis ſunt Cardinales. Quamvis & cæteri, qui Cardinales non ſunt, Eccleſiam Romanam, omnium primam, ac ſupremam pertinere non deſin Dico hæc, non PRÆSIDE ME, ſed in oculis univerſæ Eccleſiæ. Si vero cleſiæ Romanæ qua tali, qualem nobis Ipſe effingit, competeret ratione ſu mitatis, ut eligat ſibi Paſtorem: nullum habuiſſemus non ſolum a temp Conc. Conſtantienſis, ſed etiam a Nicolai II. ævo legitimum Rom. Pontificem: excluſa ex eo tempore fuit Pontificum Romanorum, id eſt, Ipſo mone Provinciæ Romanæ Suffraganeorum Epiſcoporum pars maxima.

66. N

66. Non ſolius autem falſitatis, ſed tetriore vitio laborat altera ſententiæ pars: Quod Eccleſia Romana *eligendo faciat* Paſtorem: præſertim cum addat paulo poſt; quod ipſa ſola ſibi *faciat complete* Paſtorem. Paſtorem inquam, qui ſimul ſit Romanus, & ſummus Eccleſiæ Catholicæ Pontifex: fatetur enim, Papatum eſſe Metropoli Romanæ annexum. Summam poteſtatem in Eccleſiam Chriſti totam, quam Chriſtus Dominus ita primitus conceſſit B. Petro, ut eam vellet permanere in Eccleſia ſua perpetuam, atque ad omnes B. Petri Succeſſores tranſituram, nemo mortalium confert electo Romano Pontifici; ſed virtute primævæ inſtitutionis ſuæ ipſemet Chriſtus Dominus. Hic ſolus, nulla media humana, ſive ſacra, ſive profana auctoritate, facit Paſtorem tam particularis Romanæ, quam univerſalis Eccleſiæ.

67. In Paſtore duas Catholici poteſtates diſtinguimus: alteram ordinis, alteram paſcendi, ac ducendi oves Chriſti. Poteſtatem ordinis quilibet Sacerdos ab ipſomet Chriſto Domino accipit. Sicut enim ſi Petrus baptizat, baptizat Chriſtus; ſi Paulus baptizat, baptizat Chriſtus; (*S. Auguſtin. Tract. 26. in Joan.*) ita ſive Ambroſius, ſive Auguſtinus Ss. Ordines conferat; confert Chriſtus, qui eſt Sacramentorum omnium principalis Miniſter.

68. Poteſtatem paſcendi, ac ducendi univerſas oves Chriſti in electum Romanum Pontificem ab ipſomet Chriſto Domino Deo noſtro derivari, ſine alio medio, non meum inventum eſt: ſed ex veterrima Patrum traditione, & ſummo totius Eccleſiæ conſenſu docet Pius II. in Epiſtola ad Univerſitatem Colonienſem, pridem laudata; ubi ait inter alia: „Quicunque Romanæ ſecundum „Canonicas ſanctiones præficitur Eccleſiæ, quam primum electus eſt in ſacro „Collegio, ſupremam a Deo poteſtatem ſine medio conſequitur, & per ordi„nem in omnem diffundit Eccleſiam; cujus peccata divino judicio punienda „committuntur. „ Hanc conſecutionem ſuam Pius derivat ex Evangelio. Nam non multo dixerat prius: „unum conſtituit verticem, ac Ducem, & Paſtorem „univerſi Gregis „(Chriſtus Dom.) „Simonem Petrum, dicens: Tu es Pe„trus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves „regni cœlorum, ... & paſce oves meas ... „& paulo poſt: Nec alius a Petra dictus eſt Petrus, niſi Simon: ut intelligeremus, unicum eſſe veræ, & ſolidæ „Petræ, id eſt, Chriſti, ut Paulus exponit, locum tenentem Simonem Pe„trum... „ Quæ Evangelii verba, ſi recte expendantur, ſunt plane in hanc rem decretoria. Nuda, ſine additicia interpretatione, contemplemur verba. Dicitne Chriſtus Dominus Simoni Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, qui a me vera, & ſolida Petra poſthac cognominaberis Petrus, Eccleſia mea ſe ædificabit? Eccleſia tibi dabit claves regni cœlorum? Eccleſia dicit tibi: paſce oves meas? &c. Nihil horum dici ſine ſacrilega verbi divini corruptela poteſt.

teſt. Dicit enim diſertiſſime Chriſtus Dominus: EGO ædificabo ſuper ha Petram Eccleſiam meam: EGO dabo tibi claves: EGO dico tibi: Paſce ov meas. Quod autem Petro dixit; ex mente, atque inſtitutione ſua ad omn Petri Succeſſores pertinere voluit.

69. Fuerunt, non ignoro, novi quidam Doctores, qui effatum aliqu S. Auguſtini in alienum a S. Patris mente, aliis in ſcriptis ſuis clariſſime n nifeſtata, ſenſum contorquentes, docuerint: Petrum, dum claves, ſive po ſtatem gubernandi populum, accepit, in perſona Eccleſiæ accepiſſe, neq ipſimet Petro datas, ſed proxime, ac primo Eccleſiæ, ſive fidelium cœtui, a collegio: in cujus poteſtate ſit, illarum uſum dare tum uni miniſtro ſuo p mario, tum aliis inferioribus; ita tamen, ut earum proprietatem nunquam a abdicet Eccleſia, ſed iis miniſterialiter utendi duntaxat facultatem faciat perl nis quibuſdam, velut ſuis miniſtris: integrum eſſe Eccleſiæ, facultatem iſta non modo vel ampliare, vel reſtringere; ſed & dare, ac datam, ſi videbitu repetere pro ſuo arbitrio. Ex horum Doctorum ſententia nec ſummum, n alios paſtores facit ipſe Chriſtus ſine medio, ſed media Eccleſiæ, ſive Congr gationis fidelium conceſſione. Atque ita *Gregis Dominus* non dat, ſed *oves* ciunt ſibi *Paſtorem.*

70. Doctores ejuſmodi ſunt Joan. Calvinus L. 4. Inſtit. C. 1. n. 2 „Clavium poteſtatem Dominus fidelium ſocietati contulit.„ Deinde Edmu dus Richerius, qui tamen ante mortem reſipuit, ac totum ſe Eccleſiæ ſubje judicio. Is in *libello de Eccleſ. & Polit. poteſt.* ait; „Chriſtum fundando E „cleſiam prius, immediatius, atque eſſentialius claves ſive jurisdictionem t „dediſſe Eccleſiæ, quam Petro, ſeu, quod eodem recidit, claves toti dedi „Eccleſiæ, ut per unum miniſterialiter exercerentur: quandoquidem tota j „risdictio Eccleſiaſtica primario, proprie, ac eſſentialiter Eccleſiæ conveni „Romano autem Pontifici, atque aliis Epiſcopis miniſterialiter, & quoad ex „cutionem tantum„. Richerium e veſtigio ſequitur Simon Vigorius, vel qu quis eſt e Janſeniana conſpiratione auctor libri, cui nomen: *Spiritus Gerſonii.* In il pag. 77. hæc legimus: „JEſus Chriſtus poſtquam ſemel primum Paſtorem miniſt „rialem deſignaverat, Gregi ſuo eligendi ipſius Succeſſores, inque eorum m „res inquirendi jus & poteſtatem dedit: ita quidem, ut, cum miniſterialis h „Paſtor omnem ſuam poteſtatem obtineat a Grege, qui jure a Deo ſibi conce „ſo illum deligit, hic ipſe Grex non tantum adeptus ſit jus, & auctoritate „Paſtori ſuo rerum gerendarum, ac gubernationis formam inviolatis ſanctior „bus præfiniendi; ſed etiam ipſum redigendi in ordinem, & exauctoratum or „ni hac poteſtate ſpoliandi. „Eandem doctrinam legimus in Lutheranaru partium Doctoribus. Eandem adoptavit noſtra ætate Juſtinus Febronius Libro ſingulari *De ſtatu Eccleſiæ*, neſcio cujus, certe non Catholicæ, Cap.

§.

§. 6. Quanquam liber iſte totus ex perpetuis fere antilogiis, & rerum omnium confuſione compoſitus ſit. Conſarcinatus enim eſt ex omnibus, quotquot hactenus excogitata ſunt, contra Pontificiam auctoritatem Syſtematis; neque attendit Auctor, quam parum aliud conſentiat aliis: ut e. g. Apoſtolos omnes, ac proinde etiam horum Succeſſores, Epiſcopos, jurisdictionem ſuam accepiſſe immediate a Chriſto; *Sicut ſuam habent Petri ſucceſſores ab eo, a quo Petrus ipſe*; docet Cap. 7. §. 1, pag. 536, oblitus, quæ ſupra (C. 1. §. 6. cit.) dixerat pag. 32. „Clavium poteſtatem Univerſitati Eccleſiæ proprie, & ita tran„ſcriptam eſſe, ut illa per eos miniſtros pro ſua cujuſque portione, ac inter „hos per ſummum Pontificem exerceatur.„ Clavium poteſtas eſt poteſtas jurisdictionis. Eandem Petrus, & Apoſtoli, eorumque Succeſſores Cap. 7. acceperunt a Chriſto immediate: in Cap. 1. tam ille, quam hi exercent datam ſibi ab Eccleſia, non ab ipſomet Chriſto immediate Poteſtatem. Scatet ejuſmodi contradictionibus Liber; hanc ſolam pro re nata hic indicaſſe ſufficiat in materia, cauſam præſentem propius attingente.

71. Cave tamen, vindiciarum noſtrarum auctorem ejuſdem doctrinæ accuſes, Theodulphe. Faceres ei injuriam; cum ab illa diſtet longiſſime gentium. Illi Doctores loquuntur de tota Eccleſia, de Univerſitate Eccleſiæ; hic noſter de ſola particulari Eccleſia Provinciæ Romanæ; huic ſoli, utpote primæ, omniumque ſupremæ dicit tributum, ut ipſa ſola eligat ſibi, & eligendo Paſtorem complete faciat; & ita quoque ſola deſtituat. En latum hunc inter, & illos intervallum!

72. Verum quidem eſt, quod electus Romanus Pontifex, quia ſuperiorem non habet, confirmationem a nemine mortalium petere aut debeat, aut poſſit. Diſcimus hoc ex Conc. Romano ſub Nicolao II, ſupra (*n. 65. huj. Cont.*) nominato, ubi dicitur: „Quia vero Sedes Apoſtolica cunctis in orbe „terrarum præfertur Eccleſiis, atque ideo ſupra ſe Metropolitanum habere non „poteſt: Cardinales Epiſcopi procul dubio Metropolitarum vice funguntur, „qui videlicet electum Epiſcopum ad Apoſtolici culminis apicem provehunt.„ Electum nihilominus Epiſcopum, & eligendo ad Apoſtolici culminis apicem ab Epiſcopis Cardinalibus provectum Deus Dominus noſter Chriſtus ſuprema poteſtate ſine medio donat; ut docet Pius II.

73. Videris, Theodulphe, toto capitis abnutu oſtendere, non probari tibi in hac mea ratiocinatione aliquid. Dic libere, quid animo tuo ægre ſit. Anno, inquies, 963. quo depoſitus eſt Joannes XII, nondum nata erat illa Pii II. epiſtola, neque illa Conc. Romani ſub Nicolao II. Conſtitutio. Hæc igitur illius temporis particularem Provinciæ Rom. Eccleſiam non attinent. Pol! nihil amplius? ſi nondum lucem illo tempore aſpexerat Pii II. epiſtola, in plena tamen luce verſatum fuerat pridem S. Evangelium, ex quo conſecu-

tionem iſtam ſuam derivavit hic Pontifex. (*Vid. n. 68. b. Contr.*) Quamvis item nondum exſtiterit Concil. Romani Conſtitutio, quæ ſolis Cardinalibus tribuit jus eligendi Romanum Pontificem, exſtabat tamen idem S. Evangelium, & Patrum traditio, cui innititur Pii II. ratiocinium.

74. Demum quamvis electus Romanus Pontifex ſive, ut olim, a Romano Clero, ſive, ut nunc, a ſacro Cardinalium Collegio, confirmationem a nemine mortalium cogatur petere: nulla tamen ratione ſequitur, eum ab univerſa Eccleſia agnitum in quieta poſſeſſione dignitatis ſuæ multos annos conſtitutum, & viventem aut tum potuiſſe a Clero Romano, aut nunc poſſe a S. Cardinalium Collegio exauctorari invitum *propter ſolam morum pravitatem.* Oſtendam iſtud exemplo, quod concedere non volet, negare non poterit Vindex, quin teneatur. Comperi certis auctoribus, & verum eſſe tute noſti, Theodulphe: Profeſſorem Juris Canonici Treviris eligi ab iſtius Academiæ Collegio, ab eodemque nulla petita confirmatione alia inſtitui. Quid, ſi nunc electum Academia vellet ſola ſua auctoritate deſtituere? quos, putas, vultu colores daret? Quod ſibi nollet fieri; id in ſupremum Eccleſiæ Caput ſtatuet?

75. Progrediamur ad reliqua. Quaſi vero jam invicte probaſſet, quod ſola Romana Eccleſia faciat complete Paſtorem ſuum, & Papam; imperterrita fronte ſubjungit pag 53, N. XXIV: „Sicut autem ſola facit, ita quoque ſola „deſtituit. Nam in Eccleſiis, quæ ſe majorem non habent, inſtitutio, & de„ſtitutio ſtant neceſſario, & naturali ratione penes eandem cauſam efficien„tem. „

76. Mitto quærere, quam ſolidum ſit hoc principium. In inferioribus certe Eccleſiis non eſt inſtitutio, & deſtitutio neceſſario penes eandem cauſam efficientem. Multis in Diœceſibus electos, vel nominatos ad ſacerdotia inſtituendi poteſtas eſt penes Archidiaconos, alioſque Prælatos quoſdam inferiores, ſive ex conceſſione Epiſcopi, ſive ex privilegio, ſive ex conſuetudine, aut legitima præſcriptione. Inſtitutos tamen ſemel, atque in poſſeſſione legitima conſtitutos, deſtituendi poteſtatem, etiam propter gravia delicta, non permittent Epiſcopi Archidiaconis, aliisque ejuſmodi, ſine inſtituta in ſuo, vel Conſiſtorii ſui judicio cauſæ cognitione. Deſtituere enim aliquem ob delictum, eſt actus jurisdictionis, non cujuscunque inferioris, ſed altæ, & in criminalibus cauſis, ut vocant.

77. Demus tamen, in Eccleſia Romana, quæ ſe majorem non habet, inſtitutionem, & deſtitutionem ſtare neceſſario penes eandem cauſam efficientem. Jam ſuo ejus theſin telo confodio, ac ſubſumo: atqui cauſa, efficiens inſtitutionem Romani Pontificis, non eſt penes Eccleſiam Romanam, ſed ſolum Chriſtum Dominum, ut eſt demonſtratum hactenus: ergo cauſa efficiens deſtitu-

ſtitutionem Romani Pontificis non eſt penes Eccleſiam Rom., ſed ſolum Chriſtum Dominum. Q. e. d.

78. Mirificam nunc argumentationem audi ex ejus pag. 33. N. XXII. „Hujus Eccleſiæ Sponſus, ait, renuntiare poteſt ſpirituali conjugio ſuo, ſine „cujusvis interpoſita auctoritate; cæterarum Eccleſiarum Sponſi non ſic: infert:„ Cur ergo Eccleſiam „(Romanam particularem) „ ſubjiciamus neceſſi„tati generalis, vel particularis Synodi extraneæ adjutorio, ut, quem ipſa ſibi „facit ſola complete Paſtorem, deſtituere ſola non poſſet, pro caſu, quo „lupus fieret. „

79. Capin' vim argumenti, Theodulphe? Romanus Pontifex habet hanc præ cæteris Præſulibus prærogativam, ut poſſit ſpirituali conjugio ſuo, ſine cujuſvis interpoſita auctoritate, renuntiare: ergo etiam particularis Romana habet hanc præ cæteris Eccleſiis prærogativam, ut poſſit Sponſum ſuum (quem Chriſtus ipſi dedit, non ipſa ſola ſibi fecit) invitum cogere, ſine cujuſvis interpoſita auctoritate, ut conjugio ſuo renuntiet. Quid, ſi tecum diſputarem, Theodulphe, in hunc modum: Tu habes jus, ut rem, pleno dominio tuam, poſſis a te abdicare, ac mihi donare, ſine cujusvis alterius interpoſita auctoritate: ergo & ego habeo jus te vel invitum cogendi pari ratione, ut rem tuam a te abdices, ac mihi dones? Rideres profecto, quidquid cachinnorum eſt. Diceres: jus, quod mihi plenum rei meæ dominium dedit, dat mihi ea me abdicandi liberam facultatem. Quodnam autem jus dat tibi poteſtatem extorquendi rem a me meam invito? Præclare narras. Chriſtus Dominus, qui Epiſcopo Rom. ſecundum canonicas ſanctiones electo, ſupremam ſine medio poteſtatem dat, dat eidem liberam hanc a ſe poteſtatem abdicandi facultatem, uti conſtat ex uſu Eccleſiæ, abdicationes ejusmodi acceptantis. At fruſtra poſtulavimus pridem ſpecificum genuinum Canonem, qui talem poteſtatem Eccleſiæ particulari Romanæ aſſerat; ut poſſit invitum ad dimittendum magiſtratum cogere.

80. Quod autem addit: Cur ergo Eccleſiam ſubjiciamus neceſſitati generalis, vel particularis Synodi extraneæ adjutorio &c., inanitate ipſa inanius eſt. Quis, amabo, Eccleſiam iſtam particularem tali neceſſitati ſive generalis, ſive particularis extraneæ Synodi adjutorio ſubjicit? Quin potius negamus, ac pernegamus, poſſe illam a Synodo ulla ſive generali, ſive particulari adjutari, ut exauctorare queat Paſtorem ſuum certum extra caſum hæreſis. Neque enim particularis ulla ſive Romana, ſive extranea Synodus jurisdictionem altam in ſupremum Paſtorem obtinet; ſed ſunt minores; nec judicare majorem poſſunt, ut conſtat ex hactenus diſputatis. Sunt quidem privati Doctores quipiam Catholici, qui auctoritatem Cœii univerſalis opinentur eſſe ſupra Papam, ab eoque hunc poſſe deponi. Sed hæc non eſt Eccleſiæ totius Catholicæ doctrina. Eſt certo dubia, neque ad fidem, qua Catholici ſumus, pertinet, ut faten-

fatentur ipſimet. Prorſus autem incerta hæc Cciorum generalium auctoritas nihil juvare iſtam Synodi Romanæ cauſam poteſt contra certum, multis annis agnitum, ac quiete poſſeſſum Præſulis Romani viventis Pontificatum: ac proinde nec dici poteſt neceſſaria. Neceſſarium enim ad ferendam opem dici non poteſt, quod omni caret juvandi potentia. Nihil eſt igitur, cur Eccleſiam particularem Romanam ſubjiciamus Synodi generalis neceſſitati ad exauctorandum Paſtorem ſuum caſu, quo lupus fieret.

81. Dilucidare hoc primæ totius orbis provinciæ jus, natum ex ſuo cerebro, aggreditur aliis duabus conſiderationibus pag. 35, N. XXV. Arrige aures. „1.) Nulla inferior Romana Eccleſia poteſt ſibi condere jus, & regulas „electionis celebrandæ, ſed ſequi debet jus commune. Aſt Eccleſia Romana „ſibi facit regulas eligendi Paſtorem ſuum, & totius Eccleſiæ Catholicæ; parti„culares ultra, & contra jus commune. Cumque par in parem, anteceſſor in „ſucceſſorem, nullum habeat imperium, nemoque ſibi ipſi imperet; futuræ „tamen R. R. Pontificum electiones ſervare debent conſtitutiones, ab anteceſ„ſoribus latas, ſub pœna nullitatis.„

82. Magnifica verba! ſed quæ a præſentis quæſtionis ſcopo immane quantum aberrant. Non quæritur, an Eccleſia Romana ſingularibus quibuſdam, præ alia quavis, privilegiis gaudeat. Quæritur: an hæc illi ſpecies privilegii competat; ut Paſtorem ſuum certum, & indubium poſſit non modo invitum & reluctantem cogere ad ſubeundum ſuum judicium, extra cauſam hæreſis; ſed etiam judicare, & exauctorare? Hoc illi privilegium conceſſum eſſe ſive a Deo, ſive ab hominibus, probandum eſſet; ſed nullo verbo probat, nec probare unquam poterit Vindex. Profert in medium longe alia, quæ nemo in contentionem vocat: a vero autem, atque unico cauſæ crinomeno abducit lectorem, & a præſtigiis ſuis oculos in alia intentos avertit. Hic Rhodus, hic ſaltus. (*Vid. n. 1. h. Contr.*)

83. Quamvis hoc unum ad retegendam conſiderationis iſtius fallaciam abunde ſufficiat; nota tamen, Theodulphe, iſtis, quas prædicat, electionis regulis, ſi Sede plena, ac Præſide Rom. Pontifice conſcriptæ ſint, obſtringi etiam futuros Electores, ſi Sedem pontificiam vacare iterum contingat. Aſt hoc pacto nec par in parem, nec anteceſſor in ſucceſſorem imperium exercet: ſed in electores electoribus antecedentibus ſucceſſuros imperium exercet ſupremus Legislator; quem poſſe leges pro poſterioribus temporibus vim habituras condere, ex omni jure certiſſimum eſt. Legislatoris autem Succeſſorem, auctoritate pari præditum, poſſe leges priores eas (quæ in lege naturali, aut divina rationem non habeant) antiquare, atque in alias, præſentibus temporibus, ac moribus magis accommodatas, commutare, non verbis tantum, ſed etiam exemplis compluribus docent nos jura tam Eccleſiaſtica, quam Civilia.

Hæc

Hæc ubi notaveris, perſpicue intelliges, conſiderationem iſtam primam viribus omnibus deſtitutam eſſe ad probandum, quod probandum erat.

84. Exenteremus nunc etiam conſiderationem alteram pag. 36. N. cit. „2.) ſi ad Eccleſias inferiores duo eligantur in ſchiſmate, neuter ſibi jus dicit, „ſed judicium exſpectare debet Superioris„ (Id quidem verum eſſe, recenti memoria tenemus Leodienſes. Sed quid jam poſtea?) „Aſt electus ad Ro„manam Papa, eo ipſo, quod primus Pontificum ſit, ipſemet contra Antipa„pam fert ſententias anathematis, prout Innocentius II. in Anacletum II. plus „una vice, non adhibito generali Concilio, ſed particularibus, Stampenſi, „Claromontano, Remenſi, Leodienſi, Placentino, Piſano, brachioque ſæcu„lari Lotharii II. Imp.„

85. Theodulphe, conſidera hanc conſiderationem conſideratione, qua potes, maxima; omni eam ex parte diligenter inſpice. Reperies in ea falſa veris mixta, neutra habentia nexum ullum cum poteſtate particularis Eccleſiæ Romanæ, ejuſque Synodi, Paſtorem ſuum ab univerſa Eccleſia acceptatum, & agnitum judicandi, damnandi, in ordinem redigendi.

86. Falſa eſt indefinita, & univerſalis propoſitio: *Electus ad Romanam Eccleſiam Papa, eo ipſo, quod primus Pontificum ſit, ipſemet contra Antipapam fert ſententias.* Nam quando ad Romanam Eccleſiam duo Papæ ita eliguntur in ſchiſmate; ut conſtare non poſſit Eccleſiæ, uter ſecundum canonicas ſanctiones, & legitime electus ſit: bruta alter in alterum detorqueret fulmina. Anno 686. Joanne V. mortuo, ſciſſa in partes civitate Romana, electi ſunt duo, Petrus & Theodorus. Priori ſuffragabatur Clerus, alteri Magiſtratus, & exercitus Juſtiniani II. Imp.; neutri conceſſum fuit, ferre in alterum ſententiam: ſed partes junctis ſuffragiis tertium elegerunt Cononem. *Anaſt. Biblioth.* Anno 687., poſt hujus Cononis mortem, orto iterum ſchiſmate pars altera Theodorum Archipresbyterum, Paſchalem Archidiaconum altera elegit. Cum neuter cedere vellet alteri, Cleri plurima pars, Primates tam Magiſtratus, quam exercitus Romanæ militiæ, ſummo conſenſu rurſus tertium elegerunt Sergium. Theodorus legitime electo caput ſubmiſit ultro; Paſchalis fruſtra reluctatus eſt. *Idem Anaſt.* Anno 1378., qui, ſublato e vivis Gregorio XI., ferali, & magno in Occidentis Eccleſia ſchiſmati initium dedit, duo ſe gerebant pro legitime electis Pontificibus, Urbanus, dictus VI., Romæ, Clemens, VII. appellatus, Avenione. Mutuis ſe ſe impetebant anathematis. Et quid profecere? Hærebant Eccleſiæ ancipites in bivio, ut ante: & aliæ hunc, aliæ illum venerabantur; & ne doctiſſimi quidem illius temporis dijudicare poterant, a quo ſtarent jura. Eo demum res evaſit, ut tres in mundi theatro ante Conſtantienſe Conc. comparerent Pontifices....

Verum eſt, Innocentium II. tuliſſe variis in Synodis in Petrum Leonis, qui Anacletus II. dici ambiebat, ſententias: ſed non erant obſcura Innocentii jura. Erat enim imprimis electione prior. Hoc enim die 15. Februarii anno 1130. electo a Cardinalium majore, & ſaniore numero, ac pia quadam violentia ad ſuſcipiendum, a quo magnopere abhorrebat, ſummum Sacerdotium adacto, poſtridie Petrus Leonis a factioſis hominibus, pecunia coëmptis, intruſus eſt. Deinde pleræque omnes orbis Catholici Eccleſiæ, & populi „favebant, & adhærebant Innocentio, tamquam filii Patri, & tanquam capiti „membra, ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis.„ Verba ſunt S. Bernardi Abbatis Epiſt. 125., qui non modo vixit eodem tempore, ſed rebus eo in negotio geſtis plerisque interfuit. Similia ſcribit Ep. 126. ad Epiſcopos Aquitaniæ, ubi teſtatur „Tuſciæ, Campaniæ, Longobardiæ, Germaniæ, & „Aquitaniæ, Galliarum, & Hiſpaniarum omnium, nec non & univerſæ Orientalis „Eccleſiæ Archiepiſcopos, & Epiſcopos, non conductos pecunia, non ſeductos fallacia... Sed Dei voluntatem ſicut non ignorantes, ita nec diſſimulantes, Petrum Leonis ingenue refutaſſe, ac ſecure Gregorium (hoc Innocentio ante Pontificatum nomen erat) in Papam Innocentium ſuſcepiſſe. Poterat ergo Innocentius in ſuum Antipapam ferre ſententias: quod fruſtra facere adniterentur Rom. Pontifices electi in ſchiſmate, quorum utrimque obſcura, ac dubia forent jura.

87. Sed quid, obſecro, illud primum falſum, hoc alterum verum fac ad probandam propoſitionem, quæ hic probanda eſt. Sequiturne ex prærogativis Rom. Pontifici eo ipſo, quod primus ſit Præſulum, jure divino competentibus, quod a particulari ſua Synodo poſſit in jus vocari, ſtare coram reus debeat, ejuſque damnationi eſſe obnoxius? Rectius argumentamur: Nullus Epiſcopus inferior exauctorari ſola auctoritate ſuæ particularis Synodi poteſt: ergo multo minus Romanus eo ipſo, quod primus ſit Præſulum. Ali qui depreſſam volunt auctoritatem Rom. Pontificis, prærogativas ejus omnes deſtructum eunt primo, ac deinde nihili eam faciendam concludunt. Non ſunt iſti boni Catholici, ſed meliores Philoſophi, quam Noſter. Si enim careret prærogativis, quibus ornatum a Chriſto Domino ſummum Pontificem Catholici defendimus; ſequeretur planiſſime, nullo loco ducendam ejus auctoritatem. Hic Noſter autem enumeratis Romani Pontificis, quas præ reliquarum Eccleſiarum Præſulibus habet, prærogativis.

88. Infert *pag. 36. cit.* „Tot ergo ſingularia cum vides penes Eccleſiam primam„ Singularia, quæ vidimus, non ſunt penes Eccleſiam primam, ſed penes Præſulum primum: neque ille denominatur primus Præſulum a Romana Eccleſia; ſed hæc potius a primo Præſulum nomen primæ Eccleſiæ ſortita eſt. Ille primam dignitatem ſuam habet a Chriſto Domino; hæc a ſuo Præſule. Pergamus tamen audire abſolventem ſuum ſophiſma. „Tot ergo ſingularia

„lariacum vides penes Eccleſiam primam; ne mireris & illud, quod prima Eccleſia, „quem inſtituit, etiam deſtituat, ſi mereatur, prout ſane promeritus eſt Joan„nes XII., juvenis peſſimus, male ingreſſus, ab Eccleſia Catholica potius tole„ratus, quam poſitive receptus„

89. Omnino! Non miror amplius Vindicis in philoſophando imperitiam, quæ quo longius progreditur, hoc clarioribus ſe prodit indiciis. Quæ nova, ac nunquam ante viſa occurrunt ſubito, admiramur: ſi ſæpius occurrant; mirari deſinimus. Neque eſt, quod ineptiis hiſce refellendis diutius immorer. Vidiſti, Theodulphe, Romanum Pontificem a Chriſto Domino, non ab Eccleſia Romana inſtitui, (*a n. 66. h. Contr.*) A ſolo Chriſto, non Eccleſia poſſe deſtitui (*a n. 76. ibid.*) ſoli Chriſto pœnas debere, ſi dignitate ſua indignum ſe præſtet, & Joannis XII. inſtar fuerit juvenis peſſimus (*Contr. 1. §. 1.*) Si male ingreſſus fuerit, hoc vitium ab Eccleſia eum acceptante perſanari (*Proœm. §. 3. a n. 1.*) Denique Joannem XII. non mere toleratum, ſed poſitive receptum ab Eccleſia Catholica (*Proœm. §. 3. a n. eod.*)

90. Perſpicuum igitur eſt, neque ex auctoritate, neque ex ratione idonea probari, poſſe poteſtatem illam particularis Eccleſiæ Romanæ. Aſt argumentatur etiam ab abſurdis, quæ ex oppoſita ſententia ſequi autumat. Nam pag. 33. N. XXI. acute ſuo judicio, reipſe miſere ratiocinatur: „Si vero Papa „ob deformitatem vitæ, aut periculum Eccleſiæ Romanæ, deponendus veniat, „inſtar alterius Epiſcopi; a quo deponetur? An inevitabili neceſſitate a Concilio „generali? Aſt quanta hujus congregandi non eſt difficultas? Ab an. 869. „uſque 1123, proinde intra 244. annos„ (254, ſed errorem calculi con„dono) „nullum fuit habitum, licet perditiſſima ſæculorum X, & XI. di„ſciplina vel maxime aliquod deſideraſſet. „

91. Quæſtio auras verberat. Nunquam enim Rom. Pontifex certus, minime dubius, ab univerſali Eccleſia agnitus, & annorum complurium quieta poſſeſſione gaudens (uti gaviſus fuerat Joannes XII. per annos ſaltem ſeptem) ob ſolam deformitatem vitæ veniet deponendus ſive a Concilio generali, ſive particulari, ſive ulla poteſtate humana, ſed a ſolo Chriſto Domino; ſi, & quando huic pro juſto ſuo judicio videbitur.

92. Si tamen ex me percontaretur: ſi Rom. Pontifex veniat ob hæreſin deponendus, a quo deponetur? Reſponderem: Fateris pag. 31. N. XX. id nunquam contigiſſe. (a) Quare faterer & ego ingenue, nullum mihi ſuppetere nec ſpecificum canonem, nec veteri ex hiſtoria Eccleſiaſtica exemplum; ex quo diſſolvere hoc dubium poſſim. Nihil vero auſim dicere, PRÆSIDE ME, in re tam obſcura, & declinata: neque etiam defatigare cerebrum velim, ut reperiam reſolutionem caſus; quem confidere poſſumus non eventurum prius,

quam Chriſtus Dominus fidem a ſe datam fefellerit: *Rogavi pro te*, Petre, *ut non deficiat fides tua.*

(*a*) Si mihi res eſſet cum Simone Vigorio, aut cum Pſeudo-Boſſueto; qui pertexunt longum Rom. Pontificum in hæreſes prolapſorum catalogum: parata haberem arma, quibus eorum infames calumnias retunderem. Et retundam forte, Deo opitulante, ac vita comite, alio tempore. Pſeudo-Boſſuetum dixi. Nam prodiit Liber, cui Titulus: *De ſuprema Romani Pontificis auctoritate ex hodierna Eccleſiæ Gallicanæ doctrina*; editus hic Leodii, & Avenione anno 1747 ſine nomine auctoris, quem tamen ſanæ fidei, & criſeos virum paginæ omnes loquuntur. Creditur eſſe ICtus aliquis Patavinus. Italo ſi forte fidem abneget quis: argumenta ejus, ſi præſentis controverſiæ ratio expoſceret, eſſe plane invicta, in promptu foret defendere. Is igitur Auctor Tom. 2 L. 4. C. 5. §. 1. a N. 1. oſtendit 1., Librum, qui ſub nomine: *Defenſio Declarationis Cleri Gallicani de anno 1682.* poſt 26. a morte Illmi Jacobi Benigni Boſſuetii, Epiſc. Meldenſis, annos circiter divulgatus eſt, non eſſe illius virtute, atque eruditione clariſſimi Viri genuinum partum, ſed ab aliquo impoſtore ſuppoſitum: 2. Libri iſtius ſenſa eſſe a vero præſtantiſſimi hujus Præſulis ſenſu, in aliis ejus genuinis, ac ſub ejus viventis oculis in lucem datis operibus clare eluceſcente, alieniſſima. *Ibid. a N. 6.*: 3. Eandem de partu hoc ei vel ſuppoſito, vel poſt ejus mortem non fideliter edito ſententiam eſſe clariſſimorum Galliæ Antiſtitum. *Ibid. pag. 194.* 4. Conqueritur idem Auctor, in toto ſuo opere palmarem fieri injuriam Gallicæ Eccleſiæ ab illis, qui in iſto libro, qualis hodie circumfertur, jactant contineri communem inclytæ hujus Eccleſiæ doctrinam.... Longe aliud illam ſentire, probat luculentis teſtimoniis tum Synodorum, tum Antiſtitum, tum Doctorum Galliæ; qui poſt annum 1682. ad ſua tempora floruerunt.

93. Quod ſi percontaretur iterum: Si tempore ſchiſmatis unus vel duo Antipapæ forent deponendi; a quo deponentur? Modum eos deponendi, & pacem Eccleſiæ reſtituendi, reponerem, fuiſſe pro varietate temporum varium; ut ſatis liquet ex narratis ſupra diverſis ſchiſmatum caſibus. Si, quod Deus opt. max. dignetur avertere, ſimile quid contingeret; nec meum, nec tuum foret leges præſcribere; ſed divinæ omnia permittenda eſſent Providentiæ.

94. At ecce! Pythagoræ gravitatem, & Diogenis mordacitatem ead *pag. 33. & N. cit.* mutat ſubito cum Heracliti lamentis. „Sic ergo, inquit, in „caſu, Joannis XII. eodemque præcipiti, ac frangenti, nulla ſalus Eccleſiæ „Romanæ ſperanda fuiſſet „ Quid ita, o mi tu Heraclite? „Equidem illud „monſtrum magno Eccleſiæ commodo, ait, e vivis raptum eſt anno 964; „ſed

„ſed per ætatem vivere, furere, diſſipare potuiſſet adhuc 40. ſaltem annis. „Quid tum eveniſſet?„ Adesdum, Democrite: adgeme ingemiſcenti, ſed ridens. Heu! inquiro, quis talia fando temperet a lacrumis? „Dum ſolæ „Nationes Germanica, & Italica ſalutem Romæ, & Romanæ Eccleſiæ in curis „habebant.„ (Heu! Heu!) „cæteræ Nationes, & Eccleſiæ non curabant, „quid mali Romæ, & per reliquam Italiam fieret Romanæ, cæteriſque Eccle„ſiis, ac Imperio, recens regno Germaniæ annexo.„ (Eheu! heu! heu!) „Hoc „rerum in ſtatu nulla generalis Concilii ſpes affulgebat.„ Eheu!

95. Modicæ fidei, quare dubitaſti? Adeone de Chriſti Domini promiſſis deſperas, ut nullam iſto caſu Eccleſiæ Romanæ ſalutem ſperandam fuiſſe lamenteris? Jactabatur tum navicula Petri magnis fluctibus; quis inficiabitur? Jeſus autem dormiebat; & permittebat hæc ad tempus juſtis, ſibi notis, de cauſis fieri. Non dormiebat tamen lethargo gravi, & nihil eorum, quæ circumſtabant, ſentienti oppreſſus; qui ſponſæ ſuæ dixit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Et vero vigilare cor ſuum oſtendit, dum monſtrum illud intra annum e vivis rapuit; dum Leone VIII. pariter non multo poſt ſublato ſchiſma demum extinxit; dum nullam interea hæreſin oriri paſſus eſt, quæ turbulentis maxime temporibus uti ad ſuos progreſſus ſolet.

96. At (Quis non ingemiſcat?) per ætatem vivere, furere, diſſipare potuiſſet adhuc 40. ſaltem annis. Imo pluribus, quis neget? Aſt qui ſcis, hæc futura fuiſſe, ſi vixiſſet diutius? Alibi pag. 37. N. XXVII. inquit: Eccleſia Romana ſcivit ſcelerata ejus opera. „Præterita, & nota ſcire quidem facile eſt, non nego. „Scivit, quod nec purgare ſe poſſet „ Demus & hoc. „Neque ſit emendaturus vitam, quia inveteratus in profundo malorum.„ Hæc futura, quæro, quo revelante ſciverit Romana Eccleſia; quæ ſciri certo non poſſunt humanitus? Nonne potuiſſet animum, quantumlibet ferocem, ad ſaniora flectere exemplo S Pauli, exemplo Vigilii, qui ex improbiſſimo Antipapa optimus poſt Papa fuit, exemplo tot aliorum, quos aſpirans cœleſtis gratia ex lupis in oves convertit? Quorſum ergo anilibus hiſce næniis reples omnia propter incerta, quæ utrum futura fuiſſent, neſcias? ſi verum eſt, quod cæteræ Nationes, & Eccleſiæ non curarint, quid mali fieret Romæ &c. an propterea curam quoque Eccleſiæ omnem depoſuit Chriſtus?

97. Videtur tamen vel exhauſtis, vel deterſis lacrymis nonnihil reſpirare tandem, dum ead. pag. 33. N XXII ait: „Juvit ergo ſe Romana Eccleſia, ſicut potuit. „ Juvit ſe enimvero. Si juvare ſe eſt, ut ſcyllam vites, a qua minus incommodi timendum ſit, navim agere in Charybdin; quæ voragine ſua totam abſorbeat. Multo graviora ab Ottone, & Leone VIII. poſt perpeſſa eſt Roma, quam ante a Joanne XII. (*Vid. Præm. §. 2. n. 13.*)

98. Poſtulat hic locus, Theodulphe, ut expendamus, fueritne revera ſub Joanne XII. caſus tam frangens, ut *inauditum vulnus inaudito* fuerit *cauterio exurendum*, quemadmodum Synodus I. Ottoniana loquitur; fueritne neceſſitas Romanæ Urbis tam præceps, quæ moram non pateretur; periculum Eccleſiæ tam præſens, quod præſenti, atque accelerato indigeret auxilio; uti per hyperbolen aucta, atque exaggerata oculis noſtris objiciuntur a Theſiſta; quo fidem, fucum debebam dicere, faciat lectoribus; fuiſſe pro tali ſaltem caſu fas Eccleſiæ particulari Romanæ exauctorare Paſtorem ſuum?

99. Ipſi DICENTI ſi fidem habemus, fuit ea tum Romæ & Romanæ Eccleſiæ facies, ut potuiſſes dicere: *Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.* Quid ergo erat tandem? Audi Ipſum pag. 37. N. XXVIII. loquentem: unde „præſumendum pro ea „(Romana Provincia, de qua ſermo præceſſerat) „quod, „ſemota, quæ temere eidem imputaretur, adulatione erga Ottonem, ex puro „zelo ſervandæ Eccleſiæ, Imperii, & Urbis contra Joannem XII. ſic proceſſerit, „urgentiſſima cauſa moram non ferente. „ (cauſam hanc nunc audiamus, & memori mente reponamus) „ Cum, inquit, hoſtes eſſent in Urbe; ipſuſque Papa hoſtis. „ Hem! hinc illæ lacrymæ:

Hoſtis habet muros; ruit alto culmine Roma.

100. At quinam erant illi hoſtes? Erant reliquiæ copiarum exiles, cum quibus Adelbertus, Berengarii Filius, conciſis a Cæſare ſuis, & Parentis viribus, hac illac vagabatur, neque ullo poterat loco tutus conſiſtere. Joanne contra datam Ottoni fidem, victus precibus, hunc profugum, rerum omnium egentem, hoſpitio excepit. Improbe factum, & contra jurisjurandi religionem nemo negat. Sed quid Adelbertus cum ſuis copiolis intra muros receptus geſſit eo tempore contra Urbem, & Eccleſiam hoſtile; ut neceſſarium eſſe ex puro zelo ſervandæ Eccleſiæ, Imperii, & Urbis contra Joannem XII. ſi procedere? Quid eodem tempore hoſtile geſſit Joannes contra Urbem & Eccleſiam, ut & ipſus hoſtis judicaretur non ſolius Cæſaris, ſed Eccleſiæ etiam, & Urbis? Ne ipſi quidem ejus accuſatores ejuſmodi in eum criminationem conferunt in re tam recenti. Objiciunt ei varia vitæ ante actæ vitia; ſed propter ea ſola deponi non potuiſſe oſtenſum; neque hoc jam agitur amplius. In eo jam ſumus, utrum veritate nitatur: quod tempore iſtius Synodi fuerit caſus tam frangens, neceſſitas tam præceps, periculum tam præſens, quod præberet cauſam urgentiſſimam, moras non ferentem; ut hoc ſaltem obtentu, & pro eo ſaltem caſu juſtum cenſeri poſſit Synodi iſtius factum. Niſi forte illud eſt, quod Ipſe dixit pag. 32. N. XX. Papam non modo intromiſiſſe hos in Urbem, ſed etiam cum iisdem ab Urbe receſſiſſe. Eſtne autem hoſtiliter agere, hoſtes qui ante fuerant, jam tamen amicos, & pacatos intromittere? Hoſtilitatis enim ex eo tempore, qui intra muros admiſſi ſunt, contra Urbem, & Eccleſias exercitæ, ne accuſati quidem

quidem ſunt, nedum convicti. Imprudens id fatebor, nec carens nota perfidiæ; hoſtile dici qua ratione poſſit, non video. Deinde, quod imminente cum exercitu Imperatore, cui repellendo parem ſe futurum credere non poterat, ſuæ ſalutis cauſa, & ne quid Urbi propter ſe ab irato Cæſare calamitatis accideret, cum iiſdem receſſerit; quod hoſtilis animi argumentum eſt? Aut quod hæc res tam præſens Urbi periculum attulit; ut depelli, niſi Joanne ſine mora exauctorato, nequierit? Sed ecce novum crimen! „Papa, juvenili libidine cæcus facile „deludi potuiſſet a Berengariana factione, ut hæc dominaretur, ipſo demum „Joanne expulſo, Romæ, totique patrimonio S. Petri, Epiſcopis Romanis ad ſtatum regiminis pure ſpiritualis redactis.„ *Ibid.* Cui hæc audienti non incutiatur terror? Sed vidiſtine unquam, Theodulphe, aut fama accepiſti, fuiſſe tam inhumanum judicem, qui jure damnandum, atque in furcam agendum exiſtimaverit hominem propter furtum, quod potuiſſet in ſe admittere? Et jure damnari potuiſſe Joannem XII pronuntiabimus propter detrimentum, quod potuiſſet Eccleſiæ inferre; ab eo illatum autem fuiſſe, ne ipſi quidem ejus accuſatores denuntiarant? Tota ergo illa tam præceps, tam frangens, tam urgens Eccleſiæ Romanæ pro caſu Joannis XII. neceſſitas per grandem hyperbolen conficta eſt, ad extorquendum a lectoribus facile credulis aſſenſum. Non ſecus ac certo cuidam hominum generi familiare eſt, ut nummos eliciant a credulis, neceſſitates ſuas ultra modum veritatis extollere. (*Vid. n. 8. h. Contr.*

101. Monet tamen *pag. 37. N. XXVIII. cit.* „Non habet Romanus „Pontifex, vel Eccleſia Catholica, cur ab hac poteſtate Rom. Provinciæ quid„quam reformidet. Quamquam enim Senatus, populuſque Romanus, mag„næque domus illuſtrium Romæ peccaverint, expellendo Papas: nihil tamen „ſimile a provincia Romana legitur: unde præſumendum pro ea.. *& reliqua n. 99. recitata.* Bene habet. Si nihil ſimile de provincia Romana legitur: debebant Præſules illius Provinciæ in Synodo I. Ottoniana non tranſilire terminos, quos poſuerant Patres eorum; nec inaudito cauterio tentare ſine ullo exemplo exurere vulnus. Eſto zelus illorum bonus fuerit: non erat tamen ſecundum ſcientiam. (*Vid. Contr. 1. ſ. 1. n. 55.*) Inepto ſane remedio vulnus non perſanatum, ſed deterius exulceratum eſt; eo quod in illo ulcere unguis, non medela exiſteret. Quo uſque provinciæ Romanæ Præſules intra terminos ſe Patrum continuerint; non erit utique, quod ab ea Romanus Pontifex, vel Eccleſia Catholica reformidet. In acceptis referendum ſingulari Cordis JESU, pro Eccleſia ſua in decumanis illis fluctibus vigilantis, providentiæ; quod nulla fuerit ea in tempeſtate hæreſis exorta. At ævo hoc noſtro, artibus quidem efflorescenti, ſed in Religionis ſtudiis tam remiſſo, quo non unum duntaxat, alterumve Fidei ſanctiſſimæ myſterium, ſed univerſa Chriſti Religio libellis, ac foliis quam perniciosis, tam captioſis, atque ad fallendos, involv-

involvendoſque ſophiſmatis incautorum animos compoſitis, quaquaverſum ſparſis impetitur; quo in mores jam abiit, rerum, ac perſonarum ſacrarum, apud eos etiam, apud quos minime oporteret, vilipenſio; quo docti paſſim atque indocti Pontificum Romanorum, Epiſcoporum, ac ſacerdotum Orthodoxorum auctoritatem convellere, atque inficetis ſannis per hominum ora traducere, fortis ac ſupra vulgus ſapientis ingenii ſpecimen putant, & ſibi laudi ducunt; hoc, inquam, ævo ſi (Quod Deus clementer avertat) renovari illud Schiſmatis exemplum videremus: quid reformidare non ſine gravi cauſa poſſemus? Non internecinam quidem cladem (quam nunquam permiſſurus eſt Paſtor æternus) magnam tamen ſtragem, multarumque ovium perniciem, reformidare merito poſſet Eccleſia Catholica. An a Provincia Romana? abſit. Sed ab improbis hominibus, in aqua ſchiſmatis turbida audacius piſcaturis; dum nullum foret certum Eccleſiæ Caput; cujus, eorum ſe moliminibus opponentis, auctoritati obſequium deberi arbitrarentur; dum populi Chriſtiani eſſent *ſicut oves ſine paſtore. Marc. 6. v. 35.* Ex quo jam ſe prodit Theſiſtæ hujus ſaltem, ut nihil gravius dicam, imprudentia: qui iſtius Joannem XII. inter, ac Leonem VIII. ſchiſmatis ſopitam apud pleroſque memoriam non modo hoc tempore reſuſcitandam, ſed illud etiam totis viribus laudandum, ac defendendum ſibi ſumpſerit. Nullumne aliud eſt in toto jure Canonico argumentum, & ad Tyronum ſuorum profectum accommodatius, & ad officiorum, ad quæ hi aſpirare olim in republ. ſive ſacra, ſive politica poterunt, adminiſtrationem utilius, in quo majore cum laude, ſi ſolide rem pertractaſſet, potuiſſet verſari?

102. Sed ut controverſiæ huic finem tandem imponam, Theodulphe; volve, & revolve argumenta Ipſius omnia a capite ad calcem; ne hilum quidem eum omnibus ſuis paralogiſmis profeciſſe reperies, neque ullo apice probaſſe: quod particularis Provinciæ Romanæ Synodo competat poteſtas, ut poſſit Romanum Pontificem certum, ab omnibus agnitum, in diuturna dignitatis ſuæ poſſeſſione quieta conſtitutum, viventem, & invitum judicare, damnare, e ſede ſua exturbare. Hanc probationem debet hactenus, & debebit ad vitæ finem: neque in toto, opinor, hæreditatis ſuæ aſſe tantum ſolidæ eruditionis reperietur, ut poſt mortem ſaltem extingui hoc debitum valeat. Videbis pariter, non eſſe vagum, & contra umbras pugnans Antitheſiſtæ argumentum: *Synodus particularis fuit: ergo jure non potuit deponere Papam.* Sed, non probata, ut probari nunquam poterit, hac ſingulari Synodi particularis Romanæ prærogativa, argumentum iſtud recta Theſeos propoſitæ caput, & jugulum petit: Nam *Quæ fiunt a judice, ſi ad ejus non ſpectant officium; viribus non ſubſiſtunt. R. I. 26. in 6.*

Contro-

Controverſia III.

An Summo Pontifici accuſato incumbat neceſſitas comparendi coram Synodo?

1. Vindiciarum Scriptor pag. 34. N. XXIII. e cathedra ſua, PRÆSIDE SE, definit: „Debuit ergo, quo ad hunc„ (Papam) „mos antiquus ma„nere, ut Papa criminis accuſatus defendat ſe coram ſuo Concilio.„ Atque ut „videatur ſuam definitionem hauſiſſe ex traditione cana Patrum, atque antiquis moribus Eccleſiæ, ſubjungit: „ut loquitur prælaudata Epiſtola Conc. Romani„ (ſub Damaſo I. Pap. an. 378.) „quæ ideo non fuit ſimul ſcripta nomine Damaſi „Papæ, quia hic in Concilio non comparuit, ut Judex, ut Couſtant notat. Co„ram tali Concilio ſuo Damaſus I. accuſatus adulterii, Sixtus III, & Leo III. „ſteterunt *Can.* 10. 18. *II.* q. 5. Quo pertinet illud Gregorii IV. in Can. 42. „II. q. 7. *Si quis ſuper his arguere nos voluerit . . . veniat ad ſedem Apoſtolicam . . . . „ut ibi ante confeſſionem S. Petri mecum juſte decertet, quatenus inibi unus ex nobis „ſententiam ſuſcipiat ſuam.*„ Reliqua ſequentur, ubi hæc ponderaverimus.

2. Bene eſt, beate eſt. Appellavit iſtos canones; non recuſo. Sint hi noſtri judices; non excipio. Quamvis Can. 10. Caus. II. q. 5. compoſitus ſit ex actis ſuppoſititiis Synodi falſæ contra Sixtum III, uti perſpicue oſtendit laudatus ab ipſomet Vindice Petr. Couſtant in append. a pag. 114. (Teſtem hunc a ſemet productum, & laudatum recuſare non poteſt) Diſſimulemus id tamen. Habeat is canon vim ſuam, proinde quaſi eſſet integerrimus.

3. Quem nobis morem antiquum narrat? An ignorare tot annorum Profeſſor Juris, & Canonici quidem, aut potuit, aut debuit: morem alium eſſe liberum, ſive morem faciendi aliquid citra obligationem: alium vim legis introducentem. Poſterior præſumi non debet, niſi conſtiterit, mentem eorum, qui illum primi induxerint, atque intentionem fuiſſe, ut obligationem imponerent poſteris. Quid autem? ſi, qui more illo utuntur primi, conteſtentur palam, ac diſertiſſimis verbis, ſe id, quod fecerint, non feciſſe ex neceſſitate ulla, ſed libera voluntate, citra intentionem præſcribendi legem poſteris? Perſpicuum ſane (Niſi ille ſolus lynx; ego, cæterique omnes talpæ ſimus) nullum ex tali facto poſteris creari præjudicium, neque ullum adverſus eos jus enaſci.

4. Age nunc, Theodulphe: ſume in manus Decretum Gratiani, quod recuſare jam non poteſt Vindex, quia appellavit illud, ego acceptavi, velut judicem, etſi alias parvi illud faciat. Perquire Cauſ. 2. q. 5. Canonem 10. Quid legis ad ejus calcem? Recita. Principio inducitur Sixtus III. exponens Epiſcopis Orientis, quid ſibi cum Baſſo accuſatore fuerit negotii. Tum ſubjungit ad finem: „Et facto Concilio cum magna examinatione, ſatisfaciens omnibus (licet

„evadere ſatis aliter potuiſſem) ſuſpicionem tamen fugiens, & æmulatione libe-
„rans, ſed non aliis, qui noluerint, aut ſponte hoc non elegerint, faciendo
„formam, exemplumque dans.„

5. Quære nunc etiam Caus. & Q. ead Can. 18., ultimaque ejus verba recita. „Hoc autem faciens (inquit Leo III.) „non legem præſcribo cæteris, „qua id facere cogantur.„ Quid dici poſſet clarius? Vidiſſe ſe hæc in Gratiani Decreto inficiari non poterit; niſi adigere ſemet ad confitendum voluerit, eſſe a ſe allegata, quæ vel non ſuo, vel non niſi leviſſimo oculo inſpexerit. Utrumlibet dixerit; nihil poterit Viro, qui tantus videri affectet, accidere turpius. Si vidit autem, qua fide imponere minus perito lectori conatur nominatis, non recitatis Canonibus; quos ignorare non potuit, contra ſuam cauſam, non pro ea ſtare? Alia ergo arma quærenda, queis defendat: debere, inquam, ex legis neceſſitate, manere quoad Papam morum antiquum, ut defendat ſe coram ſuo Concilio; idque neceſſitate tam ineluctabili, ut, ſi hoc noluerit, aut ſponte hoc non elegerit, veniat deponendus.

6. Certe illa tantopere laudata epiſtola pro Damaſo Papa nulla id ratione evincit. Factum Damaſi, & morem hunc fuiſſe antiquum probat: at fuiſſe morem, vim legis obtinentem, ne a longe quidem innuit. Nihilo plus ſubſidii cauſa ipſius reperit in Can. 42. Cauſ. 2. q. 7. Canon enim iſte depromptus eſt ex epiſtola Gregorii IV. ad Epiſcopos Franciæ, Germaniæ, Europæ, & per univerſas Provincias conſtitutos; quæ exſtat integra apud Harduin. T. 2. CC. pag. 1269. Argumentum ejus totum eſt hujusmodi: S. Aldricus, Cenomanenſis Epiſcopus, a ſeditioſis Civibus ſede ſua ejectus, appellaverat ſummum Pontificem. Is ergo ſcripſit Epiſcopis, ne quid in Aldricum, ante prolatam a Sede Apoſtolica ſententiam, ſtatuerent gravius; ſecundum antiquos Canones enim, Epiſcopos, Sedem hanc appellantes, non eſſe ante cauſam illic terminatam loco movendos; neque alios illis ſufficiendos. Tum addit: „ſi quis ſuper his nos arguere voluerit, aut (a) extra auctoritatem nos facere „contenderit, veniat ad Sedem Apoſtolicam, (b) quo omnia Eccleſiaſtica ne-
„gotia, de quibus quæſtio habetur, confluere juſſa ſunt; ut ibi ante confeſſio-
„nem S. Petri mecum juſte decertet, & inibi unus ex nobis ſententiam ſuſci-
„piat ſuam.„

Confer quaſi per tranſennam, Theodulphe, Canonem hunc, pro ut ex ipſomet deſcriptum legis hic n. 1. Cur putas, notatis punctulis ſuppreſſit verba Canonis, quæ hoc loco literis (a) & (b) ſignavi, Cur non explicavit negotia, ſuper quibus forſan quis vellet arguere Rom. Pontificem? Erant negotia Epiſcoporum dejectorum, Sedem Apoſtolicam appellantium; in quorum locum vetabat Pontifex, ne illarum Provinciarum Epiſcopi alios ſive per ſe, ſive per Synodos ullatenus ſubſti-

ſubſtituerent. Aſſerebatur ſuprema Rom. Pontificum, in his præſertim negotiis Epiſcoporum, auctoritas. Hæc ſuo non ſerviebant propoſito: ergo illa maluit tibia canere, quam verbis enuntiare. Forte rem acu tetigiſti. Sed quid eſt adulterare inſtrumenta publica; ſi hoc non eſt? Iſta per tranſennam, ut dixi: redeamus ad noſtrum propoſitum.

Ex hoc 42. Canone igitur aliud non habemus; quam Gregorium IV. paratum ſe ad cauſam hanc apud Sedem Apoſtolicam evincendam præbuiſſe. Lege ſe ad hoc ulla cogi, non aſſerit. Proferendus ergo eſt alius Canon ſpecificus, & efficacior.

7. Videamus quid proferat ulterius. Argumentationem ſuam ead. pag. 34. N. eod. ita proſequitur, ut ſolet, graviter: „Quamquam & hanc „electionem habuerit olim Papa, ut ſe imperiali judicio defenderet. Epiſtola „prælaudata Rom. Concilii pro Damaſo: *Non novum aliquid petit, ſed ſequitur „exempla majorum* (en vim probandi ab exemplis) *ut Epiſcopus Romanus, ſi „Concilio ejus cauſa non creditur, apud Concilium ſe imperiale defendat*, provocant„que Patres ad exemplum Sylveſtri Papæ, qui cauſam propriam coram Con„ſtantino M. proſecutus ſit. De hoc judicio electo intelligitur Can. 41. II. „Q. 7.

8. Si hanc electionem habuit olim Papa, bene eſt. Ergo iſte mos antiquus non habuit vim legis. Ad quæ enim lege cogente quis impellitur, liberæ electionis non ſunt. Ita quo magis explicare ſe Vindex ſtudet, hoc ſe magis implicat. Cæterum Romanos Pontifices conſtat pluribus ex exemplis, injuriis improborum hominum appetitos, confugiſſe ad implorandam Cæſarum Catholicorum opem, non velut judicum ſuorum, ſed defenſorum, atque advocatorum Romanæ Eccleſiæ. Permittebant illis quandoque ex libera electione ſua, utpote cauſæ æquitati confidentes, nec lucem ſubterfugientes, totam cauſæ cognitionem, atque examen; tum ut de eorum innocentia ex imperiali Concilio certus redderetur orbis Catholicus; tum ut Imperatores judicium exercerent, non in ipſos Pontifices, aut Epiſcopos, ſed in horum iniquos aggreſſores, ſi Laici eſſent, uti in cauſa Damaſi erat ille nequiſſimus bipedum Iſaac Judæus; aut, ſi motus contra Pontificem ab Epiſcopis, vel Clericis, ut in eadem cauſa Damaſi accidit, excitati eſſent; ad obſervantiam SS. Canonum iſtos ope brachii ſæcularis, ut vocant, compellerent. Non jacto hæc, PRÆSIDE ME. Illa ipſa, toties nobis inculcata, ut ſupra cœlos laudibus evecta, Concilii Rom. ſub eodem Damaſo Epiſtola PRÆSES mihi eſto. Ea, quæ (*contr. 2. n. 36.*) Concilii hujus Patres ab Imperatoribus flagitaſſe retuli, prorſus conſentiunt his, quæ modo commemoravi. Quem in finem vero Damaſi cauſa Concilio Imperatorio commiſſa fuerit, declarant his verbis: „Certe prius examinet cauſam veſtra

„Clementia; &, ſi emerſerit quæſtio, interroganda diſtinguat; ut, quemad „modum dudum eſtis cenſere dignati, factorum a judice ratio quæratur, non „arbitrium ſententiæ vindicetur.„ Hic erat ſenſus & Patrum epiſtolam ſcribentium, & Imperatorum reſcribentium. Nulla hic de neceſſitate legis, qua Papa ad cauſam ſuam ſive Auguſtorum, ſive Synodi judicio ſubjiciendam conſtringatur, mentio. Sed „ſeverioribus ſe dedit ipſe judiciis Sacerdotum.„ Idem de Sylveſtro ad Conſtantini M., idem de Leone III. ad Caroli M. præſidium, ac tutelam contra calumniatorum injurias confugientibus, idem de Can. 4. Cauſ. 2. q. 7. ſentiendum eſt. Ab exemplis liberæ electionis, & meræ facultatis nulla eſt vis probandi jus, & legis vinculum. Poteſt Papa, ſi voluerit, & Sponte hoc elegerit, cauſam ſive Synodi, ſive imperiali judicio, ſive utrique, ut Damaſus fecit, committere. Ad neutrum lege ulla obſtringitur; vel proferatur illa. Nondum prolatam vidimus; nullam præſertim, qua teneatur Rom. Pontifex ad ſiſtendum ſe Synodi ſuæ particularis Romanæ judicio.

9. Natalis Alexander fatetur, inquit Vindex, pag. 20. N. VIII. lit. f., peccatum graviter contra Canones a Joanne XII. non comparente coram Synodo. Recitat ibidem verba Natalis: „Non eo tamen inficias, quin Joannes XII. „contra Canones graviter peccarit, cum recuſavit adeſſe Synodo. Etſi enim „ſententia in Romanum Pontificem ferri non debeat, (*a*) niſi in cauſa hæreſeos, „aut ſchiſmatis, idque non a Synodo Nationali, ſed Oecumenica.... (*b*) ab „Epiſcopis tamen in Synodo quacunque cum ejus aſſenſu congregatis, moneri, „& argui, reſervata debita reverentia, poteſt, illiſque ſatisfacere tenetur; a ſe „male conceptam criminis ſuſpicionem amoliendo, aut ſi facti reus teneatur, in „meliorem frugem ſe recipiendo. Dein proſequitur IPSE: Hanc eſſe regu„lam dictantis juris naturalis, ſubdit, (Natalis) probat exemplis, & auctorita„te B. Petri Damiani. An eximius P. Theologus tria hæc: Argui, moneri, „ſatisfacere, etiam ſentit ab auctoritate Natalis Alexandri? Ad hujus auctori„tatem provocavit, auctoritatem ſequatur.„ Miſeret me Antitheſiſtæ! Quæ Ariadne filum præbebit miſero, ut ex hoc Labyrintho exitum reperiat.

(*a*) Mutilat Natalis Alexandri verba, quæ ſic ſe habent: *Sententia in Rom. Pontificem ferri non debeat, NEC POSSIT.* Quibus indicat, non modo non eſſe licitum, ferre in Romanum Pontificem ſententiam; ſed futuram etiam nullam.

(*b*) Vin' ſcire, Theodulphe, quid notatis hic iterum punctulis ſupreſſum celare conetur legentium oculos? Audi. Hæc recta punctis verba latent: *ut octava Synodus decernit Can. XXI. ſupra laudato.* Hoc Synodi Oecumenicæ decretum jugulare, ac penitus interimere videtur prærogativam, ac poteſtatem ferendi ſententiam in Rom. Pontificem, quam tribuit particulari Synodo Provinciæ Romanæ ſoli, citra Concilii generalis neceſſita-

ceſſitatem. Hæc non commodabant ejus rebus. Ergo removenda erant ex oculis. Cæterum quam ad hunc Canonem nihil reſpodeat, vidimus (*Contr. 1. ſ. 2. n. 24.*)

Cramben eandem recoquit pag. 37. N. XXVII. dicens: „Venire debuiſ„ſe, fatetur Nat. Alexander, utique ſciens ex hiſtoria antiquum morem, quod„que Papa non potuerit judicium declinare. Non venit Papa, quia nec ſe „purgare potuit contra notorium, nec pœnitentiam agere, & reſipiſcere voluit. „Emanſione itaque ſua præjudicavit ſeipſum.„

10. More ſuo per multas ambages, ac circuitus Lectorem in hoc labyrintho ſeducit, quin perducat ad id, quod erat probandum. Si Nat. Alexander proferret in medium canones, contra quos ſcribit Joannem XII. graviter peccaſſe, aſſentirer ei continuo. Dum vero nullos profert, quis me ad aſſentiendum ei coget? Eximium P. Theologum non credo ita provocaſſe ad auctoritatem hujus, ut in omnia ejus verba juraverit. Ego certe non juro. At enim, ſubdit Alexander, „Hanc regulam jus ipſum naturæ dictat, firmarunt „exempla Leonis III. Paſchalis I, ſcripto edidit Synodus VIII. canone lauda„to.„ Natali quoad hæc plane aſſentiri mecum poteris, Theodulphe. Sed cave laqueum, quem non quidem Alexander, ſed ſub Alexandri nomine abſcondit Vindex. Detegam illum tibi, ne illaqueeris.

Vide, quam regulam Alexander ab ipſo jure naturæ dictatam affirmet. Illamne, quod Rom. Pontifex lege obſtrictus ſit, ad ſubeundum Synodi ſuæ particularis judicium; & lege quidem tam rigida, ut emanſione ſua Papa præjudicet ſe ipſum? Minime vero: ſed regulam hanc tota iſta diſſertatione, totis viribus impugnat, velut injuſtam, & Ss. Canonibus ex adverſo oppoſitam. Quam ergo regulam ſtabilit ex ipſo jure naturæ, exemplis, & ſcripto Canone 21. Syn. VIII? Non aliam certe, niſi eam, quam præmiſerat. Ut puta: Quod Romanus Pontifex poſſit ab Epiſcopis in Synodo quacunque, cum ejus aſſenſu congregatis, reſervata debita reverentia, moneri, & argui; illisque ſatisfacere teneatur, a ſe male conceptam criminis ſuſpicionem amoliendo, aut, ſi facti reus teneatur, in meliorem frugem ſe recipiendo. Item quod non oporteat ex Can. 21. cit. audacter in Romanum Pontificem ferre ſententiam. Itaque quoad tria hæc: moneri, argui, ſatisfacere, ſequi poſſumus, & ſequimur auctoritatem Alexandri libentiſſime. Non peccarunt Otto, & Epiſcopi ejus, admonentes, & arguentes multoties, etiam ante iſtam Synodum, Joannem XII. Morem geſſerunt præcepto fraternæ correptionis. An non peccarint contra Canonem 21. cit. (cujus mentionem, truncans iterum verba Alexandri, omittendam duxit Vindex) controverſia ſequenti videro. Peccavit contra jus naturæ, & Divinum Joannes XII., monita contemnens, non ſatisfaciens, nec ſuſpicionem a ſe amoliendo, nec, dum facti reus tenebatur, in frugem ſe recipien-

do. (*Vid. Contr. 1. ſ. 1. n. 57.*) contra canones graviter peccaſſe, cum recuſavit adeſſe Synodo, quam non agnoſcebat legitimam, imo a communione fidelium abſciderat; & ita quidem graviter peccaſſe, ut emanendo præjudicaverit ſeipſum, id nec Natalis probat, nec Vindex. Natalem, alioſque privatos, ac recentiores ſequor; quouſque antiquitatem hujuſcemodi in negotiis ſequuntur. Hanc ubi deſerunt; illos deſero & ego. Eugenium IV. ad ſchiſmaticam tum Synodum Baſileenſem, quamvis ſe diceret Oecumenicam, ire recuſantem, gravis contra canones peccati non damnavit Oecumenicum ex utriuſque Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ Patribus conſtans Concilium Florentinum: Nos Joannem XII. damnabimus ita peccaſſe graviter contra canones; ut adeſſe recuſans Synodo particulari, quam reputabat ſchiſmaticam, ipſa emanſione dignitate exciderit? Exempla, quæ proferuntur, non præſcribunt legem, ſed exemplum dant; quod imitari *poſſint* poſteri, ſi hoc ſponte eligere voluerint, non *cogantur*. Novit morem antiquum Alexander, novimus & nos. Sed morem hunc legis obtinuiſſe vigorem, non novimus; nec probat aut Alexander, aut Pythagoras.

11. Reſtat, ut audiamus etiam, quid ſibi voluerit B. Petrus Damiani, cujus allegatur auctoritas *ex Tract. de correptione Epiſcopi, & Papæ, ſeu Epiſt. 22.* Ubi de S. Petro Apoſtolo loquitur, contra quem a baptizato Cornelio Centurione reducem Hieroſolymas, quidam ex circumciſione diſceptabant, quod ad gentes introiiſſet, & cum illis manducaſſet *Act. 11. a ℣. 1.* His B. Apoſtolus manſueta oratione facti ſui rationem reddens, ac teſtes idoneos producens, ſatisfecit ita, ut omnes acquieſcerent. In hunc locum ſic commentatur B. Petrus Damiani: „Si igitur iſte, cum a diſcipulis culparetur, auctoritatem, quam in ſancta ſortitus fuerat Eccleſia, voluiſſet oſtendere: reſpondere potuerat, ut Paſtorem ſuum oves, quæ ſibi commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed, ſi in querela fidelium, poteſtatis ſuæ titulum objeciſſet, Doctor profecto manſuetudinis non fuiſſet. Non ergo eos privilegii ſui auctoritate repreſſit, ſed humili potius ſatisfactione placavit: & tanquam ſolus ipſe ad faciendam fidem non ſufficeret, etiam teſtes adhibuit; venerunt, inquit, mecum & ſex fratres iſti. Deprompſit hæc B. Doctor ex S. Gregorio M, qui diu ante Lib. 9. Epiſt. 39. ad Theotiſtam Patritiam ſcripſerat: „Certe etenim Petrus poteſtatem regni cæleſtis acceperat... Et tamen idem Apoſtolorum primus... querelæ fidelium non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondit, cauſam per ordinem expoſuit.,. Si enim, cum a fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in Eccleſia acceperat, oſtendiſſet, reſpondere poterat, ut Paſtorem oves, quæ ei commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed ſi in querela fidelium aliquid de ſua poteſtate diceret; profecto Doctor maſuetudinis non fuiſſet. Humili ergo eos ratione placavit; atque in cauſa reprehenſionis ſuæ etiam teſtes exhibuit „

12. Ex

12. Ex his omnibus autem nihil adjumenti ad Vindicis cauſam redit. Non negatur enim, potuiſſe B. Petrum officii ſui auctoritate reprimere Diſcipulorum querelas, & ſummo cum iis jure agere, ſi voluiſſet. Sed laudatur ejus manſuetudo, & modeſtiæ exemplum, quo voluit ſponte remittere aliquid de jure ſuo, & humili potius ſatisfactione eos placare. A pari igitur manſuetudine, & modeſtia commendandi ſunt Rom. Pontifices, qui B. Petri exemplum ſecuti deinceps, ad tollendam populi offenſionem, & male conceptam criminis ſuſpicionem, cauſam ſuam Synodi, vel imperialis concilii examini ſponte ſubmiſere; aut ſemet purgarunt. Quemadmodum vero B. Petrus non voluit quidem, ſed potuit tamen auctoritate ſua querelas depellere: ita Romanus Pontifex hoc exemplum imitari *poteſt*, non *cogitur*. Neque etiam inficiabor, eſſe idipſum non nunquam pro ratione temporum conveniens admodum, ac ſalutare. At vero ex his neutiquam conſequitur, lege ulla, aut canone cogi Rom. Pontificem, ut ſubeat Synodi ſuæ particularis, ejus præſertim, quam legitimam non eſſe pronuntiaverit, judicium.

13. Reflecte nunc animum, Theodulphe, ad ea, quæ legiſti hactenus; atque advertes, non niſi vocum ambiguitate illum ludere: dum uno in ſignificatu, de quo non agitur, acceptas, detorquet ad ſignificatum alterum, quo de agitur. Non eſſe hanc ſolidam, & viro gravi, tam gravi in argumento dignam philoſophandi rationem, ſciunt paucorum menſium Tyrunculi Dialectici; tot annorum Profeſſor Juris ſacri non ſcit. Imperat omni eruditioni ſuæ, ut probet: fuiſſe morem antiquum, ut, dum criminis accuſatur Rom. Pontifex, ſeipſum „judicaret, vel confeſſione, & ſuſceptione canonicæ pœ„nitentiæ, aut expurgatione ſui facta.„ Hoc ſciveramus ante Vindiciarum ejus partum. Sed morem illum antiquum vim legis habere uſque adeo ſeveræ; ut Rom. Pontifex, recuſans adeſſe Synodo, ac tali quidem Synodo, graviter peccet contra canones; atque ita peccet graviter, ut emanendo præjudicet ſeipſum: hoc eſt, quod neſciebamus, atque edoceri debebamus a vindiciis. Hic omni ejus eruditioni aqua hæret.

14. Attamen videri poteſt non aſſerere, quod mos iſte antiquus vim legis habeat. Sed confitebitur forte non illubenter, fuiſſe, & hodie etiam eſſe liberrimum. Lego enim pag. 37. in N. XXVII.: „utique enim, dum criminis „accuſatur Romanus Pontifex, mos antiquus ei detulit hunc honorem, ut ſe „ipſum judicaret, vel confeſſione. . *& reliqua, ut Num. prec.* Hac ratione ſi morem illum liberum eſſe aſſeruerit, amphibologiam texit aliam ex alia. Quaneintricaris, Theodulphe; ſi quando in ipſum incideris, interroga amice: cui morem illum antiquum, (ſi quidem liberum putet) cui, inquam, exiſtimet liberum? Romanone Pontifici, cui integrum ſit amplecti eum, vel non amplecti, ſi ſponte hoc non voluerit eligere? An vero Eccleſiæ Rom., quæ recepto pri-

dem

dem more, hunc honorem ſuo Paſtori, utpote primo Præſulum, non quidem tanquam ipſi debitum, ſed liberrima ſua voluntate antiquitus ita conceſſerit; ut ei maneat in hanc diem integrum, conceſſum hunc illi honorem revocare; ſuo judicio eundem ſubjicere; damnare; dignitate, & fortunis hæreditatis B. Petri omnibus exuere? Nolim judicare, utrum e duobus habeat reconditum intimis, atque occultis animi receſſibus. Qui judicat me, & ipſum, Dominus eſt. Primum tamen ſi ſentit; ruit tota, quam tanto eruditionis ſuæ opere conſtruxit, machina. Alterum quiſquis ſenſerit; non longe abeſt a Lacu Genevenſi. Non ab Eccleſia Romana particulari, ſed ipſo Chriſto Domino hunc honorem Rom. Pontifici delatum eſſe, probavimus. (*Vid. Contr. 2. a n. 68.*)

Controverſia IV.

An Synodus prima, quæ contra Joannem XII., an altera, quæ pro eo habita fuit, cenſenda ſit legitima?

1. Satis, opinor, oſtenſum eſt hactenus, non competere Synodo particulari Romanæ Provinciæ poteſtatem, exauctorandi Paſtorem ſuum certum, *viventem*, & *invitum*, *propter ſolam morum deformitatem*. Id ſi pro certo habendum eſt de Synodo qualibet ejuſmodi, quantumvis ex aſſe legitima; quid erit dicendum; ſi conſtiterit, hanc ipſam, quæ talia in Joannem XII. auſa eſt, prorſus fuiſſe illegitimam?

2. Acris hac de controverſia Theſiſtam inter, atque Antitheſiſtam, ac prope cruenta concertatio eſt; & uti

Mulciber in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo;

ita a prima Synodo ſtat totis viribus, & tota lacertorum mole Theſiſta; contra eam ſtat Antitheſiſta. Ac verſa vice hic ſecundam defendit; ille multis impugnat, ac teterrime accuſat. Sedeamus pugnæ ſpectatores; ac de prima Synodo priore, de altera poſteriore loco videamus.

§. 1. *An prima Synodus contra Joannem XII. cenſeri poſſit legitima?*

1. Hoc imprimis compertum eſt, atque extra omnem controverſiam poſitum, abfuiſſe a Synodo Joannem XII; quem tam Otto M., quam Patres Synodi in prima non minus, quam altera epiſtola agnoverunt, ac ſalutarunt ſummum Pontificem, & univerſalem. (*Acta Luitprand. & Cl. Vindex pag. 24. N. X. parte 11. & 13.*) Præjudicium hoc quidem magnum eſt contra primam iſtam Synodum. Quæ enim Synodus unquam Eccleſiaſtica legitima ſecundum Ss. canones reputata eſt, aut Diœceſana, quæ ſine Epiſcopo; aut Provincialis, quæ ſine Archiepiſcopo; aut Nationalis, quæ ſine Primate viventibus, eorumve apro-

aprocrisiariis, vel Vicariis celebrata fuerit? Quis isti primæ Synodo præsedit nomine Ecclesiæ, ut censeri posset Ecclesiastica? Neminem nominant Acta Luitprandina, neminem Vindex. Ottonem M., *pag. 28. N. XIII.*, negat fuisse judicem, nec audet dicere, fuisse judicii Præsidem; sed asserit duntaxat, dedisse suum imperiale *Placet* ad aliorum judicium. Acephala ergo, id est, trunca capite suo, & vivo quidem, (pro quale monstrum!) fuit ista Synodus. Quis in istius monstri facie vel lineamentum unum Synodi legitimæ deprehendat?

2. At ecce! prosilit in arenam Vindex, & Antithesistam suum his verbis aggreditur pag. 37. N. XXIX. „Quantum ad formam processus, temerarie „satis Antithesis projecit in chartam, quod in Synodo Ottonis M., totque Ar„chi & Episcoporum Imperii, omnia perperam, contra canones, & tumultuose „acta sint ita, ut ea Synodus ingenium Ecclesiæ nullatenus sapiat. His quasi „ex oraculo dictis, concludit: stat igitur, quod posuimus, depositionem Joan„nis XII. illegitimam fuisse & spectato jure nullam. Sic scribit, qui ordinem „judiciarium non intelligit; qui acta ipsius Concilii, utpote perdita, non vidit; „qui Luitprandini Continuatoris descriptionem non expendit.„

3. Primus hic impetus est, fateor, virili major; Hasta, sed incassum, vacuas diverberat auras. Incassum queritur, processus formam, qua usa est coram Ottone hæc Synodus, temerarie fugillari a suo Antagonista. Nondum sumus in examinanda processus forma. Basis, & fundamentum processus omnis judicialis est legitima in eo, qui pro judice se gerit, jurisdictio. (*Vid. Proœm. §. 3. n. 7.*) Hæc basis non stabilitur dicteriis, & mordacibus, quorum Ipsi copia, verbis. Hanc in Pastorem suum certum jurisdictionem non competere Synodo particulari Provinciæ Romanæ, quamvis legitima foret, ostensum est (*Contr. 2.*) Hic quæritur usque adeo, an fuerit legitima. Hæc duo postulantur probanda. Hæc, hæc, quousque probata non fuerint, uti probata non sunt, non temerarie, sed verissime scribitur, omnia perperam contra canones, & tumultuarie acta fuisse. Ad quod cordate scribendum non opus est magna ordinis judiciarii intelligentia. Poterit quicunque e plebe dicere id, quod Hebræus ille dixit Moysi Exod. 2. v. 14. *Quis te constituit Principem, & judicem super nos?* opus non est, lustrare acta hujus Concilii, perdita. Risum tene, si potes, Theodulphe; Estne sani hominis provocare ad acta, quæ fateatur perdita, & nusquam exstantia; quæ ipsus æque non viderit, atque Antithesista; quæ proinde nesciat, sibine magis faveant; an illi? Denique opus non est expendere descriptionem Continuatoris Luitprandini; cui ipsemet paulo post fidem abrogat.

4. Mathematicam, credo, imitari studet methodum, quæ una omnium est ad convincendum intellectum efficacissima. Habet illa sua postulata, qui-

bus poſitis, etſi non probatis, ad demonſtranda theoremata ſua, ac problemáta progreditur. Eadem ipſe methodo poſtulat hoc loco ſibi, ſine ulla probatione dicenti, fidem haberi: fuiſſe hanc Synodum legitimam, atque auctoritate præditam, quæ ne legitimæ quidem conceſſa eſſet. Hoc poſito ad demonſtrationes, ut putat, ſuas procurrit. Nova ſane, ac præclara Matheſis! Novum eruditi hujus ſæculi inventum, quod ignoravit Euclides! Is nihil eſſe poſtulandum putavit, niſi eſſet aut ejusmodi, quod a nemine ſano negari poſſet, aut conſtanti eſſet experimento compertum, vel aliis in ſcientiis abunde exploratum. Nova methodus eſt multo expeditior. Hæc poſtulat ſibi credi, quæ vel maxime in controverſia poſita, ac cæterorum fundamentum ſunt. Ita ſe moleſto probandi onere liberat. Suſpiciuntur iſti homines tamen a deceptis, quaſi funderent e tripode oracula. Et ſunt oracula, ſed Pythia; quæ verbis ita implexis reddebantur, ut fallerent audientes, non erudirent.

5. Pergens pag. 38. N. XXX. exonerare bilem in Antitheſiſtam, acerbe ei exprobrat: „Non erubuit toti coadunatæ Provinciæ Romanæ, quæ in „duabus liberis Synodis ſententiæ ſuæ inhæſit (non obſtante, quod multi Pa„tres de iisdem in Synodo intermedia Leonem deſeruerint) hanc perpetuam „maculam affricare, quod ipſa aliquem ſaltem Pontificem contra canones, ac „per tumultum deſtituerit. Sanctam matrem ſuam proſtituit amore theſis ſuæ, „odio theſis noſtræ: contendit, Eccleſiam omni tempore tam glorioſam, ſe„mel peccaſſe certo, dum Papam hunc, alterum, Catilinam, reprobavit. At„qui potuit defendere honorem tantæ Eccleſiæ vel ex ſolo principio juris natura„lis, quod, qui hoſtis fit, ſeipſum extorrem faciat, perinde atque ſi abdicaſſet „a ſe magiſtratum.„ Satin' hæc magnifice? Theodulphe. Si rem inſpicias; reperies, ampullas has, & ſeſquipedalia verba non eſſe, niſi verſus inopes rerum, nugaſque canoras.

6. Cur erubeſceret Antitheſiſta ſcapham ſcapham, lignum, lignum, pſeudoſynodum pſeudoſynodum dicere? Non affricat ille Synodo huic, a capite ſuo vivente diviſæ, ac propterea monſtriferæ, perpetuam hanc maculam; ſed ipſamet contraxit, dum Pontificem certum, atque a ſemet agnitum, contra canones, & per tumultum ſine legitima poteſtate deſtituere tentavit. Maculam hanc agnoverunt Patres ex eadem Synodo, qui in Synodo intermedia Leonem deſeruerunt; agnitam erubuerunt, eluerunt pœnitentia, emendarunt declarando, hanc primam Synodum fuiſſe proſtibulum favens mœcho; qui Rom. Eccleſiæ thalamum, vivente ejus ſponſo legitimo, invaſerit. Non erubeſcimus paſſim Catholici profiteri, Baſileenſem Synodum, quamvis non particularis, ſed Oecumenicæ nomine ſe jactantem, affricuiſſe ſibi perpetuam maculam: dum Eugenium IV. ſine legitima auctoritate contra canones, & per tumultum tentavit deſtituere.

7. Quam

7. Quam liberæ fuerint duæ Synodi, prima, & tertia pro Leone VIII. habitæ, liquet ex hiſtoria. In prima aderat Otto, iratus Joanni, & ſtipatus exercitu. Cui ſi adulatos dici Patres, ferre non ſuſtines; inficiari tamen nequis, debuiſſe eos reſpicere continuo ſtantem a latere cum armatis Cæſarem, ne offenderent. In tertia aderat idem Cæſar, ex cujus ore Romanorum Legati audierant: *Quando dimiſero enſem meum, tunc dimittam, ut Dominum Leonem Papam in cathedram S. Petri reſtituam*: a quo electio Benedicti V, in locum Joannis XII. jam vita functi, a Romanis peracta, rejecta eſt. Romani ferro, igne, inedia, ærumniſque coacti ſunt ſuſcipere Leonem; ac Benedictus V. compulſus cedere Leonis furori. (*Vid. Proœm. §. 2. n. 14, & 15.*) Næ iſtæ liberrimæ fuerint Synodi!

8. At enim ſanctam matrem ſuam proſtituit. Illud volebat dicere: *ignominia notavit.* Nam alterum iſtud latinis auribus aliud quid ingerit. Nihilominus tamen ſanctam Matrem ſuam notare ignominia, oppido grave eſt. Sanctum vero Patrem ſuum ignominia notare, ejus obliterata jam vetuſtate, atque oblivione dedecora revocare in memoriam, atque Eccleſiæ hoſtibus irridenda proponere, ſequendo veſtigia Cham, qui nuditatem venerandi Noë non modo operire neglexit, verum quoque irridendam cæteris enuntiavit, *ut Vinc. Lir. C. XI. loquitur:* hoc nihil eſt. At dic tamen ſodes: quam S. Matrem ignominia affecit tuus Antagoniſta? *Eccleſiam Romanam, omni tempore tam glorioſam.* Audax facinus narras. Eratne autem eo tempore Mater illa conjuncta Sponſo, & Capiti, quod Chriſtus ei dederat? Oh, non Sponſum ſuum thoro ſuo ſpirituali ejecit viventem; ſuum a ſemet caput abſcidit; alium ſibi Sponſum elegit, vivente legitimo. Abi. Nugas agis. Nunquam agnovimus Matrem Sponſo ſuo tam infidelem, in ſuum caput tam feram, ut illud vivum amputet. Noſtra ſancta Mater individuo nexu Sponſo ſuo, & capiti adhæret conjunctiſſima: aut ab illo ſi ſe ſejunxerit, deſinet & ſancta eſſe, & mater noſtra, ſed erit adultera.

9. Quo ſpecifico canone, quo ex omni vetuſtate Eccleſiaſtica exemplo, quo unanimi Doctorum veterum conſenſu oſtendi poterit, Romanam Eccleſiam particularem, a ſuo vivente Sponſo, Paſtore, ac Capite diviſam (ut diviſa erat in illa Synodo) agnitam unquam fuiſſe a reliquis Eccleſiis, velut omnium Eccleſiarum Matrem, ac Magiſtram? Effata omnia ſive Pontificum, ſive Conciliorum, ſive Ss. Patrum, quibus Eccleſia Rom. enuntiatur omnium prima, & ſuprema, Mater noſtra, & Magiſtra, ſi illud, quo prolata ſunt, tempus, ut debes, inſpexeris; manifeſtum erit, prolata fuiſſe tum, cum conſentiebat ſuo Capiti. Imo tituli iſti omnes non competunt Eccleſiæ Romanæ, niſi propter Paſtorem ſuum, Succeſſorem B. Petri, quem ſupremus, atque æternus paſtor Chriſtus inſtituit ſupremum in terra, poſt ſuum in cœlos abitum

Paſtorem, Patrem, & Doctorem omnium ſuarum ovium. Eccleſia Romana ſedes, & Cathedra eſt B. Petri; docens ex ea Magiſter eſt B. Petri Succeſſor legitimus. Ejecto Magiſtro, quid docebit nos cathedra? Proferatur ullum, ſi reperiri poteſt, ullius idonei Doctoris effatum, quod particulari Rom. Eccleſiæ hos titulos largiatur pro eo, quo a Capite ſuo vivo diviſa fuerit, tempore.

10. Ergone dicemus Eccleſiam ſemel peccaſſe certo, dum Papam hunc, alterum Catilinam, reprobavit? Sanctam Matrem noſtram Eccleſiam peccati hujus non accuſamus; illam, vivente ſuo capite a ſemet ipſa truncatam, excuſarem, ſi quo modo poſſem. Attenuare culpam poteſt, ſi non adulatio, ſaltem timor humanus, & reverentia Cæſaris. Fuerit Joannes Catilina pejor, pejor Scribis, & Phariſæis, ſedebat tamen in Cathedra Petri; ex qua illum præcipitem dandi poteſtatem Chriſtus non fecit Eccleſiæ.

11. Atqui poterat illius, truncæ quamvis, Eccleſiæ honor defendi vel ex ſolo principio juris naturalis, *quod qui hoſtis fit, ſeipſum extorrem faciat &c.* Hoc ſi genuinum juris naturalis principium eſt, theſin, quam vindicare debuerat, labefactat. Tum enim non Synodus iſta Joannem magiſtratu movit; ſed ipſemet ſe extorrem fecit, atque illo ſe abdicavit. Deinde, an verum ſit, quod Joannes hoſtis Eccleſiæ factus fuerit, expendemus controverſia ſequenti.

12. An ergo veras dicemus has aſſertiones: „Eccleſia Romana„ (puta Synodi iſtius tempore truncata ſuo vivente Capite) „contra jus peccavit, dum „loco nequiſſimi alium conſtituit Pontificem. Otto Magnus contra jus peccavit, dum Leonem VIII. pro vero Papa agnovit, & defendit.„ Cætera vide ſupra (*Proœm. §. 3. n. 4.*) Veras fateri me cogit illud certiſſimum principium: quod, quicunque legitima poteſtate deſtitutus judicium exercet vel in nequiſſimum, peccet contra jus. Illam ſic dictam Eccleſiam Romanam præditam fuiſſe legitima, hoc adverſus Joannem judicium exercendi, poteſtate, negavimus; Vindex nullo apice probavit.

13. „Ottonem Imp. (clamat Vindex pag. 29. N. XV.) unicum ex „hominibus tunc Romanæ Eccleſiæ Soterem, & vel ideo Magni agnomen pro„meritum, nemo ſomniavit anathemate ligatum, abſolvere vel pro cautela „cogitavit nemo. Sero nimis Du Meſnil, Jeſuita Gallus, excommunicationi „obnoxios factos quadraginta Epiſcopos, & ſatis quidem temere, declaravit „ex pulpito ſuo.„

14. Spiritu prophetico majore, quam Joſephum, & Danielem, donatum, dejerares Theodulphe; ita exacte poſt tot ſæcula ſcit omnium illius ætatis hominum ſomnia, & cogitationes. Scire ſe iſta, aut defendat oportet; aut convincetur, proclamaſſe in orbem Catholicum, & literatum aliquid, quod neſciat,

neſciat, nec defendere poſſit; ſi vel verbo negetur. Si tamen verum ſit, quod jactat; neſcio an id laudi tribuendum Ottoni M, ejuſque aſſeclis. Magni agnomen promeritum fateor; magnum eatenus fuiſſe Eccleſiæ Romanæ adverſus Berengarii incurſus defenſorem, & ſervatorem, non nego; ſed nomen utrumque ex hoc facto promeritum, non credo. Magnus fuit Rex David, magnus Salomon, magnus Juſtinianus, magnus Theodoſius; non omnia tamen eorum geſta magna.

15. Cum nullum certius Synodi ſpuriæ, ac Spiritus S. gubernatione deſtitutæ indicium ſit; quam ſi doctrinam tradat rectæ Fidei adverſantem: Antitheſiſta objecit Vindici propoſitionem contra fidem in Epiſtola 2. iſtius Synodi aſſertam: „Judas, quam diu bonus inter diſcipulos fuit, ligare, ac ſolvere va„luit: poſtquam vero cupiditatis veneno homicida factus, Vitam occidere vo„luit; quem poſtea ligatum ſolvere, ſolutum ligare potuit, niſi ſeipſum, quem infeliciſſimo laqueo ſtrangulavit? „ Tam ſimilis eſt hæc propoſitio Articulo quarto (a) poſt a Joanne Wicleff divulgato, & in Conc. Conſtantienſi damnato, quam ovum ovo.

(a) Artic. 4. *Si Epiſcopus vel Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.*

16. Hic jam tantum non in rabiem agitur Vindex, & oratione tortuoſa nunc huc, nunc illuc ſe flectit, ut hoc ſe laqueo expediat. Videamus, quo ſucceſſu. Primum contendit Joannem fuiſſe Apoſtatam, id eſt, deſertorem Romanæ Eccleſiæ, & plus quam ſimplicem deſertorem, quia poſitivus hoſtis & traditor. Pag. 38. N. XXXI. Hoc falſum eſſe, videbis controverſia ſequente.

17. Mox alio ſe vertit, & Continuatoris Luitprandini fidem ſuſpectam reddit. Ait enim *ibid:* „epiſtola ſecunda Synodi illius ad Joannem, an ſit ge„nuina per omnes ſententias, quælibetque verba, an vero emblematica „compoſitio expeditoris, vel ignoti nobis continuatoris hiſtoriæ Luitprandinæ, „quis ſcit? & quis ſcit, an non ſit ex aſſe genuina? Sed hoc ſcimus eſſe homi„nis ad anguſtias ſummas compulſi, confugere ad emblematicam, & neque explicatam neque explicabilem compoſitionem expeditoris; eo redigi, ut cogatur ejus, quem præcipue auctorem habet, & ad cujus deſcriptionem expendendam lectorem ſuum ante remiſerat, auctoritatem elevare.

18. Rurſus oratione aliam in partem torta, in Antagoniſtam ſuum ferocibus verbis invehitur, *ibid.* „Hic noſtet fervidus Theologus, erroris Wiclef. „fiani habens ideam in capite ſuo, imputat Synodo propoſitionem contra fi„dem, quin ante omnia ſciverit, hoc eſſe vere ſcriptum a Synodo.„ Hoc a Synodo ſcriptum fuiſſe, reperimus in deſcriptione Continuatoris Luitpran-

dini, quam expendendam nobis Vindex inculcavit; quin ante omnia monuerit, ſemet illi fidem non habere. Non eſt ergo vitio vertendum nobis, quod teſte a Vindice pro ſe producto, contra Ipſum utamur, ſuiſque eum armis impugnemus.

19. Continuo, alio nullo verbo interpoſito, & uno, eodemque halitu ſibimet contradicens pergit, *ibid.* „Hanc epiſtolam etiam de conſilio Hen„rici Trevirenſis ita ſcriptam fuiſſe, memorat Continuator Luitprandi, a quo „ſolo eam habemus.„ Perterrefacere, credo, voluit Antagoniſtam ſui olim Archiepiſcopi auctoritate, læſæque majeſtatis reum agere At quis ſcit, an genuina ſit hæc Continuatoris Luitprandini narratio, an vero emblematica ejuſdem compoſitio? Cur fervidus noſter Jurisconſultus, læſæ majeſtatis ideam habens in capite ſuo imputat crimen Antagoniſtæ ſuo, quin ante omnia ſciverit, hoc conſilium vere eſſe datum ab Henrico Trevirenſi? Idemne Continuator, a quo ſolo illam habemus epiſtolam, modo teſtis eſt locupletiſſimus, modo nullus. A læſa auctoritate Henrici Trevirenſis quid reformidet Theologus? cum perſuadere nobis voluerit Vindex pag. 29. N. XV. Henricum Trevirenſem, alioſque Epiſcopos extraneos ad quæſtionem ab Ottone propoſitam verbum nullum prolocutos; ſolam Eccleſiam Romanam locutam. Quid ſibi vult iſta in verbis inconſtantia? Quid dicemus porro de hac, quam mox ſubjungit, orationis clauſula: „Erravit ergo Antitheſiſtæ poſt omnes præcipue „noſter quoque Archiepiſcopus in fide; ne Theologus non noſter erret in ſua theſi. Quid dicemus? Dum ad inania jurgia, imbellium mulierculorum arma, provolat; prodit, non eſſe in armamentario ſuo armaturam fortium; & virorum.

20. His non contentus, defendendam uſque adeo propoſitionem iſtam ex Synodi eam proferentis ſenſu, a ſemet invento, atque adjecto, ſuſcipit *pag. 39. N. cod.* ita diſputans: „Verum improvidus Exſcriptor Natalis „Alexandri meminerit, Synodum reddidiſſe cauſam, cur excommunicationem „Joannis parvi penſura eſſet, imo retorſura a paritate Judæ proditoris. Faciat contradictoriam: *Judas poſtquam deſeruit Chriſtum, Collegium Apoſtolorum, „& Eccleſiam Chriſti, potuit quemquam excommunicatione ligare*, & committet er„rorem in fide, quia apoſtata excidit jurisdictione ipſo facto apoſtaſiæ, ſeu de„relictionis. Judæ excommunicatoriam ſententiam, ſi quam poſt apoſtaſiam „ſuam tuliſſet, Apoſtoli non fuiſſent curaturi.„ Tum quaſi jam Antagoniſtam ſuum plane victum, ac pedibus ſubſtratum cerneret, triumphum canit, ac ſubſumit: „Atqui niſi venerit ad Synodum Papa Joannes, & objecta purgaverit, „habebitur proditor, traditor, venditor, hoſtis, apoſtata, & deſertor ſuæ Eccleſiæ. „Ergo comminata ejus excommunicatio non curabitur. Quid hic erroris in „fide eſt?„

21. Prælon-

21. Prælongam hoc totum Vindicis ratiocinium eſſe putidarum falſitatum, aliarum ex aliis pendentium, catenam, ac proinde ſtramineam, atque ad ligandum minime validam, ne dubita, Theodulphe. Primo quidem, quod Papa Joannes fuerit Apoſtata, deſertor Eccleſiæ Romanæ &c. falſum eſſe, evincendum reſervo controverſiæ ſequenti. Hac ergo hypotheſi falſa ſi iſta Synodus freta iſtam cauſam reddit, cur excommunicationem ejus parvi penſura eſſet, imo retorſura a paritate Judæ proditoris, annulum falſum & ſtramineum innectit falſo & ſtramineo. Falſa enim cauſa non poteſt eſſe ſufficiens ad vilipendendam Pontificis legitimi, & agniti cenſuram. Contradictoria, quam pro libitu ſuo effingit Vindex, laborat eadem falſa hypotheſi, quamvis illam ex nova ſua methodo mathematica poſtulet ſibi citra ullam probationem credi. Apoſtatam excidere jurisdictione ipſo facto, verum quidem, atque extra controverſiam eſt: ſed circulus unus ferreus, ſi pendeat ex falſa, & ſtraminea hypotheſi, quam ſtringendi vim habet? præſertim ſi ex eo pendentes alii rurſum ſint ſtraminei: quemadmodum hic ſunt. Falſum eſt enim, quod niſi Joannes Papa ad Synodum venerit, & Synodum eam, quæ nec probari poteſt legitima, nec ſi legitima foret, tantum juris haberet in ſummum Pontificem; quod tum, inquam, habendus ſit proditor, traditor, venditor, hoſtis, apoſtata, & deſertor ſuæ Eccleſiæ. Denique omnia hæc copulata, & nexa ſunt cum omnibus falſitatibus, quas deteximus, & refellimus hactenus. Ne mireris ergo, falſam, & ſtramineam eſſe, quæ ex his pendet, conſequentiam: *Ergo comminata ejus excommunicatio non curabitur.*

22. An aliquid, & quidnam ſit erroris contra fidem in iſto Vindicis ratiocinio; meum non eſt definire; nec velim ſine auctoritate legitima, qua me carere non ignoro, involare in officium judicis. Ferant ſententiam, quibus hoc judicium a Chriſto Domino concreditum eſt. His ipſis dijudicandas propono quæſtiones duas.

23. Sunt, qui exiſtiment Judam proditorem non defeciſſe a Fide Divinitatis Magiſtri ſui; ſed potius ea fretum, ac ſæpe expertum, quam miris ille modis eripuerit ſe ex inimicorum manibus, perſuaſiſſe ſibi, idem & nunc futurum: emungere ergo duntaxat argento Pontifices, & Scribas voluiſſe, nihil Magiſtro ſuo incommodi metuentem. Nec caret hæc opinio omni fundamento. Videns enim Magiſtrum non, ut alias non ſemel fecerat, ſe ſubducentem; ſed jam a Pontificibus, & Presbyteris damnatum, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, dicens: *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum.* Ut ut tamen iſta ſe habeant: ponamus, quod poni poteſt, Judam impium quidem fuiſſe, non tamen hæreticum, & a Fide Chriſti apoſtatam. Poſito hoc caſu, ſtatuo has contradictorias: *Judas impius Chriſtum vendens, non tamen hæreticus, & a fide Chriſti apoſtata, excidit jurisdictione*)(*Judas impius Chriſtum vendens, non tamen hæreticus,*

hæreticus, & a fide Chriſti apoſtata, non excidit jurisdictione. Hunc in modum proponendæ ſunt contradictoriæ, ut ad rem ſint. Quem in modum vero Noſter contradictoriam inſtituit, incautis lectoribus, & ſibimet glaucoma objicit; & nec hilum dicit ad rem. Proponit enim Judam velut deſertorem Chriſti, Collegii Apoſtolorum, & Eccleſiæ Chriſti. Talem non proponit epiſtola Synodi. Nullius quippe hæreſis, aut apoſtaſiæ, ſed ſolius facit mentionem impietatis. Deinde non fuit Joannes XII. Deſertor Chriſti, Collegii Apoſtolorum, & Eccleſiæ per hæreſin: quod poſt videbimus, & ipſemet ejus exagitator fateri cogitur, niſi ſuarummet vindiciarum Judas, & proditor eſſe voluerit. Talis etenim ſi fuiſſet Joannes, non *propter ſolam morum deformitatem*, ſed propter apoſtaſiam, & deſertionem Eccleſiæ fuiſſet depoſitus; aut potius excidiſſet ipſo apoſtaſiæ facto ſua poteſtate, & S. Sedes vacaſſet ipſo facto. Vindiciæ ejus autem clamant plenis faucibus, Papam jure deponi a ſua Synodo poſſe, non modo pro caſu hæreſis, & ſchimatis Paparum, ſed etiam *ob ſolam morum deformitatem.*

24. His poſitis quæro nunc primo ex conſtitutis a Chriſto Domino Judicibus omni cum reverentia: In utra ex duabus contradictoriis a me propoſitis cenſeant contineri errorem contra Fidem? Quæro iterum ex Ssmis Judicibus: utrum verbo Dei, Traditioni Patrum, & communi Eccleſiæ ſenſui conſentaneum ſit; quod, niſi Romanus Pontifex certus, & ab univerſa Eccleſia agnitus extra caſum hæreſis, de quo non accuſatus, multo minus convictus ſit, venerit ad Synodum, & objecta purgaverit, habendus ſit proditor, traditor, venditor, hoſtis, apoſtata, & deſertor ſuæ Eccleſiæ; ac proinde comminata ejus excommunicatio non curanda? Quidquid de his judicaverint ii, quorum eſt; id ego non tantum officioſo oris ſilentio, ſed cordis etiam, ac mentis ſincero obſequio ſumma cum reverentia ſuſcipiam.

25. Multa nobis ead. *pag. 39. N. XXXII.* deblaterat de forma proceſſus obſervata in iſta Synodo: quæ nec mentionem hoc loco, nec reſponſum merentur. Deficiente enim legitima poteſtate judicandi, quæ defecit hanc Synodum, nullum, irritum, atque inane eſt, quidquid tali in judicio agitur: etiamſi omnes ad unguem obſervati fuerint proceſſus judiciarii apices. (*Vid. Proœm. §. 3. n. 7.*) Unum libet paucis delibare ex iſto numero. „Decreta „eſt, inquit, „reverentialis, & obſecrativa citatio„ Demirare, Theodulphe profundam hujus Synodi erga ſuum, eo tempore adhuc pro legitimo agnitum, Caput reverentiam: dum in epiſtola ſua ſecunda illud æquiparat Judæ, Chriſti Domini proditori, & venditori.

26. Ad *Num. XXXIII. pag. ead.* pariter non moror, utrum trina citatio, aut neceſſaria fuerit, aut facta ſit, necne? utrum induciæ Joanni ſat largæ datæ ſint, necne? Neceſſaria poteſtas legitima defecit. Hoc certe ſuffecit; ut quidquid

quidquid in Joannem XII. eo in judicio factum eſt, merito dicatur factum contra Ss. Canones, & omnem juris ordinem; eſſe illegitimum, & ſpectato jure nullum.

27. Ex computu Controverſiæ ſecundæ Vindex eſt reliquator, ſeu debitor probationis; qua probetur, Eccleſiæ Romanæ particulari competere jus exauctorandi ſuum Paſtorem. In hac controverſia eſt reliquator probationis, quod iſta Synodus cenſenda ſit legitima. Utrumque nomen quouſque non expunxerit, patietur ſua Claritas, ut eam Synodum nominemus, ſicut Conciliorum editores plerique nominant, conciliabulum. Saltem hoc nomen paulo honeſtius eſt illo, quo illam inſignivit Synodus altera pro Joanne XII.

§. 2 *An Synodus altera Romana pro Joanne XII. cenſenda ſit legitima?*

1. Hanc ipſam in Synodum vehementer excandeſcit Vindiciarum Scriptor; videorque mihi videre toto ardentis ab ore abſiſtentes ſcintillas. Tam in illam debacchatur fervide, tam multis eam accuſat.

2. Imprimis *pag. 40. XXXIV*, pronuntiat, PRÆSIDE SE, „Joannis reverſi Synodum laudavit immerito Antagoniſta.„ Sed multo magis immerito eam convellere conatur IPSE. Habet certe altera hæc Synodus præ illa priore non pauca; quæ hanc præ illa legitimam cenſendam merito poſſint evincere.

3. Hæc præſentem, & Præſidem habuit legitimum Sponſum ſuum, & Caput a Chriſto ſibi datum. Illa Sponſum ſuum viventem abjecit; a Capite ſe ſuo vivente reſcidit. Hæc Sponſum ſuum, quem agnovit contra fas abjectum, in thorum ſpiritualem, ipſi ſoli, quoad viveret, debitum, reconciliata viro ſuo priſtino, reſtituit. Illa ſe mœcho proſtit..., tradidit, volebam dicere. Hæc ad Ss. Patrum auctoritatem ſe retulit; & Oecumenicæ VIII, Cpolitanæ IV, preſſit veſtigia, ut palam tibi fiet, Theodulphe, ſi acta Cpolitanæ cum hujus actis contuleris. Illa autem quid? ſine Patrum auctoritate, ſine exemplo, inaudito cauterio vulnus non ſanavit, ſed magis exulceravit. Nihil ſimile a Provincia Romana factum legi, confitetur ipſemet *pag. 37. N. XXVIII.* Confiteatur ergo neceſſe eſt, Synodum illam tranſiliiſſe terminos, quos poſuerunt Patres ejus: quamvis negare non poſſimus fuiſſe ante Joannem XII. depravatorum morum Pontifices. Hæc igitur, non illa Synodus, repræſentabat Eccleſiam Romanam, Sanctam Matrem noſtram, & Magiſtram. Hanc qui contumeliis impetit; Sanctæ Matri ſuæ perpetuam non erubeſcit affricare maculam, amore Theſis ſuæ, odio Antitheſeos.

4. Non placet tamen hæc Synodus Pythagoræ novo. Quibus de cauſis? Primam adfert hanc *pag. 29. N. XV.* „Synodum Joannis contrariam Eccleſia

„non curavit. Leo VIII. reſtitutus fuit, actus pontificalis ordinis exercuit, „prout ante fugam; in pace mortuus„ Quo etiam pertinet, quod dicit *pag. 41. N. XXXIV.* „Poſtea aliter ſenſerunt iidem Patres, recipientes Leonem VIII. „reſtitutum, eidemque, donec moreretur, obedientes.„

5. Nolo repetere (*ex Præam. §. 2. n. 13, & Contr. h. §. 1. n. 7.*) quam fuerit libera iſta Synodus tertia. Quo iſtius etiam Synodi Patres, nondum conſtricta armis Cæſaris eorum libertate, in Leonem fuerint animo; oſtenderunt aperte ſatis; dum, Joanne XII. e vivis ſublato, non Leonem repetiverunt, ſed elegerunt Benedictum V... Leonem quippe in præcedente Synodo recordabantur anathematis vinculo conſtrictum, de omni gradu Eccleſiaſtico dejectum, ad munia omnia Eccleſiæ declaratum inhabilem, propoſita graviſſima anathematis pœna in quoſvis, qui ad Pontificatum recuperandum ei conſilio, aut auxilio deinceps adeſſent. Vindiciarum ſcriptor, arrogata ſibi, a nemine conceſſa, auctoritate Cenſoris, Romanos, Benedictum V. eligentes, arguit: Non curaſſe juramentum Leoni præſtitum, neque illud, quod fecerant Ottoni Imperatori, nunquam ſe Papam electuros, aut ordinaturos præter conſenſum, atque electionem Ottonis Cæſaris Auguſti, Filiique ipſius Ottonis Regis. *Pag. 27. Nri X. part. 23.* At vero primum juramentum, Leoni VIII. præſtitum, ſed in Synodo præcedente, tamquam contra fas omne ac jus impingens, reſciſſum, quorſum magni facerent? Alteri, quod fecerant Cæſari (An imprudenter, ac temere factum fuerit,, ut contendit Nat. Alexander; rem præſentem non attinet) abunde ſe ſatis feciſſe, credere poterant; dum Ottonis conſenſum petierunt per Legatos, etſi non impetraverint. Quod ſi quis hoc concedere renuat; certe irrita propterea cenſeri non poteſt Benedicti V. electio, & conſecratio. Uti tradit Ditmarus L. 2, qui eodem tempore vixit; & ipſemet deinde Otto agnoſcere viſus; dum poſt Leonis mortem conſenſit, ut in Sedem reſtitueretur Benedictus; quamvis is morte præoccupatus ad illam non pervenerit. *Adam. Brem. L. 2. c. 6.* Aut ſi nec hoc dare voluerit Vindex, navim ipſemet ſuam peſſum dat. Pari enim jure irrita cenſeri debebit, ac nulla (ut reipſa fuit) Leonis VIII. electio, & conſecratio, contra juramentum, Joanni XII. præſtitum, peracta.

6. Satis quidem iſta ad convincendum animum, non prorſus obſtinatum, videri poſſunt. Veruntamen ad vivum reſecandæ ſunt Ipſius fallaciæ, ac radicitus extirpandæ, ut ne fibra quidem relinquatur. Intende animum in Ipſius argumentum, Theodulphe: Leo VIII. reſtitutus fuit, actus ordinis „Pontificalis exercuit, prout ante fugam, in pace mortuus: Iidem Patres „poſtea receperunt Leonem VIII. reſtitutum, eidemque, donec morere„tur, obedientes fuerunt.„ Hæc quidem permittas licet, Theodulphe. Quid igitur? „Ergo Synodum Joannis contrariam Eccleſia non curavit. Er-

go

„go poſtea aliter ſenſerunt iidem Patres.„ Nega, & pernega, Theodulphe, conſequentiam. Tyrunculi dialectici didicerunt, eam propoſitionum contradictoriarum conditionem eſſe oportere, ut ſint affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem, ſumpto eodem modo & pro eodem tempore. Magna tempore, quod Synodum inter Joannis & hanc ultimam interceſſerat, facta eſt rerum converſio. Joanne XII. mortuo, & Benedicto V. ſponte ſe abdicante, vacabat ex integro B. Petri Sedes, nec tenebantur amplius Patres jurisjurandi, ſive huic, ſive illi præſtiti, religione. Fas proinde ipſis erat novam ad electionem procedere. Cæſare autem gladium non prius ponere obſirmato, quam Dominum Leonem in Cathedram B. Petri reſtituiſſet, & Urbi cum legionibus inſidente, Romani Patres quid agerent? Priorum ærumnarum ſeſſi, & novas pertimeſcentes, cum eligendi alium poteſtas non fieret, voluntate coacta, ſed tamen voluntate, ſuſceperunt Leonem VIII; & cenſuras in eum, ejusque ſuffragatores ante latas, pro poteſtate, qua pollebant vacante Sede, hoc ipſo facto abrogaſſe cenſeri poſſunt. Per novam electionem hanc demum fieri legitimus Pontifex potuit Leo VIII. & factus eſt ex quorundam ſententia, de quo hic diſputare neceſſe non eſt. An vero Patres, nunc Leonem VIII. ſuſcipientes per novam electionem, propterea ſenſerunt primam ejus electionem, vivente Joanne XII. factam, & a ſe antea damnatam, fuiſſe validam? Hoc ſi non ſenſerunt, ut ſenſiſſe eos nullatenus ex hoc novo eòrum facto ſequitur: non ſequitur eoſdem Patres poſtea aliter ſenſiſſe; non ſequitur, quod Joannis Synodum contrariam non curaverit Eccleſia. Vides jam verſutiam ſophiſmatis? Narratis geſtis, cætera ſi ſpectes, veris, eorum tamen adjunctis, puta, quo tempore, qua occaſione, quo modo poſtea geſta ſint, ſilentio ſuppreſſis, eo demum ſophiſma delabitur; ut tentet incautis, & in Hiſtoria parum verſatis perſuadere: eoſdem Patres poſtea aliter ſenſiſſe, ſibi contradixiſſe, priorem ſententiam retractaſſe, Eccleſiam Rom., capiti ſuo conjunctam, ſemper tam glorioſam, non curaſſe, quæ ante ſtatuerat. Candidi hominis quis eſſe dixerit, lectoribus ſuis ſtruere hujuſmodi tendiculas?

7. Graves alias *pag. 40. N. XXXIV.* Synodi, pro Joanne XII. habitæ, accuſationes intentat. Audire & illas oportet, & ſuis momentis expendere.

8. *Accuſatio 1.* „Terror eam præceſſit. Sæviit prius Joannes in primores Urbis; manum dexteram, linguam, nares, digitos Clericis abſcindi juſſit: „dein Synodum congregavit. Quæ Patrum libertas?

Defenſio. Fuerat Joannes non modo Eccleſiæ Caput ab omnibus agnitum, ſed etiam ditionis ſuæ Princeps ſupremus. Poterat igitur jure animadvertere in refractarios ſibi ſubditos. Si modum humanitatis non tenuit: quid hoc attinet Synodum poſt congregatam? Quæ Patrum in Synodo tertia Otto-

niana fuerit libertas, modo audivimus. Nulla in hac Synodo Joannis Patribus vis illata legitur.

9. *Accuſatio 2.* „Nulla legitur cautio prævia pro ſalute Romanæ Eccle„ſiæ, pro abjuratione hoſtium ejus, pro renovanda fide erga Advocatum „ejus.

Defenſio. Non periclitabatur ſalus Romanæ Eccleſiæ, in quam Joannes nullam invexiſſe accuſatus eſt pernicioſam hæreſin; nulla item in Urbem eo tempore hoſtiliter geſta illi fuerunt objecta. Adelbertus, Berengarii Filius, Cæſaris hoſtis fuit, non Eccleſiæ. Atque ut fuiſſet etiam; ab eo ſe Joannes ante ſuum in Urbem reditum jam ſejunxerat; Adelbertus ultro in Corſicam profugerat, nec poſt comparuiſſe amplius legitur. Berengarii Parentis vires ita conciſæ erant; ut nihil turbare poſſent amplius. *Continuat. Reginon.* Quæ ergo neceſſaria fuit pro abjuratione hoſtium prævia cautio? Redintegrandæ erga Advocatum Eccleſiæ, ſive Cæſarem, fidei negotium erat politicum, non Eccleſiaſticum, ac proinde neceſſe non erat referri illud ad Synodum. Neque illud tamen negotium neglexit interea Joannes. Teſtificatur enim Continuator Reginonis, eum ſtatim in ſpem veniæ ab Imperatore impetrandæ intentum fuiſſe; dum Otgerum, Spirenſem Epiſcopum, comprehenſum, & flagellatum, & aliquando, licet incommode, apud ſe detentum (quod factum ſane nec laudo; nec defendo) tum remiſit. Subdit Continuator: „Quæ ſpes eum divina ordi„natione fefellit. Nam II. Idus Maji rebus humanis exceſſit.„

10. *Accuſatio 3.* „Nullus de expurgatione infamati, de pœnitentia, & „emendatione impii ſermo.

Defenſio. Nulla lege tenebatur purgare ſe coram ſua Synodo, ut probavimus *Contr.* 3. De pœnitentia, & emendatione vitæ ſoli Deo debebat rationem reddere. Nullus ergo de his neceſſarius in Synodo ſermo.

11. *Accuſatio 4., & atrox.* „Quin Spiritus aperti mendacii mox aderat: „Joannes crudelis, & impuriſſimus, vocatur piiſſimus, & coangelicus.„

Defenſio. Hic jam, ſi, quod ſentio, licet Leodienſi libertate edicere, deliteſcit vel craſſa ignorantia, vel aliud quid gravius, quod, etiamſi Leodienſis, horreſco dicere. Quis enim neſcit, nomen ſanctiſſimi, piiſſimi, religioſiſſimi, Deo dilectiſſimi, aliaque ejuſmodi, tribui ſolere Papæ, & aliis Præſulibus propter ſanctitatem non perſonæ, ſed (a) officii, quia Chriſti Domini Dei noſtri vices gerunt, ejuſque perſonam referunt. In actis Synodi Oecumenicæ III. Epheſinæ I., Neſtorio; in actis Synodi IV., Chalcedonenſis I., Eutychi, & Dioſcoro, quamvis aperte hæreticis, & pertinacibus, ſacra tamen ejuſmodi nomina tributa legimus. An Cciis hiſce Oecumenicis, quibus non

ſecus

ſecus ac quatuor Evangeliis fidem habendam pronuntiavit S. Gregorius M., aderat Spiritus mendacii? Ipſos uſque adeo profanos Principes Sanctitatis nomine uſus loquendi receptiſſimus ſalutat. Ita dicimus Sacra Cæſarea, Sacra Regia Majeſtas. In Synodo altera Ottoniana Otto dicitur Sanctiſſimus Imperator. Neque immerito. Didicimus enim ex Apoſtolo *Rom.* 13. Poteſtates, quæ ſunt, a Deo ordinatas eſſe, & poteſtati reſiſtentes Dei ordinationi reſiſtere. Dei enim, inquit, miniſtri ſunt. Et B. Petrus 1. *Pet.* 2. ℣. 18. vult ſervos ſubditos eſſe Dominis, non ſolum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Sancta nobis igitur debet eſſe utriuſque poteſtatis, tam ſacræ, quam politicæ, reverentia, nullo habito ad perſonarum ſive ſanctitatem, ſive improbitatem reſpectu; utrilibet ſuus ſuo in foro honos habendus. *Reddite*, inquit S. Paulus, ibid., *omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem;* politicæ poteſtati in rebus civilibus; ſacræ in ſacris, ut perpetua nos docet Majorum, & Atavorum traditio: quæ debet Germano Catholico ſufficere.

(*a*) Joannis Huſſ. Artic. 23. *Papa non debet dici ſanctiſſimus, etiam ſecundum officium. Quia alias Rex deberet dici ſanctiſſimus ſecundum officium, & tortores, & præcones dicerentur Sancti; imo & Diabolus deberet dici ſanctus, cum ſit Officiarius Dei.*

12. *Accus.* 5. „Dicit ille (Joannes XII.) ſe fuiſſe, expulſum imperiali „vi a propria Sede: cum fuerit hoſtis, transfuga, apoſtata, fruſtra revocatus ab „Ottone, & Patribus.„

Defenſio. Gravis criminatio! quæ ſi vera eſſet, negarem tamen, eum propterea dignum fuiſſe, qui e Cathedra Petri a Synodo dejiceretur. Fuiſſet enim ipſo facto apoſtaſiæ, nullo alio judicio interveniente, dejectus. Niſi voluerit Vindex revocare doctrinam ſuam, apprime Catholicam; quam docuit nos ſcientes, dicens pag. 39. N. XXXI. „Apoſtata excidit Jurisdictione ipſo „facto apoſtaſiæ, ſeu dereliction is.„ Reſorbere autem verbum ſuum, foret ſane Decano Facultatis Juridicæ indignum: fieretque ſuarummet vindiciarum, ut ante dixi, proditor. Jam vero nihil eſt in tota hac criminatione verum, niſi hoc unum: Quod Romam revocatus ab Ottone, & Patribus, non comparuerit. Hoc autem an crimen tam atrox ſit, quod pœnam tam inauditam fuerit commeritum, judicent, quorum eſt!

13. *Accus. 6.* „Leonem illi ipſi vocant adulterum, invaſorem alienæ „ſponſæ, intruſum, qui liberrime eum, tota acclamante Eccleſia Romana, ele„gerant tanquam virum approbatum; quem Continuator Reginonis vocat virum „ſtrenuum, & induſtrium; Petrus Bibliothecarius virum venerabilem, ſtrenuum & „omni honeſtate præclarum. Fuerit ergo Neophytus, id eſt, vel recens, vel „nondum clericali ordini adſcriptus, quid tum? An non communiſſima ſenten-

„tia eſt, quod laicus poſſit eligi in Papam? Illo tempore mali mores ita inva„luerant, ut, ſcribentibus etiam Catholicis, jam non eſſet quæſtio de digno, & „digniore, ſed de minus indigno, eligendo.

Defenſ. VocaruntScaphamScapham; ſecuti normam, & exemplumSynodiOecumenicæ VIII. Cpolitanæ IV., quæ act. 7. Photium tum propter alia crimina, tum velut *Mœchum*, damnavit. An, qui Cpolitanæ Eccleſiæ thorum ſpiritualem vivente ejus Sponſo, S. Ignatio, invaſit, mœchus, tam gravi Synodi Oecumenicæ judicio, pronuntiatus ſit: qui vero primæ, ac ſupremæ omnium Eccleſiæ thalamum vivente ejus Sponſo legitimo, ab univerſa Eccleſia agnito, vi occupaverit, pro juſto conjuge habebitur?

At illi ipſi liberrime eum, tota acclamante Eccleſia Romana, elegerant, tanquam virum approbatum. De libertate illius Synodi vidimus antea. Quæro nunc, qua acclamante tota Eccleſia Romana electus eſt? Univerſali toto terrarum orbe diffuſa? At hoc probari non poteſt. (*Vid. Proœm.* §. 5. *an.* 12.) Neque id dicit Ipſe. Ait enim totum negotium perfectum a Synodo ſola Eccleſiæ particularis Romanæ, coram Ottone, & quibuſdam Italiæ, ac Germaniæ Præſulibus, perſonas mutas hac in comœdia agentibus, verbum nullum dicentibus. Hæc particularis Provincia Romana tota eratne Sponſo ſuo, a quo dignitatem ſuam, auctoritatemque omnem habet acceptam, conjuncta? Imo cum eo vivo fecit divortium. Non erat ergo legitima; adhæc & in negotium ſe ingeſſit, cujus gerendi poteſtate caruiſſet, quantumlibet fuiſſet omnimodis legitima. Non niſi comœdiam luſit igtur inaniſſimam.

Illi iidem tamen eum elegerant, qui poſt dixere adulterum. Id argumento eſt, agnoviſſe illos poſt errorem ſuum, atque, ut conſcientiæ ſuæ conſulerent, correxiſſe, pronuntiantes, priorem ſuam Synodum fuiſſe proſtibulum favens adultero, & auctoritate Ss. Patrum damnandam. Errare hominis eſt; nullius, niſi inſipientis, perſeverare in errore. Vindex accuſat eos, quod in errore non perſeverarint, ſed ſapere cœperunt. Ad Synodi VIII. Oecumenicæ Actionem ſecundam venerunt, qui ceciderant cum Photio Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, & proferentes libellos pœnitentiæ coram Synodo, recepti ſunt. Similia in aliis Conciliis facta legimus ab aliis, qui reſipiſcentes, erroremque priorem deſerentes, ad mentis ſanitatem redierunt. Hos nemo ſanus accuſandos, boni omnes laudandos, ſemper cenſuerunt.

Ex laudibus, Leoni a Reginonis Continuatore, & Petro Bibliothecario tributis, nihil detrahere neceſſe eſt. Fuerit vir numeris omnibus abſolutus, &, ſi vis, viva B. Petri, & Pauli imago; nihil obſtiterit, quod fuerit neophytus, id eſt, recens, vel nondum ordini Clericali adſcriptus (Quamquam hoc non parum adverſetur Ss. Canonibus priſcis, in octava, recentis tum memoriæ, Synodo, Act. 4, renovatis) Defuit tamen, quod cæterorum fundamentum eſt,

defuit

defuit primæ Synodo Joannem XII. viventem deſtituendi, ac Leonem VIII. in ejus locum inſtituendi poteſtas.

14. *Accus. 7.* „Propter Synodum Joannis nemo ante Baronium negavit „Leoni VIII. locum in catalogo Pontificum. „

Defenſ. Hæc accuſatio jam anteoccupata, & exploſa eſt principio. (*Proœm. §. 5. n. 16.*)

15. *Accus. 8.* „Nulla deliberatione prævia, ad propoſitam a Joanne „quæſtionem... ſtatim reſpondit. „

Defenſ. Hæc accuſatio difflatur ſola inficiatione: qui ſcis? qui probas? Aut putas habitam hanc Synodum, ut fiunt cœtus hominum præcipiti omnia conſilio agentium. Hoc deberet probari. Non ſolent Ccia in ſeſſionibus, ſive actionibus publicis decernere, & promulgare; niſi quæ matura ante deliberatione expenſa, ac concluſa communi calculo fuerint; tametſi deliberationes iſtæ prævias non ſemper in acta referri ſoleant. Alioquin Synodum I. Ottonianam, ab Ipſo jam Canonizatam, condemnabo eodem ego ſcelere. Nulla enim in ejuſdem actis interpoſita legitur quæſtionem inter ab Ottone propoſitam, & Synodi reſponſionem deliberatio. Statim enim reſpondit: *Inauditum vulnus inaudito eſt cauterio exurendum.* Quam autem minime præcipiti impetu proceſſerit Synodus Joannis, liquet ex eo; quod cauſam Siconis, Epiſcopi Oſtienſis, qui Leonem conſecraverat, & Benedicti Portuenſis, Gregoriique Albanenſis, qui conſecranti adſtiterant, differendam cenſuerit uſque ad tertium conventum. Synodum præcedentem ex auctoritate eſſe Ss. Patrum damnandam judicavere. Conſuluiſſe igitur Ssrum Patrum monumenta cenſendi ſunt: niſi, ſuo illos pede metiens, aſſerere ſine fundamento voluerit, allegaſſe illos, quæ non viderint.

16. *Accus. 9.* „Omiſit verum cauſæ crinomenon, quod erat, an illo „in caſu Imperator recte indixerit Synodum, quam principaliter habuit Provin„cia Romana ſuper ſuo Metropolitano profugo cum hoſtibus, aſſiſtentibus Epi„ſcopis Ottonis, abſque dato ſuffragio: An provincia Romana recte ſuum „Metropolitanum exauctoraverit abſentem, citatum, modis omnibus venire, „ac ſe purgare renuentem, necne? Super hoc magna diſquiſitio fieri debuiſſet, „votaque cordate proferri. Sed non erat de tempore diſplicentia loqui cru„deli, ſævienti, amputanti. „

Defenſ. Ottoniana Synodus I. omiſit verum cauſæ crinomenon, quod erat: An *Synodo particulari Romanæ, ullive poteſtati humanæ facta ſit a Chriſto Domino facultas exauctorandi ſupremum ſuum in terris Vicarium, ab univerſa Eccleſia, atque ab ipſiſmet agnitum, vivum, & invitum extra caſum hæreſis; an idem Chriſti Vicarius lege ulla obſtringatur, ut a tali Synodo citatus veniat, & ſe purget, necne?*

necne? Super hoc magna diſquiſitio fieri debuiſſet, & conſuli auctoritas Ss. Patrum, votaque cordate proferri. Sed non erat de tempore diſplicentia loqui a latere ſtanti irato, & cum exercitu; quem debebant continuo reſpicere, ne offenderent.

Verum Crinomenon minime prætermiſit Joannes in ſua Synodo. Dixit enim Actione I. „Scitis, dilectiſſimi Fratres, me fuiſſe expulſum imperiali vi „a propria Sede per duos menſes, quapropter vos plurimum rogo, ſi dici poteſt „regulariter Synodus illa, quæ habita eſt, *me abſente* in Eccleſia mea, quarto „videlicet Decembris ab Ottone Imperatore, ſuiſque Archiepiſcopis, atque „Epiſcopis, an non? Sanctum Concilium reſpondit: Proſtibulum favens adul„tero, invaſori ſcilicet alienæ ſponſæ, nempe Leoni intruſo. Piiſſimus ac ſan„ctiſſimus Papa dixit: Ergo damnanda eſt a nobis? Sanctum Concilium re„ſpondit: *auctoritate ſanctorum Patrum damnanda.* Tunc piiſſimus, ac ſanctiſſi„mus Papa damnavit eam in perpetuum, cum eorundem Epiſcoporum aucto„ritate. *Apud Hardu. T. 6. CC.* P. 1. *pag. 633.*„ Nonne hoc diſerte ſatis idem eſt, ac ſi interrogaſſet: *An Provincia Romana recte ſuum Metropolitanum exauctoraverit abſentem?* &c. Potuiſſentne cordatius vota proferri, & quidem *ex ſanctorum Patrum auctoritate*, cui hæc Concilii ſententia planiſſime congruit?

17. *Accuſ. 10.* „Poſtea aliter iidem Patres ſenſerunt. &c.„

Defenſ. Iſta accuſatio jam penitus contuſa eſt. *Hic n. 5. & 6.* Addi tamen poteſt, deliteſcere & his ſub verbis ancipitem amphibologiam. Luitprandi Continuator (ſi qua tamen huic fides habenda) & ex eo Vindex refert Ottonianæ Synodo II. interfuiſſe eoſdem omnes, qui primæ interfuerant. At Synodo pro Joanne intermediæ, Ottonis primam Synodum damnanti, interfuere complures Patrum, qui iſti primæ non interfuerant, de quibus proinde non conſtat, utrum Ottonianæ alteri præſentes adfuerint. Contuli ſtudioſiſſime catalogum Patrum hinc in Synodo I. pro Leone VIII., inde in Synodo pro Joanne XII. congregatorum. Comperi in Synodo Joannis comparuiſſe Epiſcopos decem, & ſex; ex quibus octoni conſenſerant antea damnationi Joannis XII.; reliqua ſemiſſis non legitur interfuiſſe Ottonianæ Synodo. In dicta Synodo pro Joanne lego collectos fuiſſe Cardinales Presbyteros duodecim; adhibita quavis diligentia non reperi, niſi ſenos, qui operam ſuam in præcedente Synodo Ottonis ad dejiciendum Joannem contulerint, quamvis IPSE, *pag. 26. N. X. part. 21.*, acutius ſcilicet videns, numeret denos. Cardinalem Archidiaconum Benedictum, & duos Cardinales Diaconos utrique Synodo adſtitiſſe teſtantur utrimque acta. Si ergo fere dimidia pars Patrum in Synodo pro Joanne XII. præſentium, probari non poteſt poſtea aliter ſenſiſſe; qua fiducia dicitur ſimpliciter, atque abſolute, eoſdem Patres ſenſiſſe poſtea aliter? Comparatum

hoc

hoc eſt, ut cætera, ad faſcinandos lectorum animos, quaſi iidem omnino Patres aliter poſt ſenſerint.

18. *Accuſat. 11.* „Denique non ex Spiritu S., ſed ludicre tractabantur „innocentes, a Leone ordinati, ſine miſericordia degradati, cum ſchedula: „*Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit.* Quod dictum potius benigna in„terpretatione juvandum eſt, ne ſit error; quam ſcriptum præcedentis Concilii „de Juda, poſt venditum Chriſtum ligare amplius non valente, erroris in fide „arguendum. Hæc Antagoniſtæ ſapiunt prorſus ingenium Eccleſiæ.

Defenſ. Non eſt ex Spiritu S. ſcriptum præcedentis Concilii effatum de Juda. Illud enim ſi ſpectetur in proprio obvio, & uſitato inter homines communi verborum ſenſu (quem ſpectare Publicum ſolet, & in judiciis ſuis Eccleſia, nullo habito ad eam interpretationem reſpectu, quam vel propoſitionis auctor poteſt ſola mente habere reconditam, vel alius ei affingere) excuſari ab errore in fide non poſſe, conatus fui probare pro mea virili (*h. Controv. ſſ. 1. a n. 23.*) An probaverim reipſa, penes eos judicium eſto, quorum eſt.

Dictum alterius pro Joanne XII. Synodi, interprete alio non indiget, niſi circumſtante, & una cum ipſo loquente communi, ac recepta a Catholicis omnibus doctrina. Conſtans enim Catholicorum doctrina eſt a charactere, quem Sacramentum Ordinis imprimit initiatis, ſeparari poſſe licentiam, ac facultatem fungendi miniſterio Ordinis. Characterem (quem recipit Clericus a rite conſecrato ſive per fas, ſive per nefas Epiſcopo, ſive per fas, ſive per nefas, rite tamen a tali ordinatus & ipſe) Catholici docent eſſe indelebilem, qui auferri a nemine poſſit *Trident. Seſſ. 7. Can. 9.* Miniſterio, & functione ordinis ſui ſuſpenduntur ſæpe ob gravia delicta cujuſcunque gradus Clerici, alii ipſo jure, alii per ſententiam judicis; alii ad certum tempus a jure, vel ſententia definitum; alii donec emendentur, vel præſtita ſatisfactione abſolvantur; alii, ſi propter irregularitatem prohibeantur ſuſcepti ordinis miniſterio, donec diſpenſationem obtinuerint; alii ita arcentur ſuperiorum ordinum exercitio, ut minores exercere permittantur; alii omnium ordinum miniſterio ſpoliantur adeo, ut ſola communione laica contenti eſſe jubeantur. Atque illi quidem omnes revocari ad priſtinum gradum dicuntur, pro ſuo quiſque modo; vel certum ad tempus, vel ad totius vitæ dies, manente nihilominus in iis charactere Ordinis. Hanc receptiſſimam in Eccleſia linguam qui ignorat; is Ss. Canones, Ccia, & hiſtoriam Eccleſiaſticam ne extremis quidem labiis deguſtaſſe cenſendus eſt. Leo VIII. cum contra Ss. Canones vivente priore Epiſcopo conſecratus eſſet; carebat ipſo jure ordinis ſuſcepti miniſterium exercendi facultate; ergo nec dare eam a ſe ordinatis poterat. Hunc autem verborum in chartula ſcriptorum ex ſua mente ſenſum eſſe, declaravit Joannes XII. ſatis aperte, dum Act. 3. ſententiam pronuntians dixit „eos vero, quos ipſe Leo neophytus, & invaſor

„ſanctæ, & apoſtolicæ Eccleſiæ in quolibet Eccleſiaſtico ordine provexit, Apo„ſtolica, atque canonica auctoritate & Synodali decreto *in priſtinum revocamus* „*gradum*: quia ordinator eorum nihil ſibi habuit, nihil illis dedit.„ Linguam Eccleſiaſticam callentibus hæc apertiſſima ſunt, ſolis non callentibus obſcura. Neque hæc ludicra cenſenda ſunt, ſed ſententiæ in Leonem latæ novum pondus addunt; ſuntque iterata ejus confirmatio.

Invidioſa quoque loquendi formula Vindex utitur, dum *eos omnes ſine miſericordia degradatos* narrat. Degradatio enim in vulgari idiomatis Eccleſiaſtici uſu ſignificat triſtiſſimam pœnam; qua ob enormia ſcelera Clerici per lugubres cæremonias ita miniſterio ordinum, ac privilegio canonis ſpoliantur; ut tradantur judici politico, extremo afficiendi ſupplicio. Tale nihil in iſtos ſtatutum legitur, ſed Ordinis, duntaxat a Leone ſuſcepti, inſignibus, miniſterioque privati ſunt, ac vita incolumi ad priſtinum gradum revocati.

Illa Synodus ſapit ingenium Eccleſiæ, quæ nihil ſtatuit, niſi ex norma ſacrorum Canonum, & majorum exemplo. Illa non ſapit, quæ ſtatuit, quod neque in Ss. Canonibus conſtitutum ſit, neque ullum habeat in antiquitate exemplum. Perlege, Theodulphe, acta Synodi a Joanne habitæ; nihil in ea ſtatutum reperies, quod non totidem fere verbis conſtitutum fuerit in antiquis Canonibus, & veterum exemplis confirmatum. Provocat Joannes ad exemplum Prædeceſſoris ſui Stephani (III, aliis IV.) eadem ratione in ordinatos a Conſtantino Antipapa animadvertentis. Præivit Synodus VIII. Pro his, quæ in Synodo Ottonis geſta ſunt, defendendis proferri fruſtra poſtulavimus vel unum ſpecificum canonem. Exemplum nullum proferri poſſe, fatetur ipſe. Judicent nunc, quorum eſt: utra ex his Synodis ſapiat ingenium Eccleſiæ.

19. Ead. pag 41. & N. XXXIV. dum ait. „Verum eſt hæc mater „pia, ſanans, *non vindicans*, præſertim ubi nihil factum eſt, quam tota Rom. „Eccleſia pleniſſime conſentiente:„ Videtur eripere Eccleſiæ Canonicum mucronem, ſive poteſtatem puniendi noxios. De pleniſſimo totius Romanæ Eccleſiæ conſenſu abunde diſputatum eſt alibi. (*Proœm. §. 5. a n. 12.*)

20. Denique ibidem repetit, quod jam alias dixerat. „Hanc iſta ſola „vice, cum nullus alius caſus oſtendi poſſit, contra Papam erraſſe, univerſam, „vel dogmatico errore, dum credidit, a ſe talem Papam exauctorari poſſe, „vel morali, dum credens, ſe non poſſe, nihilominus adulata Ottoni exaucto„ravit, ſentiat, quiſquis velit: Nos reverentiores ſumus; magis hanc ſemper „ſanctam, juſtamque Eccleſiam diligentes, & honorantes, quam exauctoratum „ab ea peſſimæ vitæ, mortisque Pontificem, cujus memoria ſemper erit in „execratione.„

21. Eccleſia Romana univerſa Capiti ſuo conjuncta, nunquam Papam certum,

certum, ab universa Ecclesia agnitum, viventem, & invitum, tentavit exaucorare propter solam morum perversitatem. Synodus, quæ hæc in Joannem XII. ausa est, non erat conjuncta suo Capiti, sed ab eo vivo se per schisma sejunxerat. Ac proinde neque Ecclesiam Romanam universam, imo neque particularem Romanam repræsentabat. Hæc si in errorem sive dogmaticum, sive moralem prolapsa est; hoc sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Magistræ, ac Matri nostræ maculam nullam affricat. Istam semper sanctam, & justam boni omnes reverentur, diligunt, & honorant. Synodum alteram, a capitis sui vivi diminutione informem, qui diligit, & honorat; diligit, & honorat (Libertati Leodiensi sit venia) adulteram; cujus memoria semper ad conciliabula amandabitur, atque ad prostibula, mœcho faventia, alienæ Sponsæ invasori. Sanctæ Matris nostræ Sponsum qui non reveretur, diligit, & honorat; nec reveretur, nec diligit, nec honorat genuinam Matrem nostram. Fuerit pessimæ vitæ, ac mortis Joannes XII. Pontifex; sedebat tamen in Cathedra B. Petri; ex qua illum deturbandi legitimam potestatem Christus isti Synodo minime concessit.

Controversia V.

An Joannes XII. fuerit hostis, apostata, desertor, traditor, venditor suæ Ecclesiæ Romanæ?

1. Vindiciarum Scriptor, habebat sibi propositum ostendere *pag. 30. N. XVII.*, & rursus pag. 31., N. XX. Papam posse deponi non modo in duobus casibus hæreseos, & schismatis plurium, inter se de Papatu contendentium; sed etiam pro tertio casu, quem deformitatem vitæ vocari ait, vel casum incorrigibilis deformitatis vitæ, ad quam pertinere dicit perditionem, & proditionem Ecclesiæ, & Patriæ.

2. Æstus disputationis Ipsum eo abripit, ut contendat persuadere lectoribus suis, Joannem XII. fuisse non modo pessimis moribus Pontificem, sed etiam Ecclesiæ Romanæ hostem, apostatam, desertorem, traditorem, venditorem. Nec vidit Bonus Vir, prodi abs semet hoc pacto suarum vindiciarum causam; uti non semel jam monui; & res ipsa loquitur.

3. Crimina ista, fateor, si convenirent in Joannem XII., esse tam enormia; ut eum, non quidem a Synodo deponendum, sed ipso facto excidisse magistratu suo, probarent cumulatissime. Juvat tamen expendere, an criminationum istarum reus fuerit.

4. Aliud est hostem Cæsaris esse, aliud hostem Ecclesiæ. Non omnis enim Cæsaris hostis est hostis Ecclesiæ. Quam sæpe vidimus Catholicos Principes bella inter se gravissima de rebus summis regnorum gerentes, quin hostes

Eccleſiæ cenſeri poſſint citra injuriam. Joannes XII. contra datam a ſe fidem ad Cæſaris hoſtes deficiens, hujus hoſtis merito haberi potuit. Hoc ejus factum nemo eſt, qui defendat. At fuiſſe Eccleſiæ hoſtem propterea, qui probatur? Quod Eccleſiæ dogma invaſit hoſtiliter? Accuſatorum nemo repertus eſt, qui tale ei crimen impingeret.

5. At Eccleſia Romana de eo conqueſta eſt: „Cunctis obeſt. Quot prius „caſti, hujus facti ſunt imitatione inceſti? quot probi hujus exemplo converſa„tionis ſunt reprobi?„ *pag. 32. N. XIX.* Improbe factum; non nego. Dei hoſtem ſe conſtituit his facinoribus; non nego. Eccleſiæ propterea hoſtem factum, nego. Eccleſia enim in terris militans malos, & bonos complectitur; probos, ac reprobos fideles.

6. Neque etiam Apoſtata fuiſſe probari ullo argumento idoneo poteſt. Audiamus, quid hanc in rem proferat Ipſe pag. 38. N. XXXI. „Scimus „ bene, quod Prælatus Eccleſiæ per hoc, quod vitioſus fiat, non excidat ſua „poteſtate. Hoc etiam ſcivit bene tunc Magiſtra noſtra. Sed attendamus ver„ba ejus: *Reprobato ob mores improbos Joanne apoſtata.* Quid voluit hoc ulti„mo verbo aliud, quam deſertorem Eccleſiæ Romanæ declarare Joannem? „utique vero plus erat, quam ſimplex deſertor, quia poſitivus hoſtis, & „traditor.„

7. Non ſunt hæc verba Magiſtræ noſtræ; ſed alterius cujusdam, capite ſuo vivente carentis, atque hac ipſa ex cauſa ad nos docendos ineptæ. Cæſari apoſtata videri merito potuit, quia a fide ſibi data defecit. A fide Eccleſiæ defeciſſe, ne ipſe quidem Luitprandi Continuator ei objectum narrat in accuſationum capitibus. Neque objicere poteſt Vindiciarum Scriptor, quin ſuam cauſam prodat.

8. Fuit deſertor Cæſaris. Urbem etiam metu Cæſaris ſibi merito infenſi, & cum exercitu adventantis deſeruit, arrepta trans Tiberim fuga. Aſt deſerere Urbem, eſtne deſerere Romanam Eccleſiam? Quoties Rom. Pontifices, vel negotiorum Eccleſiæ cauſa, vel rebellium manus violentas declinare coacti, vel propria voluntate (uti per tot annos Avenione) abfuerunt Roma? deſeruerunt ne propterea Eccleſiam Romanam? Ubi ubi locorum ſit Romanus Pontifex, ſive Conſtantinopoli, ſive in Francia, ſive in Germania; quod non ſemel eveniſſe tradit hiſtoria Eccleſiaſtica; eſt, manetque Romanus Pontifex, nec ſua illum poteſtas ullibi, quoad vivit, nec ſponte ſe ea abdicat, deſtituit Vigilius Papa dum Conſtantinopoli tum a Juſtiniano, & Theodora Augg., tum ab aliis Græcis ſummas redigeretur in anguſtias, vi undique illata; libera voce profeſſus eſt; etſi ſe captivum tenerent, facere eos tamen non poſſe, ut B. etiam Petrum Apoſtolum, ejusque auctoritatem captivam conſtringerent. *In libel.*

Cleri

Cleri Rom. anno 551. ſcripto. Apud Noriſium Diſſ. de Syn. V. C. 4. uſque adeo B. Petri auctoritas ne in vinculis quidem Papam derelinquit. Eccleſiam Romanam autem tantum abeſt, ut Joannes XII. deſerere, cave ſe abdicare in animo habuerit: ut alium Pontificem creare molientibus intentarit anathema, & ſibi ereptam, ubi primum potuit, denuo vindicarit.

9. Perditor Eccleſiæ dici non poteſt, qui nullam fidei corruptelam introducit, ut non introduxit Joannes XII. Morum corruptelam qui introducit, mores perdit, ſuo & aliorum ingenti exitio; de quo, qui ſuperiorem ſe in terris non habet, ſeveriſſimam divino judici rationem, pœnaſque dare compelletur acerbiſſimas: Eccleſiam tamen, ex bonis, & malis, probis, & reprobis conſtantem, perdere dicendus non eſt.

10. Cui prodidit, cui vendidit, cui tradidit Eccleſiam Romanam? quo pretio? quibus teſtibus? Horum nihil ſi probari poteſt, nihil ſi inter accuſationum capita objectum: qua fronte Vindex poſt tot ſæcula non tam accuſat, quam pro tribunali ſuo, PRÆSIDE SE, pronuntiat illum proditorem, venditorem, traditorem; nullo præſertim vindiciarum ſuarum commodo? Ne Patriæ quidem proditor, ſi ſummo jure agere velimus, dici poteſt. Non enim Adelberto prodidit, aut tradidit Urbem, ſed intempeſtiva miſericordia motus vagum. & fugientem in eam recepit; cum eodemque, appropinquante Cæſaris exercitu, diſceſſit. Fugæ intentus in agro Romano nihil hoſtile geſſiſſe legitur: niſi ipſum fugere ſuæ ſaluris cauſa, proditio eſt. At enim theſaurum Eccleſiæ abiens diripuit. Qui ſcis, non fuiſſe ſuam iſtam pecuniam? An proditor Patriæ eſt, qui hoſtem fugere coactus, ſua illi non relinquit? Suam autem fuiſſe cenſendum eſt, quouſque aliud probetur. *Delicta enim non præſumuntur, ſed probantur.*

11. Movebit fortaſſis aliquem, quod inter cætera accuſationum capita *Epiſt. 1. Syn.* arguatur. „Diaboli in amorem vinum bibiſſe, in ludo aleæ Jo„vis, Veneris, cæterorumque dæmonum auxilium invocaſſe.„ Quod forſitan induxit eum, qui Geſta Trevirorum compilavit, ut de Henrico Archiepiſcopo Trev. ſcripſerit: Affuit Romæ cum Ottone I. „damnando Magum, non Papam, Joannem.„ *ut refert Vindex pag. 19. N. VIII. lit. d.* Magus autem eſt a Deo, Chriſto, & Sanctis omnibus apoſtata. Verum imprimis.

12. Aut Vindex falſus eſt, aut ſcriptor Geſtorum Trevirenſium. Hic nimirum tradit, affuiſſe Romæ Henricum, *damnando* Joannem. Ille pro certo aſſerit, a ſola Synodo Provinciæ particularis Romanæ damnatum, atque exauctoratum Joannem; Henrico Trevirenſi, aliiſque Epiſcopis extraneis verbum nullum reſpondentibus. Utri credemus? neutri, ſi ſapimus. Deinde, ſi Magus fuit Joannes (& Apoſtata) ergo Synodus non depoſuit eum, ſed ipſo facto apoſtaſiæ jurisdictione excidit.

13 Geſtorum Trevirenſium Scriptor homo privatus eſt, nullius auctoritatis publicæ, quam ſolam proferri poſtulat Vindex. Quiſquis fuerit, exigui judicii fuit, ſi ex eo, quod Joannes dicatur diaboli in amorem vinum bibiſſe, & in ludo aleæ dæmones invocaſſe, magnum fuiſſe concluſit. Quid frequentius inter levium, ac petulantium juvenum conſortia, dum eſtur, potatur, luditur; quam perſonare omnia ebrioſorum clamoribus, dæmones ex orco prope omnes appellantibus. Peſſima hæc conſuetudo eſt: piæ aures his, aliisque impiis vociferationibus auditis exhorreſcunt. Sed, quæſo te, an omnes hos magos cenſebimus, omnes apoſtatas? Quam brevi magnorum plena erunt omnia? Reſuſcitari in eos neceſſe foret judiciorum priſcorum ſeveritatem, & rogos, feliciter modo extinctos, denuo incendi. Et quis ſcit, an non ipſimet ſua ſtruenda fuiſſet pyra? Nugæ!

14. Monui te ab initio, Theodulphe, me auctoritati Pontificiæ ſoli apologiam ſcribere, non perſonæ Joannis XII. Neque nunc animus mihi eſt, concinnare ei orationem panegyricam funebrem, multo minus votum pro ejus Canonizatione. Præſagiret enim animus, quod in illa cauſa advocatus, ut vulgus dicit, diaboli hujus partes felicius defenſurus eſſet, quam Vindex noſter primæ Synodi Ottonianæ. Hoc unum mihi hic fuit propoſitum, oſtendere: Vindicem ſatis non habuiſſe, ut conquiſitis undique ſophiſmatis lectori illuderet: ſed etiam Joanni præter nota affinxiſſe crimina alia, quorum reum probare non poſſit: quæ tamen ipſa ſi daremus, veriſſima eſſe, tamen plus obſtutura eſſent cauſæ ſuæ crinomeno, quam profutura. Eo proripuit, etiam non advertentem, amor ſuæ Theſeos, antitheſeos odium.

15. Claudit vindicias pulcherrimo citra omnem controverſiam epiphonemate ex 1. Pet. 4. ℣. 11.

In omnibus honorificetur Deus.

Laudabiliſſimum ſane honoris Divini omnibus in rebus promovendi, atque amplificandi ſtudium. Verum, putaſne honorificari Deum, Theodulphe, veritate ſæpe ſuppreſſa; falſitate crebro inſperſa, contextis ex utraque fallaciis? S. Petrus abſque dubio ſentit idem, quod divinus ejus Magiſter docuit Samaritanam Joan. 4. ℣. 24.

Spiritus eſt Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & VERITATE oportet adorare.

B. Petrus idem ſentit, quod Divus Paulus *1. Cor. c. 10. Omnia in gloriam DEI facite:*

Sine offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & ECCLESIÆ DEI.

Appen-

Appendix

Rerum variarum per vindicias ſparſarum.

1. Confliximus hactenus cum ipſa vindiciarum præcipua acie, mi Theodulphe. Sed ſolet exercitum ſequi, vel comitari lixarum, & calonum turba; quæ ad pugnam inutilis, neque in certo ordine conſtituta, hinc inde diſperſa extra aciem conſiſtit. In hanc ipſam tamen, profligato exercitu, fit etiam impetus. Præter ea, quæ ſuas in controverſias, ceu totidem legiones, diſtincte, & ordinate diſtributa impugnavimus, occurrunt ſparſa hinc inde nonnulla in propoſitis vindiciis, quæ quamvis omni probandi, ac pugnandi virtute careant; importune tamen lectorum ſe oculis objiciunt. Hæc quoque non debemus intacta relinqere.

2. Sub ipſum vindiciarum initium propugnatam PRÆSIDE SE 25. Mart. anno 1766. referens Theſin: *Et Papam accuſari poſſe, etiam extra caſum deviationis a fide, docet inter alia exemplum Joannis XII., & XXIII. depoſitorum*; præfatur: „(NB., quod ſemper de noſtris theſibus obſervetur, DISPUTA„TIONIS, ET EXERCITII GRATIA.)„

3. Hoc præmonitu perſanata credis omnia, Theodulphe; & ſcandalum datum, natumque in Urbe, atque Academia apprime Catholica, commutatum in Phariſaicum; contra quod nemo tutus eſſe poſſit? Theſis pervolabat per omnem late viciniam, & quo non? Res videri Catholicis inſolens, prodire ex tali Urbe, atque Academia factam juris publici Theſin ejusmodi. Præmonitus ille aberat; neque ſequebatur, niſi menſium ſex intervallo interpoſito. Non eſt difficile creditu, monitionem illam multa ad loca non perveniſſe, quo Theſis prævolaverat pridem. Publicum interim (quod vitio ei dari, & phariſaicum in ſenſum detorqueri non, niſi iniquiſſime, ac prope dixiſſem, phariſaice poteſt) judicare de propoſitione quavis ſolet ſecundum proprium, & obvium, humano in conſortio receptum, verborum ſenſum. Præſagire non poteſt monitum, quod ejus Auctor ſola mente gerebat, & poſt annum fere dimidium erat ſecuturum.

4. Quis vero credat dicenti, ſolius diſputationis, atque exercitii cauſa theſin hanc fuiſſe a SE PRÆSIDE (Defendentes enim innoxios eſſe reor) propoſitam? niſi ſecum ipſo pugnantem ſe fateri voluerit. Tota enim vindiciarum vi pro ipſiſſima theſeos illius ſuæ veritate, tanquam pro Domo ſua Cicero, decertat. Ad calcem vero vindiciarum pag. 41. N. XXXIV. hæc habet: „Interim

„rim gratias habemus Eximio P. Theologo, quod nobis hoc otium hiſtoricum „juris publici Eccleſiaſtici fecerit, occaſionemque explicandi theſin nuperam. „*Quia veritas exagitata ſæpius magis ſplendeſcit in luce.* Innoc. I. Epiſt. 7. ad „Epiſc. Macedon.„ Hæccine ſunt verba hominis ſolius diſputationis, & exercitii gratia theſin proponentis? ſi dixeris, Theodulphe, eſſe hominis, cui major ſecum ipſo, quam cum Antagoniſta ſuo pugna ſit, ſui immemoris, & ſub finem obliti eorum, quæ principio dixerat, nihil temere dixeris. Reliquum iſtius orationis chaos miſſum faç.

5. Si tamen in animo habuit exercere diſputando Candidatos ſuos, poterat illos exercere in aliis argumentis utilioribus, omiſſa hac theſi prorſus inutili; ut paulo poſt monſtrabitur; ex qua nihil diſcent, niſi obſtrepere audacter a prima juventute auctoritati Pontificiæ pro hujus ſæculi genio.

6. Captioſa adhæc tota propoſitio, & verbis ejusmodi concepta eſt; ut quamvis nota illam graviore affici, & damnari a ſuperiore legitima poteſtate contigerit, defendi tamen per cavillos ejus ſubſtantia poſſet. Dicere enim poſſet aliquis, ex propoſitionis unius damnatione ſolius contradictoriæ inferri veritatem. In propoſitionum autem de modo contradictoriis ſolum modum negari debere, non dictum e. g. *Bene diſputat Pythagoras.*)(*Non bene diſputat Pythagoras.* In contradicente non negatur dictum, ſive diſputare Pythagoram; ſed modus duntaxat, ſive *bene* cum diſputare. Ita auctor Anonymus Principiorum J. P. E, (quæ dudum proſcripta eſſe noſti) cavillatur, ex damnatione hujus 29næ inter damnatas ab Alexandro VIII. anno 1690: *Futilis & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate,* aliud non ſequi, quam aſſertionem illam non eſſe futilem, & toties convulſam. Similem in modum, ſi idem fatum ſubiret iſta theſis, poſſet aliquis (Ipſum id facturum, non dico) tricari: damnatum ſolummodo eſſe, quod *inter alia exemplum Joannis XII, & XXIII. depoſitorum doceat*, Papam accuſari poſſe etiam extra caſum deviationis a fide; nihil aliud: Dictum manere iſto fulmine intactum, ac ſalvum.

7. Dictum illud (quidquid de eo ſentiant aliqui opinione pure ſpeculatrice, quos nolim ſugillare) ſi tamen accipiatur juxta eum intellectum, ut facto ipſo in uſum, ſeu praxin deduci queat, progrediendo ad ipſum actum exauctorandi Papam minime dubium, ab univerſa Eccleſia agnitum, atque in quieta dignitatis ſuæ poſſeſſione conſtitutum, extra caſum deviationis a fide, jam olim ita proſtratum eſt, ut novo ad illud dejiciendum fulmine opus non ſit. Jacet dejectum a Synodo Romana Joannis: aut, ſi hanc, quamvis immerito, legitimam non putet, validius, ac luculentiſſime perculſum eſt ab Eugenio IV. in Synodo Florentina anno 1439. prid. Non. Sept. Decreto:

Moyſes.

Moyſes. Apud Hardu. T. IX CC. pag. 1008. Recita locum huc facientem:

„Ipſas propoſitiones ſuperius deſcriptas (a) juxta pravum Baſileenſium (b) „intellectum, quem facta demonſtrant, veluti ſacroſanctæ Scripturæ, & ſan„ctorum Patrum, & ipſius Concilii Conſtantienſis ſenſui contrarium, nec non „præfatam aſſertam declarationis, ſeu privationis ſententiam (c) cum omnibus „inde ſecutis, & quæ impoſterum ſequi poſſent, tanquam impias, ſcandalo„ſas, (d) nec non in manifeſtam Eccleſiæ Dei ſciſſuram, & omnis Eccleſiaſtici „Ordinis, nec non Chriſtiani principatus confuſionem tendentes, ipſo ſacro „approbante Concilio, damnamus, ac reprobamus, damnatas, ac reprobatas „nuntiamus.„ Deinde declarat eos, qui iſta fecerunt, fuiſſe, & eſſe ſchiſmaticos. &c.

(a) Tres veritates imaginarias, a Baſileenſibus perperam ſtabilitas: inter quas prima eſt theſi quoad ſenſum gemina; excepto quod illa de Ccio Oecumenico loquatur, Vindiciæ autem de Synodo particulari Romana.

(b) Qui ita propoſitionem iſtam intellexerant, ut putarent, illam poſſe in uſum deduci; ut facta eorum demonſtrant. Nam in uſum

(c) Deduxerunt, ferendo in Eugenium, comparere coram ſchiſmatica ſynodo renuentem, ſententiam declarationis contumaciæ, & privationis Pontificatus.

(d) Scandalum hoc phariſaicum dicemus?

Cum igitur Vindiciæ, a capite ad calcem totæ, in eo ſint, ut Theſeos illius Dictum ſe oſtendant ita intelligere, ut deduci in uſum, & praxin poſſit; imo deductum a Synodo Ottonis laudent, ac jure factum omni molimine defendant: judicet unita ſuo Capiti ſanctiſſimo ſancta Mater, & Magiſtra noſtra Eccleſia Romana, quid nobis ſentiendum ſit de theſeos iſtius talibus Vindiciis. Nec meum, nec tuum eſt, Theodulphe, de rebus ejuſcemodi ferre ſententiam. Videor mihi tamen ſatis perſpicue probaſſe, nullum poſſe propoſitæ ad diſputationem, atque exercitium theſeos in vita humana uſum, utilitatemque eſſe: quod me oſtenſurum promiſeram *Hic n. 5.* (Revolve animo, niſi moleſtum tibi fuerit, Theodulphe, quæ monui *Proœmii §. 6., n. 9.*)

8. Eadem pag. 17. N. IV. minatur, ſe alterum Joannis XXIII. exemplum alio tempore diſcuſſurum Id ſi facturus eſt; mone eum, Theodulphe; ut ſumat ſibi novem menſes integros, humano partui a natura deſtinatos; ne iterum poſt tres menſes tam fœdus abortus prodeat. Prædic; ſi tam dyſcolum filium denuo in lucem ediderit; præparatam mihi eſſe domi ferulam, qua cum egregie excepturus ſim, ſi me vivo, & incolumi natus fuerit.

9. Summo cum deſpectu loqui de non ſuis, eſt Ipſi perpetuum. Galli auctores non debent ſuſcipi contra Germanos, & Italos ab his, qui ſunt de S. Rom. Imperio. Cardinalis Baronius maximi nomen meriturus fuiſſet, ſi intra hiſtorici manſiſſet terminos. Non didicit jura ex profeſſo, multo minus fuit ICtus graduatus. Dumeſnil eſt Gallus, & Jeſuita, duo exoſa ipſi nomina, ac deſpicata. Atque ut de aliis illuſtribus viris contemptim ab eo nominatis taceam: Natalis Alexander eſt Gallus; Antitheſiſta eſt ſecutus Gallum, pro pudor, Germanus; eſt modo Natalis Alexandriſta, modo improvidus exſcriptor Alexandri; modo fervidus Theologus; modo Theologus nonnoſter. Utriuſque aſſerta ſunt audacia, ne dicat, temeraria, auctoritatem publicam deſiderantia. Loquuntur audacter, temere, temerarie, contra ſanum ſenſum &c. Ad dimicandum quidem viriliter hæc comparata non ſunt; valent tamen ad rixandum. Quid ſi Antitheſiſta ſimilia in eum, imo graviora convitia regereret; id quod non futurum eſſet, opinor, difficillimum; nonne excandeſceret, Theodulphe? Ego vero excandeſcerem in utrumque, & continuo, iſte diſputandi mos eſt dicerem, non ingenue educatorum, ac gravium Virorum, in gravi argumento verſantium. Antonius Arnaldus, Janſenianæ conſpirationis poſt Abbatem Sancyranum caput, ſtyli contumelioſi genus in certis dimicationibus adhiberi poſſe docuit ſuos, ac geometrica quadam forma pro ſuo modulo demonſtravit. *La Realité de Projet de Bourgfontaine Tom. 1. Part. 3. §. 1. pag. m. 178.*

10. „Miremur, (inquit pag. 20. N. VIII. lit. f.) ſi moderni Jeſuitæ ita ament Natalem; „cujus libros perſecuti ſunt, promovendo ipſos in Cata„logum Romanum librorum prohibitorum, a quo non niſi poſt multos annos „auctoritate Benedicti XIII. Dominicani extracti ſunt.„ Paulo poſt (*lit. g.*) ſubindicat, animadverſiones illas quas Natalis Alexander in librorum ſuorum editione altera ſtudet diluere, eſſe Jeſuiticas. Verane hæc, an falſa ſint, mihi curæ non eſt diſquirere: non enim eſt tanti res. Pungit Antitheſiſtam, Jeſuitas, quin & ipſum Natalem: antitheſin, argumentaque pro illa tam ab hoc, quam illo allata minime pungit. Oſtendiſſet ſolide argumentorum iſtorum ante omnia falſitatem, ineptiam, fallaciam, inconſequentiam: ſi deinde feſtivum aliquod, atque argutum epiphonema, ad ſublevandum lectoris tædium modeſte ſubjeciſſet, potuiſſet aliquis videri: Nunc non niſi inficeti Zoili, aut mordacis Ariſtarchi nomen refert apud ſolidæ eruditionis viros, qui offenduntur his nugis:

Nec, ſi quid fricti ciceris probat, aut nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona. Hor. de Arte.

11. Antitheſiſtam ſuum *pag. 82. N. XIII.* his verbis aggreditur: „Non „negabit jus Imperatori ſuo, tales indicendi, & moderandi Synodos, cum „aſſiſten-

„aſſiſtentia Epiſcoporum ſui Imperii.„ Videntur hæc eo ſpectare, ut Antagoniſtam ſuum, ſi forte reſpondere ejus Vindiciis aliquando voluerit, avocet a præſenti propoſito ad quæſtionem aliam prolixam; in quam deſcendere hoc loco non eſt neceſſarium. Multa nos utique exempla docent, piiſſimos, atque Orthodoxos Imperatores, Reges, ac Principes indixiſſe, ac procuraſſe non ſemel magno Eccleſiæ bono ſacras Synodos, accedente vel prævio, vel poſt conſecuto Epiſcoporum, ac præſertim Romani Pontificis, eo tempore viventis, conſenſu. Legimus etiam interfuiſſe Conciliis Imperatores, modo ipſoſmet, modo per Legatos, imo & adjunctos quandoque magiſtratus, & judices, qui Patrum libertatem adverſus tumultuum violentias (quales in Latrocinio Epheſino exſtiterant) defenderent. Legimus ſuſcepiſſe illos cum reverentia Patrum decreta; utque obſervarentur a ſubjectis ſibi populis, ſanxiſſe ſuis legibus. Hæc facta extra controverſiam, & reprehenſionem omnem poſita ſunt. Aſt *tales Synodos*, quæ in ſupremum Eccleſiæ Caput certum conſpirarent, de eo exauctorando agerent, facto ipſo exauctorare molirentur extra caſum deviationis a fide, *tales*, inquam, *Synodos* indicendi, & non modo non conſentiente, ſed palam interdicente ſummo Pontifice proſequendi, jus ſibi arrogaſſe nullum Orthodoxorum Imperatorum ante Ottonem legimus. Nihil ſimile a Provincia Romana ullo ſub Imperatore antea factum legi, fatetur ipſemet *pag. 37.* Poſt Ottonem id juris ſibi arrogaſſe nonnullos alios legimus; ſed iſtorum Synodos in ſchiſmaticarum, intruſos loco Pontificum legitimorum viventium in Pſeudopaparum numero in hanc diem habuit, habebitque ſemper Eccleſia. Iſta ad diſſipandos Vindicis cavillos in præſens ſufficiunt; quin alteram quæſtionem, quam abunde tractarunt Doctores alii, neceſſe ſit attingere.

12. Poſtquam *pag. 19. N. VIII. lit. e.* dixiſſet, Natalem fateri, quod Leonem VIII. auctores plerique coævi legitimum Pontificem dixerint *(qua de re vid. ſupra Proœm. §. 5. n. 13., & 15. de Ditmaro.)* maxime Germani: ſubito in Antitheſiſtam ſuum his verbis invehitur indignans: „Id quod notet Germa„nus, pane Germanico veſcens, proindeque in facto, quod defendi commode „poſſit, potius loquatur cum his, quibuſcum veſcitur; nec ſit ita immemor „honoris ſuæ Nationis, ſui Imperatoris meritiſſimi Ottonis I., quem Deus ele„git, ut Eccleſiæ Romanæ, & Imperio ſuccurreret: Trevirenſis quoque Ar„chiepiſcopi Henrici I., qui Synodo illi Romanæ interfuit„ (ſed verbum nullum reſpondit. Non ſemper autem, qui tacet, conſentire videtur; præſertim ſi timor humanus linguam coercet, & ſtans a latere continuo reſpiciendus eſt, cujus offenſam reformidare debeas) „ut per auctoritates Gallorum „Doctorum velit refutare theſin Germani, bene ſentientis de Eccleſia Romana„ (Non illa conjuncta, & conſentiente ſuo vivo legitimo, & certo Capiti; ſed de altera illa larva Eccleſiæ, non Eccleſia Romana, a capite ſuo vivo ſe reſcindente,

proſtibulo favente mœcho) „& Imperio, tunc in evidenti per Papam diſcrimi„ne„ (per auxeſin confiſto) conſtitutis.

13. Præclarum præceptum, ſi univerſe ſpectetur: *Loquere cum his, quibuſcum veſceris*, in materia præſertim, uti hic, Hierarchiæ, a Chriſto Domino conſtitutæ, ſtatum concernente! Tacere hic poſſum, quod me tacente perſpectum eſt omnibus, quis genuinorum Catholicorum hoc de axiomate ſenſus ſit. Ipſimet Acatholici, qui verbi divini tenaces videri cupiunt, ferre æquo animo non poſſunt eos, qui religionem ſuam fruſto panis venalem habentes, loquuntur paſſim cum his, quibuſcum veſcuntur. Proferre libet unum e multis. Scriptor anonymus Hiſtoriæ contentionis inter Imp. & Sacerd., quæ prodiit Halæ 1722. in præf. n. 4. paraſitos iſtos perſtringit his verbis. „In„differentiſmi in religione vere rei ſunt, qui apud papiſtas papiſtarum, apud „reformatos reformatorum, apud lutheranos lutheranorum, apud ſocinianos „ſocinianorum, apud mahumetanos horum religionem &c profitentur„ Loquuntur hi ſane, quibuſcum veſcuntur. Nec perſanat rem illud, quod additur: „In facto, quod commode defendi poſſit.„ Nihil enim eſt, quod iſtius furfuris homines exiſtimaturi non ſint, poſſe commodius defendi, quam eſurire. Ottonis factum iſtud commode defendi poſſe, quis ſperet; poſtquam is, qui omnes pro ejus defenſione ingenii ſui nervos intenderat, tam illud incommode defendit? Quod hic non potuit, quis tentabit alius? Honoris Nationis ſuæ, & Imperatoris ſui neminem oportet immemorem eſſe; ſed uſque ad aras. Honori conſulere Henrici Trevirenſis, non alias in Synodo iſta partes, Ipſo fatente= agentis, niſi præſentis, & tacentis, opus non eſt.

14. Age vero, quibuſcum Germanis loqui jubet Antagoniſtam ſuum? Germani duas in partes diviſi ſunt, Catholicorum, atque Acatholicorum. Hi Pontificiam omnem auctoritatem explodunt; imo ipſum ſe gerere pro Papa grave, atque execrabile crimen eſſe deprædicant; id quod in Lutherano quodam Scriptore legi. Papa illis eſt Antichriſtus, Romana Eccleſia Babylonica meretrix. Cum iſtis utique non jubebit loqui eum, qui cum iis non veſcitur. Reſtat, ut loqui illum jubeat cum Germanis Catholicis. Hi vero an loquuntur cum Vindice, quicum certe non veſcuntur? Loqui eos ſecum, probandum eſt. Probabit autem, opinor, ad Calendas græcas. Cum antiquis illis coævis, dicet utique, plerisque, qui Leonem VIII. legitimum Pontificem dixerunt, loquatur. At cum iſtis non veſcitur. Deinde legem tulit, ut producatur auctoritas non ſuſpecta, coæva, aut ſuppar, nixa auctoritate publica, vel ſenſu communi Eccleſiæ, aut Doctorum ejus temporis *pag. 15. N. V.* Auctoritatem ejusmodi protulit nullam. *Præm. ſ. 5. n. 32.*)

15. Mihi quidem, Theodulphe, dubium nullum relinquitur; quin hi quorum ſingulari, ac mera gratia Vindex potitus eſt pane catholico, atque Eccleſia-

Eccleſiaſtico, exſpectarint, ut ſentirent, & loquerentur ejus commentaria, ſi quæ edituruſ eſſet, cum Catholicis, & Eccleſia. Cum his an ſentiant, & loquantur ejus hæ Vindiciæ, meum non eſt definire; definiendum relinquo ipſimet cum ſuo Capite Eccleſiæ. Si non ſentiunt autem, & loquuntur; præceptum, quod aliis quaſi pro imperio ſtatuit, ipſemet negligit.

16. Pondus additurus effatis ſuis prioribus, hæc pagina 29. N. XVI. pro ſua gravitate ſubjungit: „Præſertim cum opinio, quæ poteſtatem hanc Ec„cleſiæ Romanæ diſputaret, Papam, ut ſibi perniciosum, reprobet, nihil pla„ne utilitatis conferat in Eccleſiam Dei, ejuſque religionem, & conſervatio„nem.„ Quæro, quam utilitatem opinio oppoſita, juxta eum intellectum, quem Vindiciæ demonſtrant, conferat in Eccleſiam Dei, ejuſque religionem, & conſervationem? Reſpondebit quædam artificioſa in ſpeciem, reipſa ſophiſtica; queis non ſolos alios imperitos, ſed, quod miſerius eſt, ſeipſum etiam irretiat. Ego vero, non PRÆSIDE ME, ſed Præſide Decreto: *Moyſes.* oſtendi (*hic n. 7.*) nullum oppoſitæ opinionis, juxta eum intellectum, in vita humana uſum, utilitatemque eſſe poſſe. Ad quæ Eccleſiæ detrimenta inferenda tendat, manifeſto loquitur idem Eugenii IV Decretum, ipſo ſacro approbante Concilio ſancitum. Loquitur tot laudibus ab ipſomet ornata Epiſtola Concilii Rom. ſub, & pro Damaſo anno 378., quæ *Apud Pet. Couſtant col. 527.* memorat factionem Urſicini ſchiſmatici ſic profeciſſe, ut„ præter cætera „ſpoliaretur prope „Eccleſia omnibus miniſteriis, *ea fraude videlicet*, ut dum cauſam dicit, qui in „omnibus judex fuerat conſtitutus, nemo eſſet, qui de lapſis, vel de factioſis „poſſet Epiſcopatus invaſoribus judicare.„ Antitheſis juxta eum intellectum, quod non valeat theſis oppoſita in uſum deduci, conſervat Succeſſorum B. Petri auctoritatem; retinet pacem, atque unitatem inter caput, & membra; ſchiſmati aditum præcludit; quo nulla poteſt Eccleſiæ Dei, ejuſque religioni, & conſervationi peſtis accidere pernicioſior. Inflicta a magno Occidentis, poſt Gregorii XI. mortem, ſchiſmate Eccleſiæ Dei vulnera nondum plene coaluerunt.

17. Hac tempeſtate factionis Janſenianæ alii jam fecere diſcidium ab Univerſalis Eccleſiæ Capite; alii exoſos pridem habent Rom. Pontifices per ſeptendecim ſæcula hæreſibus perpetuo infeſtos; omnem movent lapidem, eorum ut exiſtimationem vilipendere condoceſaciant populos; Juſtinus Febronius Cap. 9. §. 2. a n. 2., ad ſubtractionem ab obedientia Papæ, *etiam agniti*, palam exhortatur, ſaltem temporariam. Quaſi vero incendium qua facilitate inflammatur pro arbitrio, poſſet pro arbitrio reſtingui. Synodorum generalium convocandarum difficultatem vident; nullam ea, qua ipſi poſtulant, conditione (*Voyez La Realité du Projet de Bourgſont.* P. 6. *Art.* 2.) impetraturos ſe prævident, uti nec impetrare ſine totius, ſtabiliti a Chriſto Domino, Status Hierarchici everſione

ſione poterunt. Quod Vindex ſoli Eccleſiæ particulari Romanæ tribuit, extendere poterunt eodem, id eſt, nullo fundamento ad nationalem quamlibet Eccleſiam, facem ad incendendum ſchiſma præferente palam Febronio; cujus (*l. c.*) ſuaſu nationales Eccleſiæ caput ſibi extra ordinem, & ad tempus providere poterunt, ut providit ſibi Ultrajectina, non ingreſſum per oſtium. Morum deformitates, quæ objici poſſint cuivis Papæ, ſuggerunt magno numero ſparſi in vulgus poſt ſæculi XVI. Novatores Janſenianorum libri & poſt eos Febronius: qui identidem plenis buccis abuſus, abuſus (a) ingeminat, quos nemo tolerare bona conſcientia poſſit. Hoc ſi tentaret factio; quo pacto refelli poſſet ex ſtabilitis a Vindice noſtro principiis? An foret id ſcandalum acceptum, & phariſaicum, non datum, & natum?

(a) Quædam, quæ abuſus eſſe convitiatur Febronius, non ſunt abuſus, ſed ipſiſſima, conſtitutæ a Chriſto Domino, hierarchiæ fundamenta; quæ nemini licet evertere. Qualia ſunt, quæ ad ſupremam in Eccleſiam Chriſti univerſam Succeſſoris B. Petri poteſtatem pertinent: quod liquido ex perpetua Patrum traditione demonſtrarunt multi. Alia ſunt per pacta conventa Romanis Pontificibus a Principibus, Nationibus, & populis legitime conceſſa, quæ allatrari a privato publice, impudens eſt. Alia pridem emendata ſunt; quæ per ſchiſmata præcedentia irrepſerant. Alia per mentientem ſuperjectionem ultra verum exaggerat, & maligne traducit Febronius Alia ſunt per virulentas calumnias conficta, ac non modo Rom. Pontificibus, ſed Epiſcopis etiam, & Principibus Orthodoxis contumelioſa. Alia ſunt ejuſmodi, quæ nunquam deerunt in hac generis humani infirmitate; quæque per præſcripta ab illo remedia non corrigi, ſed augeri nata ſunt. Hæc totius Libri ſingularis ſumma eſt. *Videri poſſunt Rdmi D. Abbatis, & Clariſſ. Viri Gregorii Trautwein Vindiciæ adverſus hunc Librum plane ſingularem.*

18. Supereſt aliquid levidenſe, quod paucis expediam. Concoquere animo non potens, quod Natalis Alexander, & ex eo Antitheſiſta dixerat: Germanos habuiſſe Leonem VIII. pro legitimo Pontifice, Ottoni Imperatori ut adularentur; clamat *pag. 19. N. VIII. lit. d.* „Germani, natura ſinceri, non „adulantur; niſi cum diſciplina ad hoc peculiari inſtituuntur.„ Sunt inter Germanos non minus, quam cæteras inter Nationes univerſas homines ſinceri, & aperti pectoris, ſunt & verſipelles, ac duplici corde. Neutrum omnibus ſine diſcrimine imponi nomen poteſt. Illos, de quibus hic agitur, credam, ſinceros fuiſſe, nihil adulationi, nihil gratiæ tribuiſſe. Si tamen rationem rerum, & temporum illorum intueamur; difficile erit, ut inſinuavi non ſemel, eos defendere a timore humano; qui ſine diſciplina peculiari in animos tam aliorum, quam Germanorum, ſenſim ſine ſenſu non raro ſolet irrepere.

Didice.

Didicerunt nonnulli ſine peculiari diſciplina, aucupari blandimentis plus, quam ſervilibus, eorum ſolorum a quibus fulciri ſe vident, benevolentiam, cæteros omnes deſpuere.

Epilogus.

1. Ventilandas ſuſcepimus propoſitæ theſeos Vindicias. Ventilavimus, Theodulphe. Diſſipatis paleis, non reperies granum ullum ſolidum, niſi vehementer me fallo. Poteſtatem exauctorandi certum Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ Pontificem extra caſum deviationis a fide, privati quidem Doctores nonnulli Cciis Oecumenicis tribuunt opinione ſpeculatrice; ejus tamen praxin, & uſum reprobavit Ccium Florentinum, ac Ss. Scripturæ, Patrum, & ipſius Ccii Conſtantienſis ſenſui declaravit contrarium. Synodi Baſileenſis hoc in negotio decreta cujus ſint pretii, quid neceſſe eſt repetere poſt Decretum: *Moyſes?* Aliud ex Ccio legitimo exemplum, alium ſpecificum Canonem non protulerunt Vindiciæ. Quam poteſtatem igitur ipſis uſque adeo Conciliis in Oecumenicis non agnoſcit Univerſalis Eccleſia: qua veritatis ſpecie afferent Vindiciæ particulari Romanæ Eccleſiæ, de qua nihil unquam ſimile lectum confitentur? Reliqua, quæ ad conciliandam præcipuo huic theſeos argumento fucatam aliquam veritatis ſpeciem corraſerunt undique Vindiciæ, quam ſint inania, nemo non videt, credo, poſtquam admota ſeveræ criſeos face diſſipatæ ſunt obſcurorum ſophiſmatum tenebræ, quibus deliteſcebant involuta.

2. Nullas tamen adverſus Ipſum, ſed adverſus ſolas Vindicias ipſius inimicitias ſuſcipere volui: potius ex charitatis officio ſtudui arguere eum, obſecrare, increpare in omni patientia, & doctrina; ut temperare impoſterum calami præcipiti feſtinationi velit; memor, non ſolis Candidatis ſuis, parum per ætatem expertis, ſed orbi literato probanda eſſe, quæ in lucem publicam emittuntur. Uſus fuiſſem correptione fraterna inter me, & ipſum ſolum, vel adhibitis paucis teſtibus; ſi ſolus ipſe fuiſſet corripiendus. Sed ſunt etiam fraterne monendi, docendique; qui foliis iſtis publice ſparſis irretiti, extricare ſe proprio marte minus valuerint. Iſtos convenire autem non poſſum, niſi ſcriptis publicis. Dolore illum ſi afficio, egomet doleo. Perſanare ulcus qui cupit meliùs, exprimere debet totam ſaniem. Fieri id ſine gravi patientis dolore non poteſt; at non odio illius fit, ſed amore a medico compatiente ipſi, & condolente. Morbum gravem qui levi, & leni brachio tractat, illo laborantem non amat. Contumeliam ſi ſuam exiſtimare velit, quod ulcus detegat, & curare ſtudeat medicus; facit huic ſane injuriam. Qui fallaciis, & ſophiſmatis pertrahere lectorem ſuam in ſententiam molitur ſcriptor; is ſuæmet exiſtimationi, & famæ plurimum detrahit: non qui ea in lucem profert, & diſſi-

pat ad Lectoris cautionem. Neque est, quod antiquissima, atque inclyta Universitas Trevirensis, quam omnino revereor, suspicetur, cedere in ejus injuriam, & despectum hanc meam disceptationem. Non possum enim mihi persuadere ulla ratione, cœteros illustrissimi, eximii, clarissimi, eruditissimique hujus Collegii Proceres sentire cum istis Vindiciis; credidero potius, eos ab illis vehementer abhorrere. Non possum tamen non mirari, quid Sacram Facultatem moverit; ut eum ad Doctoratum Theologicum admiserit.

3. Si quid respondere voluerit hisce meis observationibus; rogo, cordate, sed solide, respondeat: argumento proposito presse inhæreat, non divagetur ad aliena ad materiam præsentem non attinentia; ne videatur subterfugere velle certamen, non subire: non unam duntaxat, alteramve laciniam mordicus discerpendam invadat; sed totum suum systema defendendum esse cogitet; causamque non in solius vulgi, sed orbis literati, & S. Romanæ Ecclesiæ oculis sibi esse dicendam. Non eripiet eum Judicum istorum manibus illud: *Sic nos intellexi. Non bene intellexit me Exim. Antitheſiſtæ, & Leodienſis.* Nam Publicum, & Ecclesia, ut monui non semel, judicare de scriptis solet secundum communem, obvium, & proprium verborum sensum, nulla habita ratione intellectus animo retenti. Si erroris me alicujus convictum videro; corrigere eum non recuso, non abnuo Si non nisi convitia, & probra in me regesserit, nihil reponam; sed ea, velut testes victoriæ laureas, legam cum voluptate. Si imitatus fuerit Xantippen; imitabor Magistrum Platonis Socratem; qui importunæ Uxoris vociferationes inconditas non ulciscebatur, nisi serenæ frontis risu, & renidente silentio.

4. Forte nauci me faciendum putabit eo, quod sim homo IPSI ignotus, nullius auctoritatis publicæ, ac latebras quærere videar. Verum latebras certe non quæro, qui luci publicæ, imo & S. Ecclesiæ judicio meas animadversiones expono. Auctoritate publica me carere, palam profiteor, ac propterea nihil dixi PRÆSIDE ME; nihil mihi sumpsi definiendum: sed omnia eorum, ad quorum officium spectat, sententiæ subjicio. Ignotus Ipsi sum, sicut ille mihi. Norunt me, quos necesse est nosse. Hi disceptationem istam meam, rigido prius non uni examini subjectam, probarunt, atque in lucem emittendam permiserunt. Cuivis me notum esse, haud opus est. Cæterum non sum ficto, & siniſtro, sed verissimo, & dextro nomine ADEODATUS ENS. Sale, & facetiis aspersi orationem hinc inde, ut servirem palato hujus sæculi, quod fastidit facile scripta austera, gravia, & horridiore stylo composita; desiderat subinde festiva, quæ legendi orexin excitant; nec sinant, folia volventibus somnum obrepere. Hæc si nullo loco ducenda existimat: acuat stylum suum in seris, & gravia; quibus non caret disceptatio.

5. Post

5. Poſt ſubjectam vindiciis ſuis Theologi Antitheſin cum ſuis probationibus quaſi de re præclare geſta ſibi applaudens, exclamat:

HUCUSQUE ANTITHESISTA: TU, LECTOR, JUDICA.

Ego vero lectorem e trivio quemlibet judicem non admitto.

TU

Beatiſſime Pater, ac Domine Noſter

CLEMENS XIII,

TUQUE

Cum tuo Sanctiſſimo Capite

Sancta Mater, ac Magiſtra noſtra S. Romana Eccleſia,

Judicare ut velitis,

cum Devotiſſimo Ss. Pedum oſculo oro.

Animadverſiones Editoris.

Ad Controv. 1. §. 1. N. 2. ſeqq. Provocat hic Auctoris Adverſarius ad celeberrima illa *Decreta Conſtantienſia:* ſane poſtquam FEBRONIUS quoque omnia ſollicite denuo congeſſit, quaecunque tandem illi ad inſtaurandam horum Decretorum authoritatem conferre quidquam videbantur, ea res FEBRONII quoque Antagoniſtis anſam dedit horum Decretorum cauſſam ad exactiſſimam denuo trutinam revocandi, examinandique. Accuratiſſime id mihi praeſtitiſſe videtur *Auctor* ANTI-FEBRONII VINDICATI *adverſus* JUSTINUM FEBRONIUM, *ejuſque Vindicem* THEODORUM A PALUDE *Caeſenae 1771. Part. II. Diſſ. IV. C. VIII. §. 1. et ſeqq.* qui cum forte omnibus Lectoribus ad manus non ſit, praecipua ex eo huc referre non ingratum iis fore exiſtimo.

I. Quidquid praeeuntibus diu MAIMBURGIO, DU PINIO, NATALI ALEXANDRO FEBRONIUS denuo recoquat, de verbis illis Decreti *Seſſ. IV. ad reformationem generalem Eccleſiae Dei in Capite et membris*, ſuſpicionem de illorum ſubleſta fide ſane gravem nunquam detergent: praeter Codices in *Pythagora noſtro excuſſo l. cit. §. 6.* enumeratos deſunt itidem in alio quem adducit P. BERTHIER *Hiſt. Eccleſ. Gall. T. XV. p. 487.* Pariſiis olim apud Jeſuitas aſſervato. Probat quidem FEBRONIUS *Tom. 2. p. 208. ſeqq* conjecturam BERTHIERII, quod ZABARELLA Cardinalis, dum Decretum

praelegeret, verba illa fortaſſe reſecuerit, ad querelas Nationum *in Seſſ. V.* reſtituta: ſed conjecturam iſtam evertit, quod SCHELESTRATIUS ex *Panormitano* et *Regeſto Conſtantienſis Concilii* in tribus Codicibus deſcripto refert in *Compendio Chronologico*, *quod Tractatui de ſenſu et auctoritate Decretorum Concilii Conſtantienſis praemiſit*, ZABARELLAM nimirum, dum Decreta praelegeret, ubi ad verba, *de Reformatione Eccleſiae in Capite et in membris*, devenerit, quae in exhibita ſchedula Nationes haud quaquam deleverant, ſubſtitiſſe; eaque falſa eſſe, et praeter communem deliberationem addita aſſeruiſſe. Non ergo illa ſubdole obtruncare voluit, ſed quia praeter communem deliberationem addita, aut retenta fuere, facta illa proteſtatione ab eo omiſſa videntur. Sed parum referre putat BERTHIERIUS, cum ſaltem *in Decreto Seſſ. V.* adjecta reperiantur; immo vero in *proemio Seſſ. IV.* ſed quoad proemium id intereſt, quod in eo non habeantur ea verba, *cui quilibet cujuscunque Status vel dignitatis etiamſi Papalis exiſtat, obedire teneatur*, quemadmodum in ipſo Decreto conſtitutum eſſe volunt, qui horum Decretorum auctoritati tantopere innituntur. Quoad alterum jam advertit SCHELESTRATE *Diſſ. 1. cap 3.* multum intereſſe *an Seſſ. IV. an V.* Decretum hujuscemodi verbis conceptum editum fuerit: licet enim illae duae Seſſiones ab una tantum ex tribus obedientiis celebratae fuerint: in eo tamen differunt, quod quinta celebrata fuerit contradicentibus gravioribus de JOHANNIS XXIII. Obedientia; quarta *vero divino Numine inſpirante omnibus conſentientibus.* Gravius proinde pondus Decreto ex quarta, quam ex quinta Seſſione accederet.

II. Decretum *Seſſ.* confectum fuiſſe contradicentibus Cardinalibus aliisque, immo et Oratoribus Regis Galliae non ſolum elucet ex verbis Codicum Vaticanorum a SCHELESTRATIO relatis; ſed et a) teſtimonio RODERICI EPISCOPI *Calaguritani in Dialogo de auctoritate et poteſtate Romani Pontificis*, ubi ſibi enarratum fuiſſe ait *a non parvae auctoritatis viris, qui ipſi Concilio Conſtantienſi interfuerint, ei Decreto reclamatum fuiſſe a S. R. E. Cardinalibus, compluribus Doctoribus, et Praelatis affirmantibus Decretum minus juridicum fore; daturumque quandoque occaſionem ſchiſmatis:* b) CARDINALIS DE TURRECREMATA, qui eidem Concilio adfuit *L. 2. de Eccleſ. c. 99.* ubi ait, *neque integram* JOHANNIS XXIII. *Obedientiam conſenſiſſe, quoniam plures Patres doctiſſimi illis non praeſtiterunt conſenſum aut aſſenſum ſuum* &c. c) EUGENII IV. *in ſua Apologia contra Baſileenſes*, ubi inquit: *Qui Conſtantiae conſedebant, unius tantum Obedientiae Synodum faciebant, nec tamen hi omnes in eam ſententiam convenerunt, ſed nonnulli reclamavere graviores, qui ſtrepente multitudine ſuperati .... audiri nequiverunt.*

Reponit equidem FEBRONIUS *Tom. 2. p. 211.* haec omnia jam a NATALI ALEXANDRO *Diſſ. IV. in Hiſt. Eccleſ. Sec. XV. et XVI.* ineptiſſima, prae-

praeſertim quoad diſſenſum Oratorum Regis Galliae, fuiſſe demonſtrata. Verum exſpectemus, quid teſtimoniis iſtis objecturus ſit FEBRONIUS: NATALIS ſane argumenta nullius roboris eſſe facile oſtenditur. Teſtimonium affert THOMAE DE CORSELLIS Oratoris Franciae ad *C. Baſileenſe*, qui ait poſt *latam contra* JOHANNEM XXIII. Sententiam Regem Galliae eidem non amplius obediviſſe. Quaſi vero non convenirè inter ſeſe optime poſſent, duo haec, et quod Oratores Franciae Decreto iſti interceſſerint, et quod poſt latam nihilominus ſententiam Rex ab Obedientia *Johannis* receſſerit. A CAROLO VII. deinde inquit haec Decreta in *Sanctionem pragmaticam* Galliae relata fuiſſe: nimirum quod Galli poſtmodum mente mutata ea ad mentem C. Baſileenſis receperint, quemadmodum haec ipſa ſanctio abolita iterum fuit: At GERSONIUS quoque Orator Galliae fuit, qui magnopere illa Decreta probavit, quod quidem FEBRONIO l. cit. praecipuum eſt argumentum dicta a SCHELESTRATIO omni ſpecie veri deſtitui. Verum praeter GERSONIUM praecipui Oratores Galliae fuere *Archi-Epiſcopus Rhemenſis*, *Dux Bavariae*, et NICOLAUS *de Clavilla*, quos TURRECREMATA l. cit. inquit ſecum JOHANNEM Pontificem *Schaffhuſiae* adiiſſe; hos Decretis iſtis minus contentos fuiſſe verum eſſe poteſt, etſi GERSONIUS ea probaret; fortaſſis quod metuerent alii, ne *Johannes* illis commotus omnem abdicandi ſponte Pontificatus animum abjiceret, quod tamen omnes ſummopere expetebant. Id puto ſaltem ex hiſce perſpicuum eſt, fruſtra FEBRONIUM ex NATALI SUO tanquam de victoria jam plene parta triumphum ſibi accinere.

III. Iis porro, quae habet AUCTOR *l. cit. n. 7.* de vero ſenſu Decretorum Conſtantienſium ad caſum Schiſmatis reſtringendo ex ipſis eorum verbis, ſitu temporis, et fine adde, quod EUGENIUS IV. in *Conſtitutione*: *Moyſes*, quam *Florentino* Concilio probante 1439. edidit, id expreſſe declaraverit, a Baſileenſibus Decreta Conſtantienſia ad quemcunque eventum extendentibus manifeſte a vera mente ipſius Conſtantienſis receſſum fuiſſe his inter alia verbis: *In hoc perniciosiſſimi, dum ſuam malignitatem ſub veritatis fuco colorant, Conſtantienſe Concilium in malum ac reprobum ſenſum et a ſana doctrina penitus alienum pertrahunt.* Varias equidem Germaniae Univerſitates pro ſenſu Baſileenſium adducit FEBRONIUS, et KAUFFMANSIO *l. cit. f. 217.* objicit judicium Colonienſis Academiae de A. 1440. ut recentius ejusdem Academiae libro ſuo oppoſitum enervet; ſed quid mirum, cum easdem ſchiſmati quoque Baſileenſi adhaeſiſſe conſtet? edicat nobis porro, ſi ipſam hanc auctoritatem ſuam tam exploratam habuit Conſtantienſe, eccur adeo de JOHANNIS XXIII. obtinendo conſenſu pro Pontificatu abdicando laboraverit, neque eundem demum licet *NB.* dubium tantum Pontificem exauctoraverit, niſi obtentu ſchiſmatis, immo et Haereſis, ſicut oſtendit, AUCTOR *l. cit. n. 9.* in BENEDICTUM quoque

XIII. tanquam Schiſmaticum, et Haereticum ſententia concepta fuit; GREGORIUM VERO XII. ſponte ceſſiſſe conſtat. Ipſum demum Conſtantienſe haec ſua Decreta nequaquam pro definitionibus Fidei habuiſſe, prout praetendit FEBRONIUS ex ipſo ſuo ALLIACENSI diſcere poteſt, quippe qui in *Tract. de Eccleſiae, CC. generalium, Romani Pontificis et Cardinalium auctoritate*, diſputationem ſuam pro C. Oecumenici auctoritate ita finit: *quae tamen non definitive determinando, ſed doctrinaliter ſuadendo poſita ſunt: nam hujus rei definitionem ſacri Concilii determinationi ſubmitto.* Quod vero notes, hunc Tractatum *Alliacenſis* poſt quintam ſaltem Seſſionem ſcripſit; SPONDANUS eum ad Annum *1415*; SCHELSTRATIUS ad 1417. rejicit. Conf. praeter ANTI-FEBRON. VINDIC. cit. etiam BALLERINUM *de poteſt. Eccleſ.* C. VIII.

IV. Auctoritas horum Decretorum labaſcit, uti jam plurimi adverterunt, quod inprimis dum ea conciperentur, necdum eſſet Concilium generale, ſed ex una tantum JOHANNIS XXIII. Obedientia conflatum. Notatu ſane dignum eſt, quod *Seſſ.* adhuc *XXII.* in inſcriptione litterarum ad *Regem Arragoniae* apud HARDUIN. *Tom. VIII. col. 622.* Conſtantienſes ipſi ſe non dicant *Sacroſanctae Synodi generalis Patres*, uti alias, ſed: *Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi Cardinales: Patriarchae, Archi-Epiſcopi, Praelati* et *ceteri in Conſtantia provinciae Moguntinenſis* in *Chriſti nomine congregati.* Sed inquit FEBRONIUS *Tom. 2. p. 212.* adfuiſſe ſaltem praeter Cardinales ducentes Epiſcopos Germaniae, Angliae, Poloniae &c. Conſtantienſe legitime convocatum fuiſſe; *in Tridentini* ſeſſionibus prioribus abfuiſſe Germanos, aliarumque provinciarum Epiſcopos; idem eſſe de *Florentino*, immo & *Epheſino.* Sane perquam ſiniſtre FEBRONIUS provocat ad numerum Epiſcoporum Conſtantienſium; infelicius, neque ſatis reverenter ad exempla *Tridentini, Florentini*, atque *Epheſini.* Neceſſaria eſt, ut Concilium ſit legitimum, Epiſcoporum omnium convocatio; nequaquam ut omnes, aut certus determinatusque eorum numerus interſit, quod omnibus exploratum eſt, atque talis fuit convocatio *Tridentini*, aliorumque a FEBRONIO hic nominatorum. Pro Conſtantienſis initio haec duo probare debuerat: primo IOHANNEM XXIII. potiori certiorique jure ad illud convocandum fuiſſe uſum, quam GREGOR. XII. & BENEDICTUM XIII. huic indictioni repugnantes: ſecundo duas obedientias, quae tunc neque Schiſmaticae, neque ab Eccleſia avulſae fuere, JOHANNI parere debuiſſe, non vero GREGORIO aut BENEDICTO, qui indictioni adverſabantur. Ipſos Conſtantienſes GREGORII Legatum tanquam Cardinalem excipi, ejus arma in urbe Conſtantienſi appendi, immo ejus nomine Concilium denuo convocari permiſere, quae ex Actis paſſim conſtant. Quod ſecundo iſtis Decretis auctoritatem detrahere aſſeritur, ea nimirum a MARTINO V. confirmata non fuiſſe, variis effugiis labefactare, ſed incaſſum FEBRONIUS *Tom. 2. p. 197.* conatur, uti

uti quod MARTINUS *Seſſ. XLII.* in Bulla: *Inter cunctas.* apud HARDUIN. *T. VIII. col. 914.* mandet cuique, *qui ab hæreſi ad Orthodoxam fidem deinceps convertitur, hanc fieri interrogationem: Utrum credat, quod quodcunque C. generale et etiam Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentet:* item *quod illud, quod ſacrum Concilium Conſtantienſe, univerſalem Eccleſiam repræſentans approbavit et approbat in favorem fidei et ad ſalutem animarum, quod hoc eſt ab univerſis Chriſti fidelibus approbandum et tenendum.* Nil haec ad rem ſunt, MARTINUS enim hic approbat, quæ contra *Wicleffitas, Huſſum* et *Hieronymum Pragenſem* atque adeo in materia Fidei a Concilio conſtituta ſunt, ad quam neque ex ipſius Concilii mente illa Decreta pertinere ante dictum fuit: quare verbis a FEBRONIO citatis addit quoad Articulum alterum Pontifex: *& quod condemnavit & condemnat eſſe fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem eſſe tenendum pro condemnato, credendum & aſſerendum.* At, pergit FEBRONIUS MARTINI confirmationem etiam extendi ad Decreta ejus electionem praecedentia patet ex Bulla: *Cupientes Seſſ. XLIV* in qua ſe agnoſcit obligatum ad obſervandum Canonem: *Frequens in Seſſ. XXXIX.* conditum: item in Bulla: *Dum onus:* MARTINUS ait: *Dudum ſacrum generale Conſtantienſe Concilium ſtatuit et decrevit* &c. quo juxta FEBRONIUM innuitur Decreta Conſtantienſia etiam extra caſum ſchiſmatis ſuum obtinere vigorem. Egregia ſane conſecutio, prout illam exſculpere conatur FEBRONIUS! Sequitur ſolum a MARTINO approbatum quoque fuiſſe Decretum: *Frequens*, item *de depoſitione Johannis XXIII.* de qua altera Conſtitutio loquitur; igitur robur habent et illa electione MARTINI V. anteriora, quae ille rata habuit: at eadem ratione ab illo roborata fuiſſe Decreta illa *Seſſ. IV. et V.* id enimvero FEBRONIUS probare debebat, neque unquam ex Conſtitutionibus a ſe allatis extunder. Quod demum *l. cit. p. 199.* provocet ad literas ceſſionis FELICIS V. *Anti-Papae* apud RAYNALD. *ad ann. 1449.* et *Epiſcopos Pſeudo-Synodi Lauſannenſis* FELICI adhaerentes; hanc enimvero auctoritatem ei libenter permittimus, nemo enim non videt illico, quid ejuſcemodi momentis, quae vel pudeat FEBRONIUM afferre, ſit roboris atque auctoritatis attribuendum.

V. Ex his quoque jam illud colligi haud difficulter poteſt, quoad hanc, de qua loquitur Auctor controverſiam circa Jus Concilii generalis deponendi Pontificem legitimum, certum, indubium, non obſtare, quod Decreta illa Conſtantienſia per C. Baſileenſe innovata in Germania olim ſub ALBERTO II. ſolenni ratione recepta fuerint, immo haec receptio ab EUGENIO IV. et NICOLAO V. in *Concordatis Aſchaffenburgenſibus* §. *in aliis autem* pro Germania ratihabita fuerit, id quod FEBRONIUS urget *Tom 2. p. 5.* et potiſſimum *denuo Tom. 3. f. 136.* tanta vehementia, ut f. 142. inquiat, *eos, qui ſecus ſentiant, Lege publica coercendos eſſe*, cum ipſe Imperator in *Art. XIV. Capitulationis* ad

ſententiam: ille (JULIANUS) *novam defendebat: NB. extollebamus Concilii generalis auctoritatem:* ille *Apoſtolicae ſedis poteſtatem magnopere collaudabat &c.* mentio hic adhuc injicienda eſt breviter aut oſcitantiae, aut fraudis *Febronianae*, qui Tomo 2. *in addendis* tanquam, quid, ut ait, *memorabile* obſervat: *hic ſaltem* PIUM, *cum ipſa Conſtantienſis Concilii Decreta impugnaret, diffiteri auſum non fuiſſe, antiquam eſſe eam doctrinam, quae Concilium Pontifici praeferebat, cum inquiat; tuebamur antiquam ſententiam, ille novam* &c. ſed *antiquam* hic PIUS ſententiam ſuam vocat, non quod ex antiquitate hauſta fuerit, ſed quod ipſi antiqua fuerit, ante aliam videlicet propugnata: atque eodem ſenſu *novam* dicit illam JULIANI, nimirum recens ab eo adoptatam, poſtquam priorem contrariam deſeruerat. Adeo manifeſtus eſt hic PII ſenſus fontem ipſum conſulenti, ut profecto melius conſuluiſſet famae ſuae FEBRONIUS, quodſi ſomnia haec ſua tenebris occuluiſſet, neque ea atque adeo tanquam quid *memorabile* orbi venditare auſus fuiſſet.

Ad Controv. 2. n. 70. Objicit hic Auctor FEBRONIO, adoptatam ab eo fuiſſe circa ſyſtema Eccleſiae doctrinam RICHERII diu jam damnatam: manifeſtam vero cum his ejus principiis involvere pugnam, dum tanto alibi conatu defendat poteſtatem Epiſcopis a Deo immediate concedi. Idem objecere quoque FEBRONIO alii; ut placita haec ſua certe a nullo ſatis Catholico probanda emolliat *Tom. 2. p. 181.* ita diſſerit contra CL. KAUFFMANS: *Sophiſtice hic incedit colonienſis Theologus per totam Eccleſiam ſumens univerſitatem credentium, quaſi ipſos quoque Laicos pro ſubjecto clavium ſtatuiſſet FEBRONIUS..., itaque reſolvendum eſt ſophiſma: denominatum eſt tota univerſitas, ſed ſubjectum denominans ſunt ſoli Epiſcopi et Presbyteri.* Quis vero ineptius quid quam audivit, quam quod hic inquit FEBRONIUS? quid enim vero demum monſtri eſt ſubjectum iſtud *Febronianum* denominans? nemo enim non hucusque ſcivit niſi ſubjectum denominatum, formam autem eſſe denominantem. Quid porro ſibi volunt ea, quae ſcribit *eodem Tomo 2. p. 538. Poteſtas Pontificis et poteſtas Epiſcopi, utraque cum ſuis juribus et nativis appertinentiis, immediate a Chriſto inſtituta eſt: uterque Pontifex ſcilicet et Epiſcopus NB. ſuam poteſtatem accipit ab Eccleſia, quae ejus depoſitoria eſt, non ea propter Pontifex Miniſter eſt Eccleſiae, quod voluit Richerius, ſed Chriſti.* et *Tomo 3. p. 146. Etſi poteſtas eccleſiaſtica et Primatus immediate ſit a Deo inſtitutus, tamen absque medio non confertur Papae, Epiſcopis, et ſacerdotibus: i. e. absque miniſterio Eccleſiae, quae Papam, Epiſcopos et Sacerdotes deligit, quibus etiam ſacros confert Ordines: nulla igitur ratione admittendum eſt, quod Pius II.* l. cit. (in Bulla retractatoria ad Univerſitatem Colonienſem) *aſſerit, Pontificem Romanum canonice electum ſupremam a Deo poteſtatem ſine medio conſequi et per ordinem in omnem diffundere Eccleſiam. Quandoquidem auctoritas Eccleſiaſtica tota reſideat in Chriſti Sacerdotio credito Eccleſiae, ut illud proportiona-*

tionatum Papae, Epiſcopis, et Sacerdotibus diſpertiretur. Aliqua nunc in haec FEBRONII dicta animadvertere ſufficiat. 1. FEBRONIUS hic plane imitatur inconſtantiam ductoris ſui RICHERII, hic enim eodem modo contra ANDREAM VALLIUM *Demonſt. cap. 1.* doctrinam antea a ſe traditam mitigare conatur, dum *Eccleſiam ſacerdotalem aut ordinem Hierarchicum* a ſe intellectum inquit, quibus a CHRISTO claves traditae fuerint: idem dein fecere QUESNELLUS et *Quesnelliani*, in libro cui titulus: *Vains efforts des Jeſuites ed. 1713. Art. X.* RICHERIUM vero hac explicatione ſua manifeſte pugnare cum dictis propriis oſtendit PETAVIUS *L. 3. de Hierarch. Eccleſ. c. 15. et alibi:* idem de *Quesnellianis* demonſtravit MAMACHIUS *Orig. et Antiquit. Chriſt. Tom. V. p. 257.* de FEBRONIO vero, qui ejusmodi Anteſignanorum veſtigia premit denuo, ANTI-FEBRON. VINDIC. *Tom. 1. Diſſ. 1. C. 2. §. III.* 2. FEBRONIUS *Tom. 1. cap. 1. §. 6.* pro ſententia ſua dilucidanda *Abulenſem* adduxit, immo ejus verba recitavit; manifeſtum vero eſt ex his ipſis *Abulenſem* per Eccleſiam, et Univerſitatem credentium (quae verba ipſe FEBRONIUS *Tom. 2. l. cit.* contra KAUFFMANSIUM repetit probatque) intellexiſſe *coetum fidelium quorumcunque*, non vero ſolam Eccleſiam regentem; Eccleſiam enim, ut verba a FEBRONIO relata inſpicienti patebit, *cum Praelatis comparat, alia ratione Eccleſiae, alia hiſce Praelatis* claves collatas inquit, ideo eas ab Eccleſia committi Praelatis, *quia non ſit unum per ſe, potens habere adminiſtrationem clavium, ſi autem poſſet per ſe adminiſtrare, non committeret alicui Praelato.* 3. Lepidum eſt, quod FEBRONIUS exin ſe a RICHERIO diſtinguere velit, quaſi vero ille voluiſſet Pontificem et Epiſcopos meros eſſe miniſtros Eccleſiae, non Chriſti: nullibi certe negavit RICHERIUS Pontificem et Epiſcopos in ſuo etiam ſyſtemate eſſe miniſtros quoque Chriſti, eo ipſo quod ſint miniſtri Eccleſiae: id voluit, et cum FEBRONIO *Richeriana* recoquente voluit, Epiſcopos proxime eſſe miniſtros Eccleſiae, a qua omnis in eos poteſtas derivetur. Quidvero aliud FEBRONIUS? *Tom 1. p. 33.* ex ſcripta ſunt ab eo et probata haec *Abulenſis* verba: *non fuerunt datae claves illis (Apoſtolis) tanquam determinatis perſonis, ſed tanquam NB. miniſtris Eccleſiae. Tom. 2. p. 538.* paulo ante cit. ait: *Pontifex et Epiſcopus ſuam poteſtatem accipit ab Eccleſia, quae ejus depoſitaria eſt:* idem repetit *Tom 3. l. ante cit. ubi medium illud*, per quod poteſtas derivatur in Pontificem et Epiſcopos *eſt miniſterium Eccleſiae*, qua fronte nunc neget FEBRONIUS Praelatos in ſua quoque ſententia, uti in *Richeriana*, miniſtros Eccleſiae dicendos eſſe? 4. Ecquid demum FEBRONIUS tanto ardore alias defendit Epiſcoporum poteſtatem eſſe immediate a Deo, quodſi PIO II. nulla ratione concedendum eſt vel *ipſum Pontificem ſummum canonice electum NB poteſtatem ſuam ſine medio a Deo conſequi*? Quis demum Oedipus haec invicem vel ulla ratione conciliare valeat, plane non video. *Eccleſiam* inquit *perſonas deligere*, quam vero demum inſulſa eſt haec conſecutio, igitur iis po-

teſtas a Deo immediate conferri nequit: quod addit ab Eccleſia quoque ſacrōs Ordines: tum inprimis locutio eſt valde impropria, tum neſcio quid adhuc magis abſurdum continere videtur, cum apud omnes unanimi calculo Theologos hactenus extra dubium fuerit, poteſtatem Ordinis unice in Conſecratione a Deo concedi; de poteſtate vero Jurisdictionis ſolum quoad Epiſcopos diſceptetur, nemine denuo, niſi qui *Richerianus* ſit, dubitante, hanc quoque poteſtatem ſummo Pontifici ſine medio a Deo conferri. FEBRONIUM porro, qui negat utramque poteſtatem dividi poſſe in Epiſcopis, cum hac de re dedita opera ſermo hic non ſit, una cum PETRO AURELIO, ſub quo nomine famoſus ille *Abbas S. Cyranus* latet, plane dignus denuo FEBRONIO praeceptor, confutat abunde ANTI-FEBRON. VINDICAT. *Tom. 1. Diſſ. 3. Cap. 1.*

Ad Controv. 2. n. 78. Argumentum hic a NELLERO deſumptum a renuntiatione Pontifici permiſſa impugnat Auctor: ſed NELLERUS deinde quoad hanc ipſam rem mentem ſuam vix non mutaſſe videtur, dum in *Corollario Hiſtorico ſubnexo Exercitio juridico 11. Septemb. 1769. Trevir. f. 19.*, ubi de renuntiatione CAELESTINI V. agit ad Q. 2. *an ejus abdicatio fuerit valida.* ita reſpondet: *Affirm. in reverentiam cap. 1. de Renunt. in 6. et ibi BONIF. VIII. Quanquam NB. id non absque multa formidine de veritate oppoſiti affirmemus; nam nondum ſatis conſtat de quaeſtionis expeditione affirmativa, an Papa renuntiare poſſit, et quidem, ſicut ait d. cap. 1. libere* i. e. *independenter a conſenſu ſuae ſponſae, vel etiam hac contenta.* Cum factum CAELESTINI ab Eccleſia tanquam legitimum agnitum fuerit, rem omnem dubio nulli obnoxiam eſſe exiſtimem, atque idcirco non curanda ea, quae duo ſchiſmatici Cardinales *Jacobus et Petrus Patruus et Nepos de Columna* apud RAYNALDUM *in Appendice Tom. 14. p. 635. an. 1297.* oppoſuere. Exemplum anterius hujuscemodi renuntiationis indubium atque legitimum vix in Hiſtoria Eccleſiaſtica deprehendi poſſe idem Vir Celeb. recte affirmat l. cit. *Gloſſa in Can. 12. C. VII. Q. 1.* ad MARCELLINUM provocat: ſed quae de ejus lapſu circumferuntur, uti et Acta *Synodi ſinueſſanae* ſuppoſita eſſe, ſubleſtaeque fidei, nemo hodie eſt, qui dubitet. de S. CLEMENTE I. extat *Canon 1. C. VIII. Q. 1. ubi* S. PETRUS, *eum dicitur ſibi ſucceſſorem in Pontificatu deſignaſſe: Gloſſa* autem in verbo: *Aut ligandi poſt med.* ait: *Videns autem CLEMENS, quod hoc eſſet perniciosum exemplo, quod aliquis ſibi eligeret ſucceſſorem, renuntiavit Papatui*: et *tunc electus fuit CLETUS*, quo *mortuo denique fuit CLEMENS electus.* Textus vero ipſe eſt ex ſpuriis *Pſeudo-Iſidori* epiſtolis falſo JOHANNI III. adſcriptus: *gloſſa* minus adhuc audienda eſt, manifeſte quippe in S. PETRUM injuria, quaſi vero is circa finem vitae ſuae exemplum atque adeo pernicioſum dediſſet. Fabulas has ſequitur PARISIUS *de Reſig. L. 2. Q. 1. quibus n. 14* abſurdiorem addit de CYRIACO quodam itidem Romano Pontifice, qui Pontificatu abdicato ſe

SS. UR-

SS. URSULAE ejuſque Virginibus aſſociaſſe pro conſequenda Martyrii palma exinde dicitur. *Gloſſa* denuo *in cap. 1. de Renunt. in 6.* de hac fabula mentionem facit, atque idcirco CYRIACUM hunc in Catalogo R. R. P. P. non recenſeri inquit, quod a Cardinalibus *propter oblectamenta Virginum Pontificatui renuntiaſſe crederetur*: quis vero naenias iſtas maxime abſonas non rideat? Porro *cit. cap 1. de Renunt.* mentionem facit BONIF. VIII. Statuti a CAELESTINO V. editi, quo declaret decidatque *Renuntiationem Pontificis validam legitimamque* eſſe; ſed id nullibi extare ait NELLERUS, igitur ipſi ſolum videtur *verbale* fuiſſe; alias BONIFACIUM procul dubio in *forma debita* et ut ajunt *ſpecifica* illud inſerturum deciſioni ſuae fuiſſe.

VI.

JOANNIS NEPOMUCENI ENDRES
Ss. Theol. et U. J. D. nec non Ss. Can. in Wirceburg. Univerſit. Profeſſoris P. O.

DISCURSUS POLITICO CANONICUS DE RECUSATIONE VISITATORIS APOSTOLICI CENSURIS ECCLESIASTICIS AC INTERDICTO HAUD FACILE VINDICANDA

Wirceburgi Anno 1760.

SYNOPSIS TOTIUS DISCURSUS.

I. *Præſentes Eccleſiæ calamitates ac Summi Pontificis curæ.*
II. *His Corſicanæ Res acceſſerunt.*
III. *Quæ materiam & occaſionem commentandi in* Extravag. Super Gentes & Regna Unic. de conſuetud. int. comm. *præbent,*
IV. *Ex hypotheſi tantum Exempli loco ſervientes.*
V. *Propoſitio.*
VI *Proteſtatio & captatio benevolentiæ.*
VII. *Jus mittendi Legatos aut Viſitatores Summo Pontifici aſſeritur in Extravag ſupra memorata quæ tamen Bonifacio VIII potius, quam Joanni XXII. adſcribitur, cujus & tenor recenſetur.*
VIII. *Idem juris Canon ſeptimus Sardicenſis & uſus Eccleſiæ Romanæ perpetuus teſtatur, adnotata tamen Legatorum diverſitate.*
IX. *Legationum cum Jurisdictione diverſa Juris principia a Summis Pontificibus allegata.*

X. *Cu-*

X. *Curiæ Romanæ magis addicti ex immediata Summi Pontificis jurisdictione eus derivant.*

XI. *Ex qua revera illa Sæc XI. Legatorum a latere frequentia invaluit.*

XII. *Idem tamen etiam consequuntur, qui tantum generalem Summi Pontificis superintendentiam admittunt.*

XIII. *Differentia utriusque sententiæ, & sequelæ.*

XIV. *Ex hoc principio antiquiores Sæculo XI. Legationes, præsertim illa JULIANI COENSIS sub LEONE I. processerunt.*

XV. *Quin etiam ordinariæ illæ & frequentes Sæc. XI. Legatorum a latere missiones quoad substantiam eo reduci possunt.*

XVI. *Ex eodem principio modernus Summus Pontifex Visitatorem in Corsicam mittendum decrevit.*

XVII. *Juri mittendi Legatos respondere debet obligatio eosdem recipiendi.*

XVIII. *Inde differentia inter Legatos Apostolicos ad Regna Christiana & inter Legatos aliorum Regum.*

XIX. *Potestatem tamen Sæcularem Legationibus ejusmodi intercedere posse, exemplis antiquiorum Pontificum, præsertim S. GREGORII M., ostenditur.*

XX. *Recentiores jurisdictionis suæ zelosiores iisdem vestigiis institerunt.*

XXI. *Hodierna Galliæ praxis refertur.*

XXII. *Ea interceſſio Regio Suprematus jure nititur.*

XXIII. *Quæ principi hic attendenda, recensentur.*

XXIV. *Cognitio super his privative ad Principem pertinet.*

XXV. *Similitudine a Jure privatorum deducta confirmatur.*

XXVI. & XXVII. *Differentiæ Juris privatorum & Dominii alti seu eminentis Reipublicæ.*

XXVIII. *Moderatio Potestati Sæculari necessaria.*

XXIX. *Sola æmulatio & irrationabile odium Extravagante prædicta probibetur ac damnatur.*

XXX. *Moderata ejusmodi interceſſio Immunitati Ecclesiasticæ & Authoritati supremæ Pontificiæ non repugnat; hinc a conglomeratis objectionibus vindicatur.*

XXXI. *Transitur ad controversiam præsentem Reipublicæ Januensis, supposito illius suprematus Jure.*

XXXII. 1*mum Senatus Januensis ejusque Apologistarum argumentum, turbæ ibidem jam concitatæ.*

XXXIII. 2*dum, Antiqua Romanæ Ecclesiæ prætensio.*

XXXIV. 3*tium, Insultatio Corsicanorum, & nimia, ut ajunt, Curiæ Romanæ in ipsos propensio, Reipublicæ vero prateritio.*

XXXV. 4*tum*, *Inopinata Miſſionis executio, in medio tractatuum amicabilium curſu, ſecreto atque feſtinanter ſuſcepta.*

XXXVI. 5*tum*, *Reliquæ itineris Viſitatoris circumſtantiæ.*

XXXVII. 6*tum*, *Perſonæ qualitas.*

XXXVIII. 7*mo Reliqua, quibus neceſſitatem ſui aſſenſus prætendit, argumenta conglomerantur.*

XXXIX. 8*vo*, *Exemplum BENEDICTI XIV. & aliorum Pontificum refertur.*

XL. *Tranſitur ad Interdictum.*

XLI. *Aggravat Januenſes ordinatio die XIV. Aprilis anni currentis edita, de qua quid cenſeri adhuc poſſit?*

XLII. *Interdicti pericula & incommoda raro & difficulter utilitate Eccleſiæ, ac effectu ſperato compenſanda.*

XLIII. *Fruſtraneum illud fore in ſyſtemate Reipublicæ, prævidere Summus Pontifex potuit,*

XLIV. *Aut turbis ſaltem augendis nimis idoneum.*

XLV. *Modernis Eccleſiæ univerſalis calamitatibus & periculis incongruum & inopportunum.*

XLVI. *Honori Sanctiſſimi Patris & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ periculoſum.*

XLVII. *Peroratio atque Concluſio.*

§. I.

Præſentes Eccl. calamitates ac Summi Pontificis curiæ.

Quanta, & quam periculoſa hactenus vel ſub ſolo glorioſo moderni Summi Pontificis CLEMENTIS XIII. Regimine ex omnibus fere Chriſtiani orbis partibus ad Sedem Romanam reliquarum omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram delata fuerint negotia, quæ animum Paſtoris Optimi Maximi pro diverſarum orbis Catholici provinciarum Eccleſiis ſollicitum maxime, imo & anxium jure merito habuerint, nemo noſtrum, credo, eſt, quin notum ſibi penituſque perſpectum habeat. Hinc gliſcentia adhucdum ſuis veluti ſub cineribus Cleri Gallicani diſſidia, inde graviſſimæ cum Sereniſſima Republica Venet. ſuper recurſibus ad Sedem Apoſtolicam aliisque variis capitibus controverſiæ, Ejusdem quidem avita in hanc patriam ſuam benignitate nunc ſopitæ, illinc florentiſſimi alias Luſitaniæ Regni differentiæ noſtros ob oculos verſantur: quin & ipſe funeſtus Germaniæ noſtræ bello tam pertinaci hactenus conflictatæ ſtatus, quanta ex amantiſſimo Patris Sanctiſſimi pectore ſuſpiria, ex ore preces & vota, ex oculis fere lacrymas elicuerit, teſtibus hiſce oculis videndi, & audiendi auribus ſors mihimet ipſi ſingularis obtigit.

§. II.

§. II.

Acceſſerunt hiſce omnibus, ſi non majores, certe nec inferiores perturbationis, doloris, atque ſollicitudinis cauſæ ex graviſſimis controverſiarum & diſſenſionum incommodis, quibus Sereniſſimam Rempublicam Januenſem, & Corſicanam Inſulam jam pluribus adhinc annis, imo luſtris dividi, atque jactari cognovimus, nunc demum vehementer auctæ, poſtquam anno proxime præterito præfatus Sanctiſſimus clementiſſimis litteris ſuis in forma Brevis die XVIII. Septembr. datis Reverendiſſimum Dominum CÆSAREM CRESCENTIUM de ANGELIS Epiſcopum Signinum in Viſitatorem Apoſtolicum pro quibuſdam locis Diœceſium Alerienſis, Marianenſis, Accienſis, atque Nebienſis in Inſula Corſicæ deputatum eo ſubmittere ſtatuit; Quem vero Reſpublica inde prohibere non tantum voluit, ſed & Decreto ſuo XIV. Aprilis anni currentis edito præmium 6000. Scutorum Romanorum ei conſtituit, qui eundem Epiſcopum Viſitatoris titulo ab Apoſtolica Sede inſignitum a quocunque loco abducere, & in militum poteſtatem tradere Januam transmittendum attentaret; imo & graviſſimas iis pœnas indixit, qui Viſitatoris memorati dicto obedientes eſſent, ejusque mandatis quocunque modo parerent. Res Corſicanæ.

§. III.

Cum igitur poſt demandatam mihi Clementiſſimo REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI EPISCOPI, ET PRINCIPIS BAMBERGENSIS ET WIRCEBURGENSIS ADAMI FRIDERICI FRANCIÆ ORIENTALIS DUCIS, AC DOMINI DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI Decreto die 19. Januarii anni currentis ſumma, qua par erat, reverentia a me obtento, & gratitudinis immortalis ſignificatione nunquam non venerando, Juris Eccleſiaſtici in hac Alma Univerſitate publice interpretandi provinciam, & poſt traditas hactenus vi Licentiatus & manantis inde Cathedram ſuperiorem conſcendendi privilegii Lectiones publicas, nunc Doctorali quoque Laurea Inclytæ Facultatis Juridicæ Decreto in ampliſſimo Virorum ex omni ordine ſpectatiſſimorum Conſeſſu ſolenni inauguratione inſignitus idem docendi ex officio in hac ipſa Cathedra munus ſolenni Oratione auſpicari ex laudabili ejuſdem Facultatis Juridicæ, totiusque Almæ hujus Univerſitatis more prius debeam, quam deſtinatum tum in ejusdem Facultatis Collegio mihi ſemper obſervandiſſimo, tum in ſpectabili totius Ampliſſimi Ordinis Academici Senatu locum ingredi mihi liceat, nihil magis temporum præſentium rationi, Inſtituti mei profeſſioni & veſtræ potiſſimum, quam afferre benigniſſime voluiſtis, attentioni congruere exiſtimavi, quam inauguralis iſtius alloquii materiem ex hac ipſa occaſione, & rerum geſtarum contingentia repetere, & hac ſuper re pauca, quæ Occaſio.

ad

ad *Extravag.* Super Gentes & Regna. *Unic. de Consuetudine inter Communes* relatæ penitiorem intellectum & commentationem pertinent, differere.

§. IV.

Scopus Thesis est.

Sed cum sciam, ad scopum mihi propositum necessarium quidem, non tamen satis tutum esse, in particulares factorum ejusmodi circumstantias ingredi, quæ vel incertis plerumque rumoribus tantum ad nos perveniunt, vel penitus etiam intra sola Magnatum & Partium ejusmodi inter se contendentium conclavia delitescere, eaque penitus non egredi consueverunt; ac præsertim ne plenam super universa hac controversia publica judicium privatus mihi arrogare, aut inter Summas Partes contendentes me quasi arbitrum constituere ausu temerario, aut alterutrius etiam Partis patrocinium suscipere præcoci consilio velle videar; in ipsa potius thesi generali morabor, & principia duntaxat universalia hac in materia præcipue respicienda extremis quasi labiis pro temporis præfixi brevitate delibabo; Nec alio fine ad Hypothesin præsentis controversiæ Januensis descendam, ac particularia illa, quibus innixa Respublica existimare, imo plane credere posset, se hac in re recusando Visitatoris Apostolici prædicti receptionem, quid? quod ingressum illi in Insulam Corsicanam præcludendo, aut prohibendo nequaquam avitæ suorum Majorum erga Sanctam Sedem Apostolicam reverentiæ, pietati, & obedientiæ defuisse, fundamenta, quoad ea scire mihi licuit, allegabo, nisi ut, supposita factorum & circumstantiarum concurrentium veritate, exemplo nobis sit ad thesin ipsam magis stabiliendam, atque confirmandam.

Hypothesis ex supposito tantum exemplum præbet.

§. V.

Propositio.

Ita igitur brevi hoc discursu contendam, Jus Legatos, uti & Visitatores Apostolicos, quocunque nomine censeantur (cum re, fine & officio satis conveniant, quamvis nomine & potestatis amplitudine differant) in negotiis spiritualibus, & ad Ecclesiam pertinentibus Summi Pontificis vice functuros in laborantes & periclitantes orbis Ecclesias particulares mittendi Sedi Apostolicæ competere; Potestati tamen Sæculari suas quoque justas rationes esse posse, ex quibus, salva obedientia eidem Sanctæ Sedi ejusque Primatui Jure divino instituto debita, & citra notam schismatis incurrendam decernendis ejusmodi missionibus vel prævie intercedere, vel eas jamtum decretas non recipere possit; quod primum: Justas vero ejusmodi, vel probabiles saltem Causas, si notitiis undecunque haustis fides sit, Reipublicæ Januensi suffragari; quod alterum commentationis Caput erit. Utrumque huic facile conclusioni locum dabit, missionem Visitatorum aut Legatorum generatim, ac speciatim ipsam quoque modernam CÆSARIS CRESCENTII de ANGELIS Episcopi Signini in Corsicam

ſicam ablegationem ſuppoſita circumſtantiarum cum ea concurrentium veritate rem, ac materiam eſſe non mere ſpiritualem, & ab omnibus rationibus Status ac Reipublicæ Sæcularis penitus abſtractam, ſed mixtam, & quæ ad utramque Rempublicam tam Profanam ſive temporalem, quam Sacram ſive Eccleſiaſticam conreſpiciat, adeoque amicabili potius concordiæ & mutuæ utriuſque Poteſtatis conſenſioni, quam ſolitariæ alterutrius diſpoſitioni, aut præmaturæ Cenſurarum inflictioni obnoxiam.

§. VI.

Exhibitis dein Academica libertate utriusque partis fundamentis, & Principiis Univerſalioribus veſtro, AA., judicio relinquo, ea, quæ vobis data eſt, luce deſuper ratiocinari, & eadem ad ipſas particulares, quas tempus & dies docebit uberius, circumſtantias applicare. Iterum vero, iterumque proteſtor, me alium non habere ſcopum, niſi ſalutem utriusque Status, Eccleſiaſtici, & profani publicam, nec mihi in animo eſſe ullo pacto recedere a Catholica Sanctæ Eccleſiæ Romanæ Religione & obſervantia, aut a pura, ſinceraque veritate, quam pro viribus mei ingenii, quæ quidem, ſentio, quam ſint exiguæ, rimari, perſpicere, penitusque quoad hoc negotium, & argumentum tum generatim, tum ſpeciatim attinet, explorare ſtudui. Favete.

Proteſtatio & captatio benevolentiæ.

§. VII.

Ac primum quidem jure optimo a Summo Pontifice mitti poſſe in exteras provincias Viſitatores Apoſtolica authoritate fungentes, luculenter in *Extravag.* Super Gentes & Regna. *Unica de conſuetudine inter communes* ſtatui, indubium eſt: quamvis de ejusdem authore ſatis dubitetur, dum in vulgatis Extravagantium communium editionibus JOANNI XXII. tribui eam videmus; cui etiam in veteri codice MS. Bibliothecæ Regiæ Gallicanæ tribuitur. At vero BONIFACIO VIII. illam non immerito alii vendicant. Nam præterquam, quod

Jus legationum Pontificiarum Extravagante memorata ſtabilitum.

Ejus Author potius Bonifacius VIII.

teſte PETRO de MARCA *de Concord. Sacerd. & Imp. Lib. V. c. 46.*

eadem in illo ipſo Codice Regio deſcripta ſit etiam ſub nomine BONIFACII, antequam ponatur ſub nomine JOANNIS XXII., a BONIFACIO primum editam illam fuiſſe, ex eo manifeſte probatur, quod in mandatis, quæ ab illo data ſunt JOANNI PRESBYTERO CARDINALI Tituli Sanctorum Marcellini & Petri, nobis vero prodita ab

ODORICO RAYNALDO, ad ann. 1303. §. 34.

Et a *PETRO PUTEANO in probationibus diſſidii, quod inter BONIFACIUM & PHILIPPUM IV. ſive Pulchrum Francorum Regem interceſſerat,*

quod in mandatis, inquam, illis jubeatur Legatus denuntiare, & declarare eidem Regi, quod *Romanus Pontifex Legatos de Latere, & non de Latere ac Nuncios mittere poteſt ad quævis Imperia, Regna vel Loca, prout vult, abſque petitione cujuslibet, vel conſenſu, uſu vel conſuetudine contrariis nequaquam obſtantibus.*

Conf. *Hiſtoire du Differend. de Boniface pag. 90.*

Undequaque autem colligitur, Conſtitutionis illius mentem præcipuam fuiſſe, ut PHILIPPUS Pulcher, conſiliis & poteſtati BONIFACII reſiſtens, ejusdem authoritate comprimeretur. Sic enim prorſus ibidem legitur: „Verum „cum aliqui hujusmodi officium, & poteſtatem ipſius Romani Pontificis, quam „non ab homine, ſed a Deo recepit, ſub ſuo arbitrio redigere molientes Lega„tos ipſos, niſi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum transmiſſi, ſub„jectas ſibi terras, dicentes hoc eis de conſuetudine competere, ingredi non „permittunt; Nos hujusmodi conſuetudinem non tam irrationabilem, quam „iniquam, animarum ſaluti contrariam, detrahentemque Apoſtolicæ poteſtati, „authoritate Apoſtolica penitus reprobantes, Legatos ipſos ab omnibus cujus„cunque præeminentiæ, Conditionis, aut Status fuerint, debere admitti de„cernimus, nec eos prætextu cujusvis conſuetudinis impediri poſſe a quoquam „Chriſtiano nomine gloriante, quo minus Regna, Provincias, & terras quas„libet, ad quæ ipſos deſtinari contigerit, ingrediantur libere, ac commiſſæ „ſibi Legationis officium exerceant in eisdem.„ Excommunicat deinde eos, qui præſumerent impedire Legatos, eorumque Regna, & terras Eccleſiaſtico ſupponit Interdicto, *quam diu in ejusmodi contumacia duxerint perſiſtendum.* Revocat autem omnia privilegia, quibus iidem uti vellent ad aſſerendum hoc ſuum jus, ſeu ex conſuetudine deſcenderet, ſeu aliunde.

§. VIII.

Huic ræivit anon ardicen- s.

Et quidem quod ad Conſtitutionis memoratæ ſubſtantiam, miſſionem ſcilicet ipſam Viſitatorum vel Legatorum attinet; eandem Sanctæ Sedi Apoſtolicæ competere, antiquiſſimus jam Concilii Sardicenſis Canon, Græcis V., alias apud DIONYSIUM & ISIDORUM VII., tanquam certum, omnibusque jam tum perſpectum probatumque ſupponit, dum integrum eſſe Papæ, in ejusque arbitrio ſive poteſtate poſitum eſſe declaravit, ut Legatos mitteret in provincias, ubi inſtaurandum eſſet Judicium Epiſcopi, qui a ſententia appellaſſet Concilii provincialis, a quo eſſet abdicatus, ut

HERVETUS apud ESPEN in *Tractat. Hiſtorico-Canon. in Can. Concil.* P. III. §. V. *de Canonibus Sardicenſibus* refert in verbis:

t perpe- a Pon- licum axis.

Siquis autem poſtulat negotium ſuum rurſus audiri, & ad ſuam ſupplicationem Romanum Epiſcopum movere viſum fuerit, ut e proprio latere Presbyteros

res mittat, ſit in poteſtate ipſius, quodcunque recte habere probaverit.'

ipſa certe continua & perpetua Eccleſiæ praxis ex indubitata Hiſtoria- Legato-
m fide conſtans id ipſum teſtatur, ut pauciſſimos reperire ſit in Albo Ro- rum & Vi-
anæ Eccleſiæ Pontifices, qui non aliquod ſaltem miſſionis ejusmodi exemplum ſitatorum
derint; quamvis diverſis ex finibus, & ad diverſos effectus, videlicet modo diverſi-
ſolatium duntaxat & opem Eccleſiis inferioribus indigentibus ferenda, modo tas.
pacem, & unitatem iisdem ſchiſmate diviſis conſilio, & authoritate Pon-
ıcis reſtituendam, modo ad excipienda Pontificum juſſa, Summoque Prin-
ıi referenda, aut viciſſim, ad preces, juſſiones, Epiſtolas utriusque ultro
roque perferendas, ad ſalutaria fidei & diſciplinæ propagandæ conſilia ſug-
renda, verbo: monendorum Principum, Suggeſtionis, non actionis, non
ercendæ ſemper Pontificia Authoritate Jurisdictionis cauſa id contigiſſe, cer-
n ſit.

§. IX.

Eos vero, quibus aliquam ſolicitudinis ſuæ & Jurisdictionis in aliis infe- Legatio-
ıribus Eccleſiis vice ſua exercendæ partem commiſerunt, ablegandi Jus di num cum
rſis rurſus ex principiis deducere conati ſunt: Nunc ad antiquam duntaxat Jurisdi-
aſuetudinem provocantes, nunc ad immediatam & concurrentem cum Epiſco- ctione di-
ı, quæ in omnes totius orbis Chriſtiani particulares Diœceſes ipſis velut Or verſa
:ariis Ordinariorum competat, jurisdictionem, alii in ipſa ſaltem ſuprema Principia.
mmi Pontificis, & generali in omnes Diœceſes inſpectione, & Superinten-
ntia prima ejus Juris fundamenta reponentes.

§. X.

Quæ inter Romanæ Curiæ ſemper præplacuit immediata illa, & concur- Immedia-
ıs Summi Pontificis jurisdictio, ex qua, cum tanquam Ordinarius Ordina- ta & con-
ırum eandem habeat cum Epiſcopis poteſtatem viſitandi &c., per ſe tamen & currens
perſona ea fungi ob locorum diſtantiam non poſſit, utpote nec peregrinari Summi
r orbem univerſum, nec eundem ad ſe evocare valens, inferunt, per alios Pontificis
tur eandem exercendi jure eum gaudere omnino debere. Jurisdi-
ctio.

§ XI.

Quo ex principio præſertim poſt vulgatas, queis Pontificis Romani inſti- Funda-
a divinitus poteſtas innumeris fere aliis acceſſionibus aucta, extenſa, & mentum
pliata fuit, Iſidorianas decretales, miſſiones illas Viſitatorum cum titulo Legatio-
gatorum a Latere jam NICOLAUS I. in ordinariam conſuetudinem vertere num ordi-
duit; ALEXANDER vero II. earundem Ordinariarum Legationum & nu- nariarum
Sæc. XI.

merum, & authoritatem longe felicius, ampliusque promovit; ut propterea jam GREGORIUS VII., qui Legatum in Gallias misit AMATUM Episcopum Oloronensem, inquiat, se id facere juxta veterem consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ ab ipsis fundationis suæ primordiis, ut ipse ait, ad omnes partes, quæ Christianæ Religionis titulo censentur, suos Visitatores vel Legatos miserit, *quatenus ea, quæ Gubernator & Rector ejusdem Romanæ Ecclesiæ per suam præsentiam expedire non prævalet, vice sua Legatis concessa monita salutis, ac morum honestatem per eos cunctis per orbem terrarum constitutis Ecclesiis nuntiaret.*

§. XII.

Superintendentia generalis Apostolico Primatui adgnata.

Quibus vero ea Romanæ Curiæ sententia non arridet (neque enim illos confutare hoc loco vacat, aut animus est) idem tamen jus ex admissa, quam omnes Catholici divino jure fundatam credunt, suprema & generali universalis Ecclesiæ cura, sollicitudine, & Superinspectione necessario deducunt, utpote quæ in officio Capitis supremo, omnibus totius orbis Episcopis invigilandi, devios ad muneris sui executionem revocandi, negligentiam, & absentium quacunque ex causa defectum supplendi, insufficientes ac impotentes eosdem adjuvandi, oppressos tuendi, & confirmandi concluditur; hæc enim omnia cum rursus Personalem sæpe præsentiam exigant, nec Pontifex ipse eandem per semetipsum exhibere semper possit; prono alveo fluit, in horum quoque sententia indubitatum illi jus competere debere, etiam alios sua authoritate munitos eo Visitatores deputandi.

§. XIII.

Differentia utriusque sententiæ.

Unica scilicet ea ab his statuitur differentia, quod minus arbitraria ex hoc principio sit Summo Pontifici tanquam Generali totius Ecclesiæ Superintendenti Visitatorum suorum missio, & nonnisi ad necessitatem & evidentem utilitatem Ecclesiarum, ad impotentiam, infirmitatem, negligentiam, & deficientiam Episcoporum veluti specialium Rectorum Ecclesiarum suarum, paucis: ad solas causas Canonicas mox recensitas arctius adstricta, & limitata, ut scilicet his specialibus suo officio rite fungentibus nullo prætextu Generalis, missione extranei Visitatoris, eorum jurisdictionem præripere, intervertere, turbare, aut impedire possit, aut debeat.

§. XIV.

Ista nitebantur antiquiores Legationes.

Hoc sane æquissimo Principio nixas fuisse antiquas illas Legatorum vel Visitatorum missiones luculenta Historiæ Ecclesiasticæ monumenta comprobant, utpote quas tum demum decretas fuisse a providentissimis illis Pontificibus docent, quando medicandum fuerat inveteratis non paucis nec levibus, qui in mores Cleri irrepserant, morbis, & Episcoporum aut frigebat charitas, aut

neces-

neceſſariis præſidiis deſtituebatur authoritas, atque inde ſupremi Paſtoris & univerſalis Canonum vindicis poteſtas atque vigilantia deſiderari videbatur. Unum inſtar omnium produco, vigilantiſſimi & moderatiſſimi ſcilicet Pontificis LEONIS I., qui (teſte ejusdem Epiſtola LX. ad JULIANUM) eidem JULIANO COENSI Epiſcopo cum Apocriſiarii tantum & titulo & munere ad Aulam MARCIANI Imperatoris miſſo id quidem in mandatis duntaxat dedit, ut, quæ ſuggerenda Principi forent, vice Pontificis inſinuaret, de rebus ambiguis Pontificem conſuleret, eumque de ſtatu Eccleſiæ Orientalis creberrimis relationibus admoneret, pietate Principum ad Eccleſiæ univerſalis utilitatem uteretur, ſed eo temperamento, ut nullam cauſæ cognitionem ſuſciperet, quæ relicta eſſe debeat Epiſcopis provinciarum; cum tamen ſtatim a ſoluta Synodo Chalcedonenſi Hæretici Neſtoriani per inſidias veræ fidei officere, connivente ANATOLIO Conſtantinopolitano, molirentur; hanc ſpecialiter inſuper curam dedit, ut proſpiceret ſolerter, ne Hæreſis Neſtoriana vel Eutychiana convaleſceret, in verbis: „Ut ſequeſtra„ta actione cauſarum, quæ in quibusque Eccleſiis Præſulum ſuorum de„bent judicio firmari, hac ſpeciali cura vice mea fungaris, ne Hæreſis Ne„ſtoriana vel Eutychiana in aliqua parte revireſcat, *quia in Epiſcopo Conſtanti„nopolitano Catholicus vigor non eſt.*

Exemplum S. Leonis M.

§. XV.

Quin etiam ipſæ illæ ordinariæ & frequentes Legatorum poſt ALEXANDRUM II. conſuetæ miſſiones ab hoc ſupplendi, & Superintendentiæ generalis principio non tam procul diſceſſiſſe, aut abfuiſſe videntur diligentius conſideranti graviores eorum ſæculorum abuſus nimium inveteratos, (ut erant Labes Simoniaca quaſi peſtis per omnes late Eccleſias ſerpens, vulgatiſſima tum Beneficiorum pluralitas, effrænis Clericorum incontinentia, inceſta vel illicita Regum vel Magnatum matrimonia diſſolvenda, diuturna Epiſcoporum a Diœceſibus, ſæpe etiam belli ſequendi Cauſa, abſentia &c.) qui propterea a ſolis Ordinariis radicitus evelli non amplius poterant, aut alicubi nolebant, etiam remedium iſtud alias extraordinarium in ordinarium quaſi verti exegiſſe.

Cui nec ordinariæ Sæc. XI. Legationes adverſantur.

§. XVI.

Eundem quoque finem ſupplendi Divino Sedis Apoſtolicæ Primatui indubie adgnatum modernum Summum Pontificem CLEMENTEM XIII. in deputando viſitatore Apoſtolico Reverendiſſimo Domino CÆSARE CRESCENTIO de ANGELIS ſibi ſapientiſſime propoſitum habuiſſe, ipſemet ſuis æque Literis, ac Allocutione publica in Conſiſtorio Secreto IX. Maji currentis anni habito declaravit, dum in literis edicti JANUENSIS abrogatoriis diſerte dicit,

Concordat moderna Viſitatoris in Corſicam miſſio.

dicit, eam fuiſſe mentem ſuam, ut ægris atque afflictis ovibus, & ſine Paſtore errantibus in via Domini pro debito officii ſui opem aliquam afferret, cum nulla alia ratio ſuppeteret, atque ut propterea Viſitator deputatus tantum eas Eccleſias regeret, atque gubernaret, in quibus Epiſcopi ob adverſam temporum conditionem neque per ſe, neque per Vicarios ſuos cum utilitate commiſſo ſibi gregi præeſſe poſſent; Cujus cæteroquin & ea providentiſſima hac in re moderatio ſingularem notam meretur, quod de ſola animarum ſalute ſollicitus, quæ, deficientibus præſertim Epiſcopis, ſuæ divinitus commiſſa ſit Curæ & Vigilantiæ, ea tantum Viſitatori mandata dederit, quæ ad ſpiritualem ſolum illarum aut perditarum, aut periclitantium ovium ſalutem pertinerent, nihil propterea curaret, imo ſeſe abſtineret diligenter ab iis, quæ motus turbasque illic jam dudum exortas reſpicerent; nullus eapropter dubitandi locus ſupereſſe ut poſſit, Summum Pontificem optimo jure ſuo in hac Viſitatoris Apoſtolici deputatione uſum fuiſſe, nec ſuæ quoque jurisdictionis limites aut ſphœram ullatenus egreſſum.

Omni reſpectu ad temporalia vacua.

§. XVII.

Jus igitur perfectum mittendi cum Imperio ſacro Viſitatores ſuos ad negotia Eccleſiam & ſalutem animarum reſpicientia cum habeat Summus Pontifex; ex altera parte, eorum ſcilicet, ad quos mittuntur, perfecta correſpondere debebit obligatio eosdem recipiendi, tanquam neceſſarium miſſionis cum Imperio conjunctæ correlativum; nec conſenſu aliquo Poteſtatis Sæcularis, quæ Eccleſiaſticam in rebus ad ſalutem animarum pertinentibus comiter & ipſa venerari tenetur, opus eſt, ut Viſitatoribus ſua poteſtas ſacra integretur, & compleatur, utpote quæ tota in rebus Eccleſiaſticis a Summo Pontifice tanquam omnis Jurisdictionis ſacræ fonte dependet.

Obligatio recipiendi Viſitatores Pontificios.

§. XVIII.

Id quod inter Legatos & Viſitatores Pontificios ad Regna Chriſtiana, & inter Legatos Principum & Regum ad alios Reges, aut Supremas Gentes, Liberasque Respublicas miſſos latiſſimum diſcrimen fundat; Gens enim Libera aut Rex ab alio aliave independens prorſus eſt, & Regnum quodcunque alterius extranei nulla in re jurisdictioni aut Imperio ſubeſt; ejus proin arbitrio relinquitur, an extranei Legatum recipere vel recuſare velit, dummodo ejus poſthac commercio abſtinere penitus & velit & poſſit; cum econtra Summo Pontifici tanquam Supremo totius Eccleſiæ Capiti vel immediata & concurrens Jurisdictio, vel ſaltem Superintendentia generalis, & jurisdictio maxime ſuppletoria in omnia orbis Catholici Regna in Eccleſiaſticis competat; quo ipſe venire non poteſt, omnino Viſitatores ejus authoritate conſtituti, qui ſupremi Paſtoralis officii vicibus fungantur, ſunt recipiendi; ut merito damnentur in

Differentia inter Legatos Pontificios & Regios.

ſæpe

pe memorata constitutione ii, qui arbitrarie & temere juri illi Summi Pon-
icis cum ejus Primatu tam arcte connexo, prætextu privilegii aut consuetu-
nis, quæ juri divino refragari aut derogare nunquam potest, ac potius hac
parte tanquam corruptela & juri divino contraria damnatur & rejicitur,
uctari pertinaciter præsumpserint.

§. XIX.

Potestatis Sæcularis intercessio quandoque justa.

Hisce tamen omnibus non obstantibus hæc Visitatorum Apostolicorum
ssio ita penitus mere spiritualis & ab omni ad Rempublicam profanam intui-
sive respectu avulsa non est, quin & gravissimæ Potestati Summæ Sæculari
esse possint rationes publicæ & sonticæ, ob quas, salva sedis Apostolicæ obe-
ntia, illi reverenter intercedere possit. Exemplis hac in re pugnare si li-
et, innumera vel ex sola Gallicanæ Ecclesiæ Historia proferre pronum es-
. Et quidem quod ad antiquiores attinet Pontifices

Exemplis ostenditur.

Teste THOMASSINO *Vet. & Nov. Eccles. Discipl. P. I. Lib. II. Cap. CXVIII.*

tanta antiquitus illorum Pontificum cum Gallis seu Imperatoribus seu Regi-
s concordia nemini dubium esse potest, quin mutuo consensu gererentur
nia, ut unanimi Principum & Episcoporum concordia Legationes [illegible] in
jorem Ecclesiæ cederent utilitatem. Inter varia autem [illegible]
e quidem aliud luculentius optat, quam illud S. [illegible] M[illegible] qui
UNEGHILDEM Reginam interpellavit, ut postularet [illegible] vel postulari
eret Legationem, quam minus [illegible]
ram credidit, nisi accederet & Episcoporum Regni [illegible]
orum suffragatio, qua custodes Canonum [illegible]
es. Cui suam dein addit Epicrisin sane elegan[illegible]
REGORIUS gloriæ Christi amantior, [illegible]
e, quam spinosioris indaginis [illegible]
odi omnes ablegavit [illegible]
mque Canonum & Leg[illegible]
tenacissima concordia [illegible]
ncentu. Hanc ergo [illegible]
nge pulcherrimis Leg[illegible]
is.

§. XX.

Prolixum sane nimis foret, [illegible]
derer Legationum aliarum ab [illegible]
imarer, an semper explorat[illegible]

tratusque Regum assensus : dum persuasissimum omnibus ultro citroque fuerat, controversias de finibus jurisdictionis Regiæ & Pontificiæ, Sacræ & Profanæ. tum infrugiferas esse, tum inexplicabiles ; nec primævam pulchritudinem & sanctimoniam restitui posse Ecclesiis, nisi conspirent Sacerdotii & Regni vires, Pontifices ac Principes. Id unum profiteor, etiam postquam occasione falsarum Decretalium frequentiores jurisdictionis utriusque conflictus esse cœperunt, Pontifices tamen ab iisdem maximis, quas Ecclesiæ utiles, aut non adversas Antecessorum Exemplis comprobaverant, difficulter admodum recessisse. NICOLAUS I. earundem falsarum Decretalium uti primus & maximus Promotor, ita Jurium suorum adversus Imperatorem Orientis MICHAELEM defensor perquam strenuus, ipsemet in Epistola ad RODOALDUM, & JOANNEM de Synodo Metensi convocanda (quæ extat in appendice Epistolarum NICOLAI Epistola II.) cum generalia mandata dedisset, specialemque instructionem cum hac Epistola mittere se significasset, jubet, ut tam Epistolas Synodicas, quam istas, ipsumque commonitorium CAROLO CALVO præsentibus cunctis ostendant ; quod idem est, ac si juberet, ut Legati literas Legationis suæ, sive facultates, ac præterea secretas, ut hodie loquimur, instructiones cum Principe communicaret, quo præsentibus consiliariis ejus examinarentur, examinatæ vero tum demum executioni mandarentur, si consensus Regis accessisset. Quid? quod GREGORIUM VII. & ALEXANDRUM III. Pontifices suo, quo ardebant, jurisdictionis Ecclesiasticæ partim tuendæ, partim ampliandæ Zelo in Annalibus Ecclesiasticis famigeratissimos, antequam Legatos mitterent, Regium exploraſſe assensum, rursus idem refert

THOMASSINUS supra Laudatus *cit. Part. I. Lib. II. Cap. CXIX. num. 4*

§. XXI.

Mos hodiernus Galliæ.

Idem hodiedum tum quoad prævium consensum, tum quoad facultatum exhibitionem, revisionem, &, ut ajunt, verificationem in eodem Regno Galliæ, Sedi licet Apostolicæ solide semper devoto, indubio usu praxique constanti obtinet ; ut scilicet Legati aut Visitatores Sedis ejusdem Apostolicæ eo recipiantur nulli, nisi permissi a Regibus sint, & potestates ipsi suas exhibeant, sinantque circumscribi, eoquod æquum prima fronte videatur, ut is, qui in provinciam venit cum potestate extraordinaria, fidem faciat authoritatis suæ per literas ejus, a quo mittitur, uti adnotat

NICOLAUS BOERIUS *in tractat. de potest. Legat. a Latere : §§. 28. & 31.*

Conf. etiam THOMAS a TURRI *in tractat. de authoritate Legatorum lib. I. §. 3.*

cui

cui et altera accedit ratio, ut Legati ipſi moneantur a Magiſtratu, quibus facultatibus abſtinendum ſit, ut ne obſtrepant paci Regni, & a quibus ſibi cavere debeant technis ac obreptionibus, quarum alioqui non poſſunt non rudes eſſe & ignari, cum hoſpites ſint & Regionum & conſuetudinum.

§. XXII.

Non tamen ſolorum hoc jus eſt Regum Galliæ proprium, quaſi ſpeciali quodam titulo aut privilegio iis competens, cum & alii Reges Angliæ, Scotiæ, & Hiſpaniæ eo uſi perſæpe fuerint. Ex ipſo illud jure Regio & Summi principatus titulo derivatur utpote totum in ſola Reipublicæ & Eccleſiæ quoque tranquillitate externa præ- & conſervanda, cujus cura ex natura & inſtitutione principatus iis ſolis commiſſa eſt & incumbit, occupatum, nec unquam a Magiſtratu & poteſtate ſæculari abdicabile. Ad Regem & Summum quemque Principem, aut Gentem liberam pertinet ſine diſcrimine perſonarum & cauſarum incommoda omnia, quæ undecunque in præjudicium & periculum Status emergunt, aut emerſura cum fundamento prævidentur, ac timentur, juxta ſanam illam politices Regulam: *melius eſt ab initio intacta jura ſervare, quam poſt vulneratam cauſam remedium quærere*, prævertere, aut jam imminentibus & enatis remederi. Suprematus Jure nititur.

§. XXIII.

Summæ igitur poteſtatis in quacunque civitate ſive Republica eſt, examinare hic perſonarum, Locorum & temporum qualitates; an perſona Statui bene affecta, aut potius hoſtibus ſanguine vel fœdere forſan conjuncta, quæ magis exploratorem, quam Paſtorem agere valeat; an ingreſſus clandeſtinus, præſertim extraneæ cujusdam Poteſtatis Principi male viſæ aut ſuſpectæ, quacum Summus Pontifex, ſepoſito Patris communis affectu, conſpirare videatur, potentia ſuffultus; quænam ejus ſint mandata, & an non emolumenta temporalia potius concernant, vel quieti non officiant, vel ſaltem conſuetudinibus, privilegiis atque juribus Regni aut Status non adverſentur; quænam ſint tempora, an Zelotypa, bellis civilibus jam gliſcentibus infeſta, aut machinationibus & inſidiis referta; quænam loca, & quo animo earum ditionum incolæ erga Principem ſint affecti, diſpicere: ex quibus omnibus, an turbarum periculum, & tranquillitatis publicæ læſio ſubſit, facile colliget. Quæ Principi attendenda?

§. XXIV.

Nec ad alium ſane poteſt pertinere iſta cognitio, quam ad Summam in Civitate poteſtatem, cum de ejus duntaxat periculo aut ſecuritate agatur, quæ non tam pendere ab alterius judicio, quam ipſi Principi cordi curæque omnimodæ Privativum Principis in his Judicium.

modæ ſit & eſſe debeat. Conducit ad hoc multo magis, quod ſupremi Principes ac Reges, aut quicunque ſupremarus jure præditi & ipſi quoad temporalia aut quoad ſubditorum in temporalibus curam teſte Apoſtolo

In Epiſt. ad Rom. Cap. XIII. v. 1. & 4.

Dei Vicarii & Miniſtri ſint, non ſine cauſa gladium portantes in vindictam malorum non tantum ſubditorum, ſed & extraneorum quorumcunque pacem & tranquillitatem Status turbantium, ac Regimen ſæculare in protectione ſubditorum, propulſatione injuriarum, tuitione ſecuritatis communis conſiſtens & ipſum a Deo ſive Dei ordinatione conſtitutum, eaque propter poteſtas, temporalis quoad finem ſuum ab altera poteſtate, ſcilicet Eccleſiaſtica ex irrefragabilibus ſacræ antiquitatis regulis, præſertim

Can: *Cum ad verum 6. & Can. Duo ſunt 10. diſtinct. XCVI.*

prorſus diſparata ac independens ſit, ſicut & Eccleſiaſtica viciſſim a Sæculari nullatenus pendere poteſt. Ad illam igitur ex ipſa defenſionis naturalis indole pertinet omnes illas jam ſuperius recenſitas circumſtantias diſpicere, ex quibus adverſi quidpiam & huic fini ſuo contrarium accidere poſſit.

§. XXV.

Similitudine probatur.

Certe perſonæ privatæ jure Dominii liberum in ſuas ædes aut bona ingreſſum, ſe invitis, permittere non amant, & ſiquid tale attentaretur, ipſique audaciæ repellendæ ſatis non eſſent, principem adirent, quo poſſent illius ope illæſi & immunes a tali injuria & offenſa manere; & certiſſimum eſt, juſtum Principem nunquam denegaturum ſuas vires & ſuam anthoritatem juſtiſſimis ipſorum querelis. Hoc autem, quod privatus aut Princeps in favorem privatorum facere poteſt, cur non etiam fortiore jure in favorem Reipublicæ poſſit?

§. XXVI.

Differentiæ Juris privatorum, & dominii alti Reipubl.

Id unum diſcriminis intereſt, quod magis arbitrarium ſit hominum privatorum Dominium, & ſuper rebus ſuis diſpoſitio; omnis autem Magiſtratus Politici poteſtas unice ſemper utilitatem & ſecuritatem publicam reſpiciat, ut in ſimili & affini prorſus retentionis Bullarum Apoſtolicarum objecto, & Placiti Regii neceſſitate monet

FRANC. SALGADO *in tract. de ſuppl. ad ſanctiſſ. cap. VIII. num. XI.*

recurſum ad Senatum Regium inſtitui non poſſe, niſi occurrat utilitas publica, qua impediatur turbatio Reipublicæ utriusque vel alterutrius, quo unico fundamento,

damento, ait, hæc retentionis cognitio & facultas defertur Principi ſupremo & Eccleſiæ & Regni Protectori.

§. XXVII.

Cui & alterum accedit, quod illa privatorum, utpote in ſtatu civili degentium, defenſio authoritate Magiſtratus ad repellendam injuriam implorata fieri debeat, aut quando etiam tempus, ac locus illius auxilium implorari non ferunt, arctioribus limitibus ſit circumſcripta, quam illa ſupremorum Principum & Liberarum Gentium, quæ nullum in terris Judicem, niſi Deum & gladium recognoſcunt, ideoque quaſi in Statu naturali degentes conſiderantur, quos tamen defenſionis limites tum in reſiſtendo, tum in præcavendo determinare admodum difficile eſt, neque nobis hoc loco vacat.

§. XXVIII.

Moderatio Poteſtati Sæculari neceſſaria.

Unde & colligere pronum eſt, quantum hac in re Chriſtiani Principes ab omni æmulationis, & irrationabilis odii ſpecie, a perverſa impedendi & turbandi ſupremi paſtoralis officii intentione, & ambitioſa prævalendi cupidine abeſſe, nec niſi ob fundatas turbarum cauſas eidem intercedere, non vero remotiſſima quæque pericula exaggerare debeant. Nam incerta tantum periculi remotioris ſuſpicio nequaquam ſufficit, ut ſaluberrimus & neceſſarius pro locorum circumſtantiis deputationis Viſitatorum fructus Eccleſiæ præripiatur. Sicubi vero dubium eſt, rationes ſuas modeſte & confidenter Summo Pontifici exponere, & amicis cum eodem communicationibus & remonſtrationibus res ſuas omnes penſare, & ponderare non graventur.

§. XXIX.

Qua ſatisfit Extravaganti ſæpedictæ.

Hanc enim ſolam æmulationem, irrationabile odium, arbitrariam in præpedienda paſtorali Summi Pontificis ſollicitudine præſumptionem prohiberi ac damnari jure optimo Extravagante memorata, ex ipſis ejus verbis: *Sub ſuo arbitrio redigere volentes, prætextu conſuetudinis &c.* plane intelligitur: Nec multis opus eſt; dum a BONIFACIO VIII. eam contra PHILIPPUM PULCHRUM editam fuiſſe, itidem ex ſuperius dictis conſtat, qui utique ob exulceratum jam dudum PHILIPPI animum facile præventionem & æmulationem præſumere poterat; quamvis nec ipſe memoratæ ſuperius §. VII. BONIFACII VIII. propoſitioni, ejusque juri mittendi Legatos inconteſtabili aperte reſiſtere videri vellet, ſed id unum quoque contenderet, recuſari a ſe poſſe Legatos jure vel ſibi vel Regno ſuſpectos, ita ſcilicet ad querelas BONIFACII ea ſuper re reponendo: „Reſpondit Rex: quod non impedivit,

„nec impedire intendit Legatos, vel alias quascunque perſonas, quo minus „libere ingredi valeant Regnum ſuum, niſi ſibi & Regno ſint legitima ratione „ſuſpecti, vel alias habeat juſtam cauſam.

§. XXX.

Ab objectionibus indicatur.

Quapropter moderata e contrario Poteſtatis Sæcularis adverſus Viſitatorum miſſiones fundato turbarum & ſeditionum metu nixa interceſſio Eccleſiaſticæ immunitati nequaquam repugnat, ſed Eccleſiæ æquitatis ſemper ſtudioſiſſimæ intentioni conſona, eique multum ſæpe proficua extitit. Salva enim ſuprema & generali Summi Pontificis in omnes inferiores Eccleſias cura ac Superintendentia, non tamen omnia indiſcriminatim media, quibus illam exercere conatur, cœca quadam indifferentia ſunt neceſſario amplexanda, ſi prævia Poteſtatis Sæcularis impartiali diſcuſſione Statui politico non ſatis tuta aut innoxia videantur, dum rationabili filiorum obſequio acquieſcit pia Mater Eccleſia, veluti cultrix æquitatis, & officii Principibus, ſui inſimul protectoribus, debiti jugiter memor. Porro œconomica mere & extrajudicialis notio, non authoritativa ea eſt cognitio, & mere miſſioni illi ejuſque cauſis extrinſeca, qua tantum an rationibus quoque Status nullum inde ſequi poſſit præjudicium, attentis omnibus & ſingulis particularibus circumſtantiis, maxime a facto alteri Parti non ſatis perſpecto, ſæpius quoque plane arcano pendentibus deliberat. Cognito vero periculi cujuspiam reapſe latentis fundamento, decretæ quoque a Summo Pontifice Viſitatorum aut Legatorum miſſioni intercedendo, aut ſeſe reverenter opponendo legitimam ejusdem authoritatem aut ſupremam in Eccleſiaſticis jurisdictionem nullatenus infringere, & violare, ſed tantum tranquillitati ſuæ provinciæ conſulere, & iniquis ſubditorum vexationibus alioquin timendis, jurium Regiorum, conſuetudinum inveteratarum jacturæ occurrere & mederi provide intendit. Non jura ipſa Sedis Apoſtolicæ trutinari aggreditur, ſed jura ipſa jure ſuſpendi contendit, quando non poſſunt exeri & in uſum vocari, quin erumpant ejusmodi calamitates, quibus unitas, pax, ſalus tam Eccleſiæ, quam Reipublicæ peſſumdetur. Ad hæc Eccleſiæ quoque ipſiusmet tranquillitas pace & quiete publica confovetur; turbæ publicæ dum præpediuntur, ſalus quoque Eccleſiæ promovetur, & illa tam utilis, quam neceſſaria Sacerdotii & Imperii concordia plene conſtabilitur; qui primarius cum ſit ejus examinis, cognitionis, & interceſſionis, aut oppoſitionis moderatæ finis; illa, quæ indirecte & ex accidenti, ex malitia & æmulatione Magiſtratuum civilium, vel officialium potius inde conſequi poſſunt, incommoda adeo attendi non merentur; cum non vivamus Rempublicam, uti dici amat, Platonicam; ea proinde ſunt, quæ ſoli deſiderio & gemitui Summi Sacerdotis uſque ad tempora magis opportuna ſubin relinqui debent.

§. XXXI.

§. XXXI.

Tranſitur ad præſentem controverſiam Reip. Janu enſ.

Quæ vero hactenus deducta fuere prolixius, principia generalia in deputatione ac miſſione Viſitatorum, Legatorum aut Commiſſariorum quorumcunque Sedis Apoſtolicæ attendenda, ea omnia præſenti Sereniſſimæ Januenſis Reipublicæ controverſiæ applicari facilius eſt, quam ut aliis commonſtrari argumentis mereantur; dummodo Supremus illius in prædictam Inſulam Potentatus ab aliis antehac Potentiis ſæcularibus dudum agnitus, quin & ſubmiſſis ſæpe auxiliaribus copiis defenſus ſupponatur, quem ſane examinare neque noſtri fori eſt, neque deſuper judicare ipſemet Summus Pontifex voluit. Hoc enim ſuppoſito, eodem & ipſa Suprematus Jure gaudere debet, quo & alii Reges in tuenda ſtatuum ſuorum & ſubditorum pace ac tranquillitate utuntur. Quemadmodum ex eodem fine ſupremæ poteſtati indivulſe conjuncto & inabdicabili potius, quam ex ſola pacifica ipſiusmet Curiæ Romanæ acquieſcentia ab eadem Sereniſſima Republica exercitatus hactenus fuit uſus ita dicti *Placet* Regii, vi cujus nec Bulla aut Reſcriptum Summi Pontificis quodcunque in terras ejus Ditioni ſubjectas invehi, ibidemque promulgari, aut executioni dari potuit, quin, prævia ejus diſcuſſione, literis patentibus Placiti nomine alias inſignitis, aut *Exequatur* dictis id ſibi non diſplicere, ſuis juribus, privilegiis atque conſuetudinibus non repugnare, ac propterea ſe omnino permittere ſignificarit, ut executionem in ſuis Ditionibus obtineat, & effectum juxta morem & ſtylum ibidem uſitatum ſortiatur.

Suppoſito ejusdem Suprematu.

Uſus *Exequatur vel Placet* Regii ibid.

§. XXXII.

Quid? quod argumenta prædicta omnia ſuam multo fortius in Reipublicæ prædictæ favorem exerere efficaciam vel inde dignoſci poſſent, quod non tantum miſſione Viſitatoris Apoſtolici excitandæ e longinquo turbæ publicæ timeantur, ſed iisdem jam dudum Inſula Corſicana infeliciter conflictata fuerit, atque penitus ferę conſepulta. Neque enim inſolitum eſt, ejusmodi turbas publicas ſemel concitatas ex qualibet novitate invecta novas vires, novumque fomitem ſibi ſumere, ut nulla poſthac potentia ſopiri, aut armis extingui vix amplius poſſint.

1mum Apologiſtarum argumentum. turbæ.

§. XXXIII.

Accedit, quod Reipublicæ haud incognita ſit antiqua Romanæ Eccleſiæ in hanc ipſam Inſulam Corſicanam prætenſio, utpote cui teſtibus ANASTASIO & BARONIO *ad ann. Chr. 755. num. 27.* a PIPINO Francorum Rege, qui eandem Saracenorum jugo exemerat, CAROLO M. & LUDOVICO PIO paternam avitamque liberalitatem poſthac ample confirmantibus, donata fuerat. Neque eidem e memoria excidere unquam potuerunt vel GREGORII VII, Bulla de 16. Auguſti MLXXVII, qua Majores ſuos velut uſurpatores injuſtos

2dum, Antiqua prætenſio Curiæ Romanæ.

injuſtos Ditionis hujus ad Sanctam Sedem immediate, etiam quoad temporalia, reſpicientis anathemate feriit, Corſicanos vero ipſos velut Eccleſiæ ſubditos, ſubmiſſo iis cum titulo Legati Apoſtolici Epiſcopo Piſano, ad excutiendum Januenſium jugum invitavit, hortatusque fuit; vel aliorum ſubſequentium Pontificum complurium molimina, quibus adhucdum ſuum in prædictam Inſulam Dominium aſſerere atque conſervare, exigentibus aut permittentibus variis temporum circumſtantiis, contenderunt. Et quamvis, ſicuti memorata S. GREGORII VII. conſtitutio abuſus aut exceſsus, aliorumque Summorum Pontificum Moderni in Sancta Sede Anteceſſorum conatus injuſtitiæ accuſari non poſſe videntur, ita neque Moderni glorioſiſſime regnantis Pontificis moderatio, ſinceritas, atque prudentia ſinant alias atque diverſas ab iis, quas publicis ſuis Edictis evulgavit, intentiones ſubodorari eum, quisquis impartiali oculo eadem pervolverit, & pacato deſuper animo judicaverit; de Sereniſſimo tamen Reipublicæ Januenſis Senatu tam diuturnis jam Corſorum renitentiis offenſo, bellisque pertinacibus dudum concitato vix idem prætendi omnino poterit, quin ſuſpicionem ille, utut a rectiſſima Sanctiſſimi Patris mente longiſſime alienam, haud tamen omnino inſolitam, ac inauditam concipiat, ſub venerando Sacerdotii involucro maximas hac in re latere poſſe Statui Politico, ſuisque in Corſicam juribus periculoſas.

§. XXXIV.

ztium, Corſicanorum animoſitas.

Et quamvis ignorare ipſemet ſuſpiciones ejusmodi tanto Pontifice quantum indignas, tantum ab eodem alienas voluiſſet; excitare tamen illas ſtudioſe omnino voluiſſe videri Corſicanos, ea ipſa, quæ in lucem publicam ab iis edita fuere, ſcripta, & manifeſta comprobant, quibus ipſi Eccleſiæ Romanæ in temporalibus ſubditos ſe in facie totius orbis profitentur, atque ex ipſa hac Viſitatoris Apoſtolici miſſione ſuorum, quæ adverſus Rempublicam Januenſem gerunt, armorum juſtificationem deducunt; Imo & ipſi illi, quos Paſchalis Paoli ad ſalutandum Viſitatorem Apoſtolicum vix ad littus appulſum amandaverat, deputati eandem Eccleſiæ Romanæ Superioritatem artificioſo verborum involucro obtexerunt. Quo enim major ex his Corſicanorum fervor eluxerat; eo gravior timendi, & ſuſpicandi ratio inde ſuboriri Reipublicæ poterat, quod (uti ipſius quidem Apologiſtæ cauſantur) e voto Corſicanorum omnia in Romana Curia cederent; Ipſa vero, ſepoſita omni, quam eadem Curia Summis Principibus, dictante Eccleſiæ ſpiritu, alias habere juſtiſſime ac prudentiſſime ſolet, reverentia vix aditum ibidem, nedum benignas aures inveniret, nec alium niſi miſſionis Viſitatoris Apoſtolici in Corſicam ablegandi jam decretæ, & tanquam rei jam penitus deciſæ, & irrevocabilis nuntium, quaſi formalitatis adimplendæ potius, quam juſti temperamenti adinveniendi cauſa, obtineret; neque

que tum etiam posteriores ejusdem remonstrationes, & humillimæ supplicationes responsione saltem categorica dignæ existimarentur.

§. XXXV.

4tum Tractatuum amicabilium interruptio

Quid? quod licet ab Eminentissimo quodam præprimis ætate venerabili, sed virtutibus, queis eminet, dotibusque suis universo orbi Catholico optime perspectis multo illustriori eam obtinuerit assecurationem, nihil a sapientissimo Pontifice hac in re molitum iri, nec decretam jam missionem executioni dandam esse absque mutua Reipublicæ intelligentia, quæ & interea temporis relicto ac deserto hoc mittendi Visitatoris proposito aliud quoddam, magisque expediens adinvenire, Sanctæque Sedi exponere consilium ac medium posset, quod & principatui, Reipublicæ juribus, tranquillitatique Politicæ iis in partibus innoxium, & Corsicanarum Ecclesiarum necessitatibus opportunum foret; hac tamen insuper habita & non attentis amicabilibus, quos Respublica cum eadem Curia meditata sit, atque contulerit tractatibus, conqueruntur iidem, improviso & inexpectata quadam celeritate, maximoque cum secreto, Republica nihil amplius adversi cogitante, sed solam amicam negotii compositionem exspectante, eandem missionem executioni datam fuisse; Imo quod (si iisdem fides habenda est) opinio satis communis atque evulgata, quocunque demum fundamento nixa, Romæ multos invaserit, ipsum illud infelix duarum Classium Januensium adversus Barbaros destinatarum naufragium executionis hujus, quæ dudum suspensa fuisset, denuo reassumendæ & accelerandæ ultimum quasi & efficacissimum fuisse motivum. Quod quantum attonitam illam reddere, ac tenere suspensam debuerit, noverint illi, qui sciunt, ipsam negotii cujuscunque publici nimiam accelerationem & affectatam studiose clandestinitatem semper majorum periculorum suspicionem ingenerare, quam ipsa negotii substantia, aut rei veritas quandoque ferat.

Inopinata Missionis executio

§. XXXVI.

5tum, Reliqua itineris adjuncta.

Adjiciunt porro, ex ulterioribus plerisque missionis hujus Visitatoris Apostolici circumstantiis eandem comitantibus, atque ex ipsa ejus itinerandi ratione nimium illud clandestinitatis atque secreti studium periculosum Reipublicæ ostendi, & invidiosum reddi potuisse. Quod videlicet inter noctis intem pestæ tenebras iter susceperit, mutatis & nomine & vestibus, habitu sæculari, & tanto, quem gerebat, repræsentatitio Summi Pontificis characteri saltem indecoro, & ab ea, quam susceperat, missione & functione sacra prorsus alieno assumpto, cum sociis quoque aliena itidem sub veste latentibus illud continuarit, atque finierit ad illud demum littus appellendo, quod occultis hactenus hostium Reipublicæ machinationibus commune asylum præbere solitum fuerit; ubi

ubi cum maximis ſubito lætitiæ ſignis a Corſicanis, triumphum quaſi agentibus, ſuſceptus mox ſubmiſſo quodam ad Ducem eorundem Paſchalem Paoli familiari ſuo, ab eoque per duos ablegatos ſalutatus ea dederit amicitiæ, mutuæque intelligentiæ ſigna, quæ licet innocua ſupponatur, atque ad unicum finem ſpiritualem tendens, revera tamen zelotypis hiſce temporibus Rei publicæ infenſa fideri potuiſſet.

§. XXXVII.

Neque poſtrema timendi ratio fuit ipſa quoque perſonæ qualitas; cujus quidem idoneitatem ad Miſſionis ſacræ maxime arduæ, & miniſterii ſpiritualis executionem nequaquam impugnat, ſed ſibi duntaxat haud bene affectam ex antecedenti ejus vivendi ratione credit, a qua præterea nihil boni proſperique exſpectare poſſit, apud populos male affectos erga eandem Rempublicam, dum horum ubique commercium, & amicitiam, favoremque captaverit, omnem vero cum Januenſibus, aut Januenſium Fautoribus atque Patronis vel converſationem ſtudioſe evitarit, ad quam tamen vel officii ſui ratio, vel morum decentia, ac Eutrapelia, vel gratitudinis debitum invitare illum non raro debuiſſet.

ſtum, Perſonæ qualitas.

§. XXXVIII.

Hæc profecto omnia, ſi, prout referuntur, in facti veritate ſubſiſtere ſupponantur, ad unam & ſolam porro quietem tranquillitatemque publicam reſpicere, nemo refragabitur; cujus uti conſervandæ cura ad Sereniſſimum Januenſis Reipublicæ Senatum tanquam Summa rerum in Corſica potientem, pertinet; ita nec male ipſi verti poterit, quod ſuper iuregro hoc circumſtantiarum hactenus relatarum rationes Politicas ita intime afficientium complexu alteri judicium relinqui non poſſe, ſe vero obligatum eſſe credat, ad repellenda aut prævertenda provida ſollicitudine ea omnia, quæ ſibi ſuoque Statui imminere illi videntur, pericula & incommoda; quod idem eſt dicere, ac ſuo ſe jure tum utendo nemini injuriam facere. Ita enim nullatenus legitimam Summi Pontificis poteſtatem mittendi in exteras quaſcunque orbis Catholici provincias Legatos, Deputatos, Commiſſarios aut Viſitatores Apoſtolicos in dubium vocat; ſed, ſalva hac ſuprema ejusdem in Corſicanam quoque Eccleſiam Cura, miſſionem ipſam his temporum circumſtantiis, & Regioni aliunde jam turbis inteſtinis oppreſſæ, atque adverſus Legitimum Principem ſuum concitatæ, in favorem reluctantium ſubditorum, ac invito Principe, non congruere: neminem præterea fore, qui certo quaſi ex præſuppoſito aſſerere vellet, ſalutem animarum in Corſica ita præciſe uni Viſitatoris Apoſtolici miſſioni alligatam a Deo fuiſſe, ut aliis, quæ plures & forſan minus ſuſpectæ ſuperſunt, viis nullatenus obtineri aut procurari poſſit. Cæterum promptum ſe paratumque ſæ-

ſmo Religua Argumenta conglonerantur.

pius

pius conteſtatus fuit, ad omnia media ſalutis ſubditorum procurandæ Sanctæ Sedi bene viſa ambabus, ut ajunt, ulnis amplectenda, ex quibus nihil adverſi Statui Politico timeri poſſit; Imo hanc ipſam Viſitatoris alicujus Apoſtolici miſſionem penitus non recuſari, dummodo quoad perſonam & modum & facultates inſtructionesque ſuas præſentibus Reipublicæ & Corſicæ rationibus publicis attemperari & accommodari poſſit.

§. XXXIX.

Quod autem accommodanda omnino his illa ſit, BENEDICTUM XIV., ubi primum de mittendo in Corſicam Viſitatore Apoſtolico cogitari cœperit, in familiari quadam Epiſtola ad defunctum Eminentiſſimum Cardinalem SPINOLA data fateri dedignatum non fuiſſe; ubi videlicet inquiat, non expedire vel ullum hac in re paſſum facere, quin aſſentiatur Respublica, & Perſona ad id muneris deligenda eidem grata ſit & accepta; ſummæque ſibi curæ eſſe malis quidem remederi, ſed nonniſi volente & conſpirante in idem Republica, & per ſubjectum eidem bene viſum remederi; cui quoque Sapientiſſimo Pontifici non incognita fuerint ſuorum Anteceſſorum PAULI V. & INNOCENTII XI. exempla, qui in ſubmittendis in Corſicam Viſitatoribus Apoſtolicis tribus Epiſcopis Vintimelienſi, Policaſtrenſi, & Sarzanenſi nihil prius & antiquius ſibi duxerint, quam ut Rempublicam Januenſem per omnia conſentientem ſibi haberent.

8vo Exemplum Benedicti XIV. & aliorum Pontificum refertur.

§. XL.

Haſtenus igitur dum odium irrationabile, & arbitrariam ſaltem præſumptionem ac æmulationem in ſæpe memorata Extravagante: *Super Gentes* damnatam abfuiſſe; econtra vero probabilem ſaltem ex tot circumſtantiis collectim ſumptis non parendi, & ablegatum illuc Viſitatorem Apoſtolicum non recipiendi cauſam adhuc dum ſubfuiſſe, non inveroſimile eſt: enormis adeo & manifeſta ejusdem culpa, talisque contumacia cenſenda pariter non eſſe videtur, quæ graviſſimam alias pœnam, & cenſuram Eccleſiaſticam ibidem intentatam, Excommunicationem videlicet & Interdictum mereatur.

Tranſitur ad Cenſuras.

§. XLI.

Illud equidem nec diſſitendum exiſtimem, ordinationem illam Die XIV. Aprilis anni currentis a Republica Edicto publico proditam, qua cuicunque Viſitatorem Apoſtolicum etiam invitum detenturo, ac in præſidium quoddam Reipublicæ obnoxium deportaturo præmium 6000. Scutorum Romanorum promittitur, antiquæ illi Anteceſſorum erga Sanctam Sedem obedientiæ filialique reverentiæ haud apte, vel minus adæquate reſpondere: Venia tamen aliqua & indulgentia adhuc dum dignam a Pontifice Optimo cenſeri poſſe,

Notatur Edictum Januenſe de 14 Aprilis.

vel inde crediderim, quod notitia itineris a Viſitatore Apoſtolico jam ſuſcepti ſerius, uti fertur, ad Rempublicam pervenerit, nec in eo rerum ſitu, tantaque geſtorum Romæ feſtinantia ſuper modo diutius deliberare potuerit, quo ſecuritati ſuæ honeſtius atque ſervato magis characteris Epiſcopalis ac Pontificii decoro providere & conſulere potuiſſet. Nemo enim, qui vel a limine ſacros Canones ſalutarit, ignorat, non omnem Legis cujuscunque transgreſſionem ſufficientem materiam graviſſimæ cenſurarum Eccleſiaſticarum, præſertim contra Supremos Principes & Respublicas ferendarum, pœnæ ſubminiſtrare, ſed eam quoque culpam, quæ ſpectato genere ſuo atrox quidem & graviſſima alias eſt, ſæpe multis titulis & concurrentibus variis circumſtantiis alleviari, ut enormem illam, manifeſtam atque contumacem malitiam, quæ graviſſima cenſurarum pœna comprimi debeat, non amplius attingat.

§. XLII.

Interdicti pericula & incommoda.

Unde his ita ſuppoſitis rerum circumſtantiis Veſtro, AA. judicio relinquendum cenſeo, num rumorem illum nuper ſparſum de Interdicto contra Rempublicam Januenſem propediem ferendo in veritate fundatum, & æquanimi moderni Summi Pontificis CLEMENTIS XIII. glorioſiſſime Regnantis moderationi mentique reapſe conformem fuiſſe, adduci potueritis, ut crederetis? hujus enim uti rigor atque diſtrictio XI. Eccleſiæ Sæculo vix antiquior jam ſæpe plurimas viciſſitudines ob nimium triſtes, atque funeſtos effectus ſuos ſubiit; ita rarius poſthac nonniſi maxima cum circumſpectione ac ſobrietate latum fuiſſe dignoſcitur, experientia undique docente, plus damni, quam utilitatis rigorem illum ſæpe attuliſſe Eccleſiæ; uti vel ſolius Regni Gallicani & Reipublicæ Venetæ (quorum prius aliquoties, poſterior vero ultimo generali Interdicto, cui aliud hactenus ſucceſſit nullum, ſuppoſita fuit) annales teſtata faciunt infinita illa animarum, plurimarum quoque innocentium, pericula, diſſenſiones, ſchismata & ſcandala inde enata, quæ tamen eo ſaltem, qui ex Interdicto ſperabatur, effectu nequaquam fuerint compenſata.

§. XLIII.

Ejusdem inutilitas.

Multo minus præſumendum fuit, eum rigorem hactenus ultra ſesqui Sæculum non amplius in Eccleſia auditum reſuſcitandi mentem Summo Pontifici, ut fama ferre videbatur, inſediſſe, qui, ſpectato etiam ipſo Politico Reipublicæ Januenſis ſyſtemate, ſperatum difficulter effectum ſortiri poſſe, ab Eodem prævideri potuit. In hac enim in plures, uti conſtat, diviſa eſt Summæ rerum poteſtatis adminiſtratio, & quam difficile eſt, tot capita in unam conſpirare aut pertrahi ſententiam, tanto poſthac, capta ſemel reſolutione, infrequentius, ut contra proprium factum communi conſilio ſemel geſtum venire

rurſus velint. Horum etſi minor pars, reliquum tamen populum, qui parum libera ſorte gaudere in ejusmodi Rebuspublicis ſolet, in quamcunque voluerit partem inflectit; Eccleſiaſticos quoque ipſos, imo & Epiſcopos ſaltem plena adeo libertate agere, atque integra immunitate ſua frui non ſinit arctior a Senatu dependentia, familiarum nexus, emolumentaque temporalia, & qui inde conſurgit, reſpectus humanus omni etiam pœnarum Eccleſiaſticarum formidine fortior, ut neque ab his ejusdem obſervantia, aut executio facile ſperari poſſit. Quo igitur ſerviiſſet cenſuræ ejusmodi inflictio, cujus tam exiguus prævideri potuit effectus, contemptusque potius, quam metus? Pœnarum Eccleſiaſticarum & Cenſurarum proprium id eſt, ut pœnæ non ſint, niſi iis, qui easdem reformidant; earum vero formido ſola poteſtatis Eccleſiaſticæ divinitus conceſſæ reverentia & fide nititur; At vero qui vel ſatis impii ſunt, ut hanc aut negent, aut contemnant, vel ſatis potentes & talibus ſe fundamentis ſolidatos credunt, ut poteſtatem Eccleſiaſticam ſuos in præcipiendo limites egreſſam fuiſſe, aut non rite proceſſiſſe ſibi perſuaſi videantur; ſicut ipſummet Summi Paſtoris præceptum non audierint, ita minus eam, qua ejusdem obſervantia urgeri, & inobſervantia vindicari vult, Cenſuram magis exacerbati attendent. Eam igitur contra tales ferre quid aliud fuiſſet, niſi inutiliter, & incaſſum authoritatem omnem Apoſtolicam in diſcrimen adducere?

§. XLIV.

Fac vero ſubdidos, qui utique inculpabiles ſunt, non omnes eadem ſententia imbutos, ac plurimos Sanctæ Sedis reverentiam Magiſtratus ſui Politici voluntati antelaturos fuiſſe; quid aliud ſperari potuiſſet, niſi quod hi ipſi diuturno Sacrorum neglectu concitati in Magiſtratum inſurrecturi eſſent? Novi equidem hunc ipſum eſſe Interdictorum finem, ut ſubditorum ſaltem aut inſurgentium metu, aut querulantium commiſeratione Principum & Magiſtratuum frangatur contumacia; ſed vel inde infeliciter ſæpius ceſſit, ac præcipue modernis temporibus, & Januenſis Reipublicæ rationibus non congruit, dum in turbas & ſeditiones publicas ejusmodi concitatio & inſurrectio ſubditorum in Statu præſertim Rerumpublicarum perpetuis viciſſitudinibus alioquin ſatis obnoxio deſinere facillime poſſent; Neque enim omnes ſaltem e parte Pontificis ſtetiſſent ſubditi, ut Magiſtratus ab iis penitus deſereretur; hos inter factiones, diviſiones ac ſchismata evitari non potuiſſent; a diviſionibus turbæ, & contentiones, a turbis bella inteſtina haud longo abeſſe potuiſſent intervallo: dum vero bellis quoque conflictatur Respublica in Corſica, & continuis fere inſuper Barbarorum invaſionum periculis infeſtatur; totalis ſane Regionis, quam Religio nunquam permittit, minus inducit, deſtructio ut conſequeretur, neceſſe fuiſſet, a Religionis ipſius excidio, aut funeſta pernicie parum disjuncta.

Ejusdem periculum.

§. XLV.

Ecclesiæ universalis calamitatibus incongruum.

Respexerit insuper haud dubie ad modernum reliquarum etiam Ecclesiarum Statum, & ad sequelas in universalem Ecclesiam inde redundaturas; cum censurarum, quæ teste

SUARESIO *disput. 4. sect. 4. n. 5.*

non solum ad salutem ejus, in quem feruntur, sed etiam ad aliorum Exemplum & disciplinam ordinantur, scopus non sola sit delicti vindicta, aut delinquentis cujusque emendatio atque correctio, sed vel maxime atque præcipuus ipsamet publica Ecclesiæ salus; provida certe circumspectione pensaverit, modernis hisce temporibus tam Ecclesiæ luctuosis, ubi Germanicæ Ecclesiæ bello pertinaci ac diuturno, utut Religionem non contingat, multum tamen affliguntur, & dubio adhucdum ancipitique ejusdem eventu terrentur, Gallicanæ dissidiis suis antiquis necdum penitus eliberatæ respirant, Lusitanicæ infelicibus Regni casibus dolent, cautissime hac in re procedendum, ac periculosum esse, ut & particularibus Ditionis Januensis Ecclesiis, & universæ fidelium multitudini magis forsan noceat, quam prosit, & malum augeat potius, quam tollat aut diminuat, atque ita, ut verbis

S. AUGUSTINI Lib. 3. *cap. I. contr. Epistol. Parmeniani*

utar, medicina vindictæ non tantum superflua, sed etiam pernicioſa, & propterea jam non medicina esse convincatur.

§. XLVI.

Lenitas magis honorifica.

Hæc profecto omnia, ut reor, argumenta satis efficacia sunt, quæ Pontificem Maximum pacis, æquitatis, gregisque sibi commissi semper amantissimum ab Interdicti & censurarum ferendarum proposito ipsi suggesto, & dudum fallaci fama in vulgus sparso dimovere potuerint, eique Lenitatem rigori præferendam hac in controversia esse persuaserint; nescio tamen, an non & proprii sui, ac sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ honoris conservatio prævalere his omnibus potuerit, ne scilicet illi, qui ex adverso, & ab ipsa tanquam Religionis Matre & Magistra aversi sunt, haberent malum de Pontifice Maximo dicere, aut ejus in ulciscendo Ministerium, quod brutum alioqui fulmen appellare solent, vituperarent, potius secundis ac sequioribus intentionibus ad mera emolumenta Patrimonii Ecclesiastici temporalia tendentibus, quam vero sinceroque, quem tamen solum præ oculis semper habet, emendationis subditorum Zelo eum rigorem adscribentes. Dum enim Regnum quoddam eorum Religioni addictum, multis equidem jam abhinc annis Corsicanæ Insulæ amore captum, turbas ibi dudum enatas tacitis machinationibus suffulsisse rumor fuit,

ac

ac alias plures Aulas Regias, Gallicanam præcipue, pervaſit; non defuiſſent certe, qui Zelotypia Vatiniano ſuo in Eccleſiam Romanam odio magis inflammata ducti, inſuper habitis, quas conſtitutiones tanti Pontificis ſapientiſſimæ præſeferunt, tot ſanctiſſimis aſſecurationibus, & declarationibus, in vulgus quondam ſpargere & poſteritati perſuadere auſi conatique fuiſſent, Pontificem Optimum, & Miſſione Viſitatoris, & eo, quo ejus receptionem urgere aut recuſationem vindicare voluerit, Interdicto, atque Cenſuris antiquas Eccleſiæ Romanæ in Corſicam prætenſiones temporales dudum antiquatas reſuſcitare potius, atque in turbido piſcari voluiſſe, ac eapropter acerbiori, ut ſolent, ſtylo eundem ſuggillarent, ad ſolam jurium ſuorum temporalium conſervationem aut vindicationem ſpiritualem cenſurarum gladium vibraſſe, ac jugum impoſuiſſe graviſſimum ſuper cervices Januenſium, atque ita Doctoris Chriſtianiſſimi JOANNIS GERSONII Univerſitatis Pariſienſis Cancellarii verbis (quæ is *de Vita ſpirit. lect. 4. Concl. 14.* applicat illis, qui pro ſolis incommodis temporalibus evitandis, aut commodis publicis conſervandis Cenſuras ferre, id eſt, æternam infligere mortem volunt) indigniſſime abutentes, Sanctiſſimum Patrem ei comparare haud veriti fuiſſent, qui volens muſcam abigere a fronte vicini, eam ſecuri percutiens, vicinum ſtolidus excerebravit.

§ XLVII.

Quæ cum ita ſint, uti hactenus oſtenſa fuiſſe luculenter exiſtimo; Miſſionem ſcilicet Legatorum & Viſitatorum Apoſtolicorum, exigente Eccleſiarum neceſſitate, ac publica utilitate, tanquam rem Religionis & animarum ſalutis ad Summum Pontificem vi Primatus ſui pertinere; eidem tamen ineſſe etiam neceſſarium & opportunum ad Regionem, ſive Statum Politicum reſpectum, quocum etiam arctiſſime implicet; hunc porro reſpectum politicum in Miſſione Viſitatoris Apoſtolici CÆSARIS CRESCENTII de ANGELIS in Corſicam ablegati variis ex cauſis, ſi tamen vera ſint, quæ narrantur, obverſari; talis profecto materia iſta cenſenda eſt, in qua Magiſtratus ac Summos Principes veluti devotos Eccleſiæ filios modeſtia, ac reverentia, Summum vero Pontificem veluti Patrem manſuetudo, pax & charitas vel maxime deceat; nec alia ſane ratione commodius diſcordiæ circa illam inter utramque Summam poteſtatem, ſacram & Politicam ortæ ſedari poterunt, quam amicabilibus remediis, pacificatoriis Legationibus, vel mutuis Epiſtolis & remonſtrationibus, ac Mediatorum, præſertim potentiorum & utrinque bene affectorum, implorationibus. Ita enim amicorum, quales inter ſe eſſe Regionem & Religionem, Eccleſiam & Rempublicam, Sacerdotium & Imperium convenit, differentiæ facilius, brevius, ſecurius ſtabiliusque componuntur. Unicum quippe iſtud ſermonum & mutui Commercii pharmacum ſapientiſſimum ſemper viſum fuit, idemque præſtantiſſimum & Capiti

Perorati & Conclusio.

Capiti & membris totius Reipublicæ Chriſtianæ ſaluberrimum, utrisque vero nunquam non periculoſiſſimus fuit immodicus in Cenſuris ferendis rigor, ac Interdicto præſertim vix aliam eſſe moderatius ferendam, experientia docuit. Ad remedia extrema id pertinet nonniſi in extremis, id eſt, aliis omnibus jam conſumptis ultimisque morbis adhibenda, inſtar Hellebori, de quo

CASSIANUS *collat. 17. c. 17.*

quodſi imminente, ait, exitiali morbo ſumptum fuerit, ſit ſalubre, cæterum abſque ſummi diſcriminis neceſſitate perceptum præſentis exitii eſt. In eodem propterea vel maxime aureum illud

S. AUGUSTINI jam ſupra citati eod. *lib. 3. cap. 1. contra Epiſtolam Parmeniani.*

monitum obſervandum venit; „Igitur Domino in Evangelio dicenti in illo ob„temperare debemus, ubi ait: *ſi neque Eccleſiam audierit, ſit tibi tanquam Ethni„cus & Publicanus:* Et in illo, ubi prohibuit colligi zizania, ne ſimul eradicetur „& triticum. Poteſt enim utrumque cuſtodiri ab eis, quibus dictum eſt: *Beati „pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Eandem jam in Reipublicæ Januenſis præſenti controverſia mentem a Sanctiſſimo Patre dudum præconceptam fuiſſe, & ſummum, quo fertur ſemper, pacis ſtudium, Reipublicæ præſertim Venetæ in primis ſtatim glorioſiſſimi Regiminis auſpiciis, non ſolius utique Patriæ, ſed & Eccleſiæ amore exhibitum, præclariſſimum Anteceſſoris ſui in componendis Cleri Gallicani diſſenſionibus exemplum, & æqualis communisque omnium ovium ſibi commiſſarum amor merito faciunt præſumere; ſed & ipſa ad tractatus pacis præparatio ſatis certos nos reddit, dum ipſe prior Patris amantiſſimi more ad concordiam promptas manus porrigit, & recenſitis ſupra amicabilibus remediis, imo facta, uti perhibetur, jam Eminentiſſimo Cardinali SPINOLA populari & Sympatridæ Genuenſium acceptiſſimo ex Hiſpania illic tranſituro delegatione pacificatoria offert: Quam ut Deus ipſe Pacis & unitatis Eccleſiæ ſuæ donet, perficiat, ſtabiliatque, Pontificem quoque Optimum Maximum dulcibus ejusdem fructibus ad ingens Eccleſiæ ſuæ decus & incrementum gaudere faciat AD MULTOS ANNOS, votis ardentiſſimis ad cœlum fuſis animitus precor: Hoc vero ſolenne mearum occupationum exordium ita ſibi gratum, Patriæ & Eccleſiæ utile, vobis, AA. acceptum, mihi fauſtum eſſe velit, ut per ſucceſſus publice privatimque proſperos ac ſalutares in felicem quandoque deſinat exitum, & ad plurium utilitatem copioſis fructibus redundet.

TANTUM.

Animad-

Animadverſiones Editoris.

Ad §. *XX.* Nimium hic dicere videtur Auctor de NICOLAO I. dum eum vocat primum maximumque falſarum Pſeudo-Iſidori Decretalium promotorem: quod idem dicendum eſt de FEBRONIO *Tom. 1. edit. prim. p. 517.* ubi inquit: CASPARUS BARTHEL *in Annotationibus ad Jus Canon. Lud. Engel in Proëm. Quaeſt. 1. p. 3. obſervat, Iſidorianum Codicem urgente vehementiſſime* NICOLAO I. *a tota Eccleſia, in Germania adnitente potiſſimum* REGINULPHO (RICULPHO) *Archi-Epiſc. Mogunt. receptum eſſe.* Sane NICOLAUS adverſus PHOTIUM Schismaticum atque in literis ad MICHAELEM Imperatorem Orientis nusquam provocat ad ſpurias *Iſidori* merces: immo vero in literis quoque ad HINCMARUM apud BARON. *ad ann. 863.* ubi ad ipſos fontes provocat ex quibus Eccleſia Romana regulas diſciplinae hauriat, nullam mentionem facit de epiſtolis *Pſeudo-Iſidorianis:* ita vero ait: *ut Nicaenorum et caeterorum Conciliorum Canonicis definitionibus eſt promulgatum, et Beatorum Siricii, Innocentii, Zoſimi, Caeleſtini, Bonifacii, Leonis, Hilarii, Gelaſii, Gregorii ac caeterorum Romanae Sedis Pontificum conſtitutionibus eſt decretum.* Equidem negari nequit ipſum quoque dein Decretales falſas appellaſſe; ſed poſtquam ipſimet Galliae Epiſcopi eas in uſum ſuum adhibuerunt, id potius et eorum exemplo, et quadam retorſionis ſpecie fecit, quemadmodum ipſemet teſtatur *Epiſt. XLVII. ad Epiſc. Gall.* his verbis: *cum ipſi, ubi ſuae intentioni haec ſuffragari conſpiciunt, illis indifferenter utantur, et ſolum nunc ad imminutionem poteſtatis Sedis Apoſtolicae et ad ſuorum argumentum privilegiorum minus accepta eſſe praebeant.* NICOLAUS quidem porro rejecit illud Gallicanorum Antiſtitum argumentum, quod hae epiſtolae in Codice Canonum non habeantur; ſed qua id ratione fecerit ipſemet NAT. ALEX. *in Hiſt. Eccleſ. Sec. I. Diſſ. XXI. Art. I.* ita explicat: *Dico itaque Nicolaum emunctae naris virum et eruditum Pontificem, Epiſtolas veterum Pontificum, quas apprime noverat ſuppoſititias, directe propugnandas non ſuſcepiſſe, ſed hoc unum contendiſſe Gallicanos Antiſtites, earum authoritatem inefficaci ratione impetere. Gallicani enimvero Epiſcopi hac una ratione rejicere illas videbantur, quod in Codice Canonum non eſſent: quam rationem ut nullam oſtendat Pontifex, ita contra eos ad hominem argumentatur: Porro ſi ideo non eſſe Decretales epiſtolas priſcorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habentur adſcriptae: ergo nec Gregorii ſancti, nec ullius alterius, qui ante vel poſt ipſum fuit, eſt aliquod inſtitutum vel ſcriptum recipiendum, eoquod in Codice Canonum non habeatur adſcriptum .... ſed quare multum immoremur, cum nec ipſas divinas Scripturas novi et veteris Teſtamenti jam recipimus, ſi iſtos duxerimus audiendos. Etenim neutrum*

trum horum in Codice eccleſiaſticorum Canonum habetur inſertum. Haec profecto talia non ſunt, ut NICOLAUS primus maximusque promotor falſarum Decretalium dici debeat. In Conciliis potius tum Germaniae tum Galliae ipſis, eam paulatim auctoritatem nactae ſunt, ut dein ubicunque ferme praevalerent: ita luculenta hujus rei veſtigia occurrunt in *C. ad S. Macram 851. Colonienſi 887. Metenſi eodem anno. Moguntino 888. Triburienſi 895.* et aliis deinde pluribus.

Ad §. XXII. Quod Germaniam concernit, MOSER in ſeinem teutſchen auswärtigen Staats-Recht. 1772. *f. 378.* de Nunciis Pontificiis haec habet: ante electionem CAROLI VI. in ſcripto quodam juſſu Aulae Caeſareae impreſſo haec legi: *N'eſt il pas encore vrai, que dans ce même tems des perſonnes de diſtinction, caracteriſées par le ſouvrain Pontife, diſoient hautement a Prague..... qu'il falloit admettre un Nonce à la diete pour l'election imperiale, et cela point par grace, et reverence, mais bien par devoir et obligation?* dum tamen peregrini vi A. B. ex urbe Francofurtenſi jubeantur abire, atque inter hos etiam ipſi Principum Legati; idipſum etiam praetendi a Nuncio Pontificio. Equidem SCHMAUSIUS voluit in den Academ. Reden *p. 83.* in electione CAROLI VII. Nuncium in urbe ſubſtitiſſe, ſed id falſum eſſe inquit idem MOSER von dem Römiſchen Kayſer, Römiſchen König und denen Reichs-*Vicarien. 1767. f. 228.* Porro in cit. *Tract.* von dem teutſchen auswärtigen Staats-Recht *f. 392.* affirmat ab Aula quoque Caeſarea exigi, ut dum Nuncius novus mittendus ſit, perſona prius ſignificetur, exſpecteturque, an grata habeatur necne: item ſubin plures proponi, ex quibus Aula aliquem ſeligat: expreſſe haec jura, dum Nuncius ſine praeſcitu Aulae mitteretur, propugnata fuiſſe, a LEOPOLDO M. in literis ad *Cardinalem de Medices an. 1690. 28. April.* Rem omnem occaſione hujus eventus in Congregatione 18. Cardinalium examinatam fuiſſe, atque has a Pontifice quaeſtiones propoſitas: *Quid expediret circa Nuncium Germaniae, quem Imperator recuſabat admittere, ex quo ante publicationem non fuerat factus particeps, ut practicatur cum aliis Regibus?* et, *an et quomodo reſpondendum literis S. Caeſareae Majeſtatis ſuper praemiſſis negotiis?* ita autem reſponſum fuiſſe, ad *1. ſanctam ſedem exiſtere in hac poſſeſſione mittendi Nuncios ad Imperatores, ſine eorum praeſcitu et conſenſu:* et ad *2.* non *eſt reſpondendum.* Exitum ſibi ignotum eſſe ſubdit laudatus ſcriptor. Exemplum Privilegii cujusdam ſingularis huc ſpectans eſt, quod refert HAEBERLIN *Hiſt. Tom. 1. f. 353. ex Geſtis Archi-Epiſc. Trev. in* MARTENE *et* DURANDI *Collect. ampliſſ. T. IV. p. 193.* ubi BRUNO Trevirenſis a CALIXTO II. obtinuit, ne ullus Legatus, exceptis ſolum, qui a Latere dicuntur, in Archi-Epiſcopatu Trevirenſi quidquam jurisdictionis exerceret. Quoad Reges ſimilia privilegia olim data occurrere paſſim conſtat.

Docu-

Documenta huc ſpectantia.

I.

eve Apoſtolicum d. d. 18. Sept. 1759. quo Epiſcopus Segninus aeſar Creſcentius de Angelis Apoſtolicus Viſitator Eccleſiarum Corſicanarum, Alerienſis, Marianenſis, Accienſis, et Nebienſis renunciatur.

Venerabili Fratri Caeſari Creſcentio Epiſcopo Segnino
CLEMENS P. P. XIII.
Venerab. Frater, Salutem et Apoſtolicam Benedictionem.

iter caeteras curas, quas in regenda univerſali Eccleſia gerimus, eam in aecipuis habendam ducimus, ut Civitatibus ac locis, quibus propter humarum rerum varietates Epiſcoporum praeſidium praeſto eſſe non poteſt, mulque propterea calamitatibus et animarum periculis obnoxia ſunt, congruis oſtolicae providentiae remediis, quantum ex alto conceditur, ſuccurramus. iare cum initio Pontificatus Noſtri in hanc curam cogitationes et conſilia inderimus, obvia potiſſimum Nobis fuit Inſula Corſicae, quae diuturnis ma, quibus affligitur, periculoſius laborans, ſupplices quodammodo manus idere viſa eſt, Noſtram implorans auctoritatem, ut ejus ſaluti graviter pelitanti, quantocius a Nobis fieri poteſt, aliqua ratione conſulatur. Noſtros tem praeſertim ante oculos obverſatur moeſtiſſima facies Eccleſiarum Alenſis, Marianenſis, Accienſis, et Nebienſis, quae magna ex parte a ſuis disctae Paſtoribus jacent in luctu et in ſolitudine. Plures enim, ut accepimus, entiam arripiunt vivendi arbitratu ſuo, alii neceſſariis Sacramentorum ſubiis non adjuti in via ſalutis deficiunt, alii a pietate et religione recedunt, ita corrupto immutatoque Eccleſiaſticae rei ordine omnia illic ruant in perni:m, et in interitum. Graviſſimis Nos hiſce malis indoluiſſe, et ex miſerai illarum Eccleſiarum ſtatu multa fuiſſe commiſeratione commotos, ipſe no, qui ſcrutatur omnia, Deus. Sed injuncti Nobis muneris debitum maxi: ſtimulabat, ne in ſolo animi noſtri luctu occupati, Nos, qui Paſtores in ael, meritis licet imparibus, a Domino conſtituti ſumus, omnia noſtra ſtui, omnemque ſollicitudinem in hanc curam non conferremus. Angebat im nos, et maxime ſollicitabat vehemens timor, ne in negligenda illarum cleſiarum cura noſtro deeſſemus muneri a praeclariſſimis romanorum Pontium, Praedeceſſorum noſtrorum, veſtigiis, et exemplis abſcedentes, qui

periclitantibus Eccleſiis, non per Italiam modo, ſed per univerſum Chriſtianum Orbem qua hortatu, qua auctoritate, qua miſſis ab urbe Apoſtolicis viris, aliisque, prout opus erat, remediis non defuerunt.

Quare effuſis ad Deum precibus, ut afflante ſpiritu ſancto, quod melius eſſet pro rei gravitate deliberaremus, adhibitis etiam in conſilium nonnullis Venerabilibus fratribus noſtris S. R E. Cardinalibus, illud ad Alerienſis, Marianenſis, Accienſis, et Nebienſis Eccleſiarum ſolatium, et medelam optimum conſilium viſum eſt, Viſitatorem Apoſtolicum in Corſicam Inſulam mitteremus, qui coram perſpectis rebus omnibus, atque mature conſideratis, earundem Eccleſiarum curam ſuſciperet, et omni ſtudio in id incumberet, ut impoſita iis vulnera, quae vel ignorata, vel neglecta quotidie magis ingraveſcerent, omni ratione ſanaret. Circumſpicientes autem nos, et deliberantes, ut virum aliquem aptum, et idoneum ad rem tantam perficiendam deſignaremus, Te potiſſimum, Venerabilis frater! ſelegimus, qui in Eccleſiaſtica ditione natus, atque educatus ex iſtis, et ex Vicarii Generalis egregie obito munere, magnam laudem es conſecutus, tum in Signina Eccleſia, cui Epiſcopus hactenus praefuiſti, nihil feciſti reliqui ex optimi paſtoris officio, unde merito confidimus, Te ea, quae tibi committimus, et mandamus, opem ferente Deo, ſumma, qua decet, fide, integritate, prudentia, pietate, et zelo exſecuturum.

Motu itaque proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicae poteſtatis plenitudine, Te ad noſtrum, et ſedis Apoſtolicae beneplacitum conſtituimus, et deputamus Apoſtolicum Viſitatorem in Eccleſiis Alerienſi, Marianenſi, Accienſi, et Nebienſi, cum omnibus facultatibus opportunis, et neceſſariis, ac concedi ſolitis Viſitatoribus Apoſtolicis, iis tantum in locis, in quibus moderni earundem Eccleſiarum Epiſcopi, ob adverſam temporum conditionem, neque per ſe, neque per Vicarios ſuos, cum utilitate commiſſi ſibi gregis interim praeeſſe poſſunt; ſperantes omnino hoc ipſismet Epiſcopis gratum futurum, pro ea charitate, qua oves ſibi creditas ex muneris ſui debito illis proſequi non dubitamus. Tibi vero, Venerabilis frater! praecipimus, et mandamus, ut ad Eccleſias Alerienſem, Marianenſem, Accienſem, et Nebienſem cum gratia Apoſtolicae Benedictionis accedas, et in iis, aut in earum Dioeceſibus perſonaliter reſideas, et earundem Eccleſiarum curam, et adminiſtrationem, juxta praemiſſa, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ſuſcipias, omniaque et ſingula, quae Epiſcopi Alerienſis, Marianenſis, Accienſis, et Nebienſis de jure vel conſuetudine exercere, et facere conſueverunt, facere, gerere, et exercere valeas, excepta duntaxat Ordinum, et Beneficiorum collatione, Volentes praeterea malis, quae ex multorum diſſidiis inter Regulares oborta ſunt afferre remedium, Tibi ſuper omni-

omnibus cujusvis ordinis, et inſtituti, etiam Mendicantium, Regularibus, in Dioeceſibus tibi commiſſis exiſtentibus, tam in his, quae concernunt adminiſtrationem Sacramentorum, quam circa diſciplinam regularem, aliaque omnia poteſtatem, et jurisdictionem omnimodam, ac eandem, quam eorum ſuperiores generales haberent, ſi illic reſiderent, ita ut illos, et quemlibet eorum, atque etiam Eccleſias, Monaſteria, et loca circa praemiſſa viſitare, corrigere, et reformare, et quoscunque contradictores, per cenſuras, et poenas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia cogere, et compellere valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore praeſentium concedimus, et impertimur. Interim vero te ob non reſidentiam apud Eccleſiam Signinam cenſuris, et poenis contra non reſidentes a ſacris Canonibus, et Oecumenicis Conſiliis inflictis minime ſubjacere, eadem auctoritate declaramus, atque decernibus. Mandantes praeterea in virtute ſanctae obedientiae dilectis filiis Capitulis, Clero, Populo, atque Vaſallis Eccleſiarum Alerienſis, Marianenſis, Accienſis, et Nebienſis, ut Te ad eos ex cauſa praedicta accedentem, cum reverentia, et honore excipiant, ac omnibus tuis ſalubribus monitis, et mandatis, intendant, pareant, et obſequantur, ac conſueta, et debita ſervitia, ſubjectionem, et obedientiam, ut ſuis propriis Epiſcopis Tibi praeſtent, et exhibeant; alioquin ſententias, ſive poenas, quas rite tuleris, ſeu ſtatueris in inobedientes, et contumaces ratas habemus, et praecipimus, et ſtatuimus uſque ad ſatisfactionem congruam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus conſtitutionibus, et ordinationibus Apoſtolicis, et quorumvis Ordinum, et inſtitutorum regularium, nec non Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, et aliorum locorum piorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis, ſtatutis, et conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, et litteris Apoſtolicis, et cuivis illorum, et perſonis, ac ſuperioribus illorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, quibuscunque ſint concepta verborum formis, et tenoribus, quos praeſentibus pro expreſſis haberi volumus ſpecialiter, et expreſſe, ac latiſſime ad effectum praeſentium derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem ut praeſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, et ſigillo perſonae in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutae munitis eadem prorſus fides in judicio, et extra habeatur, quae haberetur ipſis praeſentibus, ſi forent exhibitae, vel oſtenſae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Sept. MDCCLIX. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

D. Card. Paſſioneus.

II.

Edictum Reipublicae Genuenſis d. d. 14. Aprilis 1760.

Doge, Governatori, e Procuratori della Republica di Genova.

Eſſendo pervenuto a noſtra notizia, che contro l'eſpreſſa noſtra volontà ſia clandeſtinamente arrivato, o che poſſa arrivare fra brieve nel noſtro regno di Corſica il Veſcovo di Segni Ceſare Creſcenzio de Angelis, abbiamo deliberato, come in virtù delle preſenti deliberiamo, un premio di ſcudi ſei mila Romani a chiunque arreſtera il detto Veſcovo Ceſare Creſcenzio de Angelis, e lo conſegnera in Alcuna delle Piazze, Preſidi, Poſtamenti, o Torri guarnite dalla noſtra Truppa, da dove poi ſarà noſtra cura il farlo decentemente traſportare a queſta noſtra Capitale di Terraferma.

Proibiamo inoltre ſotto le più gravi pene a Noi arbitrarie a qualunque perſona di qualſivoglia grado, ſtato, o condizione ella ſiaſi, di eſegnire qualunque decreto, inſinuazione, Ordine, Provedimento, ed altro, che il detto Veſcovo attentaſſe di fare nel regno ſubdetto, ſotto qualſivoglia nome, ed anco come preteſo delegato, o autorizzato, con qualunque preteſa ſtraordinaria facoltà.

Ed acciò quanto ſopra pervenga a notizia d'ognuno, coſi ad effetto di conſeguire il premio ſopradetto, come perchè allegar non poſſa cauſa d'ignoranza riſpetto alle pene ſtabilite nelle preſenti Noſtre, abbiamo ordinato, che ſi pubblichine le medeſime in Bancoi, Luoghi ſoliti e conſueti, e nel noſtro regno di Corſica, e che vengano firmate dall' infraſcritto noſtro Segretario di ſtato.

Dato in Genova dal noſtro Real Palazzo, queſto giorno 14. Aprile 1760.

Franceſco Maria.

III.

Oratio Pontificia ad Cardinales habita in Conſiſtorio ſecreto, ſeptima Maji 1760.

Venerabiles Fratres.

Non opus eſſe credimus apud Fraternitates Veſtras multis verbis uti ad demon-

monſtrandum, quo loco res eſſent in Inſula Corſicae, cum jam inde a noſtri Pontificatus initio illuc ſtudia, et cogitationes noſtras pro noſtri muneris debito intendimus. Verſabatur praeſertim ante oculos noſtros nonnullarum Eccleſiarum infelix conditio, ac prorſus miſeranda, quae a ſuis paſtoribus disjunctae multis magnisque jam erant obnoxiae malis, majoribus autem, atque gravioribus expoſitae niſi aliquo Apoſtolicae providentiae remedio conſuleretur. Quare excogitandum, et agendum aliquid duximus, quod et ad boni paſtoris officium erga concreditum nobis dominicum gregem, et ad benevoli Patris animum in Genuenſem rempublicam declarandum maxime pertineret. Cum tamen Conſilia noſtra non aequis auribus exciperentur, libenter opportunam aliquam occaſionem exſpectabamus, rati fore, ut tandem aliquem ſollicitudinis noſtrae fructum conſequeremur. Sed cum malum in dies latius manaret; et ferc ubique in illis diöeceſibus ſeſe diffunderet; veriti, ne ante ſupremi judicis oculos mora diuturnior in crimen ſocordiae, ac negligentiae paſtoralis Nobis commiſſi officii converteretur, nonnullos Ven. Fratres noſtros Collegas veſtros S. R. E. Cardinales in conſilium adhibuimus, quibus labefactatum, deformatumque illic Eccleſiaſticae rei ſtatum, et clamorem hominum ex omni ordine ad nos confugientium, et ſummam, in qua verſabantur, rerum ad fidem, et mores ſpectantium ignorantiam, ſacerdotum penuriam, paſtorum inopiam, graviſſimaque inde exorientia mala, ac calamitates, exponi mandavimus, ut, collatis conſiliis, quid facto opus eſſet, ſtatuerent, et quod in domino expedire cenſuiſſent, nobis referrent. Quousque ſpes fuit illarum Dioeceſium malis, periculisque ſatis fore conſultum, ſi interim Vicarii conſtituerentur, qui animarum curam ſuſciperent, hanc ſententiam ſecuti ſumus. Sed cum eo res progrederetur, ut gravioribus malis efficaciora quoque remedia adhiberi deberent, concordibus ſuffragiis omnes cenſuerunt, Apoſtolicum Viſitatorem in Corſicam eſſe mittendum, qui coram perſpectis rebus omnibus, et praeteritis mederetur incommodis, resque omnes ſic deinceps diſponeret, ut obſcuratum, atque obtenebratum illarum Eccleſiarum ſplendorem redintegraret, ac reſtitueret; Probavimus, conſilium neceſſarium, ac ſalutare, ſed ut benevolentiam noſtram, noſtrique paterni animi benignitatem erga inclytam Genuenſium rempublicam teſtaremur, utque Viſitatoris miſſio conjunctis ex utraque parte ſtudiis, quem optabamus, exitum felicius conſequeretur, illius ducem, atque ſenatum, hanc noſtram deliberationem ignorare noluimus: expoſitis etiam rationum momentis, quae illos facile impuliſſent, ut huic noſtro conſilio impenſius faverent, ſi eas aequioribus, ac pacatioribus animis excepiſſent. Verum res ceſſit longe aliter, ac ſperabamus, Nosque amoris in illam rempublicam noſtri fructum cepimus eum, quem minime oportebat. Grave enim, ac moleſtum eſt, ex hoc loco commemorare reſponſum illud, quod a ſenatu accepimus. Vos, vos, Ven. Fratres, pro veſtra ſapientia, atque egregio erga hanc

Apoſtolicam ſedem obſequio, et amore, facile judicare potuiſtis, ſi forte illud in veſtras manus incidit, quam aſperum fuerit, et quam noſtram, & Apoſtolicae ſedis dignitatem laederet, et a priſtina illa Genuenſium erga Praedeceſſores noſtros fide, et pietate diſcreparet. Quamvis ita ſe res haberent, adhuc tamen avita Genuenſium obſervantia erga Romanam Eccleſiam confiſi, eos, ſuperna opitulante gratia, ſaniora conſilia ſuſcepturos ſperabamus, nec paſſuros rem aequiſſimam a ſe diutius fruſtra flagitari. Sed cum ea ſpes evanuiſſet, eaque nos ſemper cura angeret, ſollicitosque haberet, tot animas divino redemptas ſanguine illic jacere miſeras, afflictasque, et ſalutari doctrinae pabulo, et ſacramentorum praeſidiis deſtitutas, cumque multa gravia accidere, multa etiam graviora inſtare, atque impendere nunciarentur, exquiſitis iterum Cardinalium ſententiis, effuſisque precibus ad divinam opem implorandam, ea, qua fungimur, auctoritate, Venerabilem Fratrem noſtrum Caeſarem Creſcentium Epiſcopum Signinum a Nobis electum Viſitatorem ex Centumcellarum portu ſolvere, et in Corſicam trajicere imperavimus, quo eum divina protegente ope feliciter appuliſſe cognovimus. Quod quidem fecimus de ſola animarum ſalute ſolliciti, quae, deficientibus praeſertim Epiſcopis, noſtrae eſt divinitus commiſſa curae, et vigilantiae. Itaque ea Viſitatori mandata dedimus, quae ad ſpiritualem tantum illarum aut perditarum, aut periclitantium ovium ſalutem pertinerent, nihil praeterea curaret, imo ſeſe abſtineret ab iis, quae motus, turbasque illic jam dudum exortas reſpicerent; audaciam vero, rapinas, injurias Eccleſiaſticae immunitati inflictas, atque alia ab improbis ſparſa pravarum opinionum ſemina evelleret, atque aboleret. Sumus enim Nos quidem nobismetipſis coram Deo conſcii, ante cujus oculos omnia nuda, et aperta ſunt. Vosque etiam latere non poteſt, Ven. Fratres! Nos ad avertendam ſolum animarum perniciem atque ad Dei gloriam procurandam, ad Paſtoris univerſalis debitum implendum, omnia noſtra conſilia retuliſſe, hunc nobis eſſe propoſitum finem cogitationum noſtrarum. At cum Genuae renunciatum eſt, Epiſcopum Viſitatorem Centumcellis ſolviſſe, et Corſicam petere, quo novo, atque inaudito edicto, quam indigno pietate hominum Catholicorum, quam injurioſo in hanc divi Petri Cathedram, et in honorem, ac dignitatem Epiſcopalem, quam in Nos, qui meritis imparibus Apoſtolorum Principis tenemus locum, contumelioſo, illi obſiſtere tentaverint Dux, Procuratores, atque Gubernatores Reipublicae Genuenſis, jam probe noſtis, Ven. Fratres! ex pervulgatis ejusdem edicti exemplis: Refugit enim animus commemorare conſtitutum a Catholicis viris in Chriſtiana civitate imperantibus eſſe praemium immani ſceleri, quo quis auderet in Epiſcopum, Viſitatoris Titulo a ſede Apoſtolica inſignitum ſacrilegas manus injicere, a quocunque loco abducere, in militum poteſtatem tradere Genuam transmittendum; et nequid deeſſet ad ſummam injuriae acerbitatem, graviſſimas iis poenas indictas eſſe,

qui

qui Viſitatoris dicto audientes eſſent, ejusque mandatis, quocunque modo, parerent. Tantam in Deum, atque Eccleſiam ſuam injuriam, atque tantam horum temporum iniquitatem, et Apoſtolicae ſedis contemptum lacrymis quidem, et luctu proſequimur; non tamen in ea ſolum occupati illa negligere conſilia volumus, quae et juſtitiae, et ejusdem Apoſtolicae ſedis dignitati in domino convenire, et rerum, et temporum conditioni apta, atque opportuna eſſe judicantur. Nullus nos profecto labor, nullum periculum deterrere poterit a juſta Apoſtolicae ſedis, et Eccleſiae defenſione, et magno animo praeclara illa Apoſtoli verba recolentes, beatos nos putabimus, ſiquid patiemur propter juſtitiam. Sed, quoniam Venerabiles Fratres! Vos quoque in partem ſollicitudinis noſtrae vocati eſtis, et veſtra nobis perſpecta eſt virtus, ſapientia, probitas, multisque etiam rebus ſaepe alias probata fides, et ſtudium, quo nobis in paſtorali noſtro munere praeſto fuiſtis, eo Vos conſilio huc convenire juſſimus, ut in hoc quoque graviſſimo negotio ſententiam veſtram rogaremus, quam nunc libentiſſime excipiemus, ſiquis Veſtrum habet aliquid, quod conſulat, paratum, ac meditatum. Caeterum de re tanta deliberaturi, ut ea, qua par eſt, utamini maturitate conſilii, volumus, ut ſinguli ſcripto tradatis ſententias veſtras, et ſincera mente, libero animo, prout in Domino expedire cenſebitis; aperiatis Nobis, quid Nos deceat agere, poſt eam, quam audiſtis, Edicti indignitatem. Ad Nos veſtra ſuffragia transmittetis, quam citius fieri poterit, Deum optimum maximum interim enixis votis deprecantes, ut in Vos veniat ſpiritus ſapientiae, et intellectus; ſpiritus conſilii, et fortitudinis, qui veſtras mentes dirigat, et Nobis ſtrenue opponentibus murum pro domo Iſrael praeſto eſſe dignetur.

IV.

Decretum Corſorum d. d. 11. Maji 1760. contra edictum Genuenſe.

Il Generale.

E ſupremo Conſeglio di ſtato, Preſidenti, e rappreſentanti delle Provincie del regno di Corſica.

La ſcandaloſa temerità Della republica di Genova, che ha ardito emanare un Bando contro dell' Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Monſig. D. Ceſare Creſcenzio de Angelis, Veſcevo di Segni, e dalla ſanità di Noſtro Sig. Papa Clemente XIII. deſtinato Viſitatore Apoſtolico nel noſtro regno, coll' eſibizione

del premio di ſcudi ſei mila Romani, a chiunque lo conſegnaſſe Prigioniere nelle ſue forze, e colla proibizione a qualunque perſona ſotto ogni grave dena d' eſeguire alcun ordine, e come meglio vedeſi dall' eſecrabile foglio ſtampato, che comincia: *Doge, Governatori*, e *Procuratori della republica di Genova*; e finiſce, *dato in Genova dal noſtro real Palazzo queſto giorno 14. April. 1760.* ſottoſcritto *Franceſco Maria*; ci ha obbligato a prendre un giuſto riſentimento dell' Attentato della repubblica, la quale, oltre l'aver impudentemente mancato di tutto il riſpetto dovuto alla ſanta ſede, ha preteſo introdurſi nei noſtri intereſſi, e di dare a divedere al pubblico, che ha ancora qualche dominio in un Regna, che da gran tempo più non la riconoſce per Sovrana; che perciò dichiariamo il ſuddetto Bando deſtruttivo della religione, e dell' auctorità Apoſtolica, offenſivo alla Maeſtà del Vicario di Criſto ſedizioſo, e contrario alla ſicurezza, e tranquillità del noſtro ſtato; e corruttivo delle Leggi, e de' buoni coſtumi, e come tale l' abbiamo condannato, e condanniamo ad eſſere per mano del pubblico Miniſtro di Giuſtizia, lacerato, ſtracciato, e gettato, alle fiame etc. e queſto per arreſtare in avvenire uguali indegne memoire della repubblica di Genova; Vogliamo perciò, che il preſente Decreto firmato dal noſtro Gran Cancelliere, e munito col pubblico ſigillo ſia prontamente, ed intieramente eſeguito, e coſi etc. Dato in Corti nel Congreſſo di queſto giorno 11. Maggio 1760.

Giuſeppe Maria Maſſeſi Gran Cancelliere.

Loco † Sigilli

1760. 12. *Maggio nella Piazza di Corti.*

E ſtato per me infraſcritto letto, e pubblicato il preſente decreto a ſuono di Tamburo, edindi Gettaro per terra il ſopradetto Bando in foglio ſtampato, il quale preſo dal pubblico Miniſtro di Giuſtizia, è ſtato ſtracciato, lacerato, e calpeſtato, e dal medeſima gettato nel fuoco già preparato ſotto le Forche, piantate nel fondo della caſa del Ficario, e parricida Piſcaino, e final mente affiſane copia ai Luoghi ſoliti, e conſueti di queſta Citta. Ed in fede etc.

Domenico Maria Angeli ſotto Cancelliere.

V. Ad-

V.

Adhortatoriae Pontificiae ad rempublicam Genuenſem d. d. 14. Maji 1760.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, et Gubernatoribus Reipublicae Genuenſis.

CLEMENS P. P. XIII.

Dilecti Filii!

iti, et moerentes haſce litteras ad Nobilitates veſtras perſcribimus, et pa-
aliſ officii ratio non ſinit tacitum in ſinu continere Nos ſenſum doloris, quo
edibiliter affecti ſumus, ubi intelleximus edictum illud, Catholico principe
us dignum, quod adverſus Venerabiles Fratres Caeſarem Creſcentium de
elis, Epiſcopum Signinum, quem in Corſicae Inſulam nonnullarum Eccle-
im Viſitatorem Apoſtolicum delegavimus, promulgaſtis. Sane ejusdem
endi Viſitatoris neceſſitas erat ejusmodi, ut neque a Nobilitatibus veſtris
rari, neque a nobis negligi poſſet, niſi obliti eſſemus Jeſu Chriſti, Prin-
; paſtorum omnium, et praeceptum, et exemplum, qui nos paſcere oves
jubet, et ovem unam, quae perierat, ut recuperaret, nullos corporis la-
s, nullasque animi contentiones recuſavit. Extant adhuc ſpirituales earum
:ceſium ruinae teſtes Epiſtolae ad Benedictum XIV. ſel. record. deceſſorem
:um a vobis datae, atque una ſimul ab aliquibus Corſicae Epiſcopis, quae
ficabant depravatos mores, Eccleſiaſticam diſciplinam collapſam, ſacra
ta, ſanctuarii adminiſtratorum penuriam, et nonnullas etiam inſanas opi-
es invectas, quae fidei, ac morum Doctrinae (pretioſum illud depoſitum
s divinitus traditum ad cuſtodiendum) labefactarent; atque hoc ipſum no-
uoque in ejus locum immerito ſuffectis ſignificatum fuerit, addito inſuper,
l Epiſcoporum, a ſuis Dioeceſibus ſejunctorum, opera ſic impediebatur,
anis omnino, et irrita videretur. Hanc tantam divinarum rerum pertur-
nem, tamque magnum tot Chriſti fidelium diſcrimen, remiſſo animo, ocu-
e conniventibus intueri, non patiebatur impoſita humilitati noſtrae ſollici-
omnium Eccleſiarum, et extremi judicii metus, cum Chriſtus Jeſus ali-
do requirate manibus animas, quas redemit ſanguine ſuo. Quo igitur ad-
ri, ad derelicti gregis ſalutem procurandam nos ipſos accedere opportebat,
ri poſſet, miſimus, qui noſtram vicem ſuppleret, Ven. Fratres. Epiſco-
Signinum, virum et doctrina, et morum integritate nobis probatiſſimum,
ue nulla probabili cauſa Nobilitatibus veſtris inviſus eſſe poſſet, eique in

mandatis dedimus, cavere diligentiſſime, nequid aut faceret, aut diceret, quo velle nos de veſtris juribus aliquid imminui, aut detrahi quispiam ſuſpicaretur; quin imo illud etiam cautum fuit; ut iis in locis, in quibus Epiſcopi, vel per ſe ipſos, vel Vicariorum opera, poteſtatem ſuam gerebant, Viſitator nihil ageret; ubi vero id facere prohibebantur, cum paſtoribus greges conciliare ſtuderet; quo fit, quandocunque ſive unus, ſive plures ex iis ad ſuas Dioeceſes revertantur; ceſſet illic ea provincia, quam Viſitatori Apoſtolico ſub iſta conditione commiſimus. Hujus ſalutaris conſilii voluntatis conſcientiam noſtram, quae certe Deum non fallit, habemus teſtem, neque aliter a vobis exiſtimari debet, ſi animadvertatis eximiam, ac plane paternam charitatem, qua nobilitates veſtras hactenus complexi fuimus, quarum praeterea dignitatem auctam, non imminutam velle debemus. Sed erumpat aliquando libera vox, quae paterni doloris intimos ſenſus aperiat. Vos ipſi, dilecti Filii! a quibus minime erat exſpectandum, quaſi piratam aliquem, aut belli ſignifeſum, non Eccleſiae Epiſcopum, et pacis angelum, in eam Inſulam immiſerimus, obtendentes, ea legatione invadi auctoritatem veſtram, nulla ſacerdotalis ordinis, nulla Eccleſiaſticae libertatis ratione habita, inopinatum illud publicaſtis edictum, quo edicto iis conſtituto praemio, qui in Chriſtum Dominum violentas manus injicere, vobisque tradere auderent. Horruit ad acerbiſſimae hujus rei nuncium animus noſter, ac vix adduci potuimus, ut crederemus, Genuenſes antiquae illius ſpectatiſſimae pietatis, ac perpetuae erga Apoſtolicam ſedem obſervantiae oblitos, eo progreſſos fuiſſe, ut contra miſſum Apoſtolicum, ſanctiſſimumque ejus Miniſterium id ſtatuerent, quod neque ab iis quidem fieri ſolet, qui nullam Apoſtolicae reverentiam habent. Quo facto, quantam nobis, atque Apoſtolicae ſedi injuriam, quantam nomini veſtro notam, quantam denique Catholicis quibusque nationibus ad hujus rei exitum converſis, offenſionem intuleris, vos ipſi, pro veſtra ſapientia, ac religione, ſtatuite. Nos quidem edictum illud, quod ferri nulla ratione poterat, ex Apoſtolatus officio, ſuffragantibus etiam Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus reprobavimus, atque irritum declaravimus; deinde pro paterna erga inclytam rempublicam veſtram, atque animarum etiam veſtrarum ſalutem ſempiternam charitate, ſerio Nobilitates veſtras monendas, hortandas, et in viſceribus Jeſu Chriſti obſecrandas judicavimus, ut ad meliora vos conſilia revocantes, quidquid admiſſum eſt ab avita pietate veſtra nimis alienum, id vos ipſi quoque emendandum, atque ex omni memoria tollendum curetis. Speramus Nobilitates veſtras divinae juſtitiae animadverſionem metuentes, cogitantesque, ex contemptu Eccleſiae, ac religionis neque creſcere, neque nobilitari imperium, melius ſaluti veſtrae conſulturos, atque amantiſſimi patris votis, cohortationibusque obtemperaturos, neque ſane opus fore, ut novis ſubinde monitis, cognitam, atque exploratam pietatem, prudentiamque veſtram

veſtram interpellemus. Caeterum id Nobilitatibus veſtris perſuaſum ſit, Nos quidem ita eſſe comparatos, ut Miniſterii noſtri partes omnes in hac cauſa, quae cauſa Dei eſt, impleturi ſimus, atque Apoſtolicam Benedictionem nobilitatibus veſtris peramanter impertimur. Datum Romae 14. Maji 1760.

VI.

Breve Apoſtolicum d. d. 15. Maji 1760. contra edictum Genuenſe.

CLEMENS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

In Apoſtolica B. Petri ſede in quadam veluti ſpecula collocati, impoſitae nobis paſtoralis ſollicitudinis officio cogimur aſſidue vigilare, atque oculos undique circumferre, ne qua pars pereat dominici gregis, cujus ſanguis in extremo judicii die de manibus noſtris ſeveriſſime exquiratur. Cum igitur ad aures noſtras pervenerit, Marianenſem, atque Accienſem, Nebienſem pariter, et Alerienſem Eccleſias Epiſcoporum, a quibus regebantur, praeſidio magna ex parte deſtitutas, multis, quae inde acciderant, atque impoſterum timebantur, malis ita affligi, ut niſi aliquo Apoſtolicae providentiae remedio ſuccurreretur, tot animarum, ſpiritualem doctrinae, et ſacramentorum alimoniam eſurentium, ſalus in maximum diſcrimen vocaretur. Nos plura in animo noſtro conſilia verſantes: ut aegris, atque afflictis ovibus, et ſine paſtore errantibus in via Domini pro debito officii noſtri opem aliquam afferremus, cum nulla alia ratio ſuppeteret, Venerabilem Fratrem noſtrum Caeſarem Creſcentium, Epiſcopum Signinum, in Corſicam mittendum eſſe decrevimus, qui Apoſtolici Viſitatoris Nomine, et poteſtate praedictarum Marianenſis, et Accienſis, Nebienſis pariter, et Alerienſis Eccleſiarum loca, in quibus Epiſcopi ob adverſam horum temporum conditionem, neque per ſe, neque per Vicarios ſuos cum utilitate commiſſo ſibi gregi praeeſſe poſſunt, ipſe regeret, et gubernaret. Sed graviſſimo fuimus moerore perculſi, cum ad nos allatum eſt impreſſum quoddam dictum, quod Nomine Nobilium Virorum, Ducis, Gubernatorum, ac Procuratorum Reipublicae Genuenſis promulgatum eſt, in quo omni erga Epiſcopalem dignitatem veneratione objecta; et ſacratiſſimo ordine conculcato, damnabili temeritate praemium ſex millium ſcutorum romanorum propoſitum eſt cuicunque, qui ſceleſtas manus in Chriſtum Domini intuliſſet, impieque

comprehenſum januam tranſportandum tradidiſſet. Ac praeterea omni depoſito obſequio erga hanc Apoſtolicam ſedem graviſſimae arbitrariae poenae ſtatutae ſunt adverſus quoscunque, qui ejusdem Epiſcopi mandatis paruiſſent, quamvis ipſe delegata, vel quacunque etiam poteſtate praeditus eſſet. Hujus autem Edicti tenor eſt. *

Cum vero hujusmodi Edictum iniquum ſane, et plenum acerbitatis cum maxima omnium fidelium offenſione pervulgatum fuerit, nullumque ſit in eo verbum, per quod tam Eccleſiaſtica immunitas Dei ordinatione, et Canonicis ſanctionibus conſtituta, quam ſacer, et venerandus Epiſcoporum ordo, et dignitas, per graviſſimum facinus turpiter non laedatur: potiſſimum vero ſuprema Apoſtolicae ſedis Auctoritas Beatiſſimo Apoſtolorum principi, ejusque ſucceſſoribus, a Chriſto Domino tradita, ad animarum ſalutem procurandam, per ſummam injuriam inconſideratiſſime conculcetur.

Hinc eſt, quod nos pro commiſſo nobis caelitus paſtoralis officii munere, Eccleſiaſtica jura, quorum Aſſertores in terris a Domino conſtituti ſumus, a temerariis, et ſcandaloſis hujusmodi auſibus, illaeſa, ſartaque, tectaque tueri, et conſervare, ac animarum periculis occurrere volentes, nec non omnium, quae ejusdem Edicti, quod non quidem approbandi, ſed penitus, et omnino reprobandi, animo praeſentibus inſerendum duximus, ſeu in ea contentorum occaſione, quovis modo acta, et geſta ſunt, ſeriem, cauſas, et circumſtantias etiam aggravantes, aliavae, quaecunque etiam ſpecificam, et individuam mentionem, et expreſſionem requirentia, iisdem praeſentibus pro plene, et ſufficienter expreſſis, et exacte ſpecificatis habentes, motu proprio, et ex certa ſcientia, et matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, deque Apoſtolicae poteſtatis plenitudine Edictum praeinſertum, et quaecunque in eo contenta cum omnibus, et ſingulis inde ſecutis, et forſan quandocunque ſecuturis, penitus, et omnino nulla, irrita, invalida, injuſta, iniqua, reprobata, damnata, inania, et a non habentibus poteſtatem temere, et damnabiliter attentata, ac de facto praeſumpta, nulliusque roboris, et momenti, vel efficaciae eſſe, et ab initio fuiſſe, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum obſervantiam teneri, imo nec illa a quoquam obſervari poſſe, vel potuiſſe, adeoque neque ullum ſtatum facere, vel feciſſe, ſed perinde, ac ſi nunquam emanaſſent, nec facta fuiſſent, pro non exſtantibus, et nos factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praeſentium declaramus.

Et nihilominus ad majorem, et abundantiorem cautelam, et quatenus opus ſit, illa omnia, et ſingula, prout etiam quaecunque alia, praemiſſorum occaſione, tam in praejudicium libertatis, immunitatis, et jurisdictionis Eccleſiaſticae; quam contra perſonam memorati Venerabilis Fratris noſtri Caeſaris

ſaris Creſcentii Epiſcopi Signini, quovis modo emanata, edita, acta, geſta, et perpetrata, cum omnibus pariter inde ſecutis, et quandocunque ſecuturis, harum ſerie damnamus, reprobamus, revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, et abolemus, viribusque, et effectu pariter et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, caſſatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus, ac omnino vacuis, ſemper haberi volumus, et mandamus. Sciant propterea omnes praedictorum locorum Dioeceſum Marianenſis, et Accienſis, Nebienſis pariter, et Alerienſis Chriſti fideles memorato Edicto, ſeu alio quovis mandato, et praecepto, quod a quacunque ſaeculari poteſtate in poſterum promulgari contingeret, non obſtante, tanquam irrito, nullo, atque attentato, ſeſe teneri, ac obligatos eſſe, decretis, ordinationibus, mandatis, litteris ejusdem Epiſcopi Signini, eidemque integram, et omnimodam obedientiam, obſequium, et ſubjectionem praeſtare, atque exhibere, quousque auctoritate praedicta Apoſtolici Viſitatoris ad ſedis Apoſtolicae beneplacitum in iisdem Dioeceſibus eum commorari opus fuerit.

Decernentes etiam easdem praeſentes litteras, et in eis contenta quaecunque, etiam ex eo, quod Dux, Gubernatores, et Procuratores praefati, et alii quicunque in praemiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet praetendentes, cujus ſtatus, gradus, ordinis, praeeminentiae, et dignitatis exiſtant, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque cauſae, propter quas eaedem praeſentes emanarint, ſufficienter adductae, verificatae, et juſtificatae fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis juridica, et privilegiata cauſa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, et obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrae, vel intereſſe habentium conſenſu, aliove quolibet, etiam quantumvis capite, a jure, vel facto, aut ſtatuto, conſuetudine, vel privilegio reſultante, notari, impugnari, infringi, in controverſiam vocari, et ad termios juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, et facti, vel gratiae remedium intentari, et impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, et poteſtatis plenitudine ſimibus conceſſo, et emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe iuvare ullo modo poſſe; ſeu ipſas praeſentes litteras, ſemper firmas, validas, et efficaces exiſtere, et fore, ſuosque plenarios, et integros effectus ſortiri, et obtinere, ac ab aliis, ad quos ſpectat, et pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter, et inconcuſſe obſervari, ſicque, et non aliter in praemiſſis, per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores, et dictae S. R. E. Cardinales, etiam de Latere legatos, et Apoſtolicae ſedis Nuncios, aliosve quolibet, quacunque praeeminentia, et poteſtate fungentes, et functuros, ſublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter

judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, ac Apostolicis, et in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, et specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et quatenus opus sit, nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, legibus quoque, etiam imperialibus, municipalibus, nec non quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quaevis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac praescriptionibus, quantumcunque longissimis, et immemorialibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis praefatis, et aliis quibusvis personis, etiam quacunque dignitate fulgentibus, et quomodolibet qualificatis a sede praedicta, et quacunque causa, etiam per viam contractus, et remunerationis sub quibuscunque tenoribus, et formis verborum, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, et consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscunque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, et expressae derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Cum autem eaedem praesentes litterae in supradicta civitate Genuensi, aliisque locis, ditioni ejusdem reipublicae subjectis fortasse nequeant tute publicari; volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis, et Basilicae principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, curiaeque generalis in monte Citatorio, et in Acie Campi florae de urbe, ut moris est, affigi, et publicari, sicque publicatas, et affixas, omnes, et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis seu impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quae adhiberetur

tur eisdem praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Maji 1760. Pontificatus nostri Anno secundo.

PRO D. CARD. PASSIONEO,
JOANNES ELORIUS, *Substitutus.*

Anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo sexagesimo indictione octava, die vero decima sexta Maji, Pontificatus sanctissimi in Christo patris, et Domini nostri, Domini Clementis, Divina Providentia Papae XIII. Anno secundo, supradictae litterae Apostolicae affixae, et publicatae fuerunt ad valvas Ecclesiae Lateranensis, et Basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, curiae Generalis in Monte Citatorio et in Acie Campi florae, ac aliis locis solitis, et consuetis urbibus, per me Philippum Contini Apostolicum Cursorem.

Franciscus Romolazii, Mag. Cursor.

VII.

Edictum Reipublicae Genuensis d. d. 23. Maji 1760. contra Breve Apostolicum.

Doge, Governatori, e Procuratori della Repubblica di Genova.

Essendo stata ultimamente impressa e pubblicata nella Città di Roma sotto nome di S. S. Il sommo P. CLEMENTE XIII. una scrittura in data del 15. Maggio corrente, nella, quale non solo si e voluto sinistramente interpretare, ma si e anche indebitamente preteso di abrogare il nostro Editto de 14. Apr. prossimo scorso, diretto ad impedire colle providenze de la più legittime, e più moderate, il clandestino ingresso, e la successiva permanenza nel nostro Regno di Corsica del Vescovo di Segni, il quale oltre e l'essere persona a noi diffidente e sospetta, portavasi in quell' Isola contro la dichiarata ed espressa nostra volonta con jucarichi a noi ignoti, ed in atto di una violenza tanto meno tollerabile, quanto più offensiva de, Sovrani nostri Diritti; sicuri noi pertanto dell' indubitata validità, ed evidente Giustizia del mentovato nostro Editto, che ci costa essere conforme a tutte le divine e umane leggi, ed egualmente certi di non doversi tenere conto alcuno dell' anziderta scrittura, in cui si contengono espressioni disdicevoli alla dignità e pregiudiciali all' autorità indipendente di qualunque principe, si Attribuiscon alla nostra Repubblica sentimenti del

Tutto

Tutto contrari a quella protezione e riguardo che ella ha ſempre avuto, e intende avere per il carattere Epiſcopale, e per l' Eccleſiaſtica immunità; e finalmente ſi danno al predetto noſtro Editto delle interpretazione affatto aliene dal vero ſenſo, e dalla letterale di lui intelligenza.

Quindi e che ſebbene a niuno poſſa cadere in mente di preſtar fede a quanto in eſſe ſcrittura ſi contiene, e che appariſce manifeſtamente lontano dalle rette, e paterne maſſime, che conoſchiamo nel regnante ſommo Pontefice, Tuttavia ad oggetto di avviſare, e maggiormente inſtruire in noſtri Popoli, e per un nuovo effetto della ſuprema noſtra proteſta, chi abbiamo ricevuta da dio, e che per obbligo ſtretiſſimo di Coſcenza e di ſtato, deve da noi main tenerſi ſempre indenne ed illeſa.

Dichiariamo in virtu delle preſenti noſtre non doverſi in alcun modo attendere, ne dar ſi credito alla detta ſcrittura de 15. Maggio corrente, o ſia preteſa ed irrita abrogazione, che ivi ſi contiene, e non eſſere capace di operare il menomo effetto, ne la ſcrittura, o abrogazione medeſima, nè qualſivoglia altro atto, che in coerenza, ed in ſequito di eſſa veniſſe fatto, o ſi pretendeſſe di fare in avvenire. E dichiariamo Altresì eſſare il prenominato noſtro Editto de 14. Aprile ultimo ſempre rimaſto, come tuttavia rimane, e dovrà rimanere nel ſuo fermo vigore, intiera fozza, e pienna òſſervanza, come di fatto, ed in ognuno de caſi in eſſo eſpreſſi ſe ne ſperimentecà invariabile l'eſecuzione.

E perche di quanto ſopra niuno poſſa allegare cauſa d'ignoranza, abbiamo ordinato, che ſi pubblichino, e ſi affiggano le preſenti in Banchi, e negl' altri Luoghi ſoliti e conſueti, e nel noſtro regno di Corſica.

Dat. in Genova dal noſtro Real Palazzo. Queſto di 23. Maggio 1760.

VIII.

Reſponſio Reipublicae Genuenſis die 21. Junii 1760.

Sanctiſſime et Beatiſſime Pater.

Cum gravioribus indies curis deſtineremur, propterea quod in noſtro Corſicae Regno perturbationes augeri videremus; easque inde etiam oriri, unde ne timendum quidem ſuſpicabamur; cumque iis moleſtiis nova repente doloris acceſſio ex eo fieret, quod rumor afferebat, ſanctitatem Veſtram in eam opinionem fuiſſe adductam, non ea eſſe ſenſa, et conſilia noſtra, quibus revera

nos

ſanctam hanc ſedem ſumus perpetuo proſecuti, atque adeo ſanctitatem
tram obſequentiſſime veneramur: Tum vero illud nobis accidit jucundiſſi-
n a ſanctitate Veſtra litteras accipere, ex quibus, et legitimam voluntatis
: ſignificationem, et optatam inde conſolationem percepturos nos eſſe con-
bamus. Sed ne perlectis ſanctitatis Veſtrae litteris, quas idibus Majis ad
dederas, dolore adhuc majori afficeremur, vix effecit praeclarum con-
ntiae noſtrae teſtimonium, et certa ſpes, futurum, ut aequiſſimus optimi
entis animus, re melius cognita, apud ſe ſe ſtatueret juſtam querelarum
rarum cauſam, juſtam conſiliorum fuiſſe rationem. Etenim non ſine ma-
a admiratione, graviſſimoque animorum ſenſu percepimus, quo tempore
eter S. V. voluntatem utique rectiſſimam, in Imperii noſtri jura illatum,
letrimentum vehemens, et grave, eo tempore partim mutato, partim diſ-
ulato rerum aſpectu, prae oculis unice haberi, et tanquam ſacerdotali Or-
i injurioſum, tanquam eccleſiae libertati infenſum, culpae nobis verti edi-
m XVIII. Kal. Maji promulgatum. Sane quum noſtrae huic religioſiſſimae,
ue ab ipſis orthodoxae fidei primordiis Catholicae Reipublicae nihil ſanctius
rit, nihil antiquius, quam ut S. Matris Eccleſiae, et ſacerdotii dignitatem
gni pietatis exemplo, et coleret, et tueretur, et quae legitima ſunt jura,
a tecta conſervaret: non propterea ab hujusmodi ſtudio, non ab avita pie-
: nos receſſiſſe cenſemus, quod, ut quae principatus aequa ſunt jura vindi-
emus, Caeſaris Creſcentii Epiſcopi Signini noſtrum Corſicae regnum adven-
, aut in eodem diuturniorem moram, iis, quae tunc unice ſuppetebant,
ionibus prohibuerimus; praeſertim cum oppoſitione intercedente, in no-
im regnum contra voluntatem noſtram apertiſſime declaratam contenderet.
e autem ſinat S. V., ut nos quae ſunt animorum noſtrorum cogitationes vel
itiſſime, cum ea, quae filios ad parentum decet, fiducia, ſancte ac ſincere
riamus, id ſpectantes, quod cauſae gravitas poſtulat, ut rerum circum-
ntias, ſive quae ad Epiſcopi miſſionem ſpectant, ſive quae ad Edicti noſtri
omulgationem, quaeque ſilentio compreſſa ſanctitati Veſtrae minime inno-
rant, ex nobis ipſis intelligat. Nos quidem ut in Corſicae regno ſubditis
s populis, noſtraeque fidei a divina providentia creditis, ſana doctrina, in-
ri mores, Eccleſiaſtica diſciplina, turbante regnum tumultu corrupta, et
pravata reſtitueretur, omni ſtudio diligentiſſime curavimus, ſupplicesque ad
ctitatem Veſtram tamquam ad ſupremum Paſtorem acceſſimus, ut pro ea,
ae ad Chriſti Vicarium pertinet, ſollicitudine aliquam iis quoque curarum
rtem attribueret. Quod ſi, ut in conſiliis ineundis debita noſtri ratio habe-
ur poſtulavimus, id vero juſtiſſimum, id uſitatum, id etiam omnino ne-
ſarium fuiſſe nemo in dubium vertet, qui quae ſunt Eccleſiae, quae ſunt
ncipatus jura perpendat. Hinc Viſitatoris miſſionem a regno noſtro ſumus
nementer deprecati, utpote quam ſenſimus tum reipublicae pernicioſam, tum

componendis Corſicae rebus minime opportunam. At cavendum praeterea ab eadem eſſe intelleximus, cum hinc deprehendimus quam ob rem miſſionem hujusmodi ii, qui ex Corſicae populis perduelles ſunt, flagitarent; hinc etiam animadvertimus, nihil a ſanctitatis Veſtrae Adminiſtris nobis unquam proponi, quod aut injectas ſuſpiciones ex animis noſtris depelleret, aut ab ipſa legatione pericula amoveret. Ceterum paratos nos eſſe conſtanter oſtendimus ad ea mutuo conſenſu capeſſenda, quae ſanctitatis veſtrae menti, quae ſubditorum populorum bono, quae Reipublicae incolumitati magis conſentanea videbantur. Interea omni rationum, omni officiorum genere exhibito, quorum momento ne verbo quidem, Romana ſilente aula, imminuebantur, jure inſuper noſtro, noſtra voluntate teſtata, ſuſceptaque per ampliſſimum Cardinalem Delcium negatio, in eam tandem locum adducta res fuerat, ut ſuper Viſitatione nihil porro timendum duceremus cura repente nos perculit nuncius, Epiſcopum Signinum hominem nobis merito, ac pluribus certisque de cauſis diviſum, et plane ſuſpectum, ipſum praeterea perſonatum, inque noctis tenebras conjectum, diſſimulata profectione, inſtar hominis aliquid inopinato adorituri, cujus quidem etiam mandata nec perſpecta nobis, nec a quoquam explicata fuerunt, clandeſtine in Corſicam Inſulam, atque ad perduellium caſtra fuiſſe ſubmiſſum. Hac rerum ſerie commotis, hoc tam praepoſtero apparatu perculſis, qui tandem nobis licuit pacis Angelum ſanctitatis Veſtrae adminiſtrum internoſcere, ac non potius nos refugere violatorem jurium, Majeſtatis contemptorem? quae quidem monuerunt non tantum poſſe, verum etiam debere nos, ex divinarum, humanarumque legum inſtitutis furtivum hominem a regno noſtro propulſare. Quam ob rem, non ut quidquam de Eccleſiaſtica immunitate adimeretur, non ut injuria Epiſcopali dignitati inferretur, non ut violentae manus in antiſtitem injicerentur, ſed ut detrimentum, vis, injuria in nos ipſos importata, qua fieri poterat ratione repelleretur, Edictum dedimus, quo urgente, vel a violento ingreſſu Epiſcopus deſiſteret, vel idem de regno noſtro decenter aſportaretur, utique ut Genuam transvectus hinc ad Romanae ditionis oras triremium noſtrarum ope, et comitatu reſtitueretur. Interea quod ad implenda principatus munera neceſſario requirit, quodque ad prudentem populorum gubernationem maxime pertinere viſum eſt, illud Edicto altero X. Kal. Junii dato diligenter curavimus, commiſosque nobis populos de validitate, atque aequitate ſuperioris edicti noſtri fecimus certiores, atque ex ſupremae poteſtatis noſtrae auctoritate declaravimus quid quid illi dicto, facto, ſcripto contraierit, attendi minime oportere. In quo quidem illud teſtatum volumus, et confirmatum, nihil nos ſive expreſſe ſive tacite Edictis hujumodi intendiſſe, quod aut Eccleſiaſticam libertatem laederet, aut a communi conſuetudine, et pietate, Patria abhorreret, ſed unice ſpectaſſe quod publica Imperii jura defenderet, quod rationi, quod conſcientiae, quod neceſſitati congrueret. Caeteram Deum ipſum

per

per quem reges regnant, et regum conditores juſta decernunt, menti; et voluntatis noſtrae teſtem habemus, ſancta omni tempore futura ſacerdotii jura, dignitatem Epiſcopalem, Eccleſiaſticam libertatem, quae omnia cum jure, dignitate et libertate tradidi nobis a Deo Imperii illaeſa pro viribus tueri, et quacunque ratione licebit conſervare, erit reipublicae glorioſiſſimum.

Hactenus, quae a nobis, et quae contra nos geſta ſunt expoſuimus. Accedunt nunc quae in regno noſtro Epiſcopus exequitur, quaeque in regni perniciem perduelles inde confidentius proſequuntur. Jam vero quum credibile nullo modo ſit, velle ſanctitatem Veſtram, ut, quae ad defenſionem noſtram fuerunt, illa eo tempore exuamus, quo validiorem in nos oppugnationem inferri, atque urgeri ſentimus exemplo in toto Catholico orbe fortaſſe ſingulari, certe in ditionibus noſtris unico; illuc reſtat, quum libere profiteamur: ſicut cum primis optandum nobis cauſas decreti ferendi nunquam extitiſſe, optatiſſimum futurum ſi ejusmodi aſſerendi neceſſitas amoveatur. Interim D O. M. precamur, ut ſanctitati Veſtrae diuturnos dies feliceſque imperiatur, ſacrosque pedes deoſculantes a ſanctitate Veſtra, ut Apoſtolicam nobis Benedictionem Paternae erga nos benevolentiae pignus largiatur, enixe poſtulamus. Datum Genuae XI. Kal. Jul. An. 1760.

VII.

IPSIUS EDITORIS DISSERTATIO DE IMPERATORE STATUTORUM IN ECCLESIIS GERMANICIS PROTECTORE.

Heidelbergae Anno 1772.

§. I.

Occaſio huius ſcriptionis.

Capitulationis Caeſareae *Art. 14. §. I.* ſolennem ſponderi a Caeſare Nationis noſtrae cum Sede Apoſtolica pactis concordatisque legitimis protectionem; & quid ea promiſſio effectus habeat, alia occaſione brevi commentatione illuſtrare conatus ſum, *de Imperatore Concordatorum Protectore hic 1770.* Varia deinde peculiaria citato Capitulationis §. recenſentur, ad quae vel protegenda in favorem Eccleſiarum Germanicarum, vel amolienda, quodſi in praejudicium earum quoddam cederent, ſeſe Imperator adſtringit. Horum pleraque exegeſin, ut exiſtimo, peculiarem omnino merentur, quin tamen id adhuc ſaltem quoad complura praeſtitum eſſe diſtincta opera ego quidem ſciam: Atque haec res occaſio mihi fuit, ut paucis diſquirere ſtatuerem, quid ſibi velint illa *l. cit.* Capitulationis Verba, quibus Imperator promittit, ſe curaturum, ne Statutis Eccleſiarum Germanicarum praejudicium inferatur.

Verba haec ſunt: *Wir ſollen und wollen auch bey dem Heil Vater, dem Pabſt, und Stuhl zu Rom, unſer beſtes Vermögen anwenden, daß von Demſelben, gleichwie Wir ohnehin des Vertrauens ſeynd .... deren Dom-Capitlen .... hergebrachte* Statuta *und Gewohnheiten allerdings beobachtet, und dagegen durch unförmliche Gratien, Reſcripten &c. auf keine Weiſe gehandlet werde &c.* Et §. III. *Auch darob und daran ſeyn, daß die vorgemeldete* Concordata Principum *und aufgerichtete Verträge, auch* Privilegia, Statuta, *und Freyheiten gehalten, gehandhabet, und denenſelben veſtiglich gelebet und nachgekommen*

kommen &c. In contextu *§. I. cit. in Capitulatione* primum JOSEPHI *I.* de Statutis mentio facta eſt, ut advertit MOSER *ad Capitulat.* CAROLI *VII. Tom. 2. p. 433. in Capitulat.* CAROLI *VI.* habetur: *rechtmäßig hergebrachte Statuta*; deſunt illa verba *allerdings beobachtet, und dagegen*; quae Capitulationi CAROLI *VII.* primum inſerta ſunt.

Ceterum mens noſtra hic nequaquam eſt, omnem generatim hanc de Statutis Eccleſiarum Germanicarum materiam quam utilem aut diffuſam hiſce pagellis complecti. Quare ea tantum, quae de hac re neceſſaria omnino ſunt, principia paucis determinamus Avide rerum Eccleſiaſticarum Germaniae ſtudioſus quivis exſpectabit, quam de Statutis Eccleſiarum Germanicarum generatim promiſit, lucubrationem Celeb. DÜRR *in Diſſ. de Annis Carentiae Mog. 1772. f. 79.*

§ II.

Cuilibet Collegio licito vel ex ipſis juris publici univerſalis principiis facultatem competere, pro componendis, ordinandis, dirigendis Collegii rebus propria ſibi Statuta condere, nemo erit ſane, qui ambigat. Etenim dum Collegia ejusmodi in rempublicam auctoritate legitima admiſſa ſunt; concedi quoque ipſis debent ea, ſine quibus porro ſeſe conſervare vel omnino non poterunt, vel ſaltem ſtatum ſuum, ut ita dicam, non ſatis vegetum, florentemque tueri. Ne vero ex ejusmodi ſtatutis noxium quidquam in rempublicam dimanet, aut ſub eorum praetextu, atque patrocinio abuſus potius manifeſti foveantur; Principi procul dubio jus eſſe ſupremum, de ſtatutis notitiam exigendi, eadem examinandi, aut etiam, ſi gravis cauſſa exigat, abolendi, vel ex eo lucet, tum quod reipublicae indemnitati conſulere, praecipuum Principis ſit officium; tum quod, Collegia ejusmodi, eoquod in republica exiſtant, ejusdemque beneficiis gaudeant, hujus utique ſupremo fini, & ſaluti adeo adverſa eſſe nequeant, ut potius cum iisdem conſpirare debeant.

Cuilibet Collegio licito permiſſum eſt, ſtatuta ad ſui conſervationem condere.

Demonſtrant haec omnia uberius HAMMER *in Diſſ. de eo, quod ex jure publico univerſali circa collegia &c. juſtum eſt. Bamb. 1744.* NETTELBLADT *Jurisprud. Nat. P. 2. L. 1. A. 5. 492. ſeqq.* UNGER *Diſſ. de eo, quod circa obſervantias & Statuta Eccleſiarum, piorumque Corporum, municipiorum, Collegiorum &c. juris eſt. Wirceb. 1754. Art. 1. & 2.* SCHMIER *jurisprud. publ. univ. L. 5. C. 1. Sect. 3. de Varietate Subditorum ex ſtatu univerſali &c.*

§. III

Proteſtantes equidem poſtquam Eccleſiam ſuam nonniſi ejusmodi Collegium eſſe in republica exiſtens ex ſyſtemate ſuo recentiori, exinde Collegiali nuncupato

Jus condendi ſtatuta Collegiis Ca-

nonicorum competens.

nuncupato, asserunt; universim ei plus quidquam, quam jus ferme ad normam eorum, quae §. praecedenti dixi, statuta condendi non concedunt. Nemini autem non est notum, Catholicis Ecclesiam esse rempublicam sacram, profanae civitati in rebus ad jurisdictionem spiritualem & sacram spectantibus minime obnoxiam. In Ecclesia hac universa inprimis, deinde in qualibet particulari tanquam Collegia peculiaria praecipua considerari possunt coetus Canonicorum, ex quibus Ecclesiae hodie ita dictae *Cathedrales* atque *Collegiatae*, conflantur. Competit autem cuilibet Collegio ex §. *praecedenti* jus, ad sese conservandum dirigendumque, statuta sibi condere, quare id vel ex eo solo coetibus Canonicorum denegari nequit.

* Statutum hujusmodi cum sit actus Capituli insignis, modo ad hos actus requisito confici debet. Itaque fieri debet 1. a Capitulo debite congregato. 2. Cum omnes concernat; etiam omnes vocari debent. *Arg. Cap. bonae memoriae* 36. *de Elect.* 3. Ut saltem duae tertiae Capitularium conveniant, requirunt cum aliis REIFFENSTUEL *ad Tit. de constit. n.* 88. BARBOSA *de Canon. C.* 42. *Arg. L.* 3. *& 4. ff. quod cujuscunque univers. nom.* In Statuto Ecclesiae *Hildesheimensis A.* 1419. apud GEORG. LUD. BOEHMER *in Observat. Jur. Can. Obs.* 7. *f.* 322. ita ad hanc rem dicitur: *Inprimis quidquid major pars nostri Capituli secundum numerum personarum & capitum in tractatibus quoad justitiam dictaverit, illud servetur.* Quemadmodum vero Principi jus est, Statuta hujuscemodi examinandi, atque si id reipublicae salus exigit, mutandi abolendique; ita idem procul dubio Episcopo tanquam Dioecesis suae Hierarchae, quique proin pro ejus salute curam omnem impendere debet, circa haec Statuta Canonicorum juris omnino competere, extra controversiam est.

** Extant proinde ferme cum origine cujusque Ecclesiae eosdem natales habentia ejusmodi statuta; in quam rem recte dicunt delegati *Moguntini* HERMANNUS ROSENBERG *Scholasticus* ad B. V. M. & JOANNES LORCH *Protonotarius* Decretorum Doctores pro erectione Ecclesiae regularis in *Flonheim* in Collegiatam Canonicorum apud WÜRDTWEIN *in Dioecesi Mogunt. in Archi-Diaconatus distincta Comment.* 1. *p.* 112. "*volentes utilitati dictae Ecclesiae & personarum ejusdem tranquillitati providere attendentes, quod personis in eodem Collegio degentibus nihil utilius, nihil commodius, nihilque quietius sit, quam certis legibus, ac Statutis regi & gubernari &c.*" Canonici in aditu praebendae tenentur, juramento se ad statuta legitima observanda obstringere. Vide WÜRDTWEIN *l. cit. pag.* 117. Juramentum in *Statutis Eimbeccensibus* apud DE LUDEWIG *Reliq. Msc. Tom.* 10. *f.* 122. L. B. DE GUDENUS *Tom.* 5. *f.* 30. Statuta *Ecclesiae S. Dionysii Leodii in sacrae antiquitatis monumentis Historicis, Dogmaticis, Diplomaticis*, CAROLI LUDOVICI HUGO *Abbatis Stivagii Tom.* 2. *f.* 439. Subin jus condendi statuta in erectione Ecclesiarum expressis verbis concessum legitur, ut in processu Fundationis *Ecclesiae S. Mariae Magdalenae in arce S. Mauritii oppidi Hallensis* ab *Archiepiscopo* ERNESTO *&c.* apud DE LUDEWIG *Reliq. Msc. Tom.* 11. *f.* 456. & dum erigeretur Ecclesia *Cathedralis Viennensis* in Bulla PAULI *IV.* apud eundem *Tom.* 4. *f* 315. Unum optandum esset maxime, ut

ad

ad plurimam lucem Hiſtoriae Eccleſiarum Germanicarum, & Juri Eccleſiaſtico Germanico affundendam ii, quibus occaſio ad id & ſubſidia ad manus ſunt, ſtatuta quaevis Eccleſiarum noſtrarum tum adhuc exiſtentium, tum vero etiam injuria temporum fortaſſis extinctarum publici Juris efficere vellent. Laudatus jamdum WÜRDTWEINIUS de Jure Eccleſiaſtico Germanico denuo optime mereri pergens in *Subſidiis diplomaticis ad Jus Eccleſiaſticum* ante aliquod tempus edi coeptis, quorum aliquot plagulae jam in manibus meis ſunt, *Statuta* antiqua *Eccleſiae Francofordienſis ad S. Bartholomaeum exhibentes, p.* 1. Statuta alia jam in variis operibus extantia recenſet.

§. VI.

Horum ſtatutorum varietas.

Statuta porro ejusmodi, praecipue quantum ad noſtrum ſcopum, dividi poſſunt (a) in ſtatuta, quae vel juri communi quadam in re adverſa ſunt, aut contra jus; aut potius jus magis firmant, roborantque; aut demum aliquid decernunt jure communi non definitum. (b) Alia vel a ſuperiore, uti Epiſcopo aut Pontifice approbata ſunt, atque ratihabita; quo referenda ſunt ea, quae delegatis ſuperioris ipſius annitentibus, atque praeſentibus quondam ſunt confecta, aut adprobata hoc modo necdum ſunt. (c) Quoad objectum alia concernunt negotia, resque mere ſpirituales; alia pro objecto etiam habere poſſunt, etſi ſtatuta ſint cujusdam Eccleſiae, res mere temporales, quibus addere potes confecta pro rebus & negotiis mixtis, ſive ad utramque poteſtatem ſpiritualem & Eccleſiaſticam, tum ſecularem ſpectantibus. (d) Quoad tempus, quo confecta ſunt, probe ſecernenda ſunt ſtatuta Eccleſiarum jam antiquiora; quo nomine hic intelligimus ea, quae ſaltem jam ante Concordata tum Principum ita dicta, tum Aſchaffenburgenſia condita ſunt; alia autem pactis iſtis publicis recentiora ſunt, atque poſt illa demum erecta.

* Jus commune ipſo uſu receptum, firmatumque abrogare, in poteſtate eorum, qui nonniſi ſubditi ſunt, poſitum non eſt. Quare ſtatuta contra illud a Collegiis Canonicorum fieri non poſſe per ſeſe conſequitur: RIEGGER ad *Tit. de Conſtit.* §. LXXXII. VAN ESPEN in *Vindic. Diſſ. Can. de pecul. & Simon C.* 3. §. 4. adde *c.* 6. *c.* 12. *de Conſtit.* Quodſi ſimile quid aliquando factum, hodieque tanquam legitimum aut probatur aut toleratur; titulo Conſuetudinis, quae etiam contra jus valet, potius niti dicendum eſt, quam ſtatuti legitimi. A Statibus nihilominus Imperii in terris ſuis etiam adverſus id, quod in Comitiis pro Lege communi privata decretum eſt, ſtatui aliquid poſſe plures juris publici interpretes docent aliis diſſentientibus; de quo vide *Diſſ. de Statuto Legibus Imperii repugnante hic* 1747. Praeſide FRANCISCO ALEF. Sed nempe, quoniam hi alia longe ratione intuitu formae Imperii noſtri, quam Collegia hujusmodi Canonicorum quantum ad jus Eccleſiaſticum commune conſiderandi ſunt. Jus ipſum commune etiam ſtatutis firmare laudandum eſt praeprimis: Immo & illa, quae hoc jure definita non ſunt, hac ratione ſaltem ad controverſias varias amoliendas, occupandasque, abuſusque cavendos determinare.

** An

** An autem ut ſtatuta ejusmodi ſint legitima, Superioris Confirmatio neceſſaria erit? Ego ita exiſtimo: Quemadmodum in cujusque poteſtate poſitum quoque eſt alias, Collegio ſeſe licito aggregare, id quoque facere ea conditione poteſt & debet, ut quae majori parti placuerint, ipſe quoque rata habere velit, atque ad ea exequenda, quantum eſt in ſeſe, opis conferre; ita quoque ſtatuta ejusmodi hac ratione ab ejusmodi Collegiis condi poterunt, ut ex vi pacti, obligationisque hujus generalis ſub ipſum ingreſſum in Collegium in ſe ſuſceptae membra adſtringantur novis conventionibus Collegii aliunde non reprobatis, etſi fortaſſe a Superiore non confirmatis. Conf. NETTELBLADT *l. cit.* §. 515. *ſeqq.* Ut vero vim Legis proprie acceptae habeant, hanc imprimis confirmationem neceſſariam eſſe: deinde quodſi illa deſit, ſaltem adverſus extraneos praeſertim, ſi aliquod horum praejudicium ſtatutis hiſce involvatur, in judiciis & quoad Superiorem ipſum, hujusque ſucceſſores vim quandam atque robur ſtatutis ejuscemodi nullum fore. Ita Imperator in Reſcripto *an das Stift Thorn* 1727. 5. *Decembr.* inquit apud MOSER *Tract. Von den Kayſerlichen Regierungs-Rechten und Pflichten* 14. *Cap. pag.* 311. "*Ihro Kayſerliche Majeſtät konnten nicht befinden, wie in daſigem Stift eben keine andere, als altgebohrne Reichs-Gräfinnen zugelaſſen werden ſollten: Immaſſen ſolches weder der Fundations-Brief, noch NB. die von Kayſerl. Majeſtät confirmirte* Statuta *erforderen.* Turbis aliquando non levis momenti anſam dedit ſtatutum ejusmodi aliis aliqua ratione in praejudicium cedens, etſi a Superioribus confirmatum apud celeb. HAEBERLIN *Hiſtoriae Tom.* 7. *pag.* 394.; dum Capitulum Cathedrale *Auguſtanum* accedente conſenſu Epiſcopi JOANNIS SECUNDI A. 1475. conciperet ſtatutum, quo liberi patritiorum quoque Auguſtanae civitatis a Canonicatibus Eccleſiae Cathedralis excludebantur; idque ſtatutum a SIXTO *IV.* quoque confirmatum fuiſſet: cum eo non obſtante ab INNOC. *VIII.* e *Fuggerana* gente tum adhuc patritia quidam, & *Bernardus Artztius* Canonicatus in Eccleſia Cathedrali obtinuiſſent; Capitulo illos admittere recuſante MAXIMIL. I. ſenatui potius civibusque Auguſtanis favit: *Comitia* vero *Norimbergenſia* 1487. expetiere ab INNOCENTIO *VIII.*, ut quidem filii civium non omnino excluderentur; negotiis tamen Capituli ſeſe immiſcere non poſſent, iis ſolum aliis Canonicis permiſſis. Rationes hujus poſtulationis prima fronte paradoxae vide in MÜLLERI *Reichs-Tags-Theatro unter* MAXIMIL. *I. P.* 3. 6. *Abtheil. C.* 28. *p.* 136. *ſqq.* & aliis ab HAEBERLINIO citatis.

*** Ita ſane quoad haec ſtatuta diſcernit Aula Caeſarea, cujus rei luculento eſt exemplo, ſi quid in illis de cauſſa Nobilitatis ad praebendas requiſitae diſponatur. Ita concluſo *Senatus Imp. Aulici* 11. *April* 1755. *in Cauſſa Johanniter-Ordens Obriſter Meiſter in deutſchen Landen* contra *den Freyherrn von Schauenburg* apud MOSER *loc.* ante *cit. p.* 308. "*Wie nun Ihro Kayſerliche Maj. bey dieſem lediglich in das Weltliche einſchlagenden, und die Kayſerliche* Privilegia *und* Statuta *des Johanniter-Ordens in deutſchen Landen, auch die Gerechtſame des geſammten deutſchen Adels betreffenden Fall als obriſten Richter, Schutz- und Schirm-Herrn die Cognition allein zuſtehe.* Eadem ratione diſtinctum eſt in cauſſa celebri noſtris diebus in Ordine *Teutonico* inter Statuta concernentia *temporalia Ordinis & intrinſecam* ejus, atque *Capituli*, quod vocant,

vocant, *magni* & regiminalis *conſtitutionem.* Vide *Neueſte Staats-Acta Tom.* 3. *f.* 88. *ſqq.* ubi ita dicitur in Inſtrumento: "*Provocatum ad Sanctam Sedem in iis, quae Eccleſiaſtica & Spiritualia concernunt, nimirum immutationem Status Capituli Regiminalis & generalis, qualitatem Capitularis Senatus praeceptoribus Balliviae Franconicae innatam, Votum S. Obedientiae &c.* Sed vide Concluſa Senatus Imperialis Aulici *in den neueſten Staats-Angelegenheiten, Erſten Bandes* 2. *Stük, f.* 244. Item *Neue Staats-Canzley Tom.* 23. *f.* 255. *Tom.* 24. *f.* 229. *Tom.* 25. *f.* 322. *Tom.* 27. *f.* 396. *Tom.* 29. *f.* 238. *ſqq.* MOSER *Neueſtes Staats-Handbuch* 1. *Theil* 3. *Buch*, 20. *Cap. p.* 356. 2. *Theil* 3. *Buch*, 26. *Cap. p.* 248.

**** Hanc diſtinctionem pro ſcopo hoc meo maximi eſſe momenti, vel ex eo patet, quia vel primis Juris noſtri Eccleſiaſtici ſaltem amoenioris lineis tincto illico apricum eſt, longe aliam rationem nationis noſtrae quoad Sedem Apoſtolicam fuiſſe ante illa pacta, atque poſtquam ea inita fuere.

§ V.

Ad quae ſtatuta ſe protectio Imperatoris extendat?

Ad quae vero nunc ſeſe ex diverſis hiſce ſtatutorum claſſibus ea protectio protendit, quam iis Caeſar in Capitulatione ſua ſpondet? Ad ea inprimis pertinere nulla ratione videtur, quae contra jus ipſum commune concepta ſunt; haec enim cum legitima ſatis non ſint; neque mens ſummorum Principum, pactum Regium cum Imperatore conficientium neque hujus ipſius mens eſſe poterit, ejusmodi ſtatutis protectione Caeſarea auctoritatem adjicere; niſi fortaſſe deinceps vel privilegio, vel alio titulo ſtatuta hujus generis, etſi in ſua origine non ſat legitima, robur nacta fuiſſent. Quoad alia, quae juri communi conformia ſunt, tum quidem haec omnino verbis Capitulationis comprehenduntur, peculiari protectione tamen indigere non videntur vel ex eo, quod juris ipſius auctoritate atque praeſidio ſatis tuta ſint; ad illa itaque quae plura jure communi non definita determinant, res potiſſimum redit.

* Sane vel uno illo laudatiſſimo Caeſarum exemplo LEOPOLDI praecipue M. in *Dec.* 1698. quo capitulationes illas cum Epiſcopis procul dubio Eccleſiarum ſtatutis, ut praetendebatur, conformes rejecere, patet ſane quam luculente, mentem Caeſarum non eſſe, permittere, ut quae jure communi ſaluberrime conſtituta ſunt, per ſtatuta ejusmodi ſubruantur, non ſine magno ſubin diſciplinae Eccleſiaſticae praejudicio. Quod Imperatores ipſam obſervantiam, quae ſaltem iis ſuffragari videtur, tam facile legitimam non habeant, patet ex *Reſcripto* ad Eccleſiam *Thorenenſem* citato, ubi dicitur: "*Wo beynebens auch, da man ſich hierinfalls auf das Herkommen beziehen wollte, noch allzeit ein groſſer Anſtand ſeyn würde, ob die Capitulares eine dergleichen zu merklichen Abbruch der Allerhöchſten Kayſerlichen Authorität, wie nicht weniger .... gereichende Obſervanz ohne Kayſerliche Vorbewuſt und ſpeciale Einwilligung* privata authoritate *einzuführen, und hierdurch die Eigenſchaft der erſten Fundation ſolchergeſtalten zu ändern ſich haben ermächtigen können &c.*"

§. VI.

Ad quae porro? Quod nunc porro reliqua concernit Eccleſiarum Statuta; tum quidem diſcernendum eſt inprimis, an temporalia, an ſpiritualia concernant; priori in caſu recens ſine ſuo praeſcitu introducta tanquam ſat legitima Caeſar non habet, atque ita ad illa verba Capitulationis minime vult extendi: * Si circa ſpiritualia verſantur, plurimum refert, an Statuta ejusmodi jam extiterint tempore Concordatorum initorum; quo caſu omnino ad illa pertinere Verba Capitulationis dicenda erunt. Quodſi nonniſi poſt ea primum ſunt condita, atque in iis contineatur aliquid, quod eſſe praejudicio queat juribus Pontifici per Concordata quaeſitis; tum denuo ita diſtinguendum exiſtimo, an nihilominus confirmata ſint a quodam Pontifice, vel non? Si prius: Denuo verbis Capitulationis comprehendi videntur; non vero, ſi hac ratione a Sede Apoſtolica rati habita non fuerint. Quod quidem ſtatuta tempore Concordatorum jamjam extantia concernit; tum profecto nemo ſanus alia ratione dicet pacta illa cum Sede Apoſtolica inita fuiſſe, niſi ſalvis cetera, ubi expreſſe iis derogatum non fuit, peculiaribus Eccleſiarum ſtatutis. ** Quod attinet Concordatis poſteriora, tum equidem hodie ſatis expeditum eſt apud eos, qui ſanius de his rebus ſentiunt, a neutra parte ſeorſim Concordatis iſtis aliquid in praejudicium ſtatui poſſe. Quare id fieri in praejudicium jurium ſuorum, novis ab Eccleſiis Germanicis ſtatutis initis, Pontifex utique permittere non tenebitur. Eo vero ipſo, quod & haec a Sede Apoſtolica confirmata fortaſſis ſint, neque ejusmodi quoque privilegia pro lubitu a ſucceſſoribus revocari queant; ad hujus quoque generis ſtatuta Imperatoris ſeſe protectio ex pacto Regio extendere debebit. ***

* Patet, quod dixi, ex exemplis jam allatis: equidem ut ait celeb. L. B. KREITMAYR *in den Anmerkungen ad Cod. Bav. p.* 2023. ſunt, qui exiſtiment, illa ſaltem generatim per verba *Art.* 14. §. 1. *Capitulationis* confirmata eſſe. ſed alia non intelligit Aula Caeſarea, quam quae fundationi conformia ſunt, aut alias ſpeciali ejus praeſcitu & conſenſu ſunt introducta; teſte eodem, & apud MOSERUM *l. cit. p.* 312. Senatus Imperialis Aulicus 25. *Julii* 1737. in *cauſſa L. B. von Reck in Steinfurth, und Grafen von Pettenberg Lehnhauſen* ita pronuntiavit in favorem prioris: „*Weilen die Reception ſeiner Geſchlechts-Wappen in anderen Erz- und Stiftern Reichskundbar ſeye, und* ſub praetextu *eines nit erweiſslich, oder allenfalls ungegründeten Herkommens* immedietatis recipiendorum *deren* Agnaten *die auffchwör- und* Poſſeſsnehmung *der* Dom-Praebend *nicht aufbehalten, noch gehindert werden möchte, kayſerl. Maj. auch nit zugeben könnten, daſs durch dergleichen vermeintliche* Obſervantien, *oder* NB. ſtatuta *zum gröſten* praejudiz *der Allerhöchſten Kayſerl. Vorrechte, auch reſp. der Churfürſten, und Ständen im Reich obſchon* mediat, *doch uralt und Rittermäſsige teutſche Adel ..... gänzlich ausgeſchloſſen* &c. Verum nihilominus Concluſum hoc effectum non habuit: Quare quae ſint ſenſa Aulae Caeſareae de hac re ſine cujusque praejudicio retuliſſe ſufficiat.

** Sane

** Sane poſtquam EUGENIUS IV. ſolenni conceſſione indulſit, ut in Germania vim haberent complura decreta *Concilii Baſileenſis*, ſub ALBERTO II. acceptata; atque ita quoad *Annatas, Reſervationes* plenam ferme libertatem recuperaſſent Eccleſiae Germanicae; *Concordatis* deinde *Aſchaffenburgenſibus* Germani pro perpetua propriaque eorum fide, id, quod compenſandum Sedi Apoſtolicae pro hac conceſſione ſpoponderant, liberali ſane manu praeſtarent; nemo aequus hanc Germanorum aequitatem adeo in eorum praejudicium detorquebit, ut omnia, antiquiſſimaque ſubin Eccleſiarum ſuarum ſtatuta non vellent illaeſa, atque intacta: ea igitur, quae in pactis iſtis Aſchaffenburgenſibus exceptionis loco inita ſunt, ſtatutis iſtis attemperanda eſſe perſpicuum eſt. Quod deinde menſes Pontificis concernit, in ipſis iſtis pactis Aſchaffenburgenſibus liberum permiſſum eſt Eccleſiis Germanicis §. *III.* in Bulla confirmationis NICOLAI V. an eos recipere vellent, aut ſecus; eos vero qui illos admiſere, id eo feciſſe animo, ut porro nequidem in collatione beneficiorum ulla ſtatutorum ſuorum ratio haberetur, quis credat?

*** Eadem hic principia foveo, quae jam alibi profeſſus ſum in *Diſſ. de Imp. Concord. Proteſtore* §. X. Quemadmodum nimirum illos non probo, qui adulando jura domeſtica, atque patria produnt; ita neque vehementiores quosdam ex Recentioribus, quos nec pactorum publicorum Religio, nec principiorum ab omnibus admiſſorum, imo ab ipſismet adhibitorum evidentiſſima claritas retrahere poteſt, quin, ubi tantum de Juribus Pontificis ſermo incidit, continuo ad extrema quaeque abripiantur. Uti Concordata denuo Aſchaffenburgenſia funditus evertere conatur AUCTOR *obſerv. Hiſtor. jurid. ad Concordata ob.* 19. 21. & iterato FERRONIUS *Tom.* 3. nuper edito, dum iis, quae contra ipſum ſcripſi in *Inſtitutionibus meis*, more ſuo i. e. plane *Gothico ruſticoque* reſpondet; ægre non feret vir, cui frons diu periit adverſus eos, qui una tantum alterave in re ipſi contradicunt, ſi proximis vindiciis ſtulto reſponſurus ſum ſecundum ſtultitiam ſuam. Aequiſſime inquit CAROLUS VI. *Imp.* in Reſcripto ad Epiſcopum *Spirenſem* tanquam indultatarium Pontificium 1731. in *cauſſa Decanatus ad Ss. Germanum & Mauritium* apud *L. B.* DE CRAMER. *Nebenſtunden* 61. *Theil.* 2. *Abhandl. p.* 30. „*Ob nun wohl Ihro kayſerl. Maj. keinesweges gemeinet, NB. weder dem Römiſchen Hoff an ſeinen* ex Concordatis Nationis Germanicae *in applicirlichen fällen zukommenden Rechten einiges Nachtheil zuzufügen, noch dem Hr. Biſchofen, als* Indultatario Pontificio *an den. vraetendirenden befugniſſen, oder deren* Exercitio, *in ſoweit es demſelben von Rechts- und Gewohnheits wegen gebühren ſollte etwas hinderliches im Weg zu legen; ſo könnten doch Allerhöchſt Dieſelbe, als Obriſter Schuz- und Schirm Herr derer deutſchen Stifter und Kirchen auch in Kraft tragenden Allerhöchſten kayſerl. Amts ſich nicht entbrechen, Ihro Reichs väterliche Sorgfalt dahin anzuwenden, daſs die Erz- Dom- und andere Stifter, nach Einleitung der kayſerl. geſchwornen Wahl-Capitulation Art.* 14. §. 1. *bey ihren rechtmäſſig hergebrachten ſtatuten, und Gewohnheiten gehandhabet ..... wider ſolche ihre erlangte Rechte in keine Weiſs gehandelt werden mögte.* Adde quae ex SENCKENBERGIO habet ZALLWEIN *Tom.* 3. *f.* 318. & ex BARTHELIO *Tom.* 4. *f.* 434.

§. VII.

Effectus hujus protectionis.

At quisnam protectionis hujus Caesareae effectus? Quod eundem generatim spectat, is quidem ex parte Ecclesiarum Germanicarum erit, ut, si quo in casu verbis Capitulationis comprehenso, statuta sua laedi existiment, recurrere queant ad Imperatorem. * Supremaque Imperii dicasteria, immo ipsa Comitia. Atque in his ad Collegium Electorum tanquam ex praecipuis jurium etiam Ecclesiis Germanicis debitorum defensoribus conflatum; ** Imperator quoque Ecclesiam ad sese confugientem audire, querelas ejusdem examinare, officiisque suis interpositis, & executione non permissa remedium afferre teneatur.

* Pluribus de his non commemoro, quoniam quae huc spectant, in *Diss. de Imperat. Concordat. Protectore* jam, quantum satis, exposui. atque recursum istum sacris Canonibus & immunitati Ecclesiasticae adeo non adversum ostendi, ut potius iisdem conformis dici debeat. Adde AUTOREM *Concordatorum Nationis Germanicae integrorum additamentis illustratorum p.* 337. & quae jamjam temporibus antiquioribus acta sunt in simili eventu a Majoribus nostris apud HONTHEIM *Hist. Trev. Diplom. Prodrom. f.* 562.

Effectus sese hic etiam prodit, dum ab aliis praeterquam a Curia Romana Ecclesiarum statutis videtur praejudicium fieri, ita dum libertas Electionis in bello nupero non permitteretur Ecclesiis *Westphalicis* pluribus, rescripsit Imperator inter alia hoc modo: „ *Es seye nicht weniger bekannt, dass Ihro kayserl. Maj. in Dero Wahl-*Capitulation *Art.* 14. §. 1. *versprochen haben, denen Dom-Capitulen ihre* Privilegia, *NB. hergebrachte* statuta, *und Gewohnheiten uneinbeträchtiget zu lassen, mithin Allerhöchst Dieselben, als Reichs Oberhaupt, und Obrister Schuz- und Schirmherr sich nicht entbrechen können, diejenige Capitul, welche in ihren betrangten Umständen zu Ihro kayserl. Maj. ihre Zuflucht nehmen, und um Dero Allerhöchsten Schuz anflehen, bey ihren Rechten und Freyheiten zu handhaben, und wider alle Eingriffe nachdrükſamſt zu beschüzen.*

Gleichwie aber aus obigem wahren Verhalt der Sachen offenbar am Tage liget, dass die Dom-Capitul zu Paderborn und Münster sich hierinfalls nach der klaren Vorschrift der Reichs-Satzungen, auch Geistlich- und weltlichen Rechten, durchgehends betragen, und bey dermaligen Umständen, welche mehr als jemals die beschleunigung der Wahl erforderen, ihren Stifts-Kirchen würdige Häupter, kayserl. Maj. aber, und dem Reich getreue patriotische Fürsten, und Mitstände darzustellen sich angelegen seyn lassen: also ist hingegen die Hemmung mehrgedachter Bischofs-Wahlen von seiten derer dortigen Kriegs-Völker der deutschen Reichs-Grund-Verfassung, und insonderheit dem westphälischen Frieden, an dessen Aufrechthaltung dem Kayser und Reich so viel gelegen ist, schnurgrad zuwider, da sie nicht nur den unmittelbaren deutschen Reichs-Stifteren ihre unwidersprechliche Befugnisse und Gerechtsame entziehet, und denen Reichsständischen Praerogativen *überhaupt nach Willkühr Ziel und Maass sezet, sondern auch Ihro kayserl. Maj. Allerhöchste Vorrechte selbst auf das empfindlichste verlezet, und deren Ausübung auf eine so ausschweiffende Art verhindert, dass auch in den misslichsten Weltläuften zu dergleichen vorsezlichen Unord-*

Unordnungen und Verwirrungen in dem deutſchen Reich noch nie geſchritten worden, davon die nicht zu überſehende Folgen die Erſchütterung, und den Umſturz des ganzen Reichsweſens anzudrohen ſcheinen &c. „Neue Staats-Canzley. Tom. 5. p. 233. Immo ſi Eccleſiae hae ipſae fundationi minus reſpondent; huic quoque rei obviam ire ad ſuum Protectoris munus ſpectare imperator inquit in *Cauſſa Capituli ad S. Cyriacum in Wiſenſteig*; *Dioeceſis Conſtant.* cum Canonicatus quidam ob temporum calamitatem antea ſuſpenſi mutatis rebus in melius non reſuſcitarentur, ita in Reſcripto apud MOSER *Neueſtes Staatshandbuch 2. Theil p. 2.* dicitur: *„Da nun kayſerl. Maj. Kraft Dero Allerhöchſten Amts, und als* Advocatus ſupremus *derer deutſchen Kirchen desfals Einſicht zu nehmen, gemüſſiget ſeyen; als ſolle der Herr Biſchof ſich ſeines biſchöflichen Amtes gebrauchen, und was es mit dieſer ſo langen* Quieſceuz *vor eine Beſchaffenheit habe, behörig unterſuchen, und, wann ſolche Praebend etwa reſuſcitiret werden könnten, befindenden Umſtänden nach, Dechant und Capitul zur Verantwortung ziehen, ihnen die Widerherſtellung* ſub brevi termino *anbefehlen, und wegen des ſämmtlichen Vorgangs, ſo dann kayſerl. Maj. den forderſamſten aller unterthänigſten Bericht erſtatten„ &c.* Adde quae ibidem *p. 3. & ſeqq.* habentur *in Cauſſa praebendae primae gratiae* † nulli, niſi *Profeſſori* actu docenti conferendae.

† De hac re alia occaſione ad illa *Capit. Art.* 14. §. 1. verba: unförmliche Gratien &c. fors agemus: interim vide BUDERUM *in Synmictis* L. 2. Obſ. 11.

** In hanc rem ait apud MOSER *ad capitulat.* FRANCISCI I. *Tom. 1. f.* 179. EMINENTISS. MOGUNT. in literis ad INNOC. XII. 1699. *„In Germania nonniſi Germani ad Eccleſias Cathedrales, iique ex praecipua nobilitate admitti poſſunt, ex eo inter alia, quod ex gremiis harum Eccleſiarum eligantur Epiſcopi & S. R. I. Principes: cognitio autem an et quis vere nobilis Germanus cenſendus ſit, utpote de re politica Imperatori aliisque Germanis competit. Haec S. V. ut S. R. I. Archi-Cancellarius, cui NB. protectio Privilegiorum Germaniae & praecipuae nobilitatis incumbit, exponere volui.*

§. VIII.

Corollarium ratione Concordatorum.

Ex fundamentis hiſce nunc rite poſitis facile erit, illi quaeſtioni reſpondere, an qui beneficium in Eccleſiis Germanicis obtinere cogitat a Pontifice, ad ejusdem collationem etiam ex Concordatis ſpectans, praeter ea, quae jus commune requirit, iis etiam requiſitis praeditus eſſe debeat, quae ſtatuta vel Concordatis antiquiora, vel ſaltem poſtea a Pontifice confirmata poſtulant: Sane qui ſecus ſenſere ex Canoniſtis antiquioribus. hac quoque in re, uti & alibi ferme ſemper ex abſtractis ſolum, de Pontificis poteſtate, de qua hic minime diſputare volumus, ideis rem dimetientes, eorum, quae ex pactis legitimis atque privilegiis ab utraque parte ratihabitis Eccleſiae noſtrae ſibi peperere jura, rationem nullam habuere. Neque, ſi ſecus quidquam etiam ſubin factum legimus, id tam Pontifici tribuendum, cujus vera & genuina mens in dubium non

vocanda, ut ajunt *Sereniſſ.* ELECTORES *in ihrem Geſamt-Schreiben 1764. ad Imp.* quam aliquibus fortaſſe in ipſa Curia horum jurium non ſatis gnaris, aut principiis circa ipſa haec pacta a nobis minime agnitis, innutritis. Inde & per ſeſe corruit, quod inquiunt, Summam Sedem hiſce ſtatutis minime obligari; id enim quod diximus, nequaquam ex vi & poteſtate horum ſtatutorum aſſerimus; ſed ex eo, quod Concordatorum noſtrorum mens alia non fuerit, quam beneficia iſthaec ad mentem ſtatutorum in Eccleſiis noſtris impoſterum conſerenda eſſe.

* Huc ſpectant; quae in gravaminibus ſuis Germani de 1510. & 1521. *C.* 21. expetierunt de beneficiis ſuis nonniſi indigenis conferendis; de quo confer ENGAU *Diſſ. de jure indigenarum Germ.* §. 20. *n.* 8. BOEHMER *I. C. P. Tit.* 5. §. 91. Ea, quae acta ſunt in Cauſſa receptionis cujusdam de BOVILLE *Wormatiae*, & DE BERLEPS *Conſtantiae* apud FABRI *Alte Staats-Canzley Tom.* 5. PFEFFING *Tom.* 3. *f.* 108. In qua poſteriori controverſia ait LEOPOLDUS Imperator pientiſſimus in *Reſcripto* ad *Comitem* DE MARTINIZ Oratorem ſuum, apud *eundem l. cit.* & in aliis literis ad *Cardinalem* CIBO 1681. .... in cauſſa *Hermanni Lotharii ab Auwach*: „ *ſane cum noſtra hac in parte interceſſionis officia dictum Capitulum ſolicite requirat, pro ratione muneris noſtri Imperatorii, qua Ordinum, Statuumque Imperii, ac praeſertim Eccleſiaſticorum jura, privilegiaque, ac NB. ſtatuta antiqua protegere, & conſervare nobis incumbit; non poſſumus, quin &c.* „

§. IX.

Aliud Corollarium.

Porro eoquod Concordata noſtra ea ratione interpretanda ſint, ut quantum fieri poteſt, ſalva perſiſtant ſtatuta Eccleſiarum Germanicarum ſaltem ea, quae tempore Concordatorum jam extiterunt; ſequitur ſua ſponte, ut, ſi qua dignitas in Eccleſiis noſtris vi horum ſtatutorum uni electioni tempore Concordatorum obnoxia fuerit, ea ſub menſibus Pontificiis de ſe loquendo non comprehendatur: Quod ipſa ſatis concordata indicare videntur, quae *beneficii* tantum vacantis mentionem faciunt, ubi de his menſibus ſermo fit.

* De Dignitate poſt Pontificalem majore in Eccleſiis cathedralibus, & prima in Collegiatis, deque lite noſtris diebus in intelligendo textu Concordatorum de hac re enata ſermo hic mihi non eſt: de quo videri poſſunt *inſtitutionum mearum Part.* 2. §. *LXV.* & quae ibi per ſynopſin ex Analytica demonſtratione *Anonymi* retuli ... ſed de iis ſolum dignitatibus loquor, de quibus alias expreſſa in Concordatis mentio non ſit, atque ex ſtatutis Eccleſiarum antiquiſſimis nonniſi electione conferri ſolent. Oſtendit, quod dixi, uberius BARTHEL *Diſſ.* 3. *de Concord. C.* 2. §. 22. Confirmaturque exemplis, quae AUTOR *Concordatorum Nationis Germ. jam cit. p.* 358. ſub finem ex JOANNIS *Rer. Mog. Tom.* 2. & L. B. DE GUDENUS, ſubjecit; unde elucet, illico poſt Concordata Aſchaffenburgenſia non aliam jam fuiſſe pluribus Eccleſiis Germanicis mentem. Ex Archivis aliarum Eccleſiarum eodem modo illuſtrari poſſe id ab iis, quibus ad ea acceſſus patet, ſi id laboris ſibi ſumerent,

dubium

dubium mihi non eſt. Equidem Cl. NELLERUS *in Diſſ. de certis S. Concilii Baſileenſis decretis maxime Hierarchicis a Germania & Gallia A.* 1438. *& 1439. acceptatis, Germaniae ab* EUGENIO *IV. S. P. ſpecialiter indultis per harum Nationum cum S. Sede concordata A.* 1448. *&* 1516. *immutatis vel non* 1764. diſtinguit *C.* 2. §. *IV. not.* 4. inter dignitates, quae Electum non donant altiori loco in Choro, & quae talem ipſi tribuunt. prioresque concedit reſervationi ex Concordatis etiam obnoxias eſſe. Atenim ex iis, quae hucusque ſtatui, principiis ſufficere exiſtimo, quod & hae ex legitimis Eccleſiarum ſtatutis ſub ipſa jam tempora Concordatorum electione nonnili conferri ſolitae fuerint; praeterquam, quod ſatis ſit illas, etii altiorem ejusmodi locum non tribuant, beneficii tamen ſimplici ratione ita dicti nomine non intelligi in materia, ubi interpretatio ad rigorem & ſtricte facienda, qualem eſſe de qua loquimur, nemo niſi ſanis deſtitutus principiis negabit. Senatum Imperialem Aulicum nobis ſat luculente adſtipulari patet ex *Reſcripto* CAROLI VI. quod extat apud L. B. DE CRAMER *Nebenſtunden l.* jam *cit. p.* 31. in Verbis: „*So könnten doch Allerhöchſt Dieſelbe ſich nicht entbrechen, Ihre Reichsväterliche Sorgfalt dahin anzuwenden, daſs ..... mithin auch wo die Collation deren Praebenden, Praelaturen, und Dignitäten jederzeit, ohnerachtet NB. in welchen Monath ſie auch ledig würden, denen Capitulen, und anderen Collatoren heimgefallen, wider ſolche ihre erlangte Rechte in keine weiſse gehandelt werden möge; immaſſen auch in gegenwärtigen Fall die klagende Stiffter mit glaubwürdigen Urkunden beſcheiniget, daſs das Stift* ad Ss. Germanum & Mauritium *ſchon von* A. 1610. M. 7*bris. dann* A. 1619. M. Januarii *ferner* A. 1688. M. Julii *nicht weniger* A. 1698. M. 8bris. *mithin jederzeit* in menſibus Papalibus *einen jedesmaligen* Decanum *nicht nur ohne einzigen Widerſpruch eligirt, ſondern auch zu dieſer* Dignitaet reſpective *würklich* poſtuliret; *deme dann der leztverſtorbene* Decanus *Hofmann* A. 1704. *abermals* per Electionem *nachgefolget; mithin alle* Electiones *und* Poſtulationes (*auſſer was ſich bey der lezteren uralt hergebrachten widriger* Proviſion *zugetragen hat*) *in bemeldem Stift jederzeit ganz ruhig, und ohnperturbirt geſchehen. Bey welcher der Sachen Beſchaffenheit Ihro kayſerl. Maj. nicht umgehen könnten, den H. Biſchofen zu Speyer Reichsväterlich dahin zu ermahnen, daſs derſelbe doch ſeinem geiſtlichen* Conſiſtorio, *oder ſeinen allzuhizigen Rathgebern nicht weiters Gehör hierinfalls ertheilen; ſondern vielmehr die Sache und dazumalen die Umſtände in fernere reifliche Erwegung, daſs es ja nicht erlaubet ſeye, ſondern allzuweit gehe, daſs Stift* quaeſt. *ſeines Wahlrechtes &c.* „

§. X.

An vero qui ab Imperatore primas preces obtinere cupit, iis quoque, quae ſtatuta Eccleſiarum requirunt, inſtructus eſſe debeat; pari ratione ex hiſce, quae hactenus dixi, prono alveo fluit: Reſpondendum omnino ea, quae ſtatuta Capitulorum legitima, antiqua jam obſervantia roborata, ipſi fundationi conformia, aut ſi recentiora ſint & temporalia concernunt, ab Imperatore ratihabita poſtulant. Sane ejusmodi ſtatutis protectionem ſuam ſolenni ratione ſpondet Caeſar: Aliis quoque Imperii Legibus intacta omnino

Corollarium aliud requiri ratione primarum precum.

eſſe

esse jubentur; & *Art. 5. §. 18. P. W.* verbis expressis nonnisi is precum effectu gaudere posse dicitur, *qui* NB. *ad normam statutorum & observantiae ad beneficium ejusmodi idoneus erit.* Quare sane non video, cur in re tanti momenti rationibus hisce tam perspicuis, rem omnino evincentibus contrarium nihilominus a nonnullis antiquioribus defensum fuerit.

* Conf. AYRER *de jure primarum precum C.* 6. JENICHEN *vom Recht der ersten Bitte einer Römischen Kayserin* §. 9. PETRUS *L. B.* DE ICKSTADT *de Jure primarum precum. Ingolstad.* 1765. §. *LVI.* REINHARD *Diss. de potestate precistae, preces Imperatoris cedendi.* §. VIII. HENNIGES *ad Art.* 5. §. 18. *P. W.* Neque Observantiam contrariam hic induci Capitula adhuc passa sunt. Equidem WAGNERECK *in Comment. exeget. f.* 494. *a* FERDINANDO II. ait, Ecclesiam quandam coactam ad precistam etiam secundum ejus statuta non idoneum admittendum: sed eo ipso, quod situ temporum sub eo Imperatore plane peculiari, invita atque reluctans coacta fuerit; exinde observantia evinci nequit. Conf. ZECH *de Jure rer. Eccles. sect.* 3. *Tit.* 10. §. 184. *not.* 3. Neque unum vel alterum praejudicium ait recte celeb. DÜRR, *Diss. de Annis Carentiae* 1772. *f.* 92. jus facere potest; neque, dum unum vel alterum Capitulum plus justo concessit, id in praejudicium aliorum allegari potest, ne jure suo utantur; nilque obstat, quin ejusmodi Rescriptis Senatus Imperialis Aulici exceptio sub- & obreptionis opponatur &c. Qui proinde Autor etiam defendit, precistam ad Annos Carentiae ex statutis legitimis introductos instar aliorum teneri.

§ XI.

Idem porro stabilitur.

Neque evincit quidquam, quod in Indulto Pontificis pro istis precibus, Statutis Ecclesiarum in favorem earundem expressis verbis derogetur, ita ut plus quidquam intuitu Candidati, quam quod ipsum jus commune postulat, non requiratur. Etenim quidquid sit de Controversia illa satis celebri inter ipsos Scriptores Catholicos circa necessitatem hujusmodi Indulti, ab aula Caesarea saltem jus primarum precum observantiae potius quam Indulto adscribi acta recentiora satis testantur.* Cui adde, quod sane Imperator ipse liberum sese nequaquam ex aliquot Indulti ejusmodi verbis habere possit obligatione pacti, Legumque Imperii primariarum, quam solenni adeo juramento in se suscepit, quarumque custodiam, atque curam eadem ratione promisit, sibi sacro-sanctam fore: quibus tamen fundamentis nititur, quod ante asserui.

* Ut non repetam ea, quae de hac re sub JOSEPHO I. acta, atque scripta sunt in utramque partem. De quo videri potest PFEFF. *L.* 3. *Tit.* 2. *Tom.* 3. *a p. m.* 89. *seqq.* sub sequentibus Imperatoribus indultum quidem ad acta positum, sed non referatum testatur MOSER *neueste Staats-Handbuch* 1. *Theil* 1. *Buch.* 2. *Cap.* Immo ex ipsa *Capitulatione Caesarea Art.* 30. *§.* 6. sequitur, quodsi etiam alias Imperator huic indulto vim atque robur tribueret, ea tamen ratione in auxilium vocari nequeat, ut promissis per Capitulationem absolutus censeri queat. En verba: „*Inmassen Wir dann mit einem*

einem leiblichen Eyde zu Gott und dem H. Evangelio beſchworen, daſſelbe fort, veſt und unverbrochen zu halten, dem treulich nachzukommen, dawider nicht zu ſeyn, zu thun, noch zu ſchaffen, daſs dawider gethan werde in einige Weiſs und Wege, wie die mögten erdacht werden, uns auch dawider einiger Behelf und Ausnahm, NB. Diſpenſationes, abſolutiones, *geiſt-oder weltliche Rechte, wie des Nahmens haben mag, nicht zu ſtatten kommen ſollen.* Tale igitur quid in praejudicium ſtatutorum legitimorum Eccleſiarum Germanicarum praetexi nequit, quorum tam ſolenni ratione Imperator ſeſe fore ſpopondit *PROTECTOREM.*

VIII.

FRANCISCI ANTONII DÜRR,

J. U. D. Eminentiſſimi ac Celſiſſ. Principis Elect. Mogunt. Conſiliarii Aul. et Regim. Actualis, in Alma Mogunt. Univerſitate Juris Publ. et Hiſtoriarum Profeſſoris P. et O. Reverendiſſ. Capitul. Metrop. Mogunt. et Univerſitatis Syndici

DISSERTATIO
DE
JUDICE CONTROVERSIARUM IN CAUSIS ELECTIONUM EPISCOPORUM GERMANIAE.

Vom
Entſcheidungs-Recht zwiſpaltiger Wahlen
geiſtlicher Reichs-Fürſten.

Moguntiae Anno 1768.

Reddite, quae ſunt Caeſaris, Caeſari, et quae ſunt Pontificis, Pontifici.

PRAEFATIO.

Mirabitur forſan eruditus Lector Diſſertationis meæ argumentum, & inclamabit mihi illud: *in Sylvam ne ligna feras.* Deſpicient dubio procul plurimi Canoniſtæ propoſitum a me Thema, quod verba voluerim facere de re per Canones & Jura Eccleſiaſtica germanica extra omnem dubitationem poſita; nec adeo inconcinne illi ſentiunt, nunquam etiam forſan hancce materiam ex profeſſo pertractandam pro diſputatione inaugurali mihi ſelegiſſem, niſi theſis hactenus a plerisque (ſi paucos quosdam ſcriptores proteſtant: exceperis) pro

pro veritate apodictica habita recentius multis clamoribus tanquam falsa & erronea fuisset oppugnata; prodiit equidem sub finem anni prioris ANONYMI cujusdam (a) scriptum sub titulo: Erörterung des Entscheidungs-Rechts in zwiespaltigen Wahlen geistlicher Reichs-Fürsten ꝛc. 1766. 8. (b) Author hujus scripti jus decidendi controversias circa Electiones Episcoporum germaniæ enatas, quæ secundum Canones & haud interruptam Ecclesiæ disciplinam sunt causæ ex principiis Catholicorum ecclesiasticæ, denegavit judici ecclesiastico & contra concordata Pontifici, illud autem invito contra propriæ religionis principia voluit obtrudere Imperatori; (c) occasionem dederat scripto huic exotico, prout ipse refert Author, controversia ratione ultimæ electionis Leodiensis a moderno Pontifice Clemente XIII. decisa: constat equidem inter omnes defuncto die 27. Januarii 1762. ultimo Episcopo Leodiensi & Ecclesiæ Romanæ Cardinali Joanne Theodoro ex Ducibus Bavariæ Capitulum Cathed. Leodiense instituta 20ma die Aprilis 1763. Electione in duas iviſſe partes, pars una Capitularium elegit ex gremio Carolum Nicolaum Alexandrum Comitem ab Oultremont,

(a) Quisnam verus hujus scripti Author fuerit, aliis inquirendum relinquo, hoc saltem eruitur ex singulis Libelli hujus paginis, quod a sacris Catholicorum fuerit alienus, id quod etiam ipse innuit pag. 157. dum scribit: Hierinn bestehen unsere Gründe. Der Eifer für die Ehre unsers Vaterlandes ist die einzige Triebfeder gewesen, die uns hat antreiben können, unsere Meynungen vorzutragen. Der Kayser, das Reich, und alle Stände desselben, von welcher Religion sie auch seyn, haben Antheil daran, daß kein fremder Prinz über ihre Mitstände, am wenigsten aber über die ersten und vornehmsten Grundsäulen des Reichs einen Gerichts-Zwang ausübe, der die Hoheit und das Ansehen ihrer gemeinschaftlichen Würde schmälert. Wir sind alle Deutsche, und uns belebet alle die nemliche Liebe für unser Vatterland. Der Ruhm und die Schande desselben prallet ohne Unterschied auf uns alle zurück. Die Verschiedenheit der Begriffe, welche wir von der Art hegen, mit welcher das höchste Wesen muß verehret werden, vermindern oder erhöhen gegen uns die politische Achtung fremder Nationen im mindesten nicht. Unzählbar waren die Götter und ihre Priester, die das Volk in Athen zertheilten: einig und unzertheilt aber verblieb seine Ehrfurcht für den Areopagus, und sein Muth in denen Gefilden von Maratont. Niemals konnte der feurige Demosten die eine Secte anklagen, daß sie weniger zu Erhaltung der gemeinen Freyheit beytrage, als die andere. Warum wollen dann wir uns durch Catholische und Evangelische Deutsche unterscheiden? Warum wollen diese geduldig zusehen, daß sich ein fremder Prinz unterwinde jene zu richten? sind sie nicht alle gleiche Stützen unseres Staats?

(b) Locus impressionis appositus quidem haud fuit, constabat autem mox libellum huncce Francofurti typis Eslingerianis fuisse editum.

(c) Author eatenus imitatus fuit Ludewigium: huic enim solenne fuerat simile offerre orbi litterato partus, abstulit ille sæpius pacis pertæsus jura legitimis possessoribus & obtrudere illa voluit aliis invitis, ridebant autem cordati omnes hæc somnia Ludewigiana, iisque dispersis plerumque abivit inglorius.

tremont, (*d*) altera vero elegit modernum Sereniſs. Electorem Trevirenſem Clementem principem regium Poloniæ ex ducibus Saxoniæ Brevi eligibilitatis proviſum; (*e*) cumque neutra pars vellet alteri cedere & ſic diſcors maneret electio, declaravit ipſa electionis die, obtenta duplicis hujus electionis notificatione, Commiſſarius Cæſareus ad hanc electionem ablegatus Comes de Pergen authoritate Cæſarea, quod hujus determinatio controverſiæ tanquam cauſæ mere eccleſiaſticæ Pontificis deciſioni relinquatur, inhibuit autem ſimul, ne lite pendente quisquam ex Electis pro Episcopo & Principe Leod. ulla ratione ſe gerat, contulitque adminiſtrationem temporalium principatus Leodienſ. Capitulo Cathed. (*f*); ratihabuit quoque hanc declarationem Auguſtiſſimus Imperator Franciſcus in reſcripto ad Capitulum Cathed. Leod. die 30. Aprilis ejusdem anni dato (*g*); morem geſſit mandatis Cæſareis uterque Electus & cauſa

(*d*) Capitulum Cathedrale Leod. tum temporis conſiſtebat ex 51. eligentibus, pro Comite Ultramontano fuerunt ſuffragia 31. pro Sereniſ. Clemente Principe Saxon. 19, pro Canonico Glimes unum vid. inſtrumentum Electionis peractæ die 20. Apr. 1763. in *Summario reſtrictus facti & Juris pro Clemente Principe Saxon.* N. 27.

(*e*) Eligibilitatis indultum ad eccleſias Leodienſ. & Friſing. die 14. Februarii an. 1763. conceſſerat modernus Pontifex Clemens XIII. Principi Clementi non obſtante ætatis & Ss. ordinum defectu, & non attento, quod earundem Eccleſiarum Canonicus ſeu Capitularis haud eſſet. vid. in Summ. cit. N. 2.

(*f*) Declaratio ejus quoad formalia fuit ſequens: il s'eſt malheureſement trouvé, qu'un moment avant, que le Baillif du Chapitre vint lui annoncer une ſeule election en faveur du Comte d'Oultremont, quatre trefonciers lui annocerent deux elections faites, l'une en faveur de Monſ. le Prince Clement de Saxe, & une autre en faveur de Mr. le Comte d'Oultremont, qu'ils declarerent non Canonique au nom de tout leur parti, il s'enſuit, que la deciſion de la Canonicité de l'une ou de l'autre de ces deux Elections, comme d'une matiére purement Eccleſiaſtique depend de Sa Sainteté, qui doit etre attendûe avant tout: c'eſt par ce motif, que le Commiſſaire Imperial declare & defend au nom de Sa Majeſté l'Empereur, qu'avant cette deciſion faite l'un de deux elûs ſe gére en Prince de Liége en aucune façon, ce qui a empeché le Commiſſaire de Sa Majeſté d'approuver par la preſence dans l'Egliſe l'une ou l'autre de deux Elections. Sa Majeſté veut bien laiſſer en attendant l'adminiſtration du temporel de la principauté au Chapitre Cathedrale de cette Egliſe de Liége, &c.

(*g*) In prædicto reſcripto ſequentia occurrunt, *cum Notæ talis* (ſcil. Electionis) *diſquiſitio forum Canonicum præcipue concernat, hanc eidem relinquere volumus, non poſſumus tamen, quin vobis promerita exprobremus cum diſplicentia, partem veſtrorum non tantum molitam fuiſſe Commiſſarium noſtrum Cæſareum de genuinis Electionis circumſtantiis adhibita adeo violentia celare, verum etiam ſibi arrogaſſe poſthabita mox memorati Commiſſarii noſtri declaratione arbitra-*

rio

cauſa ab iis acriter ventilata in Curia Romana (*h*), tandem ſententia in favorem Comitis Ultramontani fuit pronunciata. Contra hæc geſta mira cum protervia inſurrexit memoratus Author, acriter invehitur ille contra Commiſſarium Cæſar. (*i*), qui tamen ſuo inſtructus mandato ſecundum præcepta Im-

rio libitu ad ea progredi, quæ imperioſam propriarum molitionum deciſionem & contentionem præſeferunt; tam graviter hoc omnibus repugnat ſtatutis, debitæque nobis reverentiæ, ut competentem deſuper animadverſionem nobis omnino reſervemus: interim autem vobis hisce diſtricte injungimus, ut USQUE DUM PER SANCTAM SEDEM SUPER UNA ALIAVE ELECTIONE DECRETUM FUERIT, *nihil innovetur, ſed ad normam factæ vobis per ſuprafatum Commiſſarium noſtrum intimationis, adminiſtratio temporalium principatus Leod. interea communi, prout hucusque Sede vacante obſervatum fuit, omnium Capitularium conſilio geratur.*

(*h*) Hoc teſtantur Acta Romana in cauſa Electionis Epiſcopalis Leod. inter Regium Ser. Principem Saxon. Clementem & Illuſt. Comitem Carolum Nicolaum Alexandrum d'Oultremont controverſæ, quæ Romæ 1763. prodierunt Typis Bernabo in fol. in qua cauſa celeberrimi Cauſidici Romani inter ſe concertarunt: Pro Comite Ultramontano prodiit

1) *Reſtrictus facti & juris* cum Summar.

2) *Reſtrictus facti & juris, in quo demonſtratur Comitem ab Oultremont non habere legitimum jus Electionis contradictorem.*

Pro Principe Clemente prodiit:

3) *Reſtrictus facti & juris* cum ſummario addito *Reſponſo Juris ſeptimi Cedri J. C.* & in Romana Curia advocati,

huic ſcripto oppoſuit Comes ab Oultremont una cum Capitulo Leod.

4) *Reſtrictum reſponſionis facti & juris.* Prodiit &

5) *Reſtrictus reſponſionis facti & juris pro Principe Clemente.*

Hæc tandem Scripta excepere

6) *Reſtrictus replicationis facti & juris* cum Summario *pro Comite ab Oultremont*, &

7) *Reſtrictus replicationis facti & juris pro Principe Clemente.*

(*i*) Author pag. 139. ſcribit: Niemals hätten die Deutſche Publiciſten und vermuthlich der Römiſche Hof ſelbſt dergleichen unbewundene Ausdrücke von dem Repräſentanten des oberſten Richters im Reiche erwartet gehabt; wenn es der Papſt vorhin gewaget, ſeine Gewalt zu weit auszudehnen, ſo waren ſolche Eingriffe einſeitig, und unter dem Vorwand der geiſtlichen Confirmation geſchehen, aber noch nie war es ihnen ordentlich übertragen geworden, den Regenten des Landes und Stand des Reiches zu ernennen. Wie oft und wie ſtandhaft hatte ſich nicht das höchſte Reichs-Gericht hiergegen aufgelehnet? ſoll aber die plötzliche Entſchlieſſung eines einzeln

peratoris egerat, & licet non verbis expreſſis, ſaltem indirectis & in effectu ſæpe memoratus ANONYMUS tam Imperatori, qui geſta a ſuo Commiſſario ratihabuerat (*k*), quam conſilio Imperiali aulico, ſecundum cujus vota ad Imperatorem & conſilia integra hæc cauſa inſtructa fuerat (*l*), ignorantiam jurium

Wahl-Commiſſarius die reifen Ueberlegungen ſolcher Einſichtsvoller und patriotiſcher Männer auf einmal vereiteln, und das ganze Reich verpflichten können, mit ihm einerley Einſichten zu hegen? In dem Vergleiche zwiſchen dem Kayſer und dem Papſt wird das Recht, zwieſpaltige Wahlen zu entſcheiden denen Confirmationen deutlich entgegen geſetzt, und jenes dem Kayſer, dieſe aber dem Papſt vorbehalten. Wie kann man nun behaupten, die Entſcheidung ſolcher Streitigkeiten ſey eine blos geiſtliche Angelegenheit, welche dem weltlichen Arme entzogen werden müſſe? Wie kan vornemlich der Repräſentant eines Kayſers aus dem Durchlauchtigſten Haus Oeſterreich ſolch einen Satz annehmen, da die Könige in Böhmen und Erzherzoge in Oeſterreich dergleichen Streitſachen ihrer Erkänntniß niemals entziehen laſſen? In der Kayſerl. Capitulation Art. 14. §. 5. iſt das Verſprechen enthalten, die geiſtlichen Sachen von den bürgerlichen wohl unterſcheiden und eiffrigſt verhindern zu wollen, daß leztere nicht nach Rom gezogen werden. Vermiſchet ſelbige nun der Kayſerliche Commiſſarius untereinander, ſo bewürket die in der Capitulation gemachte Vorſehung, daß der Gegentheil daraus keine nachtheilige Folgen wider den Kayſer und das Reich ziehen könne ꝛc.

(*k*) Author pag. 142. ſcribit: der Kayſer hat ſeinen Commiſſarius zwar nicht mißkennen wollen, und desfalls an das Capitel nach Lüttich ein beſonderes Schreiben ergehen laſſen, jedoch der Innhalt und die ſchleunige Ausfertigung deſſelben zeugen klar, daß dieſer großmüthige Kayſer die Päpſtliche Gewalt nicht auch in der Folge annehmen wollen, ſondern aus bloßer Nachſicht nur auf dieſen Fall allein als ein leutſeeliger Regent dem Papſt die Entſcheidung des Streits überlaſſen wollen, weil es ihm ſein Repräſentant einmal übertragen gehabt.

(*l*) Docet hoc Protocollum Concilii Imperialis Aulici in hac cauſa præcipue dd. Lunæ 10. Octobris 1763. Lüttich Stifft die bey dermaliger Dohm-Capitulariſcher Adminiſtration dort ſelbſt entſtandene Irrungen betreffend.

Publicatur Reſolutio Cæſarea: Sacra Sua Cæſarea Majeſtas humillimum conſilii Imperialis aulici votum clementiſſime approbavit, & in hujus ſequelam reſcribatur ex officio Eccleſiæ Cathed. Leod. Capitulo: Sacræ Cæſareæ Suæ Majeſtati non ſine veriſimilitudine humillime relatum fuiſſe, quod Clementiſſimis ſuis hucusque emanatis ordinationibus præcipue vero reſcripto de dato 30. Aprilis nuperi variis modis contraventum, diverſa innovata &c. & in hujus ſequelam nec minimum innovent, ſed ea, *quæ ſuo tempore circa controverſam Electionem Epiſcopi ordinanda venerint*, quiete exſpectent... Confidere præterea S. S. C. Majeſtatem Clementiſſime, utpote cui interea tam per Commiſſarium Cæſareum, quam per reſcriptum ſupra allegatum adminiſtratio temporalium Principatus Leod. absque tamen qualicunque innovatione, prout Sede vacante antehac obſervatum, omnium Capitularium conſilio gerenda relicta fuerit, partibus ſuis nullatenus defuturum eſſe, ac eapropter eidem a S. S. C. Majeſtate ſerio injungi, ut non ſolum ſingula

tam

tum Auguſto circa Electiones Epiſcoporum Germaniæ competentium impu-
it; melius erudire omnes anniſus fuit magis expertus hic in juribus canonicis
æſareis ſcriptor ac præmiſſis principiis generalibus, ſecundum quæ poteſta-
i Romani Pontificis dijudicandam eſſe credit, ad ſtabiliendam ſuam Theſin
ia protulit argumenta primo intuitu admodum ſpecioſa, omnemque ſuam
neravit eruditionem, ut fucum faceret legentibus; benigne etiam ſuſceptus
: novus hicce partus litterarius a multis, & in ſpecie in NOVELLIS LITTE-
RIIS GÖTTINGENSIBUS magno cum elogio relatus fuit libellus hicce inſignis,
ejus fundamenta tanquam apodictice probata, & analogiæ juris hiſtoriæque
ne conformia ſunt deprædicata (*m*): acceſſit & aliorum, qui ſuperficiali
em imbuti erant eruditione, ſolidam autem jurisprudentiam eccleſ. multo
ius hiſtoriam nunquam didicerant, applauſus: reprehendebant alii geſta &
larata a Commiſſario cæſareo, invehebantur alii in neo electos, quod cau-
ſuam ad curiam Romanam & judicem incompetentem detulerint, alii alia pro
captu & affectu proferebant: perlegi & Ego libellum huncce mox a ſua nativi-
adeo celebrem, quamprimum ille ex prælo Francofurtenſi Moguntiam erat de-
s eo majori cum aviditate, quo majori cum myſterio in ipſis ſuis natalibus hoc
ladium quaſi de cœlo delapſum fuerat occultatum: verum primo intuitu tot
hiſmata, detorſiones, falſa, & alia tam contra jura notoria quam fidem hi-
icam impingentia in eo deprehendi, ut audaciam ſcribentis non ſatis mirari
uerim, confignaveram etiam tum temporis volante calamo varias obſervatio-
nes

tam antehac, quam modo juſtiſſime ordinata diſtricte executioni mandentur, prorſus nihil in contrarium ſuſcipiatur, imprimis vero nullatenus *in aliquo, quod vel directe vel indirecte Electionis controverſiam concernere poſſet, vel minimum immovetur* &c.

m) In denen Göttingiſchen Anzeigen von gelehrten Sachen de anno 1767. 17. Stück legitur: Eine der merckwürdigſten Schriften, welche kürzlich herausgekommen, iſt ohne Zweifel die Erörterung des Entſcheidungs-Rechts in zwieſpaltigen Wahlen geiſtlicher Reichs-Fürſten ꝛc. die angezeigte Schrift iſt in drey Abſchnitte getheilet, in dem erſten trägt der Verfaſſer allgemeine Regeln vor, nach welchen die weltliche Gewalt des Papſts beurtheilet werden muß, die Hauptſätze, ſo hier zum Grund gelegt, und unumſtößlich bewieſen worden ſeynd ꝛc. & dum in ſequentibus quoad omnia extolluntur aſſerta Authoris (ſolus autem error facti notatus eſt a contumoculari recenſente circa Orphanotrophæum Hallenſe, quod haud mittat Miſſionarios religionis Luther. in Affricam) in fine additur Epiphonema: der lezte Abſchnit zeigt nun noch beſonders, wie ſehr das Päpſtliche zu Entſcheidung zwieſpaltiger Wahlen wider die Grundverfaſſung des deutſchen Reichs lauffe, bey der lezten Wahl zu Lüttich handelte der Papſt nicht allein deshalben ungerecht, weil geaen den Kayſer und das Reich keine Verjährung ihres Rechts angezogen werden kann, ſondern auch darum, weil die Reichsgerichte über den beſtrittenen Beſitz mittelbahrer Pfründen urtheilen, und alſo auch die Analogie ſelbſt der Meynung des Herrn Verfaſſers das Wort redet. adeoque res eſt confecta & argumenta prolata ſunt inevertibilia.

[illegible] dissertatio [illegible] præscripti [illegible] modo [illegible] argumenti [illegible] CAPITE I. Authoris [illegible] CAPITE II. [illegible] CAPITE argumentis [illegible] quasdam ad Se- [illegible] Lector, & laboribus [illegible]

OBSERVATIONES QUAEDAM
AD LIBELLI ANONYMI SECTIONEM I.

S[illegible] welchen bie [illegible] praesen- [illegible] facientia, [illegible]

[illegible] extra sphæram [illegible] Germanorum ecclesia- [illegible] Germanorum, & [illegible] curiæ Romanæ [illegible] approbabit, juste [illegible] opponet inferen- [illegible] S. Sedem reverentia & unione Ecclesiæ; [illegible] jura & privilegia natio [illegible] materiam fidei nullatenus concer- [illegible] in malam suscipiatur partem, si suas libertates & jura [illegible] defendant: Verum ex hisce non sequitur, quod [illegible] ab Imperatore cathol. & statibus ecclesiasticis de- [illegible] jura, quæ vi principiorum Religionis cathol. spectant [illegible] per pacta solennia Pontifici sunt concessa, quorum itaque [illegible] germanicæ Nationi infert gravamen; adeoque suum [illegible] vindicemus nostræ Nationi, quæ nostra sunt, relinquamus [illegible] Pontifici, quæ illius sunt, ut perpetua sacerdotium inter & Impe- [illegible] nec etiam sequetur effectus, quem speravit for- [illegible] hocce pomum Eridos, quod in sua origine jam vide- [illegible]

2) Dum

2) Dum Author pag. 6. & ſeq. Catholicos (nam pro hisce ſolis ſcribit & in cauſa eos ſolummodo concernente) vult melius erudire, quænam vera ſint religionis catholicæ principia, quam ipſi ſciunt, veluti: quod jus circa ſacra ſit penes integrum populum Chriſtiano-Catholicum, quod Epiſcopi in Conciliis generalibus ſint deputati Communitatum, (Abgeordnete aller Gemeinden) quæ ſimul ſumptæ repræſentant Eccleſiam, quod poteſtas Primatis Eccleſiæ Romanæ ſeu Pontificis in ſolo fundetur pacto a communitatibus cum Pontifice inito, & quæ ſunt ſimilia, eatenus potuiſſet parcere labori, ſi enim hæc principia (quæ ſaltem pars proteſtantium notorie defendit, nam alii alia fovent ſyſtemata) tanquam principia proteſtantica noviter adoptanda Catholicis deprædicaſſet, excuſari ſaltem potuiſſet boni hujus viri zelus pro ſua religione, quod autem ſyſtema hoc in Eccleſia catholica ſtabilitum eſſe ſupponat, & hoc ex quibusdam non bene intellectis locis Pontificum ac Patrum in alienum ſenſum detortis, probare annitatur, hoc indulgere nullatenus poſſumus Scriptori, qui in cauſa aliena & quidem Catholicorum ſuum commodare voluit calamum, quin ſciverit prima religionis cathol. principia; ſecundum hujus enim religionis ſyſtema jus circa ſacra provenit a Chriſto, qui ſuam novam fundavit Eccleſiam, Chriſtus hoc jus circa ſacra contulit Petro & reliquis Apoſtolis, non autem communitatibus ſeu plebi chriſtianæ, Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores non ſunt deputati communitatum, ſed qua rectores Eccleſiarum particularium, ad quas regendas conſtituti ſunt a Spiritu ſancto Actor. 20., interſunt conciliis generalibus & hi ſimul ſumti cum Pontifice repræſentant Eccleſiam; Pontifex non habet ſuam poteſtatem & ſui jura primatus ex pacto & ex communitatum translatione. Neque eſſentialia primatus, quæ proveniunt a Chriſto, in Conciliis generalibus minui poſſunt; hæc potuiſſet author diſcere ex ipſo JUSTINO FEBRONIO *de ſtatu Eccleſiæ & legitima poteſtate Romani Pontificis* pag. 84. ſeq. quem dubio procul legerat, quia ad ipſum alio in loco provocat; nam quod nullos Scriptores dogmaticos Catholicos viderit, patet ex ejus ſcripto & facile ipſi indulgendum foret, dummodo haud ſcripſiſſet de materia, cujus non veram habuit notitiam.

3) Cum Pontifices ſimul vi officii ſint cuſtodes Fidei, Canonum & Legum Eccleſ., quæ pro ſalute & unitate univerſæ Eccleſiæ in Conciliis general. ſunt latæ, & illis concredita ſit cura univerſæ Eccleſiæ non ad deſtruendum, ſed ad ædificandum, ſic exinde fluit, quod tales conſtitutiones Eccleſ. evertere haud poſſint Pontifices; & hoc profeſſi ſunt iſti, quorum verba allegat author, ex hiſce autem non ſequitur, prout exinde evincere vult author pag. 8., quod omnis poteſtas Pontificis proveniat ex ſola translatione Eccleſiæ in conciliis gen. in ipſum facta, aliud enim eſt condere Canones pro univerſa Eccleſia approbante Pontifice, aliud concedere omnem ſuam poteſtatem Pontifici, illud con-

veniens eſt conciliorum authoritati, hoc autem eſt extra ſphæram eorundem, nec enim conferre poſſunt ea, quæ nunquam in eorum fuere poteſtate, nec hoc unquam attentarunt &c. & hæc ſunt principia Catholicorum in prædictis materiis, quæ autem deducere non eſt hujus Loci, hoc ſaltem addendum: quod quælibet religio dijudicanda ſit quoad ſua jura ex propriis ſuis principiis, & res ipſa loquitur, quod Religionis alicujus aſſeclæ ſequelas concludentes deducere nequeant, niſi ex ſyſtemate ſuæ propriæ religionis & non alienæ, quam parum itaque proteſtantes ex ſyſtemate Catholicorum, quod alias rejiciunt, pro ſua religione poſſunt deducere concluſiones, tam parum & poſſunt Catholici ex ſyſtemate quorundam proteſtantium ſibi mutuare jura contra judices Eccleſ. & Pontificem. Quantum ſe proſtituerit confundendo diverſa religionis principia STRICKIUS in ſua diſſertatione *de jure papali principum Evangelicorum*, inter omnes conſtat; idem fatum eatenus expertus eſt noſter Anonymus.

4) Dum author pag. 13. & ſeq. exponit, quod Pontifex in regnis exteris conſequenter & in Germania non habeat poteſtatem in temporalibus nec jurisdictionem ſæcularem, nec talem poteſtatem ipſi conferre poſſint Concilia generalia, eatenus illi facile calculum adjicimus, nec opus fuiſſet tam longa deductione. Et hæc partim dilucidationis partim refutationis loco quoad Anonymi Sectionem I. ſufficiant.

CAPUT I.

De argumentis Anonymi, quibus vindicare nititur Imperatori jus decidendi controverſias circa electiones Epiſcoporum.

§. I. *Argumentum* I. (a) *Anonymi.*

Inter plurima, quæ Anonymus pro ſtabilienda ſua Theſi, protulit argumenta primum eo redit: Pontifex nulla gaudet poteſtate in temporalibus alicujus regni nec aliqua jurisdictione ſæc., niſi per pactum a populo in ipſum fuerit translata, adeoque in determinandis juribus Pontificiis circa cauſas ſæc. unice pro norma inſerviunt verba pacti, quæ autem potius reſtringenda quam amplianda ſunt, cum præſumatur quivis populus tam parum abdicaſſe de ſuis juribus

(a) Ne ob cumulum Argumentorum, quæ in medium protulit Anonymus, confuſio quædam oriatur, ſic optimum viſum fuit illa in certas claſſes dividere & eodem ordine in Cap. III. ad ſingula reſpondere, adeoque per argumentum hoc loco haud intelligimus argumentum quoddam ſingulare, ſed potius complexum plurium argumentorum ad unam claſſem reductorum & inter ſe connexionem habentium.

bus ac potuit, & privilegia ſtrictioris ſint interpretationis; cui accedit, quod ad illum, qui conceſſit privilegium, ſpectet & ejus dubium interpretari ſenſum, cum quilibet ſuorum ſit interpres verborum, conſequenter Pontifici haud competit interpretatio, ſed illi populo, qui illi conceſſit privilegia, jam autem tam conſtitutio Epiſcoporum, quam jus decidendi controverſias circa Electiones Epiſcoporum enatas ſunt cauſæ ſæculares, (*b*) conſequenter haud ſpectant ad judicem eccleſiaſticum, multo minus ad Pontificem Rom.; quod etiam non ſpectent ad jura reſervata primatus Pontificii, hisce nititur author probare argumentis: a) quia in omnibus regnis jura Pontificia circa conſtitutiones Epiſcoporum per pacta cum Principibus ſunt determinata, velut in Gallia, Hiſpania & Germania, quibus non fuiſſet opus, ſi ad jura primatus ſpectaſſent, conſtare præterea ait, quod patronus laicus pro lubitu conſtituat parochos & controverſias deſuper enatas decidat judex ſæcul., quodſi autem jus conſtituendi Epiſcopos non ſit reſervatum primatus, ſic nec controverſiæ deſuper enatæ ſpectabunt ad Pontificem. (*c*) b) quia ab origine Eccleſiæ per plura ſæcula Electiones ſunt factæ a Clero & populo, (*d*) quam diſciplinam etiam obtinuiſſe ait, in germania in iis Eccleſiis, in quibus reges non qua patroni Epiſcopos conſtituerunt, nihil autem in quocunque caſu ſpectavit privative ad Clerum quam conſecratio, licet expoſt Clerus etiam populum ab Electionibus excluſerit. c) cum confirmatio Epiſcopi, & ejus conſecratio cum Electione & conſtitutione Epiſcopi nullam habeant connexionem, ſic non poteſt concludi ab hac ad illam, conſequenter licet Pontifici competat jus confirmandi & conſecrandi Epiſcopos, exinde non fluit, quod ipſi quoque competat jus cognoſcendi circa Electiones & decidendi controverſias deſuper enatas. Hisce ſubjungit author d) quod

b) Scribit Anonymus pag. 23. Ich verſtehe hier aber unter weltlichen Sachen, die der Papſt ohne beſondere Einwilligung des Regentens nicht ausüben kann, alles dasjenige, was die eigentliche gottesdienſtliche Glaubensartickel nicht betrift. Denn bey ſeiner Erhöhung zu der Würde eines Primats hat die Kirche nur allein die Erhaltung der Einheit im Glauben zum Endzwecke gehabt. Was nun die Kirche nicht für Glaubensartickel erkläret, darüber kan der Papſt nicht erkennen, bis der Landesregent es ihme erlaubt.

(*c*) Iſt nun die Anſtellung der Prälaten (ſunt verba Anonymi pag. 25.) kein Vorzug des Primats, oder nur der Geiſtlichkeit, wie will man dann die darüber entſtandenen Streitigkeiten zu etwas heiliges machen? Zank und Uneinigkeit müßen es noch weniger heißen.

(*d*) Matthias wurde von allen Gliedern der Gemeinde zu der Würde eines Apoſtels in Iſchariots Stelle erhoben. Die Weiber ſelbſt ſcheinen, wie billig, bey dieſer Wahl nicht ausgeſchloſſen geweſen zu ſeyn, denn ihr zartes Gefühl flößet ihnen eine vorzügliche Scharfſinnigkeit ein, den Grad des Eindrucks zu beurtheilen, welchen die Fähigkeiten eines Mannes im Stand ſind auf die Gemüther der Menſchen zu machen. idem l. c.

primum fundamentum controverſias circa Electiones Epiſcoporum enatas trahendi ad Pontificis tribunal lateat in principio per jus canon. ſtabilito, quod perſona Eccleſiaſtica non niſi a judice Eccleſ dijudicari poſſit & finalis deciſio omnium Cauſarum Eccleſ. ad jura primatus Pontificii ſpectet. Verum licet etiam Epiſcopi Germaniæ non attentis prærogativis præ aliorum Regnorum Epiſcopis ſibi propriis hoc jus indulgere vellent Pontifici, exinde ſemper incongrua reſultet ſequela, quod deciſio circa Electiones Epiſcoporum ſimul involvat ſententiam circa regimen & poſſeſſionem integrorum territoriorum Epiſcopatibus annexorum, cujus autem caſus deciſionem tum ipſe Pontifex ſæcularibus reliquit Judicibus in Cap. 6. & 7. *de foro competente.* e) Cum Pontifex in aliis regnis non ſimilem jurisdictionem exerceat, ſic ſequi ait principium: perſonas Eccleſ. a Judicibus Eccleſiaſticis dijudicandas eſſe, non adeo eſſe firmum, cum alias Pontifex ſine Conſenſu Eccleſiæ non poſſet differentiam eatenus ſtabilire inter diverſa orbis Chriſtiani regna. f) Nec Epiſcopi nec Pontifex quondam ullam habuerunt Jurisdictionem Eccleſ. vel ſi etiam habuiſſent Epiſcopi, non procedit ſequela ad Pontificem, cum ex ejus primatu extorqueri haud poſſit judiciaria poteſtas. g) Jurisdictio Pontificis in Germania ducit ſuam originem a Nunciis Pontificiis potiſſimum a S. Bonifacio, qui illis, a quibus erant miſſi, referre, & ab his ulteriora mandata exſpectare tenebantur, exinde autem ſine conſenſu Principis non poteſt deduci poteſtas judiciaria Pontificis, multo minus Principi ſæc. per introductionem religionis Chriſtianæ ſubditi neo converſi ſubtrahi poſſunt (*e*). Hiſce denique addit Author, 1) quod in Corpore juris Canonici diſt 63. Cap II extet decretum Gelaſii Pontificis, ubi dicitur, quod non Pontifici, ſed Clero & populo competat jus decidendi Controverſias circa Electiones Epiſcoporum exortas, unde & Gregorius VII. Cauſam Epiſcopi Conſtant., cujus depoſitionem ob ſimoniam Clerus Conſtant. urgebat, ad ſynodum remiſit Moguntinam, in qua ipſe Imperator Henricus IV. prædictum Epiſcopum ſuum alias amicum licet invitus condemnavit.

§. II. *Argumentum II.*

Potiſſimum argumentum ſuae Theſeos ponit author in Concordato Henricum

(*e*) Author pag. 37. hoc pulchris illuſtrat exemplis: Geſetzt, der chineſiſche Monarch bekenne ſich mit der Zeit zu der chriſtlichen Religion, würde die ehemalige Abſendung des Kardinals Turnon wohl dermaleinſt einen Beweis von der Obergerichtsbarkeit des römiſchen Stuhls gegen ihn ausmachen? Und wenn es erlaubt iſt, groſſes mit kleinem zu vergleichen, wird das Wayſenhaus in Halle, an welches die von ihm nach Africa abgeſchickte Miſſionarien richtigen Bericht abſtatten müſſen, und welches auch Prieſter auf den africaniſchen Küſten anſtellet, wohl jemahls berechtigt ſeyn, dieſe Abhenglichkeit ſeiner Abgeordneten als ein Recht gegen die Landesfürſten geltend zu machen?

im V. Imperatorem inter & Calixtum II. Pontificem A. 1122. inito, (*f*) autem in pacto Calixtino hæc promittit Pontifex: „Concedo Electiones ſcoporum & Abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præ-tia tua fieri absque ſimonia & aliqua Violentia, ut ſi qua inter partes diſcor emerſerit, Metropolitani & Provincialium conſilio vel judicio ſaniori parti nſum & auxilium præbeas.„ Verba autem hæc, prout ait author, clariſ-e excludunt Pontificem a jure decidendi controverſias circa Electiones ena-, illudque conferunt Imperatori, (*g*) Verba etiam hæc ideo intuitu Impe-ris non ſunt ſtricte interpretanda, quia Imperator & natio Germanica hic obtinent novum privilegium, ſed potius aliquod concedunt Pontifici, qui-igitur non expreſſe renunciavit, illa ſibi reſervavit Imperator. (*h*)

§. III. *Argumentum III.*

Reſervatum hoc Imperatoris circa deciſionem controverſiarum Electio-n in Concordato Calixtino confirmatum ſequentibus temporibus etiam nun-im fuit impugnatum, Imperatores quoque de hiſce controverſiis non ſolum iper judicarunt, ſed & defenderunt, quod in caſu diſcordis Electionis jus olutionis ad ipſos ſpecter, teſtante OTTONE FRISING. *de geſtis Frid.* I. 2. c. 6. quod autem Imperatores ſemper dijudicaverint controverſias Ele-

f) Pag. 50. pergit Author: Dieſes Concordat iſt weder abgeändert, noch aufgehoben worden, ſondern wird vielmehr jederzeit ſtillſchweigend erneuret, ſo oft der Papſt die Belehnung mit dem Ringe, und der Kayſer die Vorrechte ſeines Wahlcommiſſarius behaupten. Nach den Grundſätzen, welche wir im erſten Abſchnitte deutlich glauben erwieſen zu haben, muß alſo diß Concordat in allen Artikeln gültig verbleiben, bis eine Abänderung erwieſen iſt, welche Abänderung aber weder Kirchenſatzungen, noch päpſtliche Bullen oder eine Verjährung, ſondern nur allein der deutliche Buchſtabe eines neueren Vertrages zu beſtättigen im Stande ſind. Singula hæc aſſerta probavit Author methodo Mathematica.

g) Verba Authoris ſunt pag. 56. ſequentia: Die Worte dieſes Vergleichs ſind, wie wir ſehen, unbewunden: denn nichts kann deutlicher erdacht werden, als die Art, womit die Paciſcenten den päpſtlichen Stuhl von dem Entſcheidungsrechte bey ſtreitigen Wahlen ausgeſchloſſen, und ſelbiges dem Kayſer übertragen haben. . . . ſo beſtättigt dieſer Tractat ebenfalls diejenige Sätze, welche wir §. 13. vorgetragen, daß nemlich der Papſt das Richteramt über die Wahlſtreitigkeiten ſich niemahls allein, als etwas geiſtliches, zueignen wollen.

h) Author pag. 57. addit hoc Epiphonema: Muß es nun nicht jedem nach Durchleſung dieſes Tractats ungemein hart ſcheinen, daß der Papſt bey Beurtheilung der Wahlzwiſtigkeiten nicht allein den Kayſer, ſondern auch das Gutachten ſeiner Mitbrüder, derer Erzbiſchöffe, gänzlich von ſich ablehnet?

ctionum, author probare vult ſequentibus præjudiciis (*i*) ex hiſtoria deſumtis & quidem, prout refert 1) Lotharius II. Imp decidit A. 1131. in Conventu Mogunt. controverſiam occaſione diſcordis Electionis Trevirenſis poſt fata Godefridi Archiepiſcopi Trevir. enatam, ubi Clerus elegerat Alberonem Metenſem, populus autem alium teſtantibus Litteris Cleri Trev. ad Innoc. II. Pontificem datis apud *Rev.* HUNDHEIM. *Hiſt. Trevir. diplom.* T. II p. 28. 2) Idem Lotharius occaſione diſcordis Electionis Magdeburg. propria authoritate conſtituit Norbertum Archi-Epiſcopum. 3) teſtante OTTONE FRISING. *de geſtis Frid. I.* L. I. C. 62. Conradus III. Rex A. 1150. decidit controverſam Electionem Epiſcopi Traject in favorem Hermanni contra Fridericum, quem cives elegerant. 4) Dum A. 1152. in Eccleſia Magdeburg. pars Capituli elegit Gebhardum Praepoſitum, altera Decanum, partes cauſam non detulerunt ad Pontificem, ſed ad Frid. I. Imp., qui induxit partem, quæ elegerat Decanum, ut poſtularet Epiſcopum Citizenſem, quem mox inveſtivit: Eugenius Pontifex denegavit quidem poſtulato huic Archi-Epiſcopo pallium, verum non ex ratione, quia cauſa hæc ad alium judicem ſcilicet ad Imperatorem fuit delata, ſed quia translatio Epiſcoporum fuit periculoſa & Electio non fuit libera. OTTO FRIS. l. c. L. II. c. 6. 5) Idem Frid. A. 1156. deciſionem diſcordis Electionis Colon. poſt fata Arnoldi Archi-Epiſcopi remiſit ad Comitia Ratisbon. teſtante eodem OTTONE FRIS. l. c. c. 31. 6) Dum anno 1188. in diſcordi electione Trevir. electi fuerunt Rudolphus Præpoſitus, a majoribus autem Decanus Volcmarus, ille autem cauſam detulit ad Imperatorem Frid., cui unanimi ſententia Baronum regni in hac diſcordia jus denominandi Epiſcopum tributum fuerat, Fridericus confirmavit Rudolphum & deſuper litteras comminatorias ſcripſit ad Pontificem, ſi aſſiſteret Volcmaro. Licet autem poſtea Urbanus III. Pontifex Volcmarum confirmarit & adhærentes Rudolpho excommunicarit, res tamen eo deducta fuit, ut ſublato Volcmaro Eccleſiæ Trevir. nova electio conceſſa ſit, teſtantibus ARNOLDO LUB. L. III. c. 10. & MAGNO CHRON. BELG. ad a. 1183. 7) Teſte citato ARNOLDO LUBEC. C. 17. Frid. I. Imperator Philippo Archi-Epiſcopo Colon. proponenti, ut Imperator adhuc renunciaret reliquis ſuis circa Epiſcopos Juribus, cum hoc eſſet optimum medium concordiæ ſacerdotii & Imperii, declaravit hoc ſe nunquam facturum eſſe. 8) Depoſitio Henrici Archi-Epiſcopi Mog. facta quidem eſt concurrentibus Legatis Pontificiis, verum hi nihil agere poterant, niſi prævio conſenſu & judicio Friderici

(*i*) Noſter Author circa hoc argumentum prædeceſſorem habuit JOH. SIGISMUNDUM SCHELLER, qui in Academia Aldorffina defendit *Meditationes inaugurales de Jure & reſervato Imperatoris mittendi Commiſſarios ad Actum Electionis Eccleſiaſticorum S. R. I. Principum & Præſulum.* Ex hac diſſertatione hauſit ille omnia fere ſubſequentia facta hiſtorica, eaque cum ſuis allegatis ſua fecit, quin ſuum nominarit fontem.

rici I. Imp., & dum hi ultra Limites procedere tentabant, eos remisit in Italiam perator. OTTO FRISING. *de gestis Frid. I.* L. II. c. 9. in locum Henrici :avit Frid. eligi suum Cancellarium Arnoldum, hoc occiso a civibus Mogunt. :ors enata est electio, & inter 3. Candidatos Imperator elegit Conradum ttelsbac. eumque prævia judiciali inquisitione Archi-Episcopum constituit ıtra Rudolphum Zehringensem: Conradus I. autem, quia a hæsit Pontifici exandro III., paulo post iterum fuit expulsus a Friderico illique Substitutus t Imperatoris Cancellarius Christianus I. ex familia Thuring. Comitum de che. 9) Frid I. etiam ao. 1160. concessit Henrico Leoni Duci Saxon. jus estiendi Episcopos Altenburg. Megapolit & Razenburg., qui etiam qua fun- :or & Dominus territorialis Episcopos illos constituit. 10) In pace, quam id. I. Imp. cum Pontifice Alexandro III. inivit, non renunciavit juribus circa ctiones Episcoporum sibi competentibus. 11) Dum A. 1191. in ecclesia od. Albertus Præpositus Leod. & Albertus Decanus electi sunt, Henricus . utrique denegavit dignitatem Episcopalem, sibi autem asseruit jus devolu- nis ob discordem Electionem. 12. dum in Ecclesia Mog Leopoldus Episco- s Wormat. per majora postulatus eique oppositus fuit a tribus Capitularibus efridus, & hic causam detulerat ad Curiam Romanam, Pontifex autem cas- erat postulationem Leopoldi vi c. 33. X. *de Elect. & Electi potest.* Philippus Rex rman. opposuit suam protestationem asserendo, quod antecessores promiserint haud immiscere Electioni, *tantummodo illa sit concors & unanimis*, quæ pro- latio fuit eo efficacior, quo injustior contra Canones erat Pontificis sententia, sic salvavit jura Imperatoribus competentia. 13.) Neque obstat Imperatoris tonis IV. privilegium Pontifici A. 1210 concessum, si enim illud etiam pro rio non foret habendum, exinde tamen renuntiatio juris decidendi contro- sias Electionum extorqueri haud potest, nam plura haud concessit Otto IV, am per pactum Calixtinum Pontifici erat concessum, imo potius in dicto lomate causæ electionum pro sæcularibus declarantur, cum Ecclesiasticis ponantur; cui accedit, quod pactum ab Henrico V. consentiente universo perio initum, & in tot conciliis confirmatum per privilegium cassari nequeat.) Similia continet Friderici II. Imp. aurea Bulla A. 1213. Pontifici concessa, qua Imperator jus decidendi expresse sibi reservavit, quia addidit conditio- n, quod liberam electionem solummodo in tantum concedere velit, quate- s fuit Canonica: non etiam præsumi potest de genio Friderici II., quod no- em hanc gemmam ex sua corona sibi auferri permiserit; Gregorius IX. Pon- ex etiam alias indubie provocasset ad hanc concessionem in suis gravaminibus, od Imperator sede vacante *ordinationes Episcoporum* (*k*) *impediat*, & Frideri-

cus

(*k*) Impedire ordinari Ecclesias germanice vertit Author: **bey erledigtem Biſthoffſtuhl die Weihe verhinderen**, adeoque ordinare Ecclesiam juxta ipsum significat **eine Kirch weihen**, cum tamen notorie ordinare Ecclesias idem denotet ac providere Ecclesiis de Episcopis.

cusII. aliud dediſſet reſponſum ac dedit dicendo, quod hoc non impediat, ſalvis tamen privilegiis & dignitatibus, quæ prædeceſſores ſui Reges usque ad ſua tempora habuerunt. 15) Nec Rudolphus I. Germaniæ Rex plura conceſſit Pontifici, quam conceſſerant Fridericus II. & alii ejus anteceſſores: cum igitur hi jus decidendi controverſas electiones Epiſcoporum Germaniæ nunquam abdicarint, ſic nec abdicavit Rudolphus 16) Dum permiſit Rudolphus deciſionem discordis electionis Mogunt. poſt fata Werneri Archi-Epiſcopi Pontifici Honorio IV., illud factum eſt ex ratione politica, adeoque jus haud evincit pro Pontifice temporibus illis tenebroſis & ſuperſtitione plenis. 17) Similia geſta ſunt regnante Carolo IV. in eccleſia Mog. occaſione electionum Balduini, Gerlaci & Joannis II. Naſſov., quæ autem attentata Pontificis facta ſunt de facto, adeoque nihil probant. 18) Ludovicus IV. Imp. inhibuit ſupremo ordinis Teut. Magiſtro, ne intuitu ſuarum poſſeſſionum ab Imperatore provenientium coram ullo alio judice ſive Eccleſiaſtico ſive ſæculari compareat. GOLDAST. *conſtit. Imp.* T. II. pag. 86. cum autem poſſeſſionem talium bonorum adipiſcantur Epiſcopi mediante electione, cognitio autem ſuper poſſeſſione ſpectet ad Imperatorem, ſic & ad ipſum cognitio ſuper cauſis electionum ſpectabit; & hæc conſtitutio Ludovici Bav. pro contradictione Bullarum Pontificiarum merito erit habenda. 19.) Idem Imperator dum in diſcordia in Eccleſia Würceburg. ejus Cancellarius Hermannus de Lichtenberg & Otto de Wolfskehl. fuerunt electi A. 1333., in favorem prioris tulit ſententiam, licet Ottonem confirmarit Pontifex: Similiter Rupertus Palat. Würceburg. diſcordem Electionem Joannis I. Egloffſteinii & Eberhardi Comitis Wertheimenſis A. 1403. decidit in favorem prioris.

§. IV. *Argumentum IV.*

Per aviſamenta germanica, receptionem Concilii Baſil. & Concordata nat. germ. jus Imperatoris haud eſt abolitum, nam 1) aviſamenta Conſtant. in locis contrariis non ſtringunt nationem german., cum in illis pro utilitate univerſæ Eccleſiæ norma ſaltem fuerit propoſita, quæ autem non obſtat exceptioni ratione Eccleſiæ germ. 2) In Concordato A. 1418. a Martino V. Pontifice cum natione germ. ad 5. annos inito expreſſe tribuitur jus quæſt. Imperatori, dum ibi diſponitur: „Cauſæ, quæ ad forum eccleſiaſticum de jure vel conſue„tudine non pertinent, per curiam Romanam non recipientur, de illis cogno„ſcendo in ipſa vel extra committendo: niſi de conſenſu partium „ jam autem controverſiæ circa electiones Epiſcoporum nec de jure, nec de conſuetudine pertinent ad forum eccleſ., conſequenter nec ad curiam Romanam; de cætero hoc pactum adhuc hodie habet obligandi vim, quia in concordatis Aſchaffenburg. expreſſe confirmata ſunt omnia pacta anteriora cum Pontifice inita, qua-

quatenus expreſſe illis haud fuit derogatum. 3) Licet ex Concilio Baſil. decretum *de Electionibus* Seſſ. 12. a Germanis fuerit acceptatum, & etiam per concordata Aſchaffenburg. Pontifici confirmatio omnium Epiſcoporum Germaniæ conceſſa ſit, ex hoc tamen non ſequitur, quod etiam illi competat jus decidendi controverſias circa electiones quæſtionis enatas, confirmatio enim charakterie eccleſ. maxime differt a jure decidendi controverſias, id quod clare patet ex pacto Calixtino, ubi Imperator ſibi reſervat judicium circa electionum diſcordias, confirmationem autem relinquit Eccleſiaſticis (*l*).

§. V. *Argumentum V.*

Validitas electionis habito reſpectu ad Imperatorem & Imperium Bullis Pontificum confirmatoriis non determinatur, multo minus Imperator tenetur exſpectare talem Bullam, ut neo electum pro tali agnoſcere, ac regalibus inveſtire poſſit, ſed ſolum Inſtrumentum electionis Imperatori ſufficit, prout patet ex ſpeculo Saxon. L. 3. Art. 59. ubi dicitur, quod electus prius inveſtiatur ac expoſt demum confirmetur: ac vi Pacis Osnabrug. poſſunt ſolummodo Epiſcopi etiam necdum confirmati exercere regalia vel ſaltem Art. V. §. 15. 16. & 17. nunquam fit mentio confirmatorum ſed tantum electorum & poſtulatorum (*m*)

§. VI.

(*l*) Rem uberius illuſtrat hoc modo Author pag. 107. Die Confirmation iſt demnach ein Werk der päpſtlichen Hierarchie, wodurch die Abhänglichkeit und Unterwürffigkeit in Kirchenſachen beſtätigt wird: ſie iſt eine Feyerlichkeit, die in Kirchenangelegenheiten freilich eine große Würkung hat, die aber ganz und gar nicht abgeſchlagen werden darf, ſondern eine nothwendige Folge jeder canoniſchen Wahl bleibet. Iſt die Wahl zwieſpaltig geweſen, ſo muß der Confirmator nach dem Concordat von 1122. die Entſcheidung des Kayſers abwarten, und hernach die Confirmation dem ertheilen, der durch den Spruch des Kayſers für einen canoniſch erwählten iſt anerkannt worden.

(*m*) Author pergit pag. 110. Inzwiſchen hält es Herr Moſer gegenwärtig für eine unumgängliche Nothwendigkeit, erſt die päpſtliche Beſtättigungsbulle auszulöſen, und ſelbige dem Geſuche wegen der Belehnung in Original beyzulegen. Ich ſehe aber nicht, wie ſolches aus der von dem Herrn Moſer angeführten reichshofrathlichen Entſchlieſſung folge. Dieſes hohe Gericht kennet die Vorzüge der teutſchen Nation zu gut, und verbindet mit ſeinen Einſichten zu patriotiſche Geſinnungen, als daß aus ſeinen Decreten dergleichen nachtheilige Folgen ſollten gezogen werden können. Dem Biſchof von Eichſtädt wird aufgegeben, in gehöriger Zeit die päpſtliche Beſtättigungsbulle in Original beyzubringen. Eine Vorſicht, die der Behutſamkeit des erſten Tribunals in Europa würdig war! Kann aber hieraus geſchloſſen werden, daß der Kayſer die Belehnung nicht zuſtehen dörfen, biß die päpſtliche Beſtättigung eingelangt geweſen? Weit beſtimter, weit unbewundener erklärt ſich dieſes erlauchte Gerichte in der Belehnungsſache des Abts zu Werden, der ver-

§. VI. *Argumentum VI.*

Si autem circa argumenta hactenus producta dubium aliquod remaneat, illud plane tollitur Decreto *Eccleſiaſticæ ſollicitudinis ſtudium &c.* ex Seſſ. 31 Concil. Baſil. *de Cauſis & appellationibus* ſtatuente, quod in partibus ultra quatuor Diætas a Romana curia diſtantibus quæcunque cauſæ, exceptis majoribus in jure expreſſe enumeratis & electionum Eccleſiarum Cathedralium & monaſteriorum, quas immediata ſubjectio (*n*) ad Sedem Apoſtolicam devolvit, apud illos judices in partibus, qui de jure & conſuetudine præſcripta vel privilegio cognitonem habent, terminentur & finiantur: jam autem nullibi in Corpore Juris Canonici cauſæ electionum diſcordium ad majores referuntur, multo minus Epiſcopatus Germaniæ ſubjecti ſunt immediate Pontifici; exinde etiam Eugenius IV. Pontifex dum a. 1447. receptionem Decretorum Concilii Baſil. a Germanis factam confirmavit, non auſus fuit controverſiam ratione electionis Friſingenſ. controverſæ ad ſuum tribunal avocare.

§. VII. *Argumentum VII.*

In Concordatis nationis Germanicæ Aſchaffenburg. nec verbulum occurrit de quæſtione: an Pontifici, an vero Imperatori jus competat decidendi controverſias electionum, dum itaque eatenus nihil immutatum fuit, ſic in vigore manent pacta anteriora, & pro norma eatenus inſervit pactum Calixtinum; neque obſtat ſententia quorundam Canoniſtarum, quod vi concordatorum Pontifici

geſſen hatte, das Wahlinſtrument beyzulegen: „Wenn innerhalb zweyen Monathen ein ordentliches documentum mortis ſamt dem inſtrumento electionis beygebracht werden wird, ſo folget in puncto admiſſionis ad juramentum ferner Beſcheid.„ Hier ſiehet man, daß das Wahlinſtrument für die höchſte Nothwendigkeit angeſehen wird, da es hingegen ſcheinet, daß es in der wegen Eichſtädt genommenen Entſchlieſſung die Beſtättigungsbull für eine Feyerlichkeit iſt gehalten worden, die man nur zu mehrerer Sicherheit begehret. Die päpſtliche Canzley gebrauchet ſich in ihren Beſtättigungsbullen ſolcher Ausdrücke, die ein patriotiſcher Deutſcher niemals für gültig, am wenigſten aber von dem höchſten Reichsgericht, welches ſeinen vornehmſten Glanz in Vertheidigung der Ehre ſeiner Nation ſetzet, für angenommen halten wird. Wir finden alſo bey dem Herrn Buder, der kein bloßer Collectaneenmacher ware, ſondern alles mit einer gründlichen Gelehrſamkeit zu beurtheilen wußte, ganz andere Reichshofrathsbeſcheide, als diejenigen ſind, welche uns der Herr Moſer am angezogenen Ort mittheilet.

(*n*) Author hæc vertit germanice pag. 115. die Streitſachen ſolcher Cathedralkirchen, die unmittelbar unter des Papſts Landesherrſchaft ſtehen: quis autem neſcit intelligi hic immediatam ſubjectionem in Eccleſiaſticis, quo ſpectant Eccleſiæ Cathedrales exemptæ a Jurisdictione Metropolitani & immediate Sedi Apoſtolicæ ſubditæ, quales in Germania olim fuere Caminenſis, Mindenſis &c. & hodie adhuc ſunt Bamberg. Paſſav. &c.

tifici competat jus denominandi immediate Epiſcopum, ſi diſcors fuerit electio: nam 1) immediatæ conſtitutiones Epiſcoporum, quibus electionis libertas impeditur, odioſæ ſunt in pactis curiam Romanam inter & nationem Germ. 2) Intentio concordatorum Aſchaffenburg. fuerat pernicioſas conſtitutiones Pontificum in extravagantibus *execrabilis* & *ad Regimen* arctioribus circumſcribere limitibus, conſequenter ubi immediata conſtitutio Epiſcoporum non eſt conceſſa clare, ibi nec præſumitur. 3) Nec hoc extorqueri poteſt ex verbis concordatorum, illa enim tantum loquuntur de caſu, ubi electio pro nulla declarata fuit, non autem de caſu, ſi diſcors fuit electio, quarum una potuit eſſe Canonica: nec diſpoſitio concordatorum pro objecto habet eccleſias Imperii immediatas, ſed tantum beneficia mediata, ut patet ex tenore concordatorum. 4) In articulo concordatorum, ubi agitur de epiſcopatibus, ſaltem dicitur, quod ſi præſentatæ electiones minus Canonicæ fuerint, Papa provideat: hic autem paſſus non poteſt detorqueri ad caſum diſcordis electionis, nam quamdiu haud eſt deciſum: quis canonice fuerit electus, tamdiu nullus petere poteſt confirmationem Pontificiam, ſed prævie illa quæſtio præjudicialis decidenda eſt in Germania. 5) Quod non competat Pontifici proviſio in caſu annullatæ electionis, patet exinde, quia A. 1706. occaſione electionis monaſter. majora erant pro Epiſcopo Paderborn. ex familia Metternichiorum, alii autem elegerunt Epiſcopum Osnabrug. Ducem Lothar., tertia pars crediderat novam electionem eſſe inſtituendam teſte Fabro in der Staats-Canzley P. 2. p. 750.

§. VIII. *Argumentum VIII.*

Nec a Pontifice ratione juris decidendi controverſias electionum Epiſcoporum Germaniæ ad præſcriptionem contra Imperatorem provocari poteſt, nam quædam exempla, ubi de facto proceſſere Pontifices, non involvunt præſcriptionem, ſed poſſeſſionem ſaltem clandeſtine arreptam; fundamentum enim omnis præſcriptionis conſiſtit in tacita agnitione alieni juris, ſi autem etiam ſupponatur Imperatorem potuiſſe tacite tollere pactum publicum A. 1122. initum cum Pontifice, illud tamen eo minus ſuſtulit, ac ille potius totics, ac Commiſſarium ad electiones Epiſcoporum mittit, illud renovat; Pontifex etiam in concordatis Aſchaffenburg expreſſe promiſit ſervare omnia pacta anteriora, quatenus per concordata haud ſunt immutata, nulla autem immutatio ratione juris quæſt. fuit facta. 2) Dum Pontifex contra pacta egit, & licet non mox Germani talia facta impugnaverint, non tamen deſuere gravamina, quibus ſua jura contra tacitam agnitionem conſervarunt, Imperatores etiam in Capitulationibus ſemper promiſerunt, & promittunt adhuc, quod contraventiones Pontificas contra concordata & alia pacta impedire velint. 3) Quodſi autem Principes quidam eccleſiaſtici in uno vel altero caſu aliquid indulſiſſent Pontifici,

ex hoc non poteſt concludens formari argumentum contra Imperatorem, nec Imperatori nec Principibus eccleſiaſticis nocere poſſunt ea, quæ egerunt eorum anteceſſores, arg. C. 20. X. *de Elect. & electi. poteſt.* 4) Provocationes in cauſis ſæcul. ad curiam Romanam in legibus ſunt inhibitæ ſub ſeveriſſimis pœnis, conſequenter & provocatio in cauſis electionis controverſæ, quæ ſunt ſæculares; ſuprema quoque imperii tribunalia ſibi vindicant jurisdictionem in cauſis poſſeſſoriis ratione præbendarum & beneficiorum eccleſiaſt., jam autem ſi illis jurisdictio competat in rebus minoris momenti, multo magis competet in rebus majoris ponderis & intuitu præbendarum majorum, quibus connexa eſt dignitas Principis & ſtatus imperii, adeoque & Analogia juris Imperatoris juri accedit. 5) Denique Imperator decidit controverſias electionum Epiſcoporum proteſtantium, conſequenter & poteſt decidere controverſias electionum Epiſcoporum catholicorum. Et hæc ſunt robuſta illa argumenta, quibus noſter Anonymus jus decidendi controverſias electionum Epiſcoporum Germaniæ denegare voluit Pontifici aſſignare autem Imperatori.

CAPUT II.

De Argumentis, quibus Jus decidendi controverſias electionum Epiſcoporum Germaniæ Pontifici vindicatur.

§. I.

Electionum Epiſcopalium dijudicatio in genere ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum.

Quod ordinarie ad dignitatem epiſcopalem rite obtinendam tria hæc ſpectent, ſcil Canonica electio, poſtulatio vel legitima denominatio. 2) Confirmatio Superioris eccleſiaſtici, & 3) denique conſecratio, nemo, qui jura Canonica vel a limine ſalutavit, inficias ibit, primi & ultimi capitis discuſſionem non tangit præſentis noſtræ diſſertationis argumentum, ſed totum dependet a vero ſecundi requiſiti ſcil. confirmationis Epiſcopalis conceptu, qui cum defecerit noſtro Anonymo, ſic nec mirandum, quod tam paradoxas de ea attulerit ſententias (*a*); Confirmatio autem Epiſcopalis nihil aliud eſt, quam declaratio Superioris eccleſiaſtici prævia cauſæ cognitione facta de admiſſione perſonæ electæ

(*a*) Sic e. g. ait, quod jus confirmandi electiones Epiſcoporum toto cœlo differat a jure cognoſcendi controverſias Electionum Epiſcoporum, & quod hæc ſint jura, quæ nullam Plane inter ſe habent ſocietatem, neque unum involvat alterum: quæ autem aſſerta contra prima juris Canonici principia impingunt.

ctæ vel denominatæ in Epiſcopum eccleſiæ vacantis (*b*). Cum igitur hæc con-
matio fiat a Superiore eccleſ., qui ſimul eſt judex legitimus & ordinarius in
uſis eccleſ. reſpectu Epiſcoporum ſibi ſubjectorum, & quidem inſtituta præ-
: cauſæ cognitione vel inquiſitione, quam ex eſſentia ſua requirit confirmatio,
ſequitur, quod & confirmatio ex ſua natura ſit actus juriſdictionis eccleſia-
:æ (*c*), quem nonniſi judex eccleſ. exercere poteſt: hujus cauſæ cognitio vi
nonum autem ſequentia continet capita: quod ſcil. 1) Ante omnia fiat cita-
illorum, quorum intereſt, & quidem ſi de contradictore non conſtet, fiat
atio generalis & ſic quiscunque intra terminum præfixum admittatur contra-
tor. 2) Ubi plures ſunt candidati, qui ſe ad eundem Epiſcopatum electos
poſtulatos eſſe prætendunt, vel alii nominatim ſe opponunt electioni, hi
ıul & nominatim citentur. 3) Quod etiam ex officio deficiente licet omni
ntradictore in ipſam perſonam electam & modum electionis inquiratur. 4)
opterea Inſtrumentum electionis cum reliquis actis & monumentis ad tale
gotium pertinentibus exhibendum ſit illi, cui jus talis inquiſitionis compe-
5) Si juſta deprehenditur electio, ea confirmari debeat, ſi vero 6) vitium
electione aut perſona electi occurrat, irrita declaretur electio, & perſona
cta rejiciatur, in hoc etiam caſu 7) denominatio neo electi in regula ad
nc Super orem eccleſ., qui alias jure confirmandi gaudet, devolvatur; con-
juenter etiam in caſu diſcordis electionis, ubi plures electi fuerunt vel po-
lati, extra omnem dubitationem jus decidendi talem controverſiam compe-
huic Superiori jus confirmandi habenti, qui definitive pronunciat: an neu-
ex pluribus electis canonice ſit electus, adeoque uterque rejiciendus, an
:o & quisnam ex iis canonice ſit electus adeoque confirmandus (*d*). Quodſi
m in caſu, ſi unus tantum ſit electus, & abſente contradictore, Superior
:leſ. jus confirmandi habens jus habeat cognoſcendi & decidendi quæſtionem:

b) Miror pauciſſimos Canoniſtas proferre definitionem confirmationis Epiſcopalis. PERTSCH *in Elementis juris Canon. & proteſtantium Eccleſiaſtici.* L. I. T. 19. §. 326. ait: *eſt vero confirmatio adprobatio electionis aut poſtulationis facta a Superiore, quæ electum aut poſtulatum Eccleſiæ demum adglutinat.*

c) De hoc etiam nullus Canoniſtarum adhuc dubitavit, & eſt quoque ratio, cur Capitula Cathed. Sede vacante confirmare poſſint prælatos mediatos, quia ſcilicet in illa tranſit jurisdictio Epiſcopalis, confirmatio autem eſt actus jurisdictionis.

d) Conf. VAN ESPEN *in jure Eccleſ. univerſ.* P. I. T. XVI. C. 2. & 3. THOMASSINUS *de veteri & nova Eccleſiæ diſciplina.* P. II. L. II. C. VII. ſeq. Cel. NELLERI *ſacræ electionis proceſſus* Diſſ. I. §. 6. & Diſſ. II. §. 2. & ex Proteſt. J. H. BÖHMER *in jure Eccleſ. proteſt.* L. I. T. VI. §. 60. & 77. PERTSCH. l. c. FLEISCHER Einleitung zum geiſtlichen Recht L. I. C. 23. p. 174.

an electus ſit confirmandus, ſic ex identitate rationis etiam in caſu, ſi plures electi adſint, vel contradictores, habebit jus cognoſcendi & decidendi: quisnam ex pluribus ſit confirmandus (*e*).

§ II.

Confirmationem etiam & diſcordium Electionum Epiſcoporum deciſionem ſemper peregerunt Judices Eccleſiaſtici.

Si integra percurratur hiſtoria, omniumque ſæculorum politia eccleſiaſtica ac diſciplina examinetur, mox eluceſcit, quod jus confirmandi Epiſcopos & cum eo connexum jus inquirendi in validitatem electionis, & pro re nata decidendi controverſias circa electiones exortas ob connexitatem cauſæ unice competierit judicibus eccleſiaſt., licet quoad ipſos judices eccleſ qui varii ſunt ordinis, variarit eccleſiæ diſciplina: ſic primitus hæc jura ad Metropolitanum & Epiſcopos (*f*) comprovinciales conjunctim ſpectarunt, poſtea ad ſolos metropolitanos ſenſim devolutus eſt ille jurium complexus (*g*), penes hos etiam permanſit ille usque ad ſæculi XIII. tempora, a temporibus ſæculi XIII. autem & potiſſi-

(*e*) Hoc etiam juris cujuscunque Analogia ſecum fert, quod confirmatio ſit actus jurisdictionis, quem ſolummodo exercet ille, cujus cognitioni & judicio ſubeſt illud negotium, ſuper quo petitur confirmatio; ſic judices civiles confirmant negotia civil., actus feud. confirmant judices feud. &c. conſequenter & judices Eccleſ. confirmant negotia Eccleſ., ſi accedat actui confirmando contradictor ſpecialis, & ſic fiat cauſa contentioſa, tunc de illa controverſia cognoſcit ille judex, cujus eſt confirmare talem actum ſphæræ ſuæ jurisdictionis ſubjectum.

(*f*) Hoc patet jam ex Sæc. IV. monumentis, nam CONCILIUM LAODICENUM *Can.* 12. decernit: *Epiſcopi judicio Metropolitanorum & eorum, qui circumcirca ſunt, Epiſcoporum, provehantur ad Eccleſ. dignitatem* Et in CONCILIO ANTIOCHENO *Can.* 16. 19. & 23. ordinatur: *ut ſervetur Jus Eccleſiaſt. id continens: opportere Electiones non aliter fieri, niſi cum Synodo & Judicio Epiſcoporum, qui poſt obitum quieſcentis poteſtatem habent eum, qui dignus extiterit, promovere.*

(*g*) In CONCILII NICAENI *Can.* 6. legitur: *illud generaliter clarum eſt, quod ſi quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere.* GRAT. *diſt.* 64. *Can.* 8. hinc & ſi inter Electores circa perſonam eligendam fuerat diſſenſio, Metropolitani erat eum ex pluribus electis ordinare, qui majoribus meritis juvabatur, ita enim ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem ſcripſit S. LEO: „cum ergo de ſummi Sacerdotis Electione tractabitur, ille omnino præponatur, quem Cleri plebisque conſenſus concorditer poſtulavit, ita ut, ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur & meritis.„ Conf. S. LEONIS *epiſt.* 89. & 92.

potiſſimum XIV. jus confirmandi Epiſcopos & per conſequentiam jus inquirendi & decidendi controverſias ſuper electionibus Epiſcoporum etiam Sedi Apoſtolicæ non immediate ſubjectorum enatas ſibi ſucceſſive vindicarunt Pontifices Romani (*h*): qui etiam illud excluſis Metropolitanis per concordata cum Nationibus inita retinuerunt (*i*); confirmationes autem Metropolitanorum vel Epiſcoporum exemtorum, qui immediate Sedi Romanæ ſubjecti fuerant, in Occidente conceſſerunt ſemper Pontifices, conſequenter & in horum Electiones prævie inquiſiverunt, ac controverſias pro circumſtantiis deſuper enatas dijudicarunt, adeoque confirmatio tam Epiſcoporum quam Metropolitanorum & cum confirmatione ex natura rei connexa inquiſitio & dijudicatio diſcordium electionum omni ævo ſpectavit ad judices Eccleſ., & ex hoc ſimul patet, quod cauſæ Electionum omni tempore numeratæ ſint inter cauſas Eccleſ., nunquam autem reputatæ fuerint ab Eccleſia pro ſæcularibus.

§. III.

Idem obſervatum fuit in Gallia & Germania.

Sicuti autem univerſaliter confirmatio Epiſcoporum & Metropolitanorum uti & cauſarum electionum diſquiſitio ſpectavit ad judices eccleſ., ſic in ſpecie illud obſervabatur in Gallia & Germania, cum enim duo hæc regna ſpectarint quon-

& 92. absque metropolitani *notitia, conſenſu & judicio* conſecrari non potuiſſe Epiſcopos, compertum eſt ex INNOCENTII I. *Epiſt.* 2. ex BONIFACII I. *Epiſt.* 3. & HILARII *Epiſt.* 2.

(*h*) Jam Sæc. XIII. occurrunt plurima exempla, ubi Pontifices præteritis Metropolitanis confirmarunt electiones Epiſcoporum, & controverſias circa electiones enatas dijudicarunt, potiſſima autem Epocha invenitur Sæc. XIV., reſervarunt ſibi equidem Pontifices hoc ſæculo collationes Epiſcopatuum, qua ratione abolitæ fuerant, quodammodo Electiones Canonicæ, eadem occaſione jus confirmandi Epiſcopos cum annexis metropolitanis fuit aperte ademtum & Sedi Apoſtolicæ reſervatum: indignum quippe credebatur, ut a Romano Pontifice ad Epiſcopatum deſignatus a Metropolitano confirmationem petere & accipere juberetur; quid enim id aliud fuiſſet, quam nominationem Pontificiam Metropolitani judicio probandam vel improbandam ſubjicere? prout ait VAN ESPEN l. c. C. 1. n. 6.

(*i*) Prout ſtipulatum hoc fuit in Concordatis Nationis Germanicæ, de quibus infra fuſius agetur, in Concordatis inter Leonem X. Pontificem & Franciſcum I. Galliæ Regem initis, & reſervatum fuit in indultis variis regibus & principibus circa denominationem Epiſcoporum conceſſis, ita ut confirmet hodie Pontifex Epiſcopos Germaniæ, Galliæ, Belgii, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Poloniæ, Hungariæ &c.

quondam ad Monarchiam Francicam unique ſubeſſent imperanti in civilibus, ſic & eadem quondam utrique fuit regno diſciplina eccleſiaſtica. Licet hæc in Germania ſubſequentibus temporibus ſucceſſive in multis fuerit alterata, dum e contrario Galli priſtinæ ſuæ diſciplinæ tenaciſſimi illam in plurimis capitibus usque ad noviſſima ſervarunt tempora, & quidem quod concernit Epiſcopos, ſive illi fuerint libere electi a Clero & Populo, (*k*) ſive accedente conſenſu Regis (*l*), ſive ſolus Rex illos donominarit (*m*), eos longo tempore confirmarunt Metropoli-

(*k*) Quamprimum Electio a Clero & populo peracta fuerat, decretum Electionis eligentium ſubſcriptionibus roboratum ad Metropolitanum & Epiſcopos comprovinciales mittebatur, ut electus in Epiſcopum ab iplis ordinaretur, ratio autem, cur illis temporibus confirmatio expreſſe non fuerit petita & ſeparatim data ſicut hodie, erat illa, quia ætate illa, prout jam obſervarunt THOMASSINUS, MORINUS, VAN ESPEN, ALEXANDER NATALIS, GIBERT & alii, confirmatio a conſecratione non fuit actus ſpecifice & temporis intervallo diſtinctus, ſed Epiſcopus electus a Metropolitano & Comprovincialibus Epiſcopis prævio electionis examine uno eodemque actu vel ſaltem tempore conſecrabatur & eo ipſo confirmabatur, & quia tum temporis per conſequentiam confirmatio ſeparatim in ſcriptis haud facta eſt, ſic hæc eſt ratio, cur inter tot millena diplomata Eccleſ. illorum temporum nulla deprehendamus diplomata Archiepiſcoporum ſuos Epiſcopos confirmantia, quia autem Archiepiſcopi a Pontificibus debebant petere confirmationem & pallium, hinc tot extant Bullæ Pontificum Archiepiſcopos confirmantes, quæ paſſim occurrunt apud GUDENUM *in Cod. diplom. Mog.*, in HONTHEMII *Hiſtoria diplom. Trevir.*, HUNDII *Metropoli Salisburg.*, STAPHORSTII *Hiſtor. Eccleſ. Hamburg.* & alibi.

(*l*) De hoc conſenſu frequens fit mentio in decretis electionum ad Metropolitanos & comprovinciales transmiſſis, tale exemplum allegat VAN ESPEN l. c. C. IV. n. 3. & eatenus multa alia monumenta adducit ALEXANDER NAT. *Hiſtor. Eccleſ.* T. VI. p. m. 120. ſeq.

(*m*) Reges quoque nominatos a ſe Epiſcopos Metropolitanis ad ordinationem præſentaſſe, ex multis conſtat monumentis hiſtoricis, negari quidem non poteſt, prout illud annotat VAN ESPEN, in ejusmodi formulis ac Decretis unice peti a Metropolitano, ut una cum comprovincialibus Epiſcopum denominatum ordinet & conſecret, verum id haud mirandum, quia ſecundum dicta diſciplina illius ævi confirmationem a conſecratione ſeu ordinatione temporis intervallo non diſtinguebat, ſed Metropolitanus prævio examine conſecrandum hoc ipſo confirmabat, eumque Eccleſiæ paſtorem conſtituebat, imo Reges hoc ſæpius in ſuis denominationibus Epiſcoporum expreſſerunt, ſic Carolus Calvus Adonem Archiepiſcopum requiſivit, ut Bernarium denominatum a ſe Epiſcopum Gratianopol. ordinaret, ita tamen, ut ab ipſo vellet eum examinari ſecundum Canones, antequam inauguraretur,

politani concurrentibus Epiſcopis comprovincialibus, & prævie in perſonam electi inquiſiverunt, controverſiasque circa electiones enatas dijudicarunt, & quod hoc idem in ſpecie in Germania adhuc ſæculo XII obtinuerit, clare probatur ex pacto Calixtino, vi cujus Rex prævio *Metropolitani & Provincialium Epiſcoporum conſilio & judicio ſaniori eligentium parti jubebatur aſſenſum & auxilium præbere* (*n*). Sicut autem in aliis regnis comprovincialibus excluſis jus confirmandi Epiſcopos ſolitarie ad Metropolitanos ſucceſſive pervenit, ſic idem contigit in Gallia (*o*)

&

tur, *ut veſtro*, inquit, *judicio, ſi canonice probaveritis, ibi a veſtra Sanctitate ordinetur Epiſcopus.*

(*n*) Cum autem non facile hodie rejiciat Pontifex denominatos ſibi a Regibus Epiſcopos, ſic facile colligi poteſt, quod multo rarius Archiepiſcopi Regibus ſubjecti in temporalibus petitam a Rege pro Epiſcopo ordinationem denegarint, licet varia tamen & eatenus occurrant exempla: ſi enim Rex Franc. indignos vel incapaces Epiſcopos deſignaverat, Metropolitani partes erant Clerum populumque monere, ut adirent Regem, & ipſe quoque eundem adire debebat, omnibusque modis efficere, *ut Rex Eccleſiam digno honoraret Miniſtro.* „non diffiteor„ ſcribit ALEX. NATAL. *Hiſtor. Eccleſ.* T. VI. p. 121., quin Carolus Calvus palatinos Clericos interdum Epiſcopos deſignaret, nec eorum ſortem committeret Electioni: ſed Epiſcopi jus ipſos examinandi cum de vita, tum de doctrina ſibi ſervaverunt, ipſosque rejiciendi, ſi indigni vel incapaces eſſent, quo in caſu Clerus, Populus, Epiſcopi, Metropolitanus, ſi neceſſe eſſet, mittebant Oratores ad Regem, vel per ſeſe ejus Majeſtatem adibant, ſupplicaturi, ut dignum miniſtrum Eccleſiæ concederet. Id ex CONCILIO VALENTINO III. Can. 7. compertum eſt: *ſi quando Epiſcopus deceſſerit, a Principe poſtuletur, ut Canonicam electionem a Clero & populo ipſius civitatis permittere dignetur. Sed etſi a Servitio pii Principis noſtri aliquis Clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur Epiſcopus, timore caſto ſollicite examinetur, & vigore eccleſiaſtico agat Metropolitanus, Epiſcopis ſicut Dei miniſtris adjutorium ferentibus, ne maculatæ vitæ & pompis ſæculi turbidus & ſimoniaca hæreſi pollutus Eccleſiæ ſuperponatur Epiſcopus. Si neceſſarium idem Metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, ut in debito honorem bonis tantum debitum tradat, inſtruat populum, informet Clerum, potius adire Clementiam Imperialem, & ipſe cum Coëpiſcopis, quibus voluerit modis, adeat, ut Eccleſiam Dei glorioſus Imperator digno honoret miniſtro...*

(*o*) HINCMARUS *in Opuſculo* 55. *Capitum adverſus nepotem Laudunenſem Epiſcopum*, ubi Metropolitanorum jura exponit, & vindicat C. 2. refert: *quod defuncto Epiſcopo Metropolitanus Viſitatorem Eccleſiæ viduatæ deſignet, Electionem cum Decreto Canonico fieri jubeat. & ſi in partes ſe eligentium Vota dividerent, eum eligat, qui majoribus ad ordinandum ſtudiis juvatur & meritis,*

& Germania. (p) Ab initio Sæculi XIII. autem & potiſſimum a temporibus Ottonis IV. Imperatoris in Germania cauſæ circa Electiones Epiſcoporum controverſæ & quidem numeroſæ admodum, imo fere pleræque præteritis Metropolitanis ad Sedem Apoſtolicam fuere delatæ (q), & a Pontifice confirmati Epiſcopi; ex quo tempore autem Pontifices ſibi reſervarunt Epiſcopatuum collationes, ab illo tempore ſibi quoque indiſtincte reſervarunt confirmationes Epiſcoporum tam in Gallia (r), quam in Germania (s), quas etiam

& ordinandum examinet. Quid clarius de Hincmari ſæculo dici potuiſſet? refert quoque FLODOARDUS L. 3. C. 24. *hiſt. Rhemenſ.* de Hincmaro Rhemenſi, quod ſcripſerit ad Hugonem Abbatem Regni adminiſtrum, petiveritque, ut hortaretur Reges Ludovicum & Carolomannum, ut Voluntatem Dei & antec eſſ rum duorum conſuetudinem (in negotio Electionis) conſervarent ac demonſtrarent, *quod non Epiſcopi de palatio præciptantur eligi, ſed de propria qualibet Eccleſia. & quod de ordinando Epiſcopo non Regis palatinorum debeat eſſe commendatio, ſed Cleri & plebis Electio & metropolitani in Electione dijudicatio, deinde terreni principis Conſenſio, & ſic fieri Epiſcoporum manus impoſitio.* Quod Epiſcoporum Electio a Metropolitano confirmata ſit prævio examine Sæculis IX. X. XI. & XII. probat Alexander Nat. l. c. T. VI. p. 123. & 555.

(p) Sic tempore Henrici VI. Imp. Wolfkerum Epiſcopum Paſſav. confirmavit Archiepiſcopus Salisburg. *Chron. Reichersperg.* ad A. 1191. HANSIZII *Germania ſacra* T. I. p. 337. Gardolfum Halberſtad. Epiſcopum confirmavit Archiepiſcopus Mogunt. & conſecravit, *Chron. Halberſtad.* in LEIBNIT. T. I. *Script. Brunſwic.* p. 338.

(q) Sic ut inter multa pauca allegem exempla, cauſa controverſæ electionis Hugonis Epiſcopi Leod. delata fuit ad Curiam Rom. & a Guidone Cardinali Legato Pontificis dijudicata, prout refert AEGYDIUS aureæ Vallis Monachus l. c. C. 97. Hertwicus Auguſtanus Epiſcopus, qui Regis Philippi Suevi partes ſequebatur, Pontificis confirmationem obtinere non potuerat, conf. STENGELII *rer. Auguſt.* P. II. C. 4. p. 184. ſub Friderico II. Imp. Cauſa Leod., ubi pars Ottonem Præpoſitum Ultraject., pars Guilielmum Comitis Flandriæ fratrem elegerat, Pontifex Cauſa deciſa confirmavit Guilielmum. AEGYD. aureæ Vallis Monachus C. 133. ſeq. & Conradus Epiſcopus Wormat. a Petro Cardinali Romanæ ſedis Legato confirmatus eſt. SCHANNAT *in hiſt. Epiſcopatus Wormat.* p. 376.

(r) Galli quidem ſe oppoſuere reſervationibus, & Ludovicus S. Rex pragmatica ſanctione ſuam ſacris Electionibus Libertatem aſſeruit, C. 2. *Eccleſiæ Cathed. & aliæ Regni noſtri Liberas Electiones, & eorum effectum integraliter habeant.* Et Eccleſia Gallicana Pariſiis congregata contra tales reſervationes decretum edidit, quod A. 1406. confirmavit Carolus VI. Rex Gall., cujus executionem curiis Parlamenti cæterisque Magiſtratibus commiſit, ac Legi poteſt in ALEXANDRI NAT. *Hiſt. Eccleſ.* T. VIII. p. m. 220.

(s) In Germania majorem effectum habuere reſervationes, & Pontifices non habita

etiam ſecundum dicta vi concordatorum cum Germanis & Gallis initorum retinuerunt; quod autem concernit Metropolitanos & Epiſcopos immediate Sedi Apoſtolicæ ſubjectos, eos tam in Gallia quam in Germania confirmarunt jam longe ante Sæculi XIII. tempora Pontifices, & controverſias circa ejusmodi electiones exortas dijudicarunt (*t*).

§. IV.

Per pactum Calixtinum jus decidendi controverſias Electionum Epiſcoporum Germaniæ non ablatum fuit Judicibus Eccleſiaſticis & collatum Regibus Germaniæ.

Per pactum Calixtinum, prout inter omnes conſtat, ſublatum fuit A. 1122. famoſum illud diſſidium Sacerdotium inter ac Imperium circa inveſtituram per baculum & annulum (*u*), & per illud reſtituta fuit eccleſiis Germanicis Canonica eligendi libertas: in hoc pacto non quidem fit expreſſa mentio confirmationis Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Germaniæ, expreſſe autem judicibus eccleſ. confirmatur jus decidendi controverſias circa electiones enatas, ibi enim ait Imperator Henricus V. (*x*): *dimitto omnem inveſtituram per annulum & baculum*

bita ratione pacti Calixtini pro lubitu conferebant Epiſcopatus Capitulis ſuam eligendi libertatem licet plerumque ſine effectu tuentibus, exinde autem enata ſunt ſchiſmata & bella Eccleſiis Germaniæ plerumque funeſta: teſtimonium eatenus luctuoſa nobis perhibet hiſtoria Mogunt.

(*t*) Sic dum A. 1178. poſt mortem Balduini Archiepiſcopi Brem. Magiſter Bertholdus ſecunda vice electus penes Pontificem Ao. 1179. confirmationem expetiit, defectus autem circa ejus perſonam & electionem occurrebant, electio ejus fuit caſſata; & loco ejus Sigefridus filius Marchionis Alberti Urſi & Epiſcopus Brandeburg. Eccleſiæ Brem. Præpolitus fuit. V. *Hiſtoria Archiepiſcopat. Brem.* ad dictum Annum. STAPHORST. in *Hiſtor. Eccleſ. Hamburg.* P. I. T. I. p. 587.

(*u*) Hiſtoriam de Diſſidio circa Inveſtituram per baculum & annulum ſexcenti facile ſcriptores jam expoſuerunt, ſed pauciſſimi forſan Cauſam hanc ex genuinis fontibus & calamo a ſtudiis partium alieno pertractarunt, alii nimium tribuunt Pontifici, alii nimium Imperatori, alii Scriptores coævos & monumenta antiquitatis hanc Hiſtoriam illuſtrantia nunquam viderunt, alii nequidem verum de toto hoc argumento habuere conceptum, alii nonniſi convitia ſpargunt contra Pontificem, alii contra Imperatorem, adeoque ex hiſce patet, quam parum fiduciæ quis circa hocce Caput hiſtoriæ in Scriptoribus recentioribus ponere poſſit, & quam neceſſarium ſit Hiſtoriam hanc ex ipſis fontibus haurire.

(*x*) Formulam pacti Calixtini partim a Baronio ex archivio Pontificio editam, partim in Scriptoribus coævis Veluti Abbate Urſpergenſi, Sigeberto Gemblacenſi,

cenſi, & Udalrico Babenbergenſi obviam falſitatis arguere quidem annisus fuit Joh. Guil. Hoffmann in Academia Wittenberg. Hiſtoriarum quondam Profeſſor in Diſſ. *ad Concordatum Henrici V. & Calixti II. de Inveſtituris Epiſcoporum & Abbatum.* Verum notæ Criticæ ab ipſo allatæ & ex verbis quibusdam Ottonis Friſingenſis, potiſſimum autem ex variantibus lectionibus & male adſcriptis teſtium Nominibus, aliisque accidentalibus non magni momenti petitæ non tanti fuere ponderis, ut orbis Litteratus (ſi paucos quosdam Scriptores Proteſtanticos exceperis) aſſenſum illi eatenus præbuerit, & pactum Calixtinum hactenus a maximis Criticis pro legitimo habitum inter partus ſpurios projecerit: facile enim everti poſſunt prolata ab Hoffmanno argumenta: nam 1) ex mendoſis deſcriptionibus pacti Calixtini enatæ ſunt variantes lectiones & errores circa nomina teſtium, quæ probabilius in Originali pro more ævi tantum litteris initialibus poſita erant, & ab aliis erronee in copiis ſuppleta & adſcripta ſunt, facile autem foret ex hiſtoria illius temporis vera Teſtium nomina reſtituere. 2) Quot non extant diplomata, quæ quoad contenta ab omnibus pro genuinis reputantur, licet circa adſcriptiones teſtium manifeſti errores occurrant, de quo infra fuſius. 3) Argumentum ex Ottone Friſingenſi deſumtum, in quo maximum pondus cit. author ponit, non adeo magni eſt momenti, licet enim Otto *in Chronico* L. VII. C. 16. ſcribat Imperatori a Pontifice: *ut tam ciſalpini, quam tranſalpini non prius ordinentur Epiſcopi, quam regalia de manu ejus per ſceptrum ſuſcipiant.* „ſcripto confirmatum eſſe, in formula Calixtina autem, quæ extat, alia occurrant, & eatenus diſtinctio fiat inter Epiſcopos ciſalpinos & tranſalpinos, & de his ſtatuatur: *ex aliis vero partibus Imperii conſecratus infra ſex menſes regalia per ſceptrum a Te recipiat.*„ Ex hac diſcordia tamen nulla falſitatis nota cum fundamento affingi poteſt formulæ Calixtinæ concordiæ, cuivis enim in hiſtoria vel parum verſato ſatis conſtat ſcriptores coævos, qui non ſemper ipſa inſpexerant diplomata, ſed ex auditu muſta ſcripſerunt, contenta fœderum ſæpius non accurate expoſuiſſe, & per ipſa diplomata ſcriptores coævos in plurimis fuiſſe emendatos, cui accedit, quod occurrente diverſitate inter diploma ſuper re ipſa confectum, quod cum fundamento falſitatis argui non poteſt, & teſtimonium ſcriptoris antiqui merito prævaleat diploma. conf. idem Joh. Guil. Hoffmann in disquiſ. *de lubrico artis diplomat.* pag. m. 37. ſeq. 4) Omnia illa, quæ continentur in citata formula, ipſi rei veritati ſunt conſentanea, & confirmantur ex ipſis controverſiis ſubſequentibus temporibus enatis & innumeris aliis monumentis hiſtoricis; 5) quod etiam pactum Calixtinum ex duplici inſtrumento, Pontificio ſcilicet & Imperiali conſtet, non ſolum conforme eſt ſtylo ævi, ſed & ipſe innuit Otto Friſing. l. c., dum refert ab Henrico V. Imp. ſuper renunciatione Inveſtituræ per baculum & annulum Eccleſiæ ſeu Pontifici *Privilegium* eſſe ſcriptum, & vice verſa illud, quod Imperatori a Pontifice conceſſum fuerat, *ſcripto eſſe confirmatum*, adeoque eo minus formula illa, quæ ex antiquitate nobis eſt ſervata, de falſitate ſuſpecta eſſe poteſt. 6) Quo fundamento ſcriptores antiquos: Abbatem Urſpergenſem, Udalricum Babenbergenſem & Sigebertum Gemblacenſem, qui formulam iſtam nobis ſervarunt, eatenus falſitatis & malæ fidei arguere poſſumus? cur illos finxiſſe nobis hanc formulam credamus? & licet in quibuſdam Capitibus interpolationem Sigeberti Gemblac. haud negamus, nemo tamen nobis probabit formulam quæſtionis inter-

n (*y*), *& concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in regno vel Imperio meo ſunt, Cano*
am fieri Electionem & liberam conſecrationem (*z*). Et Pontifex ait: *Concedo*
ctiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, quæ (*a*)

polatam eſſe, vel ſaltem illa Chronico Conradi Urſpergenſis & Collectioni Udalrici Babenberg. per interpolationem haud irrepſit; ex hiſce igitur ſimul patet, quales Pirrhoniſmus hiſtoricus producat abuſus, & quam facile fucus a pſeudo criticis excitatus & cum applauſu a quibusdam exceptus diſſipari queat, adeoque quod nihil magis neceſſarium ſit, quam ut critica intra juſtos contineatur limites.

(*y*) Effectus potiſſimus hujus inveſtituræ erat ille, quod non attenta concordi vel diſcordi Electione præmiſſa ille evaſerit Epiſcopus, ratione cujus Rex conſenſum ſuum per inveſtituram prædictam declaraverat, adeoque hæc Inveſtitura ſecum ferebat ipſam arbitrariam Epiſcopi denominationem, & huic juri denominandi pro lubitu Epiſcopos Germaniæ mediante Inveſtitura renunciavit Henricus V., dum Canonicam permiſit fieri Electionem in omnibus Eccleſiis, adeoque modo ille evaſit Epiſcopus, qui Canonice fuit electus, vel in diſcordia electus pro legitime electo a ſaniori parte declaratus.

(*z*) Ratio, cur confirmationis non fuerit facta mentio expreſſa ab Henrico V., fuit illa, quia a conſecratione Epiſcoporum illis adhuc temporibus vi Diſciplinæ Eccleſiaſticæ necdum fuit confirmatio tempore diſtincta ſecundum ſupra jam monita, ſed conſecratio tacite ſimul involvebat ipſam confirmationem, ſicuti denegatio Conſecrationis hoc ipſo ſecum tulit denegationem confirmationis, confirmatio autem, prout pariter ſupra probatum fuit, ex natura ſua continebat jus examinandi electum & decidendi controverſias circa electiones diſcordes enatas, cum autem Conſecratio Epiſcoporum ſpectarit ad Metropolitanum & Epiſcopos comprovinciales, ſic & ipſa confirmatio, & jus decidendi controverſias electionum ad illos pertinuit, hiſce igitur liberam reliquit Henricus V. conſecrationem Epiſcoporum & cum ea annexam confirmationem & pro caſu eveniente jus decidendi controverſias circa Electiones enatas.

(*a*) In editione Goldaſti legitur: *qui*, ita ut ſenſus ſit: *concedo Electiones Epiſcoporum & Abbatum, qui ad regnum pertinent.* Et hæc lectio videtur ſaltem magis eſſe veriſimilis, quam Vulgaris, cum non Electiones, ſed Epiſcopi & Abbates Teutonici regni ſpectent ad Regnum ſeu Imperium Romano Germanicum, aſt cum formula hujus declarationis Calixtinæ nonniſi ex deſcriptionibus & in copiis ad nos pervenerit, ſic facile potuit ommitti unum vel alterum Vocabulum, cujus autem ommiſſio obſcuritatem ſenſus cauſavit, adeoque, ſi meam liceat afferre conjecturam, ſic nullus dubito, quin poſt verba: *Teutonici Regni* in copiis ommiſſa ſint verba: *in Eccleſiis*, quæ probabilius in originali extabant, & in hoc ſuppoſito vocabulum *quæ* recte eſt poſitum, & clariſſimus habetur ſenſus hujus tenoris: *concedo Electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni in Eccleſiis, quæ ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri* &c. quod etiam conjectura mea non adeo ſit frivola, ex ſequentibus dijudicare licebit notis criticis, quia 1) omnis alia lectio,

ctio, prout cuivis inſpicienti in oculos incidit, eſt obſcura, & ſi relativum *quæ* ad Epiſcopos & Abbates referas, involvit Solœciſmum, mea autem lectio eſt clariſſima & ipſi rei conveniens. 2) Si vocabulum *quæ* ad evitandum errorem grammat. referas ad *Electiones*, ſenſus iterum eſt præpoſterus, Electiones enim non pertinent ad regnum, ſed ad illos, quibus libera Electio eſt commiſſa per ipſum pactum Calixtinum. 3) Nunquam præſumi poteſt de Pontifice, quod hunc loquendi modum adhibuerit, & Electiones Epiſcoporum *ad regnum* pertinere dixerit, cum ille tot annis Electiones regno ſeu poteſtati Imperiali denegarit infracta cum conſtantia, & earum Canonicam libertatem aſſeruerit iis, quibus ſecundum Canones jus eligendi competebat. 4) Optime autem dixit Pontifex: *in Eccleſiis, quæ ad regnum pertinent.* Nam Eccleſiæ Cathed. & Abbatiæ in Germania ad regnum proprie loquendo ſpectabant, & in hisce debebant fieri electiones libertate Canonica. 5) Vocabulum *quæ* in antiquis occurrit codicibus manuſcriptis, & apud Abbatem Urſpergenſem Scriptorem coætaneum, adeoque non facile in *qui* mutari poteſt, & ſi etiam cum Goldaſto in *qui* mutaretur, & reduceretur ad Epiſcopos & Abbates, ſenſus denuo foret informis, quæſtio enim erat de futuris Electionibus Epiſcoporum & Abbatum Teut. Regni, qui autem tempore hujus concordati necdum extabant in rerum natura, adeoque nec Pontifex de iis dicere potuit in præſenti: *qui ad Regnum pertinent.* 6) Henricus V. in declaratione ſua ex parte facta addit verba: *in Eccleſiis*, dum ait: *& concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in regno vel imperio meo ſunt, fieri Electionem.* qui ſenſus eſt clarus, & determinatus, & ſic etiam veriſimile eſt, quod Pontifex hanc claritatem ſenſus ſua ex parte quoque expreſſerit dicendo: *Concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teut. Regni in Eccleſiis, quæ ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri.* 7) Pontifex etiam expreſſe diſtinxit Eccleſias Teutonicas ad regnum ſeu Imperium pertinentes ab aliis Eccleſiis non ad Germaniam ſed tamen ad regnum & imperium ſpectantes, dum ait: *ex aliis vero partibus Imperii conſecratus infra ſex menſes regalia per ſceptrum a te recipiat.* Regnum enim ſeu Imperium, de quo hic facit mentionem Pontifex, & ad quod refert regnum Teuton., fuit ſine dubio Imperium Romano Germanicum in ſenſu eminentiori, ad quod hiſce temporibus præter dignitatem Imperatoris Romani ſpectabant tria regna, ſcil. regnum Germanicum, cui Lotharingia erat incorporata, & regnum Arelatenſe, quæ duo regna erant partes Imperii reſpectu Pontificis transalpinæ, & 3) regnum Longobardicum, quod conſtituerat partes reſpectu Pontificis ciſalpinas; in omnibus hisce regnis ſeu imperii partibus, prout loquitur Pontifex, erant Eccleſiæ, verum aliud ſtatutum fuit intuitu Electionum & Epiſcoporum Eccleſiarum regni Teuton. ſeu potius partium reſpectu Pontificis transalpinarum, aliud intuitu electionum, & Epiſcoporum Eccleſiarum in regno Italiæ ſeu partium reſpectu Pontificis ciſalpinarum, ad quas ultimas hic reſpexerat Pontifex; putat equidem Buderus in diſſert. *de feudis ſceptri.* §. V. per Epiſcopos ex aliis regni partibus a Pontifice etiam intelligi Epiſcopos regni Arelat., verum hoc exinde refutatur, quia ex monumentis hiſt. & a poſteriori conſtat, Epiſcopos Arelatenſes & Germanicos ſeu potius omnes tranſalpinos reſpectu Pontificis quoad inveſtituram eodem jure gaviſos eſſe, pro ſuis ciſalpinis igitur ſolummodo particulariter proſpicere voluit Pontifex.

regnum (b) pertinent, in præſentia tua fieri (c) abſque ſimonia & aliqua violentia, ut, ſi inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & provinciales cum conſilio vel judicio (d) ſaniori

b) Noſter Anonymus p. 52. hæc ita germanice reddit: daß der Biſchöffe und Aebte Wahlen im teutſchen Reiche, als zu der Cron gehörig, in deiner Gegenwart geſchehen; adeoque ſecundum ejus interpretationem Electiones Epiſcoporum & Abbatum Germaniæ ſpectant *ad jura regia ſeu ad reſervata Imperatoris.* Hanc ſuam interpretationem p. 53. in Nota l. hoc tuetur argumento: Regnum kan hier ſowohl das Longobardiſche Reich, als auch nur kurz die Cron heiſſen, in welchem letzteren Verſtand es die Päpſte ſelbſt ſehr oft gebraucht, ſ. DUCANGE *Gloſſar.* ſub voce: *regnum.* und alsdann wäre der Sinn ungefehr dieſer: die Biſchofswahlen, welche ein Vorrecht der Cron ſind ꝛc Verum errat Author 1) dum ait, per *regnum* in ſubſtrato intelligi poſſe regnum Longobardicum, quis enim erit tam ſtupidus, qui dicat regnum Teut. pertinere ad regnum Longobard., cum ex primis hiſtoriæ Imperii principiis conſtet regnum Longobard. eſſe potius regnum acceſſorium reſpectu regni Germanici, quod fuit regnum principale, id quod & Pontifici fuerat notiſſimum; neque de hoc cogitavit in loco quæſtionis Pontifex, ſed ſecundum jam dicta vocabulum regnum & Imperium ſumſit in ſenſu eminentiori pro complexu regnorum, quæ tum temporis poſſederant reges Romanorum & Imperatores, & in hoc ſenſu regnum Germanicum ſumſit pro parte hujus Imperii transalpina, aliæ partes erant ſecundum dicta reſpectu Pontificis cisalpinæ, per quas denotabatur regnum Longobard., & ſic ait Pontifex: in aliis regni partibus ſcil. extra Germaniam ſeu potius cisalpinis. &c. *Secundo* quid magis contra regulas criticas imo prudentiæ impingere poteſt, quam verba Pontificis: *quæ ad regnum pertinent*, detorquere velle in ſenſum: *quæ jura regia vel reſervata coronæ ſunt:* Pontifex enim usque ad tempora hujus concordiæ inveſtituram per baculum & annulum, quæ in effectu continebat Electionem regiam Epiſcoporum, tanquam uſurpationem contra Canones impugnavit, & ille tamen in ipſo transactionis inſtrumento fateatur & dicat, electiones, quas tamen denegat Imperatori, *ad jura regia ſeu reſervata Imperatoris pertinere.* An non hæc eſſet contradictio in adjecto? an talis ſenſus in hisce circumſtantiis affingi poteſt Pontifici?

c) Nihil igitur conceditur per verba clariſſima Imperatori, quam quod præſens eſſe poſſit Electionibus Epiſcoporum & Abbatum Germaniæ, præſentia autem non infert jus eligendi, multo minus jus decidendi, quis ex pluribus in diſcordia electis canonice ſit electus & per conſequentiam præferendus; Reges & Imperatores quondam fuere præſentes in Conciliis, quin dederint ſuffragium deciſivum, multo minus deciderint controverſias Eccleſiaſticas adeoque; & conceſſa ſolum præſentia nihil Juris tribuebat Imperatori circa ipſas Electiones, mittunt adhuc hodie varii principes Sæcul. & Domini Territ. ſuos Commiſſarios ad Electiones Prælatorum in temporalibus ſibi ſubjectorum, qui etiam plerumque interſunt ipſis Electionibus, quin illis, ſi diſcors fuerit electio, incidat ob jus præſentiæ prætendere jus decidendi controverſias circa validitatem electionis enatas.

d) Quod vocabulum *judicium* ſit Homonymum, jam ex Inſtitutis cuivis ſufficien-

ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas (*e*). Conſequenter ſi controverſia vel diſcordia inter eligentes emerſerit, hæc ex verbis & mente hujus concordati ſopienda eſt vel conſilio Metropolitani & Epiſcoporum comprovincialium, ſeu, quod in effectu idem erat, tentanda erat ante omnia inter diſcordes eligentes amicabilis compoſitio, vel ſi conſilium vel tentatio amicabilis foret ſine effectu, tunc judicio Metropolitani & Coëpiſcoporum ad determinandum relinquitur, quænam pars eligentium ſit ſanior, ſeu quisnam ex electis ſit præferendus; prævio hoc conſilio vel reſpective judicio Metropolitani & Epiſcoporum comprovincialium Imperatori nihil ulterius conceditur, quam ut ſaniori parti conſenſum & auxilium præbeat. Prætendebant equidem reges ante hocce concordatum, quod conſtitutiones Epiſcoporum Germaniæ mediante inveſtitura per baculum & annulum dependeant a ſolo eorum arbitrio nulla electionis habita ratione, ita ut canonice licet Electo non tenerentur impertiri conſenſum, modo autem vi hujus pacti debebant neceſſario largiri conſenſum vel illi, qui fuerat electus concorditer, vel ſi in diſcordia electio peracta fuerat, tenebantur aſſenſum præbere illi, quem elegerat pars ſanior eligentium; quænam autem eſſet pars ſanior, ſeu in effectu quis eſſet ex electis præferendus, hujus Capitis deciſio non delata fuit Imperatori, ſed hujus determinatio quæſtionis & *judicium* relictum fuit Metropolitano & Epiſcopis provinc., & hoc etiam fuerat conforme Canonibus, ad quos provocarunt Pontifices, & antiquæ Eccleſiæ diſciplinæ; hujus autem judicii vel ſententiæ executio per verba: *& auxilium præbeas* ſaltem commendata fuit Imperatori.

§. V.

cienter innoteſcit, quod autem hic ſumatur *judicium* pro ſententia judiciali, patet partim ex ſupra allegatis monumentis Eccleſ., vi quorum Metropolitanis defertur *judicium circa Electiones Epiſcoporum controverſas*, per *Judicium* autem in illis manifeſte intelligitur poteſtas decidendi per ſententiam diſcordias Electionum; Pontifex autem, qui ſemper in hac Cauſa ad Canones provocavit, locutus fuit dubio procul lingua Canonum, ſumſitque hoc vocabulum in eo ſenſu, prout ſumtum fuerat in Canonibus Metropolitano *Judicium circa Electiones* aſſignantibus.

(*e*) LEYSER *in medit. ad Pand.* Spec. 434. M. 40. ſcribit quidem: per illa verba: „*Saniori parti aſſenſum & auxilium præbeas:* Cæſar judex in diſcordiis eli„gentium conſtituitur, quod utique maximam ei tribuit auctoritatem. Porro „quod de conſilio & Judicio Metropolitani & comprovincialium additur, non „ſubjicit cæſarem eorum deciſioni, ſed adhiberi eos ſaltem & audiri jubet, „poteſtatem vero ſtatuendi Cæſari perinde, ut in Conſiliis & Senatibus aliis „ſolet, relinquit.“ Verum quod *parti eligentium ſaniori aſſenſum & auxilium præbere* idem denotet, ac *decidere controverſias Electionum*, prout volunt LEYSER & ANONYMUS, hoc glaucoma nemo linguæ latinæ vel parum peritus permittet ſibi imponi, multo minus in critica verſatus ſibi perſuadebit, Pontificem prædicta verba in tali ſignificatu protuliſſe, & hanc poteſtatem Imperatori voluiſſe concedere.

§. V.

Facta quorundam Germaniæ Regum & Succeſſorum Henrici V. contraria pacto Calixtino nihil probant.

Quod pactum Calixtinum efficacem produxerit obligationem tam ex parte Imperatoris & Imperii, quam ex parte Pontificis, de hoc nemo cum fundamento dubitare poterit, cum autem fides data ab utroque paciſcentium ſit ſervanda, ſic ſequitur, quod & reges Henrici V. Succeſſores ad hoc pactum ſervandum fuerint adſtricti (*f*), adeoque dum quidam ex iis priſtinum jus deno-

(*f*) Hoc enim pactum Calixtinum non fuit pactum perſonale ſed reale, quod & ad ſucceſſores transiit, & in Comitiis Wormat. cum conſenſu ſtatuum fuit initum & in Bambergenſibus confirmatum, & ſic univerſum obſtrinxit Imperium. 2) idem patet ex fine hujus pacti, qui erat, ut hac ratione luctuoſum hactenus Imperio & Eccleſiæ diſſidium circa inveſtituram per baculum & annulum in perpetuum tolleretur. 3) Illud evincitur a poſteriori, dum Succeſſores tam Imperatores quam Pontifices ad hoc pactum data occaſione ſubſequentibus temporibus provocarunt. 4) denique illud tacite, exceptis immutatis quibusdam, confirmatum fuit in ipſis concordatis nationis germ. cum curia Romana initis. Scripſit quidem noviſſime Cel. JOH. GEORG. ESTOR in præclaro ſuo opere von der Freyheit der teutſchen Kirchen p. 237. „indeſſen verſichert der glaubwürdige Geſchichtſchreiber Otto Biſchof zu Freyſingen, der Papſt Calixt II. habe erkläret, was maſſen dieſes Concordat nur auf ihn Calixt den II. gehe: Keinesweges aber auf ſeine Nachfolger gerichtet worden ſeye. Locum Ottonis non quidem allegavit ESTOR, collimavit autem dubio procul ad OTTONIS *Chronicon* L. VII. C. 16. ſupra jam allegatum, ubi legitur: „*Igitur Romano Imperio multis modis in ſe attrito Imperator* (Henr. V.) *propter Anathema deficere a ſe regnum videns, patrisque metuens exemplum congregato juxta Wormatiam maximo principum conventu, Inveſtituram Epiſcoporum Apoſtolicæ Sedis Lamperto, qui poſtmodum Summus Pontifex factus, Honorius eſt dictus, reſignavit, per eumque anathematis vinculo abſolutus eſt. Privilegium ergo de hoc Eccleſiæ ſcribitur, ac ipſi rurſum, ut Electi tam ciſalpini quam tranſalpini non prius ordinentur Epiſcopi, quam regalia de manu ejus per ſceptrum ſuſcipiant, ſcripto confirmatur, hoc pro bono pacis ſibi ſoli, & non ſucceſſoribus datum dicunt Romani.* Verum ubinam hic dicit OTTO FRISING. Calixtum, qui tamen perpetuam voluit inire pacem & perpetuo tolli inveſtituram per baculum & annulum declaraſſe hoc pactum fuiſſe ſaltem opus perſonale? Verus igitur ſenſus Ottonis eſt ille: quod Romani Ottonis ævo florentes (non Calixtus II.) dicant *hoc*, ſcilicet illud, quod ſcripto confirmatum fuit Henrico V. a Calixto II., *ut electi non prius ordinentur Epiſcopi, quam regalia de manu regis ſuſceperint*, tantum pro bono pacis ſoli Henrico & non Succeſſoribus ejus datum eſſe. Et hoc teſtimonium Ottonis Friſing. innumeris aliis exemplis confirmatur, prætendebant enim Pontifices temporibus Ottonis Friſing. & ſubſequentibus nonniſi electos conſecratos vel ſaltem confirmatos demum regalibus eſſe inveſtiendos, nec etiam ceſſarunt donec

denominandi ex arbitrio Episcopos, eosque investiendi more antiquo sibi quærebant iterum arrogare sub quocunque prætextu, hoc erat factum de facto & nulliter, nullumque exinde jus in contrarium stabiliri potest; quod autem tanto conatu pristinum jus denominandi Episcopos revocare annisi fuerint reges & Imperatores, non adeo mirandum, pungebat equidem illos acriter insignis hujus jactura juris ex multiplici capite, quia 1) hac ratione remunerari potgrant benemerita sibi fidelium, & promovere ad cathedras episcopales suos Cancellarios, Consiliarios & Clientes, & ob hasce promotiones adhuc majora ab ipsis qua statibus Imperii primi ordinis in multis negotiis exspectare officia gratitudinis. 2) Poterant hac ratione sibi conciliare amicos in Imperio, qui temporibus turbidis erant solatio & auxilio. 3) quia penes statu Eccles. in comitiis potissimum erat pondus, sic Regum intererat tales constitui Episcopos, in quorum affectu certam poterant ponere fiduciam, & qui in regias semper inclinabant partes &c. ut alia emolumenta & commoda ex juris hujus exercitio provenientia silentio præteream; & ex hisce causis jus illud adeo proficuum libenter quasi postliminio sibi iterum vindicassent; primus autem inter Henrici V. successores erat Lotharius II., qui restitutionem investituræ per baculum & annulum seu potius cum ea annexum jus denominandi Episcopos A. 1130. ab Innocentio II. Pontifice contra Antipapam Anacletum II. auxilium efflagitante expetierat (*g*), a qua autem prætensione suasu S. Bernardi iterum abstinuit (*h*); nec etiam exempla ab authore producta probant, quod Lotharius jus decidendi controversias circa Electiones Episcoporum Germaniæ unquam exercuerit, prout ex professo de hoc infra C. III erit agendum. Cum autem jus investiendi pristinum seu potius secundum dicta jus denominandi pro lubitu Episcopos Germaniæ impetrare amplius haud potuerint reges, sic saltem arrogare illud sibi annitebantur in casu discordis electionis: licet enim vi pacti Calixtini in tali casu jus denominandi Episcopos Regibus nullatenus fuerit concessum, sed expressis prospectum verbis, ut reges solummodo, *si qua inter eligentes discordia emerserit, Metropolitani vel provincialium consilio & judicio saniori parti assensum & auxilium præberent*, attamen hæc verba reges contra mentem pacti & eorum tenorem

hoc caput pacti Calixtini fuerit immutatum, de quo fusius infra, adeoque falsum est integrum pactum Calixtinum ex declaratione Calixti II. Pontificis tantum fuisse opus personale.

(*g*) Prout referunt Otto Frising. L. VII. *Chron.* C. 18. & Conradus Urspeng. p. 272.

(*h*) Conradus Urspeng. l. c. scribit: *Ideo Apostolicus non modicum est turbatus, & de adventu suo est contristatus, de reditu quoque anxius effectus, nam petitionem principis exaudire non poterat super tali articulo, pro quo Ecclesia tot mala sustinuerat, interveniente tamen consilio & orationibus B. Bernardi securus recessit ab Imperatore.*

rem prætendebant ita intelligenda eſſe, ut in caſu diſcordis Electionis liberrimum habeant jus denominandi Epiſcopos, & ſub hoc prætextu Epiſcopos in tali caſu a ſe denominatos de facto Eccleſiis ſæpius obtrudebant, nec deerant in aula Viri & adulatores, qui ſpe obtinendorum ex regia denominatione Epiſcopatuum, vel ut Regibus blandirentur, defendebant tanquam juſtum illud, quod ſciverant regibus eſſe acceptum; atteſtatur hæc ſcriptor coævus ſæpe allegatus OTTO FRISING. Epiſcopus *de geſtis Frid. I. Imp.* L. II. C. 6 ſcribens *tradit enim Curia, & ab Eccleſia eo tempore, quo ſub Henrico V. de inveſtitura Epiſcoporum deciſa fuit inter regnum & ſacerdotium Controverſia* (*i*), *ſibi conceſſum autumat, quod obeuntibus Epiſcopis, ſi forte in eligendo partes fiant, principis arbitrium eſſe Epiſcopum, quem voluerit, ex primatum ſuorum Conſilio ponere.* (*k*) & AUTHOR

(*i*) Scilicet per pactum Calixtinum A. 1122., quod Ottoni Friſing. ſecundum ſupra probata erat notiſſimum.

(*k*) Quod hæc prætenſio Curiæ Regiæ de Jure haud fundata, ſed potius contraria fuerit verbis & menti Concordati Calixtini, nec ab Ottone Friſing. approbata fuerit, hoc ſatis clare innuit hic ſcriptor per verba: *tradit curia* & rurſus *curia jus ſibi conceſſum autumat*, & ſic traditionem & ſententiam curiæ circa hoc caput non tanquam jus fundatum pronunciat, ſed ſtudio ambigua hac ratione ſaltem exponit ea, quæ de facto prætendebat aula regis, ſi approbaſſet hanc curiæ regiæ ſententiam, & in concordato Calixtino fundatam eſſe credidiſſet, quod Imperatori Jus eſſet Electiones Epiſcoporum eligentium diſcordiis incertas authoritate ſua determinandi, vel exercendi in hoc caſu jus devolutionis, tunc aliis verbis quam illis ambiguis & timidis: *tradit Curia* nec non *curia autumat* uſus fuiſſet. Senſit etiam vim hujus argumenti JOH. GUIL. HOFFMANN in cit. ſupra diſſ. p. 10. qui autem novum argumentum, quod nullus exſpectaſſet, exinde eruere, & probare voluit, quod ſcilicet, cum ambiguis hiſce verbis uſus fuerit Otto Friſing., exinde concludendum ſit, quod pactum Calixtinum nunquam viderit, cum autem non viderit, quod tamen videre debuiſſet, ſic nec illud extiterit in rerum natura, conſequenter & pactum Calixtinum, quod adhuc hodie ſupereſt, ſit ſpurium; verum fallitur hic author, dum ſibi perſuadet Ottonem Friſing. ideo haud vidiſſe pactum Calixtinum, quia ambiguis verbis circa ſententiam curiæ Imper. fuit uſus, licet enim præfatum ſcriptorem in extenſo hoc pactum haud legiſſe facile largiamur, dubio procul tamen potiſſima ejus contenta ipſi ſaltem fuerunt ſatis nota, quia autem bene ſciverat Otto Friſing. geſta Frid. I. Imp. non concordare cum renunciationibus ab Henrico V. factis, ſic ſtudio adjecit illa. *quæ tradat vel autumet curia*. narraverat enim ille. qua ratione Fridericus I. Imp. diſcordem Electionem Magdeburg. determinarit, & ſua auctoritate illi præfecerit Epiſcopum Citicenſem, eumque mox inveſtiverit, prævidere poterat prudens hicce Scriptor. quod hoc factum Imperatoris Friderici I (quo in effectu exercuit actum priſtinæ inveſtituræ, & jure regio denominavit Archiepiſcopum) concordiæ Calixtinæ contrarium cuivis legenti neceſſario injuſtum vel ſaltem debeat paradoxum vide-

Magni Chronici Belg. in PISTORII T. III. *ſcript. rer. germ.* p. 220. de Electione Trev. regnante eodem Friderico I. peracta ſcribit. „*item defuncto Arnoldo Trevirenſi Archi-Epiſcopo a Capitulo Domini Folmarus Archidiaconus & Rudolphus præpoſitus in Archi-Epiſcopos erant nominati, ad quod ſchiſma ſopiendum hora nona fuerat aſſignata, ſed Folmarus dictam horam præveniens ab una parte electus fuit inthroniſatus, Rudolphus igitur præfixa hora nona veniens cum ſua parte electionem illam caſſandam acclamavit, unde a Friderico Imp. partibus Treverorum confluentiam Vocatis per Barones fuit definitum, partibus ſic diſſentientibus poſſe Imperatorem perſonam idoneam ſubrogare.* Negari etiam non poteſt, quod ſæpe memoratus Fridericus I. Imp. non ſolum jus devolutionis in caſu diſcordis electionis Epiſcoporum germaniæ prætenderit, & etiam ſæpius de facto exercuerit (*l*), ſed ille quoque

videri, ſic ad tollendum hocce dubium mox addidit rationem hujus facti: „*tradit enim curia* &c. Scribit etiam ad hunc locum Ottonis Friſing. Cel. STRUBEN P. II. deren Rechtlichen Bedenken XII. von denen Rechten der teutſchen Kayſer bey denen Erz- und Biſchöfflichen Wahlen §. 1. p. 67. welche Worte meines Ermeſſens keinesweges, wie J. W. Hoffmann ad Concordatum Henrici V. & Caliſti II. p. 10. vermeinet, ergeben, daß Ottoni Friſing. beſagtes Concordat nicht zu Geſicht kommen, und er deswegen die Gerechtſame der Kayſer aus einer Tradition hergeleitet habe, ſondern derſelbe hielte des Kayſerl. Hofs Deutung ſolches Concordats nicht für ganz verwerflich, welches mit ausdrücklichen Worten die Rechte des Kayſers keinesweges ſo weit ausdehnet, als es von ihm geſchahe, jedoch aber auch demſelben nicht alle Erkenntniß bey ſtreitigen Wahlen unterſaget. Dieſe wurde gleichfalls in andern Rechtshändeln nicht nach dem Gutdünken des Kayſers, ſondern ſecundum conſilia & judicia Principum ausgeübet. Nur ſollte er, wann über einer Biſchöflichen Wahl Streit entſtunde, allein die geiſtliche Fürſten zu Rath ziehen, welches jedoch nicht immer geſchehen, und der Kayſer wollte ſelbſt beurtheilen, welches der pars ſanior ſeye, wann dergleichen Zwiſtigkeiten zu entſcheiden waren: quoad *primum* contra Hoffmanni opinionem recte ſentit Strubenius, quoad *2dum* an Otto Friſing. interpretationem pacti Calixt. e curia regia factam haud rejiciendam eſſe crediderit, eatenus nos referimus ad paulo ante deducta, ad *3tium* quale jus Imperatori circa Electiones diſcordes conceſſum ſit, pariter expoſitum fuit ſupra, nam ſaniori parti aſſenſum præbere & judicare cauſam maxime differunt, nec intentio pacti Calixtini & Pontificis fuerat, ut ejusmodi cauſæ transferrentur ad Comitia, ſed ut a Metropolitano & Epiſcopis comprovincialibus in Synodo provinc. deciderentur, id quod Canonibus fuerat conforme.

(*l*) Sic præter allegata ab Anonymo exempla, de quibus ex profeſſo adhuc infra C. III. agendum erit, aliud ſuppeditat Hiſtoria Hamburg., ſcil. poſt fata Hartwici Archiepiſcopi Hamburg. vel Brem. A. 1168. enatum eſt diſſidium ratione electionis Neo-Archiepiſcopi, pars elegit Sigifridum filium Alberti Marchionis, altera Obertum Decanum Brem., Imperator autem Frid. I. rejectis duobus electis conſtituit Balduinum præpoſitum Halberſtad. Archiepiſcopum Brem. ALBERTUS CRANTZIUS *Metropolis* L. VI. C. 49. hoc ad-

quoque remota electionis libertate eligentes frequenter coëgit, ut commendatos ab ipso clientes eligerent (*m*), ac durante denique schismate pro lubitu instituit Episcopos sibi & antipapis faventes, depositque alios Episcopos Pontificibus legitimis adhærentes, quos una cum monachis schismaticis Pontificibus haud obedientibus ex Germania ejecit (*n*); similia ex parte exercuit ejus filius Henricus VI. Friderico parente non tam fortior quam potius ferocior, hic enim ex iisdem, quæ pater adoptaverat, principiis, asserebat sibi jus denominandi Episcopos in casu discordis electionis, & ex hoc capite A. 1192. Lotharium comitem Horstalensem præpositum Bonnensem, rejectis duobus Candidatis, scilicet Alberto Comite Lovan. Archidiacono Leod. & Alberto præpositio a Clero & populo dissidente electis ecclesiæ Leodiensis Episcopum constituit, prout testantur ÆGIDIUS aureæ vallis Monachus *in gestis Pontif. Leod.* c. 59. (*o*), & AUTHOR *magni Chron. Belg.* in PISTORII T. III. *Script. rerum*

adscribit Conatibus Henrici Leonis, secundum cujus arbitrium tum temporis in Saxonia omnia essent ordinata, confirmavit etiam Balduinum Paschalis antipapa Alexandri III., Verum merito hoc factum carpunt AUTHOR *historiæ Eccles. Brem.* & CRANTZIUS *Saxoniæ* L. VI. C. 27. qui ait: *in schismate consecratus, si non execratus fuit Balduinus &c.*

(*m*) Eatenus plurima suppeditant exempla historiæ Ecclesiarum Germanicarum particulares, sic scribit LAUR. HOCHWARTUS *in Episcoporum Ratisbon. Catalogo* in OEFELII T. I. *rer. Boicar.* p. 199. *ao.* 1185. *Godfridus Cancellarius Imperatoris Friderici I. in Episcopum Ratisbon. eligitur Friderico Imp., ut conjicitur, jubente, nam hac arte & Raynaldum Cancellarium suum Colonienſibus in Episcopum obtruserat*, simili modo suum Cancellarium Arnoldum dederat Ecclesiæ Mogunt.

(*n*) Prout factum Archiepiscopis Mog., Salisburg., Episcopo Passav. & aliis. HELMOLDUS *in Chron. Slav.* L. I. C. 90. in LEIBNITZII T. II. *rer. Brunswic. p.* 613. scribit: *difficile relatu est, quot patres, quanti Monachorum greges relictis sedibus suis transfugere in Franciam, Pontifices etiam quam plures sanctitate insignes in Longobardia, & in universo regno principis violentia sedibus suis pulsi, & alii super positi sunt in locum eorum.* Et ALBERTUS STAD. ad A. 1159. scribit: *Archiepiscopi, Episcopi de sedibus suis sunt expulsi.*

(*o*) Albertus Lovan. unus ex electis, cui opposuerat Henricus VI. Lotharium, causam hanc detulit ad curiam Romanam, & prævia causæ cognitione a Pontifice fuit confirmatus, quousque autem abierit furor Henrici VI., exinde eruitur, quod Albertum Lovan. a Papa confirmatum & ab Archiepiscopo Rhemensi consecratum per sicarios trucidari jusserit, quod factum descripserunt fusius AUTHOR *magni Chron. Belg.* l. c. & GODEFRIDUS Monachus in FREHERI *Collect. Script. Germ.* T. I. ad A. 1192. add. FISEN *Histor. Leod.* P. I. p. 263. seq. qui addit: *caterum in expiationem sui sceleris Imperator binas aras in templo S. Lamberti condidit, justaque attribuit vectigalia alendis perpetuo binis Sacerdotibus, qui ex re imperiales nuncupantur, illam habemus tam enor-*

rum germ. p. 225. qui ex Alberici Monachi trium fontium Chronico ad A. 1191. ſcribit: *Imperator vero noluit Lovanienſi regalia dare dicens: electionem deveniſſe ad manum ſuam, quia habuiſſent in Electione diſcordiam; & cum eſſet ibi comes Theodoricus de Horſtall coram Imperatore, rogavit pro præpoſito Bonnenſi Lothario fratre ſuo, cui ſtatim Imperator annuit, & donum conceſſit mediante pecunia trium millium Marcarum.* add. BARTHOL. FISEN *in Hiſtoria Epiſcopatus Leod.* P. I. L. XI. p. 262. ſeq. qui addit: „ne vi tamen vel auctoritate potius quam juſtitia regere omnia videretur, (Henricus VI.) controverſiam iſtam relinquere ſe oſtendit judicio præſulum, qui aderant Brunonis Archiepiſcopi Col. deſignati, Conradi Archiepiſcopi Mogunt., Epiſcoporum Monaſter., Metenſis, Tullenſis, Argentinenſis, Herbipolenſis, Bambergenſis, Baſileenſis, Abbatis Prumienſis, aliorumque: Quorum omnium nomine ſententiam Imperatoris ingenio ſervientem pronunciavit Monaſterienſis: quando in partes ſuffragia ſcinderentur integrum Cæſari jus eſſe. „ex eodem fundamento ob diſcordem electionem Wormatienſem Henricum de Maſtricht præfecit Eccleſiæ Wormat. (*p*). Otto IV. Imp. contra præſtitum Pontifici juramentum, vi cujus pactum Calixtinum innovavit, enato poſtea diſſidio cum Pontifice denuo pro ſe & ſuis ſucceſſoribus jus inveſtiendi Epiſcopos more antiquo prætendit (*q*). Quales vexas Frid. II. Imperator in æſtu diſſidiorum cum curia Romana intulerit tam Pontificibus, quam Epiſcopis & Clero Germaniæ, ex hiſtoria eſt notiſſimum; verum quid probant hæc facta violenta durantibus diſſidiis contra pactum Calixtinum ab Imperatoribus & regibus exercitata? nihil.

§. VI.

enormis flagitii leviculam expiationem. quam indigne Henricus VI. cum quodam Epiſcopo Longobardico proceſſerit, refert ARNOLDUS LUBEC. *in Chron. Slav.* L. III. c. 16. in LEIBNITII T. II. *Rer. Brunswic.* p. 667.

(*p*) SCHANNAT *in Hiſt. Epiſc. Wormat.* p. 362. ſcribit: *occaſione Schismatis, quo Leodienſis Eccleſia haud ita pridem laborare coeperat, contendebat univerſim Henricus hujus nominis Sextus Imperator, ut quoties ſuffragiorum interceſſiſſet diſſenſio, ſui juris eſſe, quem voluerit, Epiſcopum deſignare, quæ res cum in Comitiis Wormatiæ ſub Anni* 1192. *initium congregatis mature diſcuſſa, demum ſecundum ipſum deciſa fuiſſet, accidit hujus quoque urbis ſedem vacare ex Conradi Antiſtitis obitu, ac eadem cum Leodienſi ſorte jactitari, nam in deligendo ſucceſſore bifariam diviſi Canonici, dum pertinaci ſtudio alter alteri de ſummis honoribus minime concedit, in unum caput conſpirare non potuerunt, hinc jure devolutionis cæſar utrobique uſus, Lotharium Cancellarium ſuum Leodienſibus, Henricum vero de Maſtricht, alias vero de Moſæ trajecto dictum, quod ex hoc oppido forte oriundus eſſet, ſuum tunc Protonotarium Wormatienſibus præfecit.*

(*q*) CRANTZIUS L. VII. *Wand.* C. 1. MARSILIUS PATAVINUS *in defenſore pacis* P. II. c. 25. in GOLDASTI T. II. *Monarch.* p. 278. MEIMBOM *in Apologia pro Ottone IV.* T. III. *rer. germ.* p. 141.

§. VI.

Ex renuntiationibus & promiſſionibus ab Imperatoribus Ottone IV. & Friderico II. eorumque ſucceſſoribus Pontificibus factis confirmatur Judicium de controverſis electionibus Epiſcoporum Germaniæ non ſpectare ad Imperatores.

Otto IV. Imperator Innocentio III. Pontifici A. 1208. XI. Kal. Aprilis dedit celebre illud diploma, vi cujus illi confirmavit poſſeſſiones Eccleſiæ Romanæ & privilegia ab anteceſſoribus Sedi Apoſtolicæ conceſſa (*r*), ibi inter alia promittit: *illum igitur abolere volentes abuſum, quem interdum quidam prædeceſ-*

(*r*) Editum fuit hoc diploma a RAYNALDO *in Annal. Eccleſ.* ad A. 1209. & extat in SCHATENII *Annal. Paderborn.* L. X. ad A. 1210. p. 950. ex quo & illud deſcripſit PFEFFINGER & *Vitriar. illuſtr.* T. I. p. 599. inſeruit, in LÜNIGII *Archivio S. Spicil. Eccleſ. cont. I.* p. 164. N. VII. Scribit autem ANONYMUS noſter pag. 78. Ob aber dieſe Urkunde ächt ſeye, zweiffelt Pfeffinger mit vieler Wahrſcheinlichkeit. Verum Avtentia hujus diplomatis fruſtra a noſtro Anonymo & Pfeffingero vocatur in dubium, fundamenta Pfeffingeri l. c. p. 600. ſunt ſequentia, dum ſcribit: *deeſt annus, quo confectum hoc inſtrumentum, deeſt locus, ubi datum & ſcriptum, deſunt teſtes, ne dicam de inſolita ſubſcriptione: minimum Imperii proceres in Litteris, quibus A.* 1199. *Innocentio III. Pontifici electionem ejus annunciant, aliter de Juramento Auguſti loquuntur.* Verum hæc momenta nullius ſunt momenti, nec falſitatis notam diplomati quæſt. inurere poſſunt, illud enim cum fide hiſtorica, affectu Ottonis IV. erga Sedem Romanam pro illo tempore, & re diplomat. concordat, & ejus contenta per tot diplomata ſubſequentia confirmantur; neque exinde, quod in copia diplomatis quæſt. a Schatenio edita & a Pfeffingero deſcripta nec occurrat annus, quo confectum eſt hoc inſtrumentum, nec locus, ubi datum &c. Falſitas quædam erui poteſt, quis enim rei diplomat. vel parum peritus neſcit innumera diplomata de ſe indubitata, quorum originalia adhuc extant, edita fuiſſe, quin finalia circa teſtes, locum expeditionis, tempus &c., quæ omnia in originalibus tamen occurrunt, fuerint ſimul adſcripta ab editoribus potiſſimum antiquioribus hæc non multum curantibus? non enim ſequitur, quod, cum talia deficiant in edita copia, deficiant quoque in originali; ſi Anonymus noſter legiſſet copiam diplomatis quæſt. in Lünigii Archivio J., quam etiam allegat, ſed non vidit, deprehendiſſet, quod hoc diploma fuerit *Anno Domin. Incarnat.* 1208. XI. Kal. *April.* expeditum *Spiræ a Conrado Spirenſi Epiſcopo regalis aulæ Cancellario Vice Sifridi Mogunt. Archiepiſcopi;* conſequenter nec circa ſubſcriptionem aliquid inſoliti occurrit, nec quidquam relevat illud, quod Pfeffinger de Juramento Ottonis IV. affert, cum ille confundat illud juramentum, quod Otto IV. qua Rex Germaniæ præſtitit in Germania cum illo, quod qua Imperator præſtitit Romæ ante coronationem Romano Pontifici Innocentio III., quod ultimum legi poteſt *in regiſtro de negotiis Imperii* p. 767. & apud RAYNALDUM *in Annal. Eccleſ.* ad A. 1209. n. 10. & denique apud LÜNIG l. c. p. 164. n. 6.

deceſſorum noſtrorum exercuiſſe dicuntur in Electionibus Prælatorum, (s), concedimus, & ſancimus, ut Electiones Prælatorum libere (t) ac canonice fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum vel major & ſanior pars ipſius duxerit eligendum (u), dummodo nihil ei obſtet de canonicis inſtitutis (x). Appellationes autem in negotiis & cauſis Eccleſ. ad Apoſtolicam Sedem libere fiant, eorumque perſecutionem ſive proceſſum nullus impedire præſumat... Omnia vero ſpiritualia vobis & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus libere diſponenda, ut quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, recta diſtributione reddantur (y) ex hiſce autem

(s) Abuſus ille non clare expreſſus in diplomate ex hiſtoria anteriorum temporum facile deſignatur, & haud alius erat, quam quod reges anteceſſores contra pactum Calixtinum & Canones in caſu diſcordis electionis jus devolutionis prætenderint non habita ratione, quod hoc in caſu vi pacti prædicti prævio Metropolitanorum & comprovincialium Epiſcoporum judicio ſaniori eligentium parti debuiſſent præſtare aſſenſum & auxilium.

(t) Ab hisce temporibus etiam eatenus facta eſt immutatio pacti Calixtini, quod Electiones Epiſcoporum non amplius fiant in præſentia Imperatoris vel ejus Commiſſarii, ſed huic ſaltem in palatio epiſcopali vel choro degenti electio peracta ſignificetur.

(u) Non ibi dicitur: *quem Rex ex jure devolutionis in caſu diſcordiæ duxerit eligendum, vel in cujus favorem Rex ferat ſententiam*, ſed ille præficiatur, *quem* in caſu diſcordis Electionis *major & ſanior pars eligentium duxerit eligendum.* Adeoque hisce verbis Otto tacite renunciavit prætenſo illi juri devolutionis, quod in caſu diſcordis Electionis prætendebant Reges anteceſſores contra mentem pacti Calixtini & jura Eccleſ.; ommiſſa autem ſunt in hac promiſſione Ottonis IV. ea, quæ in pacto Calixtino de *aſſenſu* regio habebantur, & dubio procul ideo, quia dederant illa prætextum regibus prætendendi jus devolutionis in caſu diſcordis Electionis, facultatem autem decidendi: quænam eſſet ſanior pars eligentium, reliquit tacite Otto IV. judicio ſuperioris Eccleſ., cui per pactum Calixtinum hocce judicium jam fuerat ſtabilitum.

(x) Ex his verbis vult ANONYMUS pag. 80. eruere, quod Otto IV. ſibi jus decidendi controverſias Electionum Epiſcoporum Germaniæ expreſſe reſervarit, cum conditionem appoſuerit, quod Electionem ſolummodo in tantum concedere velit, ſi nihil obſtet de Canonicis inſtitutis Electo; Verum cum nimis frivola hæc ſit detorſio, ſic non opus eſt refutatione; hoc enim ſtatuunt Canones, quod etiam canonice electus Epiſcopus confirmari tamen nequeat, niſi & quoad ſuam perſonam neceſſaria habeat requiſita circa ætatem, ordines, doctrinam &c. adeoque Otto IV. hic ſaltem expreſſit ea, quæ Canones eatenus ſtatuerunt, quin in caſu deficientium qualitatum electorum Epiſcoporum de reſervatione alicujus juris proprii decidendi controverſias Electionum epiſcopalium cogitarit, ſed ſicut inquiſitio: an Electio ſuerit canonica, ſpectat notorie ad confirmatorem, ſic ex identitate rationis ad illum quoque ſpectat inquiſitio circa qualitates Electi.

(y) Author pag. 79. adhuc magis paradoxa de ſenſu horum verborum profert, dum ſcribit:

autem clariſſime patet, quod Otto Imperator circa Electiones Epiſcoporum in effectu denuo promiſerit ea, quæ in pacto Calixtino jam erant ſtabilita. 2) Cum ſibi aliquod jus devolutionis in caſu diſcordis Electionis haud reſervarit, multo minus jus decidendi controverſias circa Electiones enatas, ſic exinde fluit, quod ejuſmodi juribus tanquam ſibi haud competentibus hoc ipſo tacite renunciarit. 3) Cum de Confirmatione & conſecratione Epiſcoporum, & de judice diſcordium Electionum nulla fuerit facta expreſſa mentio, ſic nulla alia ejus potuit eſſe intentio, quam quod jus Confirmandi & ei annexum jus decidendi controverſias circa Electiones reliquerit iis, quibus ſecundum jura Eccles. & pactum Calixtinum illud privative competebat, ſcilicet judicibus Eccles. reſpectu Electorum ſuperioribus, prout illud expreſſe in pacto Calixtino jam fuerat ſtabilitum (z). Eadem illa, quæ promiſit Otto IV. Innocentio III. Pontifici, promiſerunt

ſcribit: „Man gebe ſich die Mühe die Worte ſelbſt nachzuleſen, und vielleicht wird man eher aus ſelbigen ſchlieſſen, daß die Wahlſachen für etwas ganz Weltliches angegeben werden, weil man ſie den geiſtlichen Angelegenheiten entgegen geſetzet, als daß ſich der Kayſer die gänzliche Erkanntnuß darüber entzogen.“ quod cauſæ Electionum ſemper reputatæ ſint pro cauſis Eccleſ., quodque earum judicium ſpectarit quovis ævo ad judices Eccleſ., probatum fuit ſupra. 2) Falſiſſimum eſt, quod in ſubſtrato cauſæ Electionum opponantur cauſis Eccleſ., ſed tantum ſecundum ordinem tolluntur in hoc diplomate Ottoniano gravamina Pontificum contra reges German., jam autem conſtat ex hiſtoria Eccleſ. & Imperii, varia fuiſſe diſſidiorum capita Imperatores inter & Pontifices, veluti 1) circa libertatem Electionum, 2) circa appellationem cauſarum Eccleſ. 3) circa jus regaliæ & exuvias Epiſcoporum demortuorum. 4) Circa hæreditatem Mathildinam &c. hæc capita diſſidiorum ſunt ſublata ſecundum ordinem in dicto inſtrumento, quis autem exinde inferet unum caput opponi alteri: Electiones opponi cauſis Eccleſ. & ſpiritualibus &c.

(z) Author l. c. pergit: Und wie kann endlich ſolch ein bündiger Vertrag als derjenige, den Heinrich V. mit Zuziehung des ganzen Reichs aufgerichtet, und der auf ſo vielen Reichstägen iſt beſtättiget worden, durch einen bloſen Freyheitsbrief wieder über den Haufen geworffen werden; cumulat hic Author plures errores, ſupponamus enim per hoc diploma Ottonis IV. ſublatum eſſe pactum Calixtinum una cum juribus Imperatori Prætenſe competentibus, cur hoc non potuiſſet procedere? annon enim Imperator poteſt cum conſenſu Statuum abdicare jura etiam indubie Imperio competentia, & immutare pacta prius inita? cum unumquodque eo modo tollatur, quo colligatum fuit, ſi ſcil. conſentiant ii, quorum intereſt, jam autem, annon eadem, quæ promiſit Pontifici Otto IV., repetierunt Frid. II. & Rudolphus Habsburg., & eadem ſolenni inſtrumento confirmavit univerſum Imperium? quid enim præter conſenſum Imperatoris & Statuum adhuc requiritur ad validam renunciationem? 2) errat Author, dum putat per diploma quæſt. ſublatum eſſe pactum Calixtinum, quod potius tacite quoad veram ſuam mentem renovatum fuit. 3) Negatur ſuppoſitum, quod per pactum Calixtinum Imperatori collata ſit poteſtas decidendi diſcor-

runt in ſimili formula Fridericus II. (*a*) & Rudolphus Habsburg. (*b*), & univerſum confirmavit Imperium (*c*).

§. VII.

A tempore Sæc. XIII. Pontifices confirmarunt Epiſcopos germaniæ & deciderunt controverſias circa Electiones enatas.

Variavit temporibus Sæculi XIII. & XIV. admodum diſciplina Eccles. circa Electiones Epiſcoporum germaniæ, nam I. loco quod antea Electiones fierent a Clero & populo intervenientibus Metropolitanis & Epiſcopis comprovincialibus, ſic a temporibus Sæculi XIII. jus eligendi pervenit ſi non in omnibus, (*d*) in plurimis ſaltem Eccleſiis ad Capitula Cathed. privative excluſo populo & reliquo Clero (*e*). II. loco quod antea confirmationes cum conſecrationi-

des Electiones, adeoque ſupponit Author geſta, quæ nunquam fuerunt in rerum natura.

(*a*) Vid. Diploma Friderici II. Imp. in LÜNIGII *Archivio Imp.* l. c. p. 166. n. IX.

(*b*) LÜNIG. l. c. p. 172. n. 16.

(*c*) LÜNIG. l. c. p. 169. n. 12. & p. 180. ubi etiam litteræ Electorum conſenſuales circa illa, quæ a prædictis Imperatoribus Pontifici conceſſa fuerant, extant, erat enim juris publ. hoc ævo, ut expediendis a Regibus Germaniæ negotiis Imperii majoris momenti conſenſus Electorum, qui ſuam jam hoc tempore ſtabiliverant auctoritatem, accederet. Conf. WALCHII Diſſ. *de litteris Electorum conſenſionis teſtibus.* Adeoque omnia formalia ad validam actionem illo tempore neceſſaria ſunt obſervata. add. RAYNALDUS *in Annal. Eccleſ.* ad A. 1279.

(*d*) A potiori enim ſumitur denominatio, interim ſervavit in quibusdam Eccleſiis usque ad Sæculum XIV. populus jus ſuum priſtinum concurrendi ad Electionem Epiſcoporum, qualia exempla producit STRUBEN in dem I. Theil der Nebenſtunden §. 6. p. 29.

(*e*) Hoc non ſolum in Germania ſed & in aliis regnis potiſſimum in Gallia introductum fuit. conf. ALEX. NATAL. *hiſt. Eccleſ.* T. VII. p. m. 196. add. cap. 56. *de Electione & electi poteſt.* & cap. 3. X. *de cauſa poſſeſſionis & proprietatis.* 2) de Germania in ſpecie patet illud ex ſupra allegatis diplomatibus Ottonis IV., Friderici II., & Rudolphi, ubi illi dicunt: „*quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum vel major & ſanior pars ipſius duxerit eligendum.* De cætero negari haud poteſt in multis Eccleſiis Metropol. & Cathed. jam ſæculis anterioribus jus eligendi privativum ſpectaſſe ad Capitula excluſa plebe & reliquo Clero, qualia privilegia collata fuerunt a regibus Germaniæ multis capitulis Metropol. & Cathedr.; ſic Ludovicus pius Imp. A. 814. Majoris Eccleſiæ Wormat. Canonicis antiſtitem

ibi

tionibus (*f*) Epiſcoporum, & judicium circa diſcordes Electiones ſpectarit ad metropolitanum & Epiſcopos Comprovinciales (*g*), vel ſaltem ad ſolos metro-

ſibi eligendi liberam facultatem conceſſit. V. diploma in SCHANATI Cod. probat *hiſt. Wormat.* n. 3. p. 3. Ludovicus Infans A. 902. Capitulo Eychſtet. conceſſit jus eligendi ſibi Epiſcopos. V. diploma in HUNDII *Metropol. Salisburg.* T. I. p. 127. Otto M. A. 937. conceſſit Capitulo Hamburg. *„inter ſe ſive aliunde eligendi Epiſcopum.* vid. diploma apud STAPHORST *Hiſt. Eccleſ. Hamburg.* P. I. T. I. p. 285., id quod confirmarunt Otto II. A. 973. l. c. p. 305. Otto III. A. 988. l. c. p. 312. & Henr. II. Sanctus addita tamen clauſula: *æquo tamen regis conſenſu*, l. c. p. 323. & Frid. II. A. 1223. l. c. p. 687. Idem Imperator Otto M. Capitulo Mindenſi conceſſit *eligendi licentiam paſtorem inter ſe, qualemcunque voluerint, ita tamen, ſi talis inter eos inveniatur, qui vita & moribus probatus habeatur.* vid. diploma in PISTORII coll. *ſcript. rer. germ.* T. III. p. 825. Otto II. A. 979. conceſſit Capitulo Magdeburg. privilegium liberæ Electionis Epiſcopi. vid. diploma in MEIBOMII T. II. *rer. germ.* p. 372. add. DREYHAUPT in der Beſchreibung des Saal-Creyſes des Herzogthums Magdeburg T. I. p. 21. Henricus II. Sanctus ſimile privilegium *ſalvo tamen conſenſu regis* conceſſit Capitulo Hildesh. A. 1013., quod extat in LAUENSTEINII *Hiſtor. diplom. Hildeſ.* P. I. L. IV. C. 6. p. 211. Henricus III. A. 1330. ſimile conceſſit Capitulo Mindenſi, ſeu conceſſum a Carolo M. potius renovavit *ſalvo tamen Regis vel Imperatoris conſenſu* in PISTORII T. III. p. 822. quod etiam per conceſſionem horum privilegiorum Imperatores & Reges intentionem unice haud habuerint excludendi concurſum regium ad Electiones, prout aliqui putant, hoc exinde patet, quia partim non obſtantibus hisce privilegiis Reges tamen fere ſemper ad Electiones tales concurrerunt, partim ſæpius addiderunt expreſſam clauſulam *ſalvo conſenſu regio*, conſequenter finis potiſſimus horum privilegiorum videtur fuiſſe ille, ut excluſo populo & Clero reliquo Clerus Cathed. privative eligeret Epiſcopum ſalvo conſenſu regio. Sæculo XIII. itaque in plerisque fere Eccleſiis Cathed. Germaniæ jus eligendi Epiſcopum fuit penes Capitula Cathed.

(*f*) Vi antiquæ diſciplinæ Eccleſ. ſecundum ſupra expoſita confirmatio non erat a conſecratione temporis intervallo diſcreta, ex quo autem tempore Pontifices turbata Electionum libertate per ſuas reſervationes collationes Epiſcopatuum ſibi vindicarunt, ac ob rei connexitatem jus confirmandi & conſecrandi Epiſcopos Metropolitanis ablatum ſibi pariter aſſeruerunt, factum quoque eſt, ut confirmatio interdum ſatis longo temporis intervallo præcederet conſecrationem: Solebat enim Pontifex conſecrationem Epiſcopi, quem confirmaverat, & qui non ſemper mox poterat tendere Romam, vel ejus Metropolitano mandare vel etiam alii arbitratu ſuo, ex quo ſequebatur, ut confirmatio, quæ Romæ impetranda erat, a conſecratione, quæ mandato Pontificis in Germania peragebatur, tam actu ipſo, quam tempore diſtingueretur. VAN ESPEN *Jur. Eccleſ.* L. I. T. XIV. C. I. §. 5. ſeq. conſequenter novus hic fuit diſciplinæ Eccleſ. immutatæ hisce temporibus effectus.

(*g*) Prout antea in pacto Calixtino ſtatutum fuerat.

politanos, ſic a temporibus Sæculi XIII (*h*) potiſſimum autem a Sæculo XIV. jus confirmandi Epiſcopos & deciſiones Electionum diſcordium non ſolum ſibi vindicarunt Pontifices (*i*), ſed & turbata Electionum libertate per ſuas reſervationes, Epiſcopatuum Collationes in germania ſibi arrogare conabantur, adeoque ex hiſce rerum geſtis manifeſte iterum patet, quod judicium circa Electiones Epiſcoporum: an Canonicæ fuerint vel non, hiſce ſæculis haud ſpectarit ad Reges germaniæ & Imperatores.

§. VIII.

Ex actis Conciliorum Conſtant. & Baſil. probatur jus decidendi controverſias Electionum Epiſcoporum Germaniæ competere judicibus Eccleſ. & non Imperatoribus.

Ob introductas a Curia Romana Sæculis XIV. & XV. reſervationes, collatas exſpectativas, mandata de providendo, impoſitiones penſionum, petitas Annatas ac decimas excitata ſunt plurium nationum potiſſimum germanorum contra curiam Romanam gravamina: & ideo dum celebratum fuit Concilium Conſtant., Germaniæ Epiſcopi potiſſimum urgebant Eccleſiæ reformationem & ſuorum ſublationem gravaminum, quæ etiam ſub nomine aviſamentorum obtulerunt. (*k*) in hiſce aviſamentis Cap. III. legitur: „item ſtatuatur „& ordinetur, quod in omnibus beneficiis electivis, ſive ſint Patriarchatus, „Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatiæ &c. Serventur jura de „Electione & poſtulatione in Corpore juris contenta cum omnibus eorum Ca„pitulis, & prout poſita & ab antiquo per SS. Patres practicata ſunt, quæ etiam „beneficia Electiva ſub quacunque exſpectativa gratia cadere non debeant, ſic „tamen, quod illæ Electiones, quoties occurrerunt faciendæ, poſtquam factæ „ſunt, *per immediatos ſuperiores ſecundum formam juris examinentur, & Canonice „facta confirmentur*, & quod nullo modo liceat ſummo Pontifici quidquam in „contrarium attentare, præterquam in electis ſibi immediate ſubjectis, de qui„bus habebit prohibere, vel niſi contingat in præmiſſis quicquam contra for„mam juris factum, aut eſſet quomodolibet attentatum, quo, ſicut ad id „tene-

(*h*) Non tamen omnes Electiones a temporibus hiſce confirmarunt Pontifices ſed plurimas tamen: occurrunt enim aliquot exempla, ubi quidam Metropolitani jurium ſuorum tenaces ſæculo XIII. imo & ſæculo XIV. adhuc confirmarunt ſuos ſuffraganeos a Capitulis non attentis reſervationibus Pontificiis electos.

(*i*) Ratio hujus ſupra jam fuit allegata, & ſufficientia eatenus exempla nobis ſuppeditat noſtra hiſtoria patria.

(*k*) Extant in GOLDASTI *Conſtitutionibus Imp.* T. I. p. 391. & inter GEORGII *gravamina nationis Germ. adverſus Sedem Romanam* p. 194.

:netur, ita ſibi liceat taliter acta vel attentata retractando, ſive in melius or-inando reformare cum poteſtate corrigendi vel puniendi transgreſſores.“ Ex ce gravaminibus, quæ Sigismundo Imperatori & Communibus Imperii ordi-ius inſcribuntur, poteſtas decidendi controverſias electionum Epiſcoporum rmaniæ, quam hactenus exercuerat cum Jure confirmandi Pontifex, non re-vatur Imperatori, ſed aſſeritur cum examine & Jure confirmandi immediatis ɔerioribus Eccleſ., & in hoc conſiſtebat Germanorum gravamen, quod ex-ſis Metropolitanis illa Jura ſibi vindicarit Pontifex, adeoque repetita ſunt ɔ Judicibus Eccleſ. immediate ſuperioribus ſeu Metropolitanis.

Affulſerat etiam ab initio in Concilio Conſtant. ſpes nonnulla abolitionis vaminum, decrevit enim S. Synodus, ut Romanus Pontifex proxime eli-idus reformandæ una cum ipſo Concilio Eccleſiæ in capite & membris in-nberet, verum cum Neo Electus Pontifex Martinus V. abruperit concilii itinuationem, & Synodus Conſtant. circa reformationem & gravamina nihil plius ſtatuerit, ſic ut aliquatenus ſatisfieret nationum gravaminibus, Ponti-inivit cum illis concordata, qualia etiam ad interim & quidem ad 5 annos t cum Germanis. (*l*) In hiſce concordatis Cap. II. fuit ſtatutum: „in Ec-cleſiis Cathedralibus, & in Monaſteriis Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectis int Elections Canonicæ, quæ ad Sedem Apoſtolicam deferantur, quas etiam l tempus conſtitutum in Conſtitutione Nicolai III. quæ incipit: *Cupientes*, ipa exſpectet, quo facto ſi non fuerint præſentatæ, vel ſi præſentatæ minus anonicæ fuerint, Papa provideat, ſi vero Canonicæ fuerint, Papa eos con-met, niſi ex Cauſa rationabili & evidenti, & de fratrum conſilio de dignio-& utiliori perſona duxerit providendum; proviſo, quod confirmati & pro-ſi per Papam nihilominus Metropolitanis, (*m*) & aliis præſtent debita jura-

l) A plurimis hæc concordata ſunt edita & quidem proſtant in Hermanni von der Haard *actis Concil. Conſtant.* T. I. p. 1015. in Leibnitzii *Cod. jur. gent. dipl.* P. I. p. 884. in Georgii *gravam. nat. Germ.* p. 208. in ill. Senckenbergii Sammlung der Reichs-Abſchiede T. I. p. 111. in Moseri teutſchen Staats-Recht T. VI. p. 315. L'enfant illa etiam adjecit ſuæ *hiſtoriæ concilii Conſtant.* p. 749.

m) Videtur eſſe aliqua contrarietas in hoc paſſu, nam ſub initium dicitur, quod tantum *in Eccleſiis Cathed. Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectis* Electiones pro confirmatione ad Sedem Apoſtolicam deferendæ ſint, jam autem nullæ aliæ Eccleſiæ erant immediate ſubjectæ quam tantum exemtæ, Veluti Bamberg. Miſn. Caminenſ. &c. quæ autem nulli Metropolitano ſubjectæ erant, conſequenter nec ulli præſtabant juramenta: hic autem dicitur, quod confirmati & proviſi per Papam nihilominus Metropolitanis præſtare debeant juramenta; verum hoc ænigma ſolutum fuit in Concordatis Aſchaffenburg., de quibus infra.

„menta & alia, ad quæ de Jure tenentur.“ ex hiſce iterum patet, quod Imperatori nullum Jus devolutionis nullumque Judicium circa decidendas electionum controverſias ſit delatum, ſed deferendæ erant vi hujus Concordati Electiones Eccleſiarum Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectarum ad Pontificem, conſequenter huic jus examinandi, decidendi, confirmandi & providendi fuit relictum, tacite autem videtur jus confirmandi Electiones Epiſcoporum in Eccleſiis Germanicis Sedi Apoſtolicæ non immediate ſubjectis aſſignatum fuiſſe Metropolitanis. Secutum fuit paulo poſt Concilium Baſil., cujus Patres Seſſ. 12. fecere decretum *de Electionibus*, cujus initium: *ſicut in conſtituenda domo præcipua eſt architectoris cura:* in hoc Decreto abolitis reſervationibus Pontificiis, exceptis iis, quæ in Corpore Juris clauſæ erant, ſtatuitur, quod per Electiones & Confirmationes Canonicas ſecundum Juris Communis diſpoſitionem Metropolitanis, Cathedralibus, Monaſteriis, & Collegiatis Eccleſiis ac dignitatibus electivis vacantibus debite provideatur; præſcripta poſtea Electionis forma diſponitur: „facta autem electione & ei, ad quem Jus pertinet confirmandi, præ„ſentata, ſi appareat coëlectus vel ſe opponens electioni, nominatim vocetur „ad videndum diſcuti electionis negotium, & nihilominus generaliter edictum „publicum in Eccleſia, in qua facta eſt Electio, proponatur juxta conſtitutio„nem felicis recordationis Bonifacii VIII; comparentibus autem aliquibus vel „non, nihilominus ipſe Confirmator ex officio tanquam in negotio inquiſitionis „procedat, omnem adhibiturus diligentiam, ut tam forma Electionis, quam „merita Electi, & omnes circumſtantiæ debite examinentur, & diſcutiantur, & „ſi electio confirmanda ſit vel infirmanda, *judicialiter* confirmetur vel infirme„tur.“ Et in Seſſ. 33. in Decreto *licet dudum hæc S. Synodus* ſubjungitur: „ve„runtamen ſi forte aliquomodo contingat electionem aliquam etiam alias Cano„nicam fieri, quæ in perturbationem Eccleſiæ, aut patriæ, vel boni publici „vergere timeatur, ſummus Pontifex, cum ad ipſum confirmatio delata fuerit, „*ſi talem urgentiſſimam Cauſam adeſſe manifeſte cognoverit, ea prius mature diſcuſſa, „ac parte plene defenſa*, accedente poſtea Romanæ Eccleſiæ Cardinalium aut ma„joris partis ſubſcriptione, hujusmodi cauſam veram ſufficientemque fore at„teſtantium rejecta tali electione ad Capitulum vel conventum remittat, ut vel „infra tempus Juris vel aliud juxta loci diſtantiam ad aliam, ex qua evenire „talia non formidentur, electionem procedant.“ Revera cœcus vel ultra modum ſtupidus deberet ille eſſe, qui negare vellet per hæc Decreta Judici Eccleſ. deferri jus decidendi controverſias circa electiones Epiſcoporum enatas.

Et hæc quoque decreta acceptavit natio Germanica pro ſua Germania, (*n*) &

(*n*) Vid. Inſtrumentum acceptationis Decretorum Baſileenſium cum modificationibus ſub Alberto II. Rege Moguntiæ Ao. 1439. 26. Martii factæ in opuſculo ſub tit. *concordata nationis Germ. integra &c.* p. 24. ſeq.

quidem ad prius decretum ſaltem adjecit modificationem, quatenus huc ſpe-
t, *ut confirmatio Electionum fiat per immediatum ſuperiorem, ad quem ſpectat Jus firmandi, & ſi ipſe ſine Cauſa rationabili confirmare diſtulerit, ſeu recuſaverit, diatus ſuperior deſuper adiri poterit.* Alterum Decretum autem ſine omni mo-
icatione ſuſcepit, agnovit itaque Germaniæ Rex & univerſa natio Germani-
, quod & in Germania judicium circa electiones controverſas Epiſcoporum
rtineat ad Judices Eccleſiaſt. ſuperiores, quibus illud detulerat Synodus Ba-
, & non ad reſervata Regia, debuiſſet enim alias Albertus II. tum temporis
rmaniæ Rex, qui approbavit hanc acceptationem per ſuum oratorem, ad-
e eatenus ulteriorem modificationem, quod ſcil. Jus decidendi controverſias
ca electionum diſcordias reſervetur poteſtati Regiæ, verum ejusmodi ſomnia,
æ protulit noſter Anonymus, nemini tum temporis inciderunt, ſed omnes
rmani cum ſuo Rege erant convicti hoc jus pertinere ad poteſtatem Eccleſ.,
hoc ſaltem addiderunt pro Germania, quod tale Jus indiſtincte exercendum
per judicem Eccleſ. immediate ſuperiorem ſeu Metropolitanum. Et illa,
æ hactenus dicta ſunt, confirmantur præterea ex gravaminibus nationis Ger-
n. ſeu ſic dictis *aviſamentis Moguntinis*, cum enim ſequenti anno 1440. finis
mineret Concilii Baſil, Germanis nihil magis fuit in votis, quam ut ante
us diſſolutionem Germanicæ Nationis gravamina contra curiam Romanam
olerentur, quod ut eo certius fieret, mortuo interea Alberto II. Rege ante
ctionem Friderici III. ab Electoribus prædicto Anno in Conventu Mogunti-
Capitula quædam ſeu aviſamenta conſcripta ſunt exhibenda futuro Impera-
i, ut ſecundum illa reformatio inſtitueretur, prout refert MÜLLERUS im
ichs-Tags-*Theatro* unter *Friderico V.* P. I. p. 51. ſeq. (*o*) Exhibita etiam
it Friderico ab Electoribus hæc aviſamenta, qui A. 1441. comitia Mogunt.
lixit, in quibus deliberaretur de tollendo ſchiſmate & medelis circa gravamina
endis. MÜLLER l. c. p. 56 §. 14. in hiſce aviſamentis (*p*) C. II. quomo-
in electione Epiſcopi vel Abbatis procedendum ſit, & tandem puncto con-
nationis Electorum §. 4. proponitur: „finita autem electione Decretum ele-
ionis immediate ſuperiori, ad quem Jus pertinet confirmandi, præſentetur,
ui in electionis negotio procedat, formam electionis & electi merita, omnes-
ue circumſtantias diligenter examinaturus, ita ut, ſi electio confirmanda ſit,
„vel

(*o*) In fine horum aviſamentorum legitur Concluſum: *Super præmiſſis aviſamentis concordent Sereniſſimus D. Roman. Rex, illuſtriſſimi Dni Principes Electores invicem velle aſſiſtere & alterutrum ſe defendere contra omnem hominem eos vel alterum eorum conjunctim vel diviſim occaſione præmiſſorum molestare, invadere ſeu quomodolibet perturbare conantem.*

(*p*) Extant in GOLDASTI *conſtitut. Imp.* T. I. p. 403. & apud GEORGIUM l. c. p. 213. & in MÜLLERI Reichstag *Theat. Frid. V.* P. I. p. 52. in ill. SENCKENBERGII *Corpore Receſſuum* P. I. p. 166. ſeq.

„vel infirmanda, *judicialiter* confirmetur, vel infirmetur.“ (*q*) Adeoque Imperator cum universa Natione Germ. iterato professus fuit *judicium* circa controversias electionum Episcoporum Germaniæ cum annexo jure confirmandi pertinere ad judices Eccles. superiores, qua igitur ratione vindicari illud potest ab Anonymo Imperatori? (*r*) Confirmavit etiam, ut satisfaceret Germanorum petitis, qui sub hac inter alias conditione obedientiam præstare promiserant, (*s*) Pontifex Eugenius IV. anno 1447. illa capita, quæ ex Concilii Basil. decretis sub Alberto II. Ao. 1439. cum certis modificationibus acceptarat Natio Germanica, donec vel per legatum Pontificium in Germaniam mittendum desuper finaliter fuerit concordatum, vel per Concilium generale aliter ordinatum. (*t*)

§. IX.

(*q*) Integer hic passus de Verbo ad verbum desumtus fuit ex decreto Concilii Basil. supra allegato & ejus modificatione.

(*r*) Frid. III. tum temporis suorum jurium tenax metuebat, ne jus primariarum precum ob abolitas in Decretis Concilii Basil. a Natione Germ. acceptatis exspectativas periclitaretur, unde curavit eatenus sibi dari a Pontifice Bullam, similem post inita concordata obtinuit, quæ legi possunt in CONRADI OLIGENII diss. *de prim. prec. Imp.* Verum hæc cautela ratione precum fuit superflua, quia exspectativæ in Decretis Concilii Basil. abolitæ concernebant solummodo exspectativas Pontificias, nullum autem habebant respectum ad preces Imp., Verum habuisset opus indulto Frid. III., ut prætensum jus decidendi controversias Electionum Episcoporum Germaniæ, si habuisset, maneret in salvo, cum hoc jus immediatis superioribus Eccles. clarissimis verbis fuerit assertum, de hoc phantasmate autem non cogitavit Frid. III.

(*s*) Dum ob depositiones Archiepiscoporum Colonienſis & Trevirenſis ab Eugenio IV. factas omnes Electores (excepto Bohemo, qui nullam hisce temporibus negotiorum Imperii præter electionem Regiam habuerat partem) iniverant Unionem hujus tenoris, quod nisi Eugenius IV. eorum petitis faceret satis, ipsi Felici V. sint adhæsuri deposita neutralitate, composuit Aeneas Sylvius in conventu Francofurt. *Notulas concordiæ*, quas & ratihabuere Electores, declarantes, quodsi illas acceptaturus esset Eugenius IV. Pontifex, ejus partibus sint accessuri, acceptavit etiam notulas illas Eugenius IV. Pontifex, inter quas fuerat & illa, *ut nationi Germanicæ super suis gravaminibus opportune provideatur*, seu quod idem erat, ut Pontifex confirmet nationi Germanicæ decreta Concilii Basil. A. 1439 sub Alberto II. a Germanis cum modificationibus acceptata: integram hanc historiam descripsit testis Avtoptis, & qui plurimum in hoc negotio laboraverat AENEAS SYLVIUS *in historia Frid. III. Imp.* quam ex Manuscripto Codice Bibliothecæ Cæs. vindobon. locupletiorem, quam Freherus, edidit nuper KOLLARIUS *in Analectis Vindobon.* T. II. Col. 120. add. MEICHELBECK *in hist. Frising.* T. II. p. 238.

(*t*) Legi potest hæc Bulla Eugenii IV. in Ill. SENCKENBERGII *Corpore recessuum* P. I. p. 177. & in citatis *Concordatis nat. Germ. integris.* p. 65. seq.

§. IX.

Per Concordata Nationis Germanicæ Aſchaffenburgenſia Pontifici relicta ſunt Confirmationes & Deciſiones controverſarum Electionum Epiſcoporum Germaniæ.

Dum Eugenio IV., qui durantibus hiſce negotiis obiit, ſuffectus fuit Nicolaus V. Pontifex, hic ut opus compoſitionis cum natione Germ. ad finem perduceret, miſit in Germaniam ſuum Legatum Cardinalem S. Angeli, qui nomine Sedis Apoſtolicæ juvante potiſſimum Aenea Sylvio, prout hic ipſe ſcribit, in Conventu Aſchaffenburgenſi cum Imperatore, Electoribus & variis aliis principibus Ao. 1448. concordata inivit; (*u*) in hiſce concordatis quoad materiam quæſtionis ſtatuitur „item in Eccleſiis Metropolitanis & Cathedralibus, etiam „Apoſtolicæ Sedi immediate non ſubjectis, fiant electiones Canonicæ, quæ ad „Sedem Apoſtolicam deferantur, quas etiam ad tempus conſtitutum in Conſti„tutione Nicolai, quæ incipit: *cupientes*, Papa exſpectet, quo facto, ſi non „fuerint præſentatæ, vel ſi præſentatæ minus Canonicæ fuerint, Papa provideat, „ſi vero canonicæ fuerint, Papa eas confirmet, niſi ex cauſa rationabili & evi„denti & de fratrum conſilio de digniori & utiliori perſona duxerit providen„dum, proviſo, quod confirmati & proviſi per Papam nihilominus Metropoli„tanis & aliis præſtent debita juramenta & alia, ad quæ de Jure tenentur.“ (*x*) Ex

(*u*) Concordata hæc paſſim a plurimis fuerunt edita, cum autem quoad interpunctiones diverſum ſenſum quandoque efformantes variæ hactenus enatæ ſint lites, ſic optandum foret, ut accuratiſſima editio ſecundum originale concordatorum, quod Moguntiæ in Archivio Imperii proſtat, efformata prodiret.

(*x*) Integer hic paſſus ex Concordatis Conſtant. eſt deſumtus, in hoc autem ſaltem facta eſt immutatio, quod loco, quod in concordatis Conſtant. legatur: *In Eccleſiis Cathedralibus & in monaſteriis Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectis fiant Electiones Canonicæ, quæ ad Sedem Apoſtolicam deferantur.* In Concordatis Aſchaffenburg. poſitum fuerit: *In Eccleſiis Metropolitanis & Cathedralibus etiam Apoſtolicæ Sedi immediate non ſubjectis fiant Electiones Canonicæ.* Et ſic indubitata facta eſt extenſio verbis expreſſis ad omnes Eccleſias Cathed. Germ. etiam non exemptas & Metropolitanis ſubjectas, licet de monaſteriis nulla in concordatis Aſchaffenburg. facta ſit mentio; & cum hiſce melius etiam cohæret clauſula finalis huic paſſui addita in formalibus: *proviſo, quod confirmati & proviſi per Papam nihilominus Metropolitanis & aliis præſtent debita juramenta & alia, ad quæ de Jure tenentur.* Hæc enim clauſula ſuam habet relationem ad Eccleſias Cathed. etiam Apoſtolicæ Sedi immediate non ſubjectas, non autem quadrat illa, prout ſupra monitum fuit, ad illa quæ antecedebant in concordatis Conſtant., id quod autem mea conjectura exinde provenit, quia probabilius in projecto concordatorum Conſtant.: paſſus hic ab initio eandem continebat formulam, quæ modo legitur in concordatis

Ex hiſce igitur patet, quod per concordata Aſchaffenburg. jus confirmandi Epiſcopos Germaniæ, quod vi antiquæ diſciplinæ ſpectavit ad Metropolitanos & Comprovinciales Epiſcopos, vi Concilii Baſil. acceptati autem aſſertum fuit Metropolitanis, delatum ſit Pontifici; licet autem de poteſtate judicandi de controverſiis electionum non expreſſa fiat mentio in concordatis Aſchaffenburg., conceditur tamen illa tacite Pontifici, cum ſecundum ſupra probata jus confirmandi electos ex eſſentia ſua involvat jus decidendi electionum controverſias. 2) Statuitur loco citato, quod electiones deferendæ ſint ad Sedem Apoſt., non autem injungitur, ut *deferantur* ad Imperatorem, ut hic cognoſcat: quisnam canonice ſit electus. 3) Jus devolutionis non vindicatur Imperatori, ſed relinquitur Pontifici clariſſimis verbis. 4) Dum dicitur: *Si electiones præſentatæ minus Canonicæ fuerint, Papa provideat, ſi vero canonicæ fuerint, Papa eas confirmet:* Quid hæc verba aliud innuunt? niſi ut Papa de cauſis electionum ad ſe delatis ferat judicium: an Canonicæ ſint, vel non, ſi autem plures fuerint electi, dijudicet: quisnam ex illis Canonice ſit electus & ſi unus ex illis fuerit Canonice electus, eum confirmet. Et quidem tam evidentia hæc ſunt, ut fruſtraneum plane foret hiſce longius immorari & pugnare cum larvis & umbris.

§. X.

In Concilio Trident. pariter aſſignantur Pontifici confirmationes Epiſcoporum.

Accedit præterea diſpoſitio Concilii Trident., quod Seſſ. 24. C. 1. *de Reformat.* præſcripſit modum in electionibus Epiſcoporum ſervandum præcepitque, ut fiat examen vel inquiſitio circa formam electionis & qualitates electi, ac deinde ſubjungit: „ita tamen, ut cum deinde hoc examen ſeu inquiſitio de perſona promovenda perfecta fuerit, ea in Inſtrumentum publicum redacta cum „toto teſtimonio ac profeſſione fidei ab eo facta quam primum ad SS. Romanum „Pontificem omnino transmittatur, *ut ipſe ſummus Pontifex plena totius negotii ac perſo-*

datis Aſchaffenburg., cum autem dubio procul ad monita Germanorum verba initialia eſſent mutata, per incuriam non fuit correcta vel abolita Clauſula finalis, quæ ad verba primitus poſita ſuam tantum habere potuit applicationem.

Ratio autem cur Germani quoad hocce caput receſſerint a Decretis Concilii Baſil. receptis & etiam ab Eugenio IV. confirmatis, vi quorum confirmationes Epiſcoporum Eccleſiarum Cathed. non exemptarum excluſo Pontifice aſſertæ fuerant Metropolitanis, fuerat illa, quia Eugenio IV. Pontifici, dum hic ſatisfecit poſtulatis nationis Germanicæ ſeu notulis ab Aenea Sylvio compoſitis, promiſſa fuit recompenſatio quædam, in partem hujus recompenſationis obtinuit Pontifex per concordata Aſchaffenburg. jus confirmandi Epiſcopos Germaniæ etiam Eccleſiarum Cathed. licet Apoſtolicæ Sedi immediate non ſubjectarum cum ſuis annexis juribus & utilitatibus.

„*perſonarum notitia habita* pro gregis Dominicæ commodo *de illis, ſi idonei per* „*examen ſeu inquiſitionem factam reperti fuerint*, Eccleſiis poſſit utilius providere. „Omnes vero inquiſitiones, informationes, teſtimonia ac probationes quæcun„que de promovendi qualitatibus & Eccleſiæ ſtatu a quibuscunque etiam in Ro„mana Curia habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturus erit, in Conſi„ſtorio, & alios tres Cardinales diligenter examinentur, ac relatio ipſa Cardi„nalis relatoris & trium Cardinalium ſubſcriptione roboretur, in qua ipſi ſin„guli quatuor Cardinales affirment, ſe adhibita accurata diligentia inveniſſe pro„movendos qualitatibus a jure & ab hac S. Synodo requiſitis præditos, ac certo „exiſtimare ſub periculo ſalutis æternæ idoneos eſſe, qui Eccleſiis præficiantur, „ita ut relatione in uno Conſiſtorio facta, quo maturius interea de ipſa inquiſi„tione cognoſci poſſit, in aliud Conſiſtorium judicium differatur, niſi aliud Bea„tiſſimo Pontifici videbitur expedire."

Ex hiſce igitur elucet, quod, ſicut judicium circa electiones Epiſcoporum & eorum qualitates ſpectat ad Sedem Apoſtol. eo fine, ut ab ea fiat confirmatio, ſic pariter ex identitate rationis ſpectet ad eam Judicium, ſi diſcors fuerit electio: quisnam ex pluribus electis ob Canonicam electionem & perſonæ qualitatem ſit præferendus.

§. XI.

Pontifices etiam a temporibus Concordatorum & Tridentini deciderunt ſemper controverſias electionum Epiſcoporum Germaniæ.

Illud etiam, quod hactenus ex Jure ſcripto probatum fuit, confirmat quoque a temporibus concordatorum & Concilii Tridentini haud interrupta obſervantia, delatæ ſunt hactenus omnes electiones Epiſcoporum Germaniæ ad Sedem Apoſtolicam, ſive illæ in Concordia factæ ſint, ſive plures electi fuerint in diſcordia; transmiſſa ſunt ſemper ad Pontificem cognitionis cauſa, & non ad Imperatorem decreta electionum cum reliquis inſtrumentis ad ejusmodi cauſam neceſſariis, Pontifices controverſias circa electiones exortas ſemper deciderunt, & pro re nata electos confirmarunt, vel alia ratione eccleſiis providerunt, & hoc demonſtrant ex hiſtoria Imperii cauſæ celebriorum controverſiarum circa electiones Epiſcoporum Germaniæ a temporibus concordatorum ventilatæ, ſic I.) eodem adhuc ſæculo, quo condita fuere concordata, luctuoſum Eccleſiæ & principatui Leod. ſchiſma dijudicatum fuit in Curia Romana, fuſius cauſam hanc deſcribunt BARTHOL. FISEN *in Hiſtoria Eccleſiæ Leod.* P. II. L. XIII. p. 292. ſeq. & FOULLONIUS *in hiſt. Leod.* T. II. P. I. p. 159. ſeq. ſcil. Ao. 1482. Guilielmus Marcanus ſeu, prout a Fiſenio nominatur, Arembergius vir genere nobilis aſt multorum author malorum, qui Ludovicum Burbonium Epiſcopum Leod. graſſante Bello inteſtino in prælio trucidarat, degentes adhuc in

civitate Leod. Canonicos Eccleſiæ Cathed. (quorum autem maxima pars ſe ſubduxerat in Brabantiam) ad eligendum filium Joannem Marcanum Canonicum pariter Cathed. adegit, electio etiam celeriter publicata fuit per Joannem de Quercu, quem Marcanus Cancellarium crearat, datis commutatisque pro libidine ſingulis officiis: paulo poſt Capitulares Leod., quorum pars maxima Lovanii convenerat, declararunt Joannem Marcanum nulla ſuffragiorum libertate deſignatum eſſe Leodienſem Epiſcopum, ſtatuta autem electioni die ſciſſis ſuffragiis binos nominavere Epiſcopos Joannem Hornæum, & Jacobum Croyum; qui, dum inter ſe diſceptant apud Pontificem, diviſis in tres Candidatos ordinum ſtudiis miſere principatus Leod. integro fere triennio laceratus fuit; Calamitates hujus belli inteſtini ex hoc ſchismate enati non ſatis deſcribere poſſunt citati authores, ac deinde pergit l. c. FISEN pag. 296. *Ad pacem nihil fortius impulit ipſa Sixti IV. Pontificis Rom. ſententia, qui ſchismatis Leod. cauſa ad ſe relata Joannem Arembergium Guilielmi filium ſtatim condemnarat. Sed diuturniori diſceptatione ventilata eſt inter Joannem Hornanum & Jacobum Croyum controverſia, quam multo difficiliorem faciebant Cæſaris, francorum Regis aliorumque principum apud Pontificem preces, quibus flagitabant: ut in vindictam ſacrilegii in Burbonium præſulem admiſſi alio transferretur Epiſcopium. Summa virium omnium contentione repugnavit Joannes Hornanus, cui jura legesque manifeſtius Epiſcopatum addicere videbantur. Contendebant ergo ſaltem principes, ut detractis Epiſcopatui Leod. regionibus illis, quæ externis parebant principibus, nova Epiſcopii Cathedra conderetur, ita futurum, ut competitorum utrique fieret ſatis: Hornano Leodienſis, externus Croyo attribueretur Epiſcopatus. In hoc ſumma omnium vi incumbebat Croyus, quo partem ſaltem auferret, qui ſpe totius conſequendi dejiciebatur. Ejuscemodi partitionem ſummo conatu procurabat Epiſcopus Tornacenſis Cardinalis S. Clementis, & Coptius Archidiaconus Leod., ſed cum forte per eos dies Cardinalis Tornacenſis mortem obiiſſet, una concidit totius illius petitionis robur. Eam deinde mortem Leodienſes adſcribere ſoliti ſunt S. Lamberto Eccleſiæ ſuæ dignitatem tuenti.* (y) *Auditis ergo Cardinalium ſententiis primum nihil Eccleſiæ Leod. detrahendum Pontifex cenſuit, tum integram, & nihil imminutam illius adminiſtrationem Hornano adjudicavit.*

Alterum exemplum ſuppeditat pariter ex hiſtoria Leod. electio Coadjutoris Leod. cum contradictione aliorum Capitularium facta 9. die Octob. A. 1649. quam cauſam deſcribit citatus FOULLONIUS *in hiſtor. Leod.* T. III. P. I. p. 284. *convenerant equidem eo die in Capitulum Canonici, qui ob motus inteſtinos Huum antea ſeceſſerant, atque elegere Principem Maximilianum Henricum Bavariæ Ducem, qui tunc annos 28. natus erat, in Coadjutorem Ferdinandi Bavari Epiſcopi Leod.,*

(y) Aliis cum circumſtantiis cauſam hanc deſcribit FOULLONIUS l. c. p. 163.

Leod., a Capitulo autem abfuere Canonici, qui Legiæ remanſerant, habebantur enim illi pro rebellibus, declaratique fuerant extranei ac privati ſuis præbendis ad annum, quapropter a ferendo ſuffragio excluſi ſunt in iſta electione; proteſtati ſunt adverſus electionem factam absque ſuo conſenſu prædicti Canonici, interceſſionisque Inſtrumentum Romam miſere. Sed nulla ejus habita fuit ratio in diſcuſſione cauſæ in curia Romana peracta a ſummo Pontifice Innocentio X., qui invitis Cardinalibus electionem confirmavit ex plenitudine poteſtatis ſub ſecretis conditionibus ad bene merendum de Bavarorum familia, a quibus pendebat tum Leodienſium ſalus, prout ſcribit FOULLONIUS l. c.

III. Poſt fata Ferdinandi Bavariæ Ducis, Electoris Colon. & Epiſcopi Monaſter. controverſia electionis Monaſterienſis enata erat A. 1650. inter Decanum prædictæ Eccleſiæ Cathed. Bernardum de Mallinkrot & Chriſtophorum Bernardum de Galen prædictæ Eccleſiæ Theſaurarium, qui ſubſequentibus temporibus ob res in bellis præclare geſtas immortalem nominis famam in orbe ſibi comparavit. Mallinkrotius vir erat non ſolum ob eruditionem ſuo tempore celeberrimus, (z) ſed & diſciplinæ Eccleſ. tenaciſſimus ac ob ſuas virtutes & merita dignus, ut infula Epiſcopali ornaretur, plura etiam hanc ob cauſam, dum novus eligendus erat Epiſcopus, a ſenioribus præſertim Capitularibus nactus erat vota, Bernardus de Galen autem a junioribus Canonicis, quibus ob ſuum genium erat acceptiſſimus, Mallinkrotius autem qua Decanus ob rigorem diſciplinæ odioſus, majora efficieutibus oppoſitus fuit Mallinkrotio & in Epiſcopum Monaſter. electus, cedere autem noluit nepoti ſuo Mallinkrotius; (a) dum cauſa hæc delata fuit ad Curiam Rom. Chriſtophorus Bernardus de Galen provocavit ad majora, deduxitque ratione ſuæ electionis ſingula adeſſe requiſita electionis Canonicæ, Mallinkrotius autem prætendebat vota ſuorum eligentium minora licet numero eſſe tamen habito reſpectu meriti ad meritum,

(z) Nota ſunt erudita MALLINKROTII opuſcula *de Archi Cancellariis S. R. I. ac Cancellariis Imperialis aulæ, de officiis Sæc. Electorum & origine Collegii Elect., de primatu trium Eccleſiarum Metrop. Germaniæ, de Cancellariis S. R. Eccleſiæ, & Archicancellariatu Abbatis Fuld.* quæ ſimul ſunt edita, ac ejusdem *Collectanea Hiſtoriæ Monaſter. inſervitura* in Manuſcriptis latere teſtatur ECCARDUS *in præfatione ad Hiſtor. Franciæ orient.* quæ etiam adhuc hodie extant in Archivio Capituli Cathedr. Monaſter., & ut ederentur, optandum foret.

(a) Fuerat Mallinkrotius avunculus Chriſtophori Bernardi de Galen, cui contulerat Canonicatum in Eccleſia Cathed. Monaſt., & ſic concoquere non potuit, ut nepos ætate junior. dignitatem Epiſcopalem ipſi ætate & doctrina graviori præriperet: favebant etiam Mallinkrotio in hac Cauſa Cives Monaſterienſes contra ejus æmulum, qui autem ſat graviter poſtea luere debebant factum iſtud. conf. KOELERI Reichs-*Hiſtorie* p. 593.

ritum, ac zeli ad zelum vi canonum ſaniora, adeoque ſuperare ſui adverſarii vota licet numero majora: Pontifex cauſa ſufficienter cognita electionem Chriſtophori Bernardi de Galen declaravit canonicam, eamque confirmavit. (*b*) Putat quidem noſter ANONYMUS pag. 125. Caſum hunc ad præſentem haud quadrare materiam, cum nulla adfuerit ſciſſio, ſed Mallinkrotius pro rebelli fuerit reputatus: (*c*) verum cauſa hæc ſaltem hoc demonſtrat, quod 1) electio ab initio haud fuerit unanimis, cùm plura vota habuerit Mallinkrotius, nam ex poſt demum etiam illi, qui vota dederant Mallinkrotio, uno excepto, tranſierunt ad partes Chriſtophori Bernardi de Galen; Mallinkrotius igitur fuit ſpecialis contradictor electionis Galenianæ, adeoque electio erat contentioſa a Pontifice dijudicanda. 2) Quod cauſa hæc controverſa vi concordatorum mox delata fuerit ad Curiam Rom. 3) De controverſia illa cognoverit ſolus Pontifex & electionem Epiſcopi Bernardi declararit Canonicam, imo durante confirmationis proceſſu Romano Imp. Ferd. III. conceſſit ſaltem Bernardo de Galen indultum de adminiſtrando quoad temporalia & regalia Epiſcopatu Monaſt. (*d*)

IV. Famoſa fuit cauſa electionis Coadjutoris Trevir. tempore Philippi Chriſtophori a Soettern Archiepiſcopi Trevir. eodem Anno 1650. peractæ, quam pariter definivit Pontifex: in diverſas equidem partes abierant eligentes, *ſex vota Hugoni Eberhardo Comiti Crazio de Scharffenſtein, novem vero Carolo Caſparo a Petra* (Layen) *obvenerant, fruſtra qui pro Cratzio ſtabant, de votorum præſtantia*

(*b*) Extat confirmatio ejus facta a Pontifice Innocentio X. in LÜNIGII *ſpicileg. Eccleſ. Contin.* I. p. 599. conf. JOANNES AB ALPEN *de vita & rebus geſtis Chriſtophori Bernardi Epiſcopi & Principis Monaſt.* L. I. §. 7. ſeq.

(*c*) Negari non poteſt Mallinkrotium injuſte egiſſe, quod facta etiam a Pontifice confirmatione Bernardi de Galen, hunc tamen agnoſcere noluerit pro ſuo Epiſcopo, imo & ejus cenſuras ſpreverit vid. Chriſtophori Bernardi Epiſcopi *ſententia excommunicationis* lata in Bernardum de Mallinkrot. de A. 1654. apud LÜNIG l. c. p. 600., verum confundenda haud ſunt poſteriora cum anterioribus. Scribit de hac cauſa STRUBEN P. II. **deren Rechtlichen Bedencken** p. 67. **als der Münſteriſche Dohm-Dechant von Mallinkrot die Wahl des Biſchoffs zu Münſter Chriſtoph Bernard anfochte, und nachdeme Er zu Rom Sachfällig worden, ſich an den Kayſerl. Hoff wandte, wieſe man ihn daſelbſt nicht ſchlechter Dings, ſondern nach voraängiger ſorgfältigen Unterſuchung der Sache ab,** wie Alpen de vita & rebus geſtis Chriſtophori Bernardi Epiſcopi Monaſt. L. I. p. 42. alſo erzehlet: *Sed & iſthic, poſtquam ejus objectiones in Conſilio Imp. Aul. ſtudioſe ponderatæ ſunt, repulſam patitur, jubetur electum uti legitimum principem & Herum ſuum agnoſcere & venerari.* Und eben daſelbſt p. 100. führt dieſer Hiſtorien-Schreiber ein Kayſerl. Decretum an, worinn geſagt wird: putatitias & adverſantes legibus prætenſiones decani eſſe rejectas.

(*d*) Vid. apud LÜNIG l. c. p. 598.

tia diſceptantibus concluſum fuerat a Capitulo Carolum jure præferendum atque uſitata formula promulgandum, quod Joh. Phil. a Walderdorff pro more executus eſt, quamvis huic proclamationi contraria eligentium pars & Archiepiſcopus (e) atque ipſe etiam Cratzius ſuam de qualitate ſeu, ut ajunt, ſanitate votorum proteſtationem opponerent; quæ deinde ad Imperatorem ac Pontificem delata quæſtio illo potiſſimum impellente ac denique ipſo etiam Cratzio ultro concedente deciſa pro Carolo eſt. Verba ſunt MASENII *in Epit. Annal. Trev.* p. 800. ſeq. add. BROWERI & MASENII *Antiquit. & Annal. Trevir.* T. II. L. XXV. p. 546. ſeq. quod autem hæc cauſa tanquam Eccleſiaſtica non ab Imperatore ſed Romæ diſcuſſa & definita ſit, non ſolum teſtantur omnes ſcriptores Trevirenſes, ſed & documenta ad hanc cauſam pertinentia clariſſime probant, ſic 1) in *edicto* Archiepiſcopi Trevir. Philippi Chriſtophori *de agnoſcendo pro Coadjutore Comite Cratzio* de A. 1650. expreſſe dicitur, cauſam hanc pendere in Curia Rom. in formalibus: und nunmehro eins und anderes zu der Päbſtl. Heiligkeit *Examine* anheim geſtellt. 2) In ſtatuum Imp. proteſtantium voto ad Imperatorem in hac cauſa contra Chriſtophorum Electorem Trevir. dd. $\frac{1}{4}\frac{3}{3}$ Jul. 1650. (*f*) refertur, quod Comes de Cratz contra electionem Caroli Caſpari de Layen per majora factam mox proteſtatus fuerit, & ad Curiam & Sedem Apoſtolicam appellarit, & hujus cauſam contra jura manifeſta & concordata nationis Germ. defendat Archiepiſcopus; in fine petunt illi ſtatus ab Imperatore: ſonderlich aber Se. Churfürſtl. Gnaden von ſolchen Beginnen nochmahls alles Ernſtes abzumahnen, und allergnädigſt zu erinneren, daß Sie gegen die beym Ertzſtifft wohl hergebrachte Conſuetudines & Statuta nichts innoviren, noch Sich dem durch göttlicher Gnad-Verleihung getroffenen allgemeinen Frieden-Schluß ferner widerſetzen, ſondern denſelben gleich anderen geiſt- und weltlichen Churfürſten und Ständen des Reichs acceptiren und obſerviren, einfolglich die in Krafft deſſelben angeordnete Kayſerl. und Reichs-Commiſſion beſtändig reſpectiren, und deren Ausſchlag erwarten ſollen, nicht zweifflende dieſelbe dermahlen recht in ſich gehen, und darauf der Gebühr ſich bezeigen werden, ſollte aber

(e) Edictum Philippi Chriſtophori Archiepiſcopi Trevir., vi cujus Hugonem Eberhardum Comitem de Cratz tanquam legitime electum Coadjutorem ſuum proclamari fecit, extat in Rmi HONTHEMII *hiſtor. Trevir. diplom.* T. II. p. 652. in hoc edicto Electio Caroli Caſpari de Layen ex hiſce Cauſis pro illegitima declaratur, quia 1) debuiſſet habere duas tertias votorum vi Canonum, cum junior Electus ſuerit contra Seniorem, 2 cum ipſe ſibi dederit Electus Votum, & ſic ſe indignum reddiderit. Add. prædicti Electoris Trevir. *manifeſtum cauſas exponens, ob quas Coadjutor Electus non ſit admittendus, nec adverſum ſe ex Imperii Decreto procedendum in* MEYERI *actis execut. pacis Weſtph.* T. II. p. 509.

(f) In MEYERI *Actis execut. pacis Weſt.* T. 2. p. 506.

aber wider alles Verhoffen ſolches nichts verfangen wollen, ſo hätten alsdenn Euer Kayſerl. Majeſt. unſers allerunterthänigſten unvorgreifflichen Erachtens gegen dieſelben ohne Verzug nicht allein in Contumaciam zu verfahren, ſondern auch damit man dermahleins ſolcher Beſchwerden gefährlichen Sachen entlediget werden möchte, nach vorhergegangenem Ausſpruch der Commiſſion Ihro zwar allen Churfürſtl. Reſpect und Ertzbiſchöffl. Dignität und Jura ſambt gebührendem Unterhalt zu laſſen, die Adminiſtration der Weltlichkeiten aber obgedacht per majora canonice erwehltem Coadjutori, oder mit und neben denſelben einem Hochwürdigen Dohm-Capitul anzubefehlen, und von demſelben, bis der in dergleichen *Electionibus* gewöhnliche *Proceſſus informativus* vorgenommen, und darauf die *Confirmation* oder *Inſtitution* des *Electi Coadjutoris* erfolget, zu deſſen Ertzſtiffts und anderer benachbarten Churfürſten und Stände Sicherheit verwalten zu laſſen - 3) Status Catholici in litteris dd $\frac{20}{30}$. Jul. 1650 (*g*) rogarunt Imperatorem - ſonderlich aber bey Ihrer Päbſtl. Heiligkeit vermittelſt Dero zu Rom reſidirenden Kayſerl. Oratoris die Sache dahin zu recommendiren, damit gegen die ſowol in dieſen als anderen teutſchen Ertz- und Stifftern von undencklichen Jahren hergebrachte Statuta und Gewohnheiten im geringſten nichts innoviret, noch denſelben præjudiciret, ſondern der in dergleichen Electionibus gebräuchliche Proceſſus informativus ſchleunigſt vorgenommen, und darauf die Confirmation oder Inſtitution des per majora electi Coadjutoris erfolgen möge. (*h*) 4) Dum contra hæc vota Elector Trevir. die 8. Aug. 1650. edidit *ſcriptum cauſas exponens, ob quas Coadjutor Electus Car. Caſp. de Layen non ſit admittendus, nec adverſum ſe ex Imperii decreto procedendum*, in eo retulit a) quod utraque pars Capituli Trevir. ipſa die electionis publice, uti prius in præſentia Nuncii Apoſtol., declaraverit, *quod negotium hoc totum Coadjutoriæ determinandum ad SS. Sedem Apoſt. pure & ſimpliciter remiſerit, ſe eidem ſubmiſerit, ejusque judicium ſolum agnoverit, ac omni alii judicio renunciaverit.* b) adducit ſibi objectum eſſe: „quod negotium hoc coad„jutoriæ ad S. Sedem remitti non potuerit, quaſi illud contra concordata na„tionis Germanicæ aut ſtatuta Imperii vergeret; *inauditum autem eſſe, negotium „hoc Coadjutoriæ ad S. Sedem remitti non potuiſſe vel debuiſſe, aliter enim debere „credere Catholicos*, jura & conſuetudines eccleſiarum Germaniæ aliter diſpone„re, & viridem obſervantiam in Coadjutoria Colon. (*i*) & in ſecuta Leo„dienſi

(*g*) L. c. p. 505.

(*h*) Quo fundamento ANONYMUS hæc acta publica pro ſua ſententia alleget, & pag. 129. ſcribat: Aus beyden Theilen erhellet, daß Teutſchland den informatoriſchen Proceſs, welcher zu Rom wegen der geiſtlichen Confirmation pfleget angeſtellet zu werden, für eine bloſſe Feyerlichkeit erkläret. Legenti dijudicandum relinquimur.

(*i*) Scil. Maximilianus Henr. Filius Alberti VI. Bav. ducis electus fuerat A. 1642.

in

„dienſi (*k*) extare fundamenta & præjudicia, nec ſtatuta Imperii aut nationis „German. concordata ſuper Coadjutoriis quidquam diſponere, *neque pacem „Monaſter. Sedi Apoſtol. aut Catholicis Eccleſiaſticis ſtatibus legem in ejusmodi caſi-„bus mere Eccleſiaſticis ponere voluiſſe*, ſed ſolummodo de electionibus Coadjuto-„riarum, quæ ſolis Epiſcopis quoad diſpoſitionem reſervatæ ſunt, agere.“ c) Pergit, quod ſciat etiam a S. Majeſtatis Cæſ. pietate longe alienius eſſe *immunitati Eccleſiæ, Authoritati vel Jurisdictioni S. Sedis Apoſtol., cujus ſolius ſit in caſibus electionis diſcernere*, vel in minimo derogare velle.

5) Declaravit etiam Imperator Ferd. III. in litteris ad Cardinalem Columnam de hoc negotio datis die 3. Aug. 1650. (*l*) Quod cognitionem hujus cauſæ tanquam Eccleſiaſticæ Pontifici relinquat in formalibus: *cum uterque prætendens cauſam ſuam nobis diligenter expoſuerit, & commendarit, nos mature ac ſollicite id negotii pro eo, ac ejus gravitas meretur, deliberavimus, ſicut igitur ſanctitati ſuæ, in his, quæ ad cognitionem pertinent, quædam detrahere vel derogare non intendimus &c. Benigne ac benevole Rdmam paternitatem veſtram requirimus, ut in his ad ſuam ſanctitatem accurate referre, idque omni impenſiori cura agere velit, ut ſiquidem id ommitti non poſſit, ſua ſanctitas proceſſum informativum ſuper prælibata electione a Petra ſine dilatione formari ac totum negotium ex uſu conſueto Germ., & prout ſalus & incolumitas Reipubl. Catholicæ in Germania poſtulat, quantocius terminari curet.* (*m*)

V. Notiſſima eſt diſcors electio Colonienſis poſt fata Maximiliani Henrici e Ducibus Bavar. Archiepiſc. & Electoris Colon. Ao. 1688. enata; numerabantur

in Coadjutorem ſui patrui Ferdinandi Archiepiſcopi Colon., quam electionem confirmaverat Pontifex.

(*k*) Collimavit Archiepiſcopus Phil. ad electionem Coadjutoris Leod. A. 1649. factam, ubi Maximil. Henr. a Bavaria electus fuit in Coadjutorem Ferdinandi Bavari Epiſcopi Leod., quæ cauſa Romæ fuit ventilata & deciſa, prout paulo ante fuit expoſitum.

(*l*) Extat extractus harum litterarum in BROWERI & MASENII *antiquit. & annal. Trevir.* T. 2. p. 547. & in Rdmi HONTHEMII *hiſtoria Trevir. diplom.* T. II. p. 663.

(*m*) Neſcio igitur, qua fide ſcribere poſſit ANONYMUS pag. 129. de hac cauſa: Der Churfürſt hoffte zwar von Rom aus Hülffe zu erhalten, und hätte dorten gern den Proceſs angebracht; allein Er muſte auch dieſesmahl erleben, daß Deutſchs land mit der nemlichen Standhaftigkeit den Mißbrauch des Päbſtlichen Anſehens zu abnden wuſte, mit welcher man ihm den Unfug geteigt, einen auswärtigen Schutzherrn ſeines Kurfürſtenthums angenommen zu haben. Der Graf von der Leyen ſetzte ſeine Wahl durch, und der Päbſtliche Hof wagte es nicht Ihm die Confirmation länger vorzuenthalten.

tur tum temporibus 24 vota Capitularium Eccleſiæ Metropol. Colon., quorum 13 Eggonem Wilhelmum Fürſtenbergium Romanæ Eccleſiæ Cardinalem & Epiſcopum Argent. poſtularunt, novem autem Capitularés elegerunt obtento brevi eligibilitatis Joſephum Clementem Ducem Bav. Epiſcopum Friſing., duo alia Vota aliis duobus electis ceſſerant. (*n*) Neutra pars volebat alteri cedere, unde cauſa hæc delata fuit ad Sedem Apoſt., ubi ſententia in favorem Joſephi Clementis Ducis Bavar. fuit lata. (*o*) Nec eatenus uberiore opus eſt probatione, cum noſter ANONYMUS fateatur cauſam hanc delatam ſtiſſe ad Curiam Romanam. (*p*)

VI.

(*n*) In LÜNIGII *Theatro Cæremoniali hiſtorico politico.* T. II. p. 125. ſeq. legi poteſt deſcriptio famoſæ hujus poſtulationis & electionis, Conf. deductiones, quæ in hac cauſa partim in latina partim vernacula lingua ex utraque parte prodierunt, & NICOLAI HERTII *oratio de controverſia hujus electionis Archiepiſcopalis Colon.* opuscul. Vol. I. T. I. p. 326. ubi utriusque partis argumenta expenduntur.

(*o*) Concurrebant hic poſtulabilis cum eligibili, quorum prior vi canonum debuiſſet habere duas tertias, quæ cum deficerent Fürſtenbergio, ſic evicit novem votis electus Joſephus Clemens; Fürſtenbergius, ut elideret hoc obſtaculum, reſignare quidem voluit Epiſcopatum Argentorat., ut ſic ipſe quoque ceſſante hoc impedimento Canon. fieret eligibilis & per majora valida ipſius electio, verum Pontifex ſicut denegaverat Fürſtenbergio petitam ab eo Coadjutoriæ Colon. confirmationem & efflagitatum Breve eligibilitatis, ſic & negavit indultum reſignandi Epiſcopatum Argentorat., adeoque nihil effecit Fürſtenbergius, anſam autem hoc dedit famoſo illi bello Gallico finito per pacem Ryswic. conf. PUFFENDORFF *de rebus Brandeburg.* L. IX. §. 59. *Theatrum Europæum* T. XIII. ad A. 1688. LONDORP. *in actis publ.* ad d. annum.

(*p*) Scribit ille p. 130. Der Kayſer, der Pabſt, und das gegen Franckreich aufgebrachte Reich waren ihm (dem Cardinal von Fürſtenberg) ganz zu wider, und die Erbitterung gegen ihn gieng ſo weit, daß man die Sache nach Rom gelangen ließ, weil man ſich vielleicht einbildete, ihn nicht beſſer als unter den Flügeln der Religion ſtürtzen zu können, der Pabſt verwarff die Fürſtenbergiſche Poſtulation, und beſtättigte die Wahl des Herzog Clemens von Bayern. Es iſt billig zu bewundern, daß man in dem Eiffer gegen den Cardinal von Fürſtenberg an die Gerechtſame des Reichs wenig oder gar nicht gedacht. & p. 133. ſcribit: Die Strittigkeit hätte demnach in Teutſchland mit eben der Klahrheit und eben der Gründlichkeit abgeurtheilet werden können und ſollen als in Rom, nachhero wäre es noch immer Zeit genug geweſen, ſich bey dem Heil. Vater um die Confirmation zu melden. Es iſt aber auch möglich, daß Empfindungen von Edelmuth den Kayſer für diesmal abgehalten haben ſein Recht auszuüben, da Er wie bekannt, vor der Wahl dem Cardinal die Ausſchlieſſung gegeben, ſo hat er vielleicht bey der Entſcheidung allen Schein der Partoeilichkeit vermeiden wollen, verum fucus hic adeo eſt apertus, ut non dignus ſit refutatione.

VI. Exemplum ſuppeditat diſcors electio Leod. A. 1694 poſt fata Epiſcopi & Principis Leod. Joannis Ludovici ab Elderen enata; Capitulari conventui die 20. Apr. electionis cauſa celebrato intererant Canonici 46., electis ſcrutatoribus facta eſt mentio de Brevibus eligibilitatis conceſſis a Pontifice, objecit autem ex Capitularibus D. a Mean Brevi Joſepho Clementi e Ducibus Bavariæ Archiepiſcopo Colonienſi conceſſo nullitatem, valere viſum fuit viginti quatuor Capitularibus, viginti duobus nullum eſſe opinantibus, reluctabatur D. a Mean, cum autem illi, qui partes Electoris Colon. ſequebantur, procedendum eſſe ad ſcrutinium & electionem cenſerent, hic autem nihil efficeret in contrarium, inde cum ſibi ſequentibus egreſſus adverſus electionem proteſtatus fuit, qui vero Capitulares Electori Colon. favebant, in Capitulo manſere numero 23. (nam 24tum ſuffragium erat D. Liboy pœnitentiarii, qui nonniſi per Procuratorem præſens erat) & mediante ſcrutinio elegerunt in Epiſcopum Joſephum Clementem Electorem Colon. & Bavariæ Ducem, eumque conſuetis cum cæremoniis ac feſtivis applauſibus tanquam electum Epiſcopum & Principem Leod. publice renunciarunt, nihilominus a Decano indictum eſt ſerotinis horis generale Capitulum in ſequentem diem, adfuit utraque factio: illa, quæ electo favebat, ab altera petiit: quorſum veniret? reſponſum eſt venire ſe Epiſcopum electuros, illi regerere ſibi quoque Jus ſtare Capitulo intereſſe colligendaque eſſe ſuffragia, ſi quid facto opus ſit. Tum egreſſus quoque eſt D. a Mean factionem ſuam in ſuas ædes adduxit, ibi a viginti electus Ludovicus Antonius Comes Palat. Rheni Neoburg. Lineæ ſupremus ordinis Teutonici Magiſter, qui & a ſua factione tanquam legitime electus publice renunciatus fuit. Hic electus miſſo Barone ab Eſſen Cæſarem de his, quæ geſta erant, certiorem fecit, Capitulares vero Colonienſi Electori dediti contra ſummi Magiſtri electionem proteſtati ſunt; ab illo tempore Leodii non amplius pugnatum fuit ob diſcordem electionem, namque ex conſenſu duorum electorum remanſit adminiſtratio penes Capitulum exercenda ternis ex quavis factione ſubſtitutis, donec de electione controverſiam diremiſſet Curia Romana. Cum audiiſſet binam, quæ facta fuerat, electionem Cardinalis Boullionæus Canon. Leod., qui etiam ope Gallorum ambiverat Epiſcopatum Leod., proteſtationis appellationisque inſtrumentum edidit. (q) Arguebat porro cauſamque appellationis aſſignabat, quod propter copias & milites libera non fuerit electio Legiæ, quod perſpicuum eſſet ex ſchismate inter Canonicos orto, neque fas fuiſſet procedere ad electionem, cum

(q) Titulus huic præfixus erat: *Conteſtatio nullitatis, appellationisque ad SS. Patrem Innocentium XII. Papam & ad S. Sedem Apoſtolicam & Curiam Rom. a D. Cardinali Boullionæo de duabus prætenſis Electionibus a Capitulo Leod. factis prima 20. Aprilis principis Clementis a Bavaria, ſecunda ſequentis diei 21. Principis a Neoburgo Ludovici Antonii Comitis Palat. Rheni Ord. Teuton. Magiſtri Electoratus Mogunt. Coadjutoris.*

toties fuerit ante proteſtatus, (r) appellaveritque ad ſummum Pontificem. Conſequenter cauſa hujus electionis controverſa a duobus electis reluctante etiam nullatenus Imperatore fuit delata ad Curiam Rom., ut ibidem decideretur; obiit autem paulo poſt ex electis die 4. Maji Ludovicus Anton. Ord. Teuton. Magiſter. Ad tuendas proteſtationes & appellationes Cardinalis Boullionæi miſſus fuit Romam Vaillantius Advocatus cum equite Cardinalis: degebat quoque Romæ Abbas Scarlati Bavariæ Miniſter ad defendendam electionem Archiepiſcopi Colon., rem protrahere fatagebant Regis Galliarum oratores in favorem Cardinalis Boullionæi, diſcuſſa autem ſufficienter cauſa ſententia lata fuit a Pontifice in favorem Electoris Colon., & hic in Sede Leod. confirmatus. (s)

VII. Sequenti Anno 1695. controverſiæ circa electionem Friſingenſem Joannis Franciſci Eckeri Baronis a Kapfing. & Liechteneck motæ Romæ pariter fuerunt deciſæ, prout refert MEICHELBECK *in hiſt. Friſing.* T. II. P. I. p. 420. hiſce verbis: *cum Anno Chriſti 1694. Friſingenſis ſedes ex aliis Joſephi Clementis promotionibus juxta Pontificium decretum vacaſſet*, (t) *mox ad initium ſequentis anni 1695. die 29. Jan. plus quam duæ tertiæ votorum eum ſibi Epiſcopum delegerunt: quæ res ingenti jubilo & applauſu urbem iſtam, imo Diœceſim univerſam implevit. Non defuere equidem, qui in Romana curia adverſus eam electionem ſtrepitum excitare miris modis contenderent: ſed fruſtra fuere, rebus enim diligentiſſime & adhibita etiam tum Nuncii Apoſtol. Viennenſis, tum Salisburgenſis Archiepiſcopi opera diſquiſitis die 30. Jan. ſequentis anni Romæ electio comprobata fuit adjectis etiam Joanni Franciſco peculiaribus privilegiis & gratiis, quæ alias paucis Germaniæ Epiſcopis concedi ſolent.*

VIII. Dum A. 1706. diſcors fuit electio Monaſterienſis, & pars una Capitularium Epiſcopum Osnabrug. & Ollomuc. Carolum Joſephum Ducem Lotharingiæ, altera autem Epiſcopum Paderborn. Franciſcum Arnoldum de Met-

(r) Cauſa anteriorum proteſtationum fuerat, quia Boullionæus licet Canonicus Capitul. Eccleſiæ Leod. ab electione fuerat excluſus, excluſio autem ideo facta fuerat, quia ex Statutis Capit. neceſſe erat, ut omnes Canonici intereſſent Conventui Capitul., qui ſingulis annis die S. Aegidii celebratur ſub pœna ammittendi Juris ſuffragii, non autem interfuerat huic conventui anno proxime elapſo Cardinalis Boullionæus.

(s) Verba ſunt FOULLONII *in hiſtoria Leod. per Epiſcoporum & temporum ſeriem digeſta* T. III. p. II. p. 442. ſeq.

(t) Joſephus Clemens ex Ducibus Bav., de quo paulo ante audivimus, fuerat Archiepiſcopus Colon. & Epiſcopus Friſing. & Ratisbon. A. 1694. Adjutor Epiſcopatui Hildesh. & Epiſcopus Leod. conſtitutus fuit, verum non alia ratione probare voluit Pontifex has Electiones, quam ut electus Epiſcopatibus Friſingenſi & Ratisbonenſi renunciaret, licet Ratisbon. Cathedram paulo poſt iterum receperit.

ſetternich, quorum uterque Brevi eligibilitatis donatus erat, elegerat, (*u*) uſa pariter delata fuerat ad Curiam Romanam, poſtquam autem ex utraque arte multis ſcriptis fuit pro & contra diſputatum, (*x*) tandem evicit Franciſcus Arnoldus Epiſcopus Paderborn., putat equidem noſter ANONYMUS nec hanc uſam ſpectare ad præſentem diſquiſitionem, (*y*) errat autem, dum credit objectum hujus controverſiæ non fuiſſe quæſtionem: an electio fuerit Canonica, nec ne, ſed quæſtiones præjudiciales: an Imperator potuerit dare excluſivam, an Pontifex potuerit impedire electionem dando inhibitoria & præfigendo

(*u*) Et ſic concurrebant duo eligibiles, ubi majora ad Canonicam electionem ſufficiebant, per majora autem iterata vice electus fuit Epiſcopus Paderborn., Imperator Joſephus I. dederat quidem in favorem Epiſcopi Osnabrug. & Ducis Lotharing. excluſivam prædicto Arnoldo Franciſco Epiſcopo Paderborn., verum partim defendit Capitulum ſuam eligendi libertatem, quæ excluſiva reſtringi haud poſſet, partim electus demonſtravit ſe excluſivam nunquam promeruiſſe, cum ſemper Imperatori & Imperio fuerit fidelis, nec ullus ipſi alius defectus cum fundamento imputari poſſit, quia autem factio Osnabrug. iteratum obtinuerat Breve Apoſt., vi cujus Electio bina vice ad menſis ſpatium differebatur, cujus nulla habita ratione in Epiſcopum Monaſt. electus fuerat Epiſcopus Paderborn., ſic hanc ob Cauſam ſtylo Romano caſſata Arnoldi Franciſci electione de eodem tamen proviſio facta eſt Eccleſiæ Monaſt., extat Bulla Pontificis Clementis XI. pro Arnoldo Franciſco in FABRI Staats-Canzl y T. XI. p. 689. add. wahrhaffte Relation, was ſich zu Münſter wegen der Wahl des jetzigen Biſchoffs zugetragen. Maynz 1706. 4. Monathl. Staats-Spiegel M. Aug. 1706. p. 3. ſeq.

(*x*) Acta Romæ ventilata in Germania edidit HOLTERUS 2. T. f. ubi inſtrumenta electionis aliaque documenta ad hanc cauſam ſpectantia legi poſſunt: & inter alia lectu dignæ ſunt rationes, ex quibus Canonici Capitulares Eccleſiæ Monaſt. majorem Capituli partem conſtituentes non obſtante ſecundo Brevi Apoſt. per Miniſtros Epiſcopi Osnabrug. die 27. Aug. intimato pro electione præfixa ad electionem die 30. ejusdem menſis ſe Canonice procedere potuiſſe crediderunt.

(*y*) P. 133. ſcribit: Der Streit, welcher zu Münſter im Jahr 1706. zwiſchen dem Biſchoff zu Osnabrück aus dem Hauß Lothringen und dem Biſchoff von Paderborn aus dem Hauß Metternich entſtanden, gehöret eigentlich nicht zu gegenwärtiger Materie, der Zanckapffel ware freylich die Wiederbeſetzung des Biſtums Münſter, aber nicht die Frage, ob die Wahl auch canoniſch ſeye vorgenommen worden? ſondern es kam einzig und allein auf die Freyheiten und Vorzüge der Capitul an . . . jedermann begreifft, daß dieſer Zwiſt nicht aus dem Canoniſchen Geſetz-Buch entſchieden werden konnte, es kam darauf an die Verhaltnuß derer Capitul gegen die Kayſer und Pabſt zu beſtimmen, durfften die Dohm-Herrn einen Dohmherrn erwehlen, den der Kayſer ausgeſchloſſen gehabt? Waren ſie ſchuldig ſich dem Pabſt blindlings zu unterwerffen, ſo bald es dieſem einfiel ihre Wahl-Freyheit zu hemmen? Dieſe Præliminar-Fragen waren es, worauf der Streit beruhete, deren Entſcheidung in den Verträgen und Verfaſſung des teutſchen Staates zu ſuchen iſt.

novos terminos dilatorios? quarum deciſiones ex pactis & politia Regni German. fuiſſe deſumendas ait: Verum ſi legiſſet hic author ſcripta ab utraque parte durante lite Romæ exhibita, diciſſet de hiſce quæſtionibus præjudicialibus neutrum litigantium in judicio quidquam moviſſe, ſed potiſſimum diſcuſſam fuiſſe quæſtionem: an alteruter vel nullus ex electis canonice fuerit electus? adeoque hæc cauſa utique ſpectat ad illuſtrationem & confirmationem præſentis argumenti; huic denique accedit

IX. Caſus noviſſimus controverſæ electionis Leodienſis, quæ ad normam concordatorum delata fuit juſtiſſime & ſine præjudicio jurium imperialium ad Sedem Apoſtolicam tanquam judicem competentem, cujus quoque ſententiam tam auguſtiſſimus Imperator, quam univerſum Imperium ſine omni contradictione ſuſceperunt & Jura eatenus Sedi Apoſtolicæ competentia agnoverunt. (z)

CAPUT III.

Siſtens Reſolutiones Argumentorum Anonymi in I. Capite adductorum.

§. I.

Reſolutio primi Argumenti.

Quod Pontifex nullam habeat poteſtatem in temporalibus regnorum independentium & jurisdictionem in ſæcularibus &c., hoc lubentiſſime conceditur authori, negatur autem, quod cauſæ electionum Epiſcoporum ſint cauſæ mere ſæculares ſecundum principia Catholicorum, & quod jus decidendi tales cauſas ſpectet ad jurisdictionem ſæcularem; quod enim electiones canonicæ ſint negotium Eccleſ., earumque dijudicatio ſpectet ad judicem Eccleſ., hoc teſtantur Canones in Corpore Juris Canon. circa hoc argumentum in magno numero occurrentes, & probatum fuit ſupra.

Quod

(z) Quod Imperatori non competat intuitu Catholicorum jus decidendi controverſias circa Electiones Epiſcoporum Germaniæ, ex proteſtantibus tuentur Abraham Gottlob Winckler in Com. *de Commiſſariis Imperatoris in Electione præſulum Germaniæ immed.* p. 45. & Joh. Jac. Moser in dem teutſchen Staats-Recht T. III. p. 312. §. 30. ſub tit. Freyheit der deutſchen Kirchen fürnehmlich in Rückſicht auf Sr. Kaiſerlichen Majeſtät und in Betreff der teutſchen Reichsſtände wider die Eingriffe der Curialien zu Rom.

Quod dijudicatio talium cauſarum, ſi finalem deciſionem per appellationem forſan ad Pontificem delatam exceperis, non ſpectet ad Jura reſervata primatus Pontificii, hoc pariter largimur noſtro authori, quod autem Jus confirmandi Epiſcopos & illi annexum jus decidendi controverſias circa electiones Epiſcoporum, quod in regula competit Metropolitanis, per concordatum nationis transferri potuerit in Pontificem, hoc nemo vocabit in dubium, cum igitur jus tale Pontificum non fundetur in Jure primatus, ſed in jure per concordata quæſito, ſic cadunt omnia ea, quæ eatenus Author Anonymus multo cum labore coacervavit, nec habuiſſet ille opus ſe onerare ſuperflua hacce probatione, conſequenter nec foret neceſſarium ad ſingulas ejus probationes reſpondere, quia autem in iis multa falſa occurrunt, ſic ſaltem hæc annotare juvabit: unde ad

a) Falſum eſt, quod patronus Laicus pro lubitu conſtituat parochos, & quod controverſias deſuper enatas decidat Judex ſæcul., notorium enim eſt (in Syſtemate Catholicorum ſemper loquor) quod patronus tantum præſentet ſeu denominet ſubjectum ſecundum canones qualificatum ſuperiori Eccleſiaſtico, hic autem prævia inquiſitione demum inveſtiat præſentatum, vel pro circumſtantiis eum rejiciat. & Epiſcopus vel ejus Vicarius illi conferat poteſtatem authorizabilem, & ſi deſuper controverſia oriatur, cauſam illam vi Canonum Eccleſiaſticam decidat.

Ad b) largimur Authori, quod in medio ævo conſecratio Epiſcoporum Germ ſpectarit ad Clerum ſeu potius ad Metropolitanum & Epiſcopos comprovinciales, quod autem conſecratio tum temporis annexam habuerit confirmationem, & huic conjunctum fuerit jus cognoſcendi in ejusmodi cauſis, hoc expoſitum fuit ſupra.

Ad c) implicat Jus confirmandi Epiſcopos electos præſentatos ſine poteſtate Judiciali inquirendi in electiones & per conſequentiam decidendi controverſias circa electiones enatas: adeoque illi, cui competit Jus confirmandi, competit quoque in ejusmodi cauſis jurisdictio.

Ad d) fundamentum Juris confirmandi & per conſequentiam dijudicandi cauſas electionum Epiſcoporum Germaniæ Pontifici hodie competentis ſecundum dicta ſtabilitur in concordatis; de cætero nihil incongrui eſt, quod deciſio electionis controverſæ involvat quoque deciſionem poſſeſſionis territoriorum Epiſcopatibus annexorum: acceſſorium enim ſequitur ſuum principale, & per accidens eſt, quod Epiſcopi in Germania ſimul ſint Domini territoriales, & ſic duplicem repræſentent qualitatem, Pontifex enim ſaltem cognoſcit circa qualitatem Eccleſ., quæ eſt intra ſphæram ejus activitatis, reliqui effectus ſunt mere accidentales, in Cap. 6. & 7. ab Authore allegatis dicitur, cauſas feudales dijudi-

judicandas esse a Dominis Directis, an autem causa electionis Episcopi est causa feudalis?

Ad e) quod forsan in quibusdam aliis regnis non similem jurisdictionem exerceat Pontifex, causa est, quod non similia cum iis nationibus, qualia cum Germanis, iniverit pacta, adeoque servatum ibi est jus antiquum Eccles., vi cujus jus confirmandi Episcopos cum annexis spectat ad Metropolitanos, & cum hæc sit res meræ disciplinæ Eccles., cur eatenus non potest esse differentia inter diversa orbis christiani regna? uniformis autem ubique eatenus est disciplina, quod causæ electionum reputentur pro causis Eccles. & earum decisio spectet ad Judices Eccles.

Ad f) quod nec Episcopi, nec Pontifex olim habuerint Jurisdictionem Eccles., est falsissimum, contrarium loquitur universa historia Eccles, & quod finalis decisio causarum Eccles. suppositis supponendis spectet ad reservata primatus Pontificii, hoc non facile aliquis Catholicorum vocabit in dubium;

Ad g) potestas judiciaria Pontificis, quæ est in quæstione, secundum sæpius dicta provenit ex concordatis, & sic ea, quæ adducit author sunt extra Rhombum, de cætero neo conversi in Germania non sunt subtracti suis principibus, licet qua Christiani in Ecclesiasticis fuerint subditi superioribus Eccles. & Pontifici tanquam Ecclesiæ primati, hæc enim commode simul stare possunt in eodem subdito, nec unum præjudicium affert alteri.

Ad h) in allegato Capitulo non ait Gelasius Pontifex, quod jus decidendi controversias Electiones Episcoporum spectet ad Clerum & populum, sed plebs Diotrensis ad Gelasium Pontificem (en judicem Eccles supremum) detulerat suum gravamen contra comprovinciales Episcopos, quod diu sine proprii Episcopi gubernatione dispergatur, & is, qui a prædictis Episcopis probatus fuerat, a paucis & tenuibus sit electus; adeoque causa hæc electionis per appellationem delata fuit ad Pontificem, hic autem rescripsit ad dictos Episcopos: *cum ad ipsos pertineat universos assidua admonitione compellere, ut omnes in unum, quem dignum sacerdotio viderint & sine aliqua reprehensione, consentiant*, & injunxit illis, *ut sæpius convocent Clerum & populum, ut ipsis Episcopis monentibus concordantibus animis talem sibi quærant personam, quam nulla contrarietas a constitutis possit revocare præscriptis.* Adeoque Episcopis præcepit Gelasius, ut ante omnia concordem procurare studeant electionem; electio igitur Episcoporum quondam spectavit quidem ad clerum & populum, nunquam autem ad ipsos eligentes spectavit jus decidendi controversam quæstionem: quis ex pluribus in discordia electis sit præferendus, nemo enim judex esse potest in propria causa & de proprio facto, sed hoc judicium spectavit ad illos, qui habebant jus confirmandi & consecrandi Episcopos: & quia tempore Henrici IV. Imp. judicium

cium circa electiones & depositiones Episcoporum adhuc spectaverat ad Metropolitanum & Episcopos comprovinciales, sic etiam Pontifex decisionem causæ depositionis Episcopi Constant. ob simoniam non remisit ad Clerum & populum Constant. (quod debuisset fieri ex systemate nostri Authoris) sed ad Synodum Mogunt., quia ad Metropolim Mogunt. spectaverat Ecclesia Constant.; adfuit quidem huic Synodo Henricus IV. Imperator, quin autem ille fuerit judex hujus causæ, quod patet ex actis hujus Concilii, sed debebat esse contentus iis, quæ Synodus hæcce sanciverat, proprie autem nec Synodus in hac causa tulerat sententiam, sed dum Carolus Episcopus Constant. diluere debebat objecta, interne de crimine convictus *ultroneus ipse in se sententiam tulit & annulum & ferulam pastoralem ei, a quo injuste acceperat, resignavit.* (*a*) Ex hisce igitur patet, quam male conglomerata a nostro Authore argumenta cohæreant.

§. II.

Resolutio secundi Argumenti.

Quod Concordatum Calixtinum non ex toto sit sublatum, sed toties tacite renovetur, quoties Imperator mittit commissarium ad electiones Episcoporum, hoc facile conceditur Authori, imo potuisset addere, quod & exceptis mutatis tacite confirmatum fuerit in Concordatis Aschaffenburg., certum quoque est, quod hoc pactum quoad omnia sua capita permanserit illibatum, nisi quatenus per nova pacta facta fuerit aliqua ejus immutatio: nec inficias eo, quod verba prædicti concordati Calixtini excludant Pontificem a jure decidendi controversias circa electiones Episcoporum enatas, falsissimum autem est, quod hoc Jus conferatur Imperatori, sed clarissimis verbis confertur Metropolitano & comprovincialibus Episcopis, prout supra fuit probatum; largior etiam, quod verba prædicti concordati stricte sint interpretanda, falsum autem est, quod circa hoc Caput Pontifici in pacto Calixtino concessum sit privilegium, nam eate-

(*a*) Acta hujus Synodi Moguntinæ cum Sigefridi Archiepiscopi Mogunt. ad Pontificem Epistola in hac causa scripta ex Bibliotheca Cæs. Vindob. primus edidit SEBAST. TENGNAGEL Bibliothecarius Cæs. in Collectione sub tit. *Vetera monumenta contra Schismaticos jam olim pro Gregorio VII. aliisque nonnullis Pontificibus Rom. conscripta & nunc primum in lucem vindicata. Ingolstadii* 1612. 4. in qua collectione Nro. VII. extat prædicta Synodus. Adjunxit postea JACOB GRETSERUS S. J. prædicta monumenta *defensioni pro S. R. orthodoxi & Catholici Imperii avita Majestate*, eodem anno Ingolstadii editæ: & extant in GRETSERI operum novæ edit. Tom. VI. p. 534. seq. Ubi legi potest prædicta Synodus, quam & exinde HARTZHEMIUS inseruit *Conciliorum Germ.* Tom. III. pag. 153. seq.

eatenus nihil obtinuit Pontifex, ſed jus hoc cum confirmatione & conſecratione vi diſciplinæ illius ævi relictum fuit Metropolitanis & Epiſcopis provincialibus, conſequenter nec dici poteſt, quod illud ſibi reſervaverit Imperator.

§. III.

Reſolutio tertii Argumenti.

Falſiſſimum eſt aſſertum noſtri Authoris, dum ait Imperatores de controverſiis circa electiones Epiſcoporum enatas ſemper judicaſſe poſt tempora pacti Calixtini, plurima enim exempla (ſi etiam tempora concordatum Aſchaffenburgenſe antecedentia reſpiciamus) adduci poſſunt, ubi judicarunt judices Eccleſ. imo ipſi Pontifices (*b*), conſequenter dum aliquoties tale judicium ſibi arrogarunt Imperatores, factum illud eſt de facto ſine omni jure contra clariſſima pacti Calixtini verba; quodſi etiam ex illo, quod quandoque Imperatores de facto eveniente diſcordi electione (quo in caſu vi pacti Calixtini prævio conſilio vel Judicio Metropolitanorum & Epiſcoporum provinc. debuiſſent ſaltem aſſenſum, & auxilium præbere parti ſaniori) ſpreto judicio Metropolitanorum & parte ſaniore eligentium jus devolutionis ſibi arrogarint, non plus per hæc probatur, quam quod prætenderint quandoque illud, quod nullo jure ipſis competebat, de quo autem jam fuſius actum fuit ſupra. Quod autem concernit exempla, ex quibus probare vult Author, quod enatis controverſiis circa electiones Epiſcoporum ſemper judicarint Imperatores, illa partim ſunt falſa, partim exhibent geſta de facto, partim ab Authore ſunt detorta in alienum ſenſum, quæ ut eo clarius pateant, ſic ſufficiet hæcce facta hiſtorica ſigillatim fugitivo ſaltem oculo perluſtrare, & mox patebit eorum irrelevantia, ſic quoad

I*mum*, falſum eſt, quod Lotharius II. in Conventu Mog. enatam ob diſcordem electionem Trevir. controverſiam deciderit, contrarium enim patet ex ipſis litteris a Clero Trevir. ad Pontificem datis, ex quibus Author ſuum formare voluit argumentum, nam in illis refert Clerus Trevir. *tunc rex diſcedens diem nobis Moguntiæ nominavit, ibi* JUDICIO EPISCOPORUM *ſe negotium noſtrum velle tractare confirmans.* Conſequenter *judicio Epiſcoporum* negotium illud tractare voluit Imperator, quod erat conforme pacto Calixtino, non autem ipſe ſolus authoritate regia, quod probare debuiſſet Author, controverſiam illam decidere voluit, nec etiam decidit, ſed potiſſimum dependebat a Judicio Epiſcoporum, ut prævio illo ſaniori parti poſſet dare aſſenſum & auxilium.

In

(*b*) Conf. AUTHOR *magni Chronici Belgici.* SERRARIUS in *hiſt. Mog.* FISEN in *hiſt. Eccleſiæ Leod.* & reliqui ſcriptores hiſtoriarum Eccleſiarum Germaniæ, qui plurimas recenſent cauſas controverſarum Electionum, quas dijudicarunt Pontifices potiſſimum a temporibus ſæculi XIII., quæ autem omnia excerpere nimis laborioſum foret.

In Conventu Mogunt. autem cauſa hæc non fuit deciſa, nec declaravit Lotharius, prout ſcribit Author, ſe nec cujusquam electionem in Archiepiſcopum Trevir. *probaturum eſſe* (*c*), qui non omnium communiter tam Cleri quam Laicorum ſuffragia tuliſſet; ſed res ita ſe habuit: *cum Lotharius Clericos Trevir., qui elegerant Alberonem, non ſperata benignitate audiviſſet, nec illis præbuiſſet auxilium, ab Albanenſi autem Epiſcopo promiſſionis* (ſcilicet quod favere velit Alberoni, ſi eligatur a Clero) *commonitus fuiſſet, coram omnibus Epiſcopis & Principibus, qui præſentes erant, nunquam ſe Domino Albanenſi & Metenſi promiſiſſe teſtatus eſt, quod aliquam de eligenda illa perſona* (*ſcilicet Alberone*) *bonam voluntatem habuerit, niſi per aſſenſum & concordiam omnium tam Laicorum quam Clericorum fieri potuiſſet.* Verba ſunt allegatæ epiſtolæ; adeoque hæc declaratio non fuit ſententia, prout vult Anonymus, ſed nuda ſignificatio illius, quod antea revera promiſerat Imperator; denique ſi hujus cauſæ deciſio ſpectaſſet ad Imperatorem, ad quid Clerus imploravit Pontificem in prædicta epiſtola, *ut, ſi favorem regis intuitu Alberonis acquirere non poſſit, vel primum electum Brunonem ipſis reddat, vel permittat aliam eligere perſonam, in qua & Cleri & populi concordent vota.*

Ad II*dum* ratione electionis Magdeburg. ſequentes accedebant circumſtantiæ, elegerat Capitulum in diſcordia tres Archiepiſcopos, ex quo diſſidio tantæ enatæ erant turbæ, ut unus ex electis Arnoldus a plebe Magdeburg. fuerit occiſus, adeoque ad evitandas majores turbas nemo ex electis poterat aſſumi in Archiepiſcopum, 2) in hiſce circumſtantiis denominatus fuit Archiepiſcopus Norbertus vir ob ſuam ſanctitatem & doctrinam tum temporis celeberrimus, qui credebatur optime componere poſſe hoſce motus, & etiam cum applauſu a Clero & populo Magdeburg. fuit ſuſceptus: 3) Hæc denominatio Norberti facta non fuit privative a Lothario Imperatore, ſed in conventu Spir. prævio Judicio omnium Germaniæ Epiſcoporum, laudantibus illam tam Pontifice quam S. Bernardo, adeoque nec hoc exemplum proficit noſtro Authori. (*d*) Quod autem Lotharius II. tenax potius fuerit normæ in pacto Calixtino ſecundum Canones præſcriptæ, patet ex iis, quæ occaſione diſcordis electionis Halberſtad. Ao. 1135. peregit: cum enim in electione Halberſtad. Epiſcopi partes in contrarias ſcinderentur eligentes, & jam Romam appellatum eſſet, Lotha-

(*c*) P. 60. Da Er niemahls eine Wahl billigen werde, die nicht einmüthig durch die Laien und Cleriſey geſchehen.

(*d*) Vid. CHRON. MAGDEBURG. in MEIBOMII *rer. Germ.* T. II. p. 326. DREYHAUPT in der Beſchreibung des Saal-Creyſes des Hertzogthums Magdeburg. Tom. I. in vita Norberti & ACTA SS. ANTWERP. ad diem V. Jun.

rius litteris ad Pontificem datis. (*e*) Poſtulavit, ut illi, qui hujus controverſiæ cauſa Romam veniſſent, ad ipſum remitterentur, ut ex concordati præſcripto Archiepiſcopi & Comprovincialium Conſilio negotium conficeret.

Ad III*tium* ſcribit l. c. OTTO FRISING.: Conradus III. *Noviomagenſe palatium Trajectenſium cauſam judicaturus venit; Trajectenſes Fridericum in civitate non ſine faſtu habebant Hermanno ejecto, itaque conductum primo de perſonarum incolumitate petentes cum magna multitudine navium a Rheno per Wal fluvium, qui ab eo ſciſſus, ipſius bracchium eſſe noſcitur, veniunt, quos rex in cauſa ponens ad pacemque cum adverſariis ſuis ſine litis conteſtatione revocare volens, cum hoc modo procedere non poſſet, tandem eis juris diſtrictionem obtulit: illi viaticum redeundi poſtulaverunt dicentes ſe, eoquod cauſa ipſa tanquam Eccleſiaſtica ad Eccleſiaſticum Judicem, id eſt ad aures ſummi Pontificis translata eſſet, reſpondere coram cincto judice non poſſe.* Ex hiſce igitur patet, quod cauſam hanc non deciderit Conradus, prout ſcribit Anonymus, tentarat ejus judicium ſibi arrogare, verum magna cum libertate declinarunt illud Trajectenſes, cum hujus cauſæ Eccleſ. deciſio delata ſit ad judicem eccleſ., quod autem judicis eccleſ. authoritatem in hac cauſa poſtea ipſe agnoverit Conradus, refert cit. OTTO FRISING. l. c. C. 63. hiſce verbis: *inde in Gallias rediens* (Conradus III. Rex) *Trajectenſium negotium revocatis omnibus ad ſubjectionem Hermanni cum Imperii honore terminavit, ac ne aliquis impoſterum ejus facti ſcrupulus habeatur, a Romana Sede ratihabitionem obtinuit.* Qualis hæc eſt probatio pro Anonymo?

Ad IV*tum*, audiamus pariter teſtem coævum OTTONEM FRISING. hic ſcribit l. c. L. II. C. 6. *Circa idem tempus Magdeburg. Eccleſia, quæ Saxoniæ Metropolis eſſe dignoſcitur, paſtore ſuo viduata ad electionem faciendam reſedit, dumque alii ejusdem Eccleſiæ Præpoſitum Gerardum, alii Decanum eligerent, diviſis hinc inde perſonis regem adhuc in Saxonia morantem adire diſponunt, quos dum multis modis ad unitatem & vinculum pacis princeps reducere ſatageret, ac proficere non valeret, alteri parti, id eſt, Decano cum ſuis perſuaſit, ut Guicmannum (f) Cicenſem Epiſcopum virum adhuc juvenem ſed nobilem eligerent, eique accerſito regalia ejusdem Eccleſiæ conceſſit.* Adeoque factum Friderici I. Imp. ſua nititur fide hiſt. conſ. DREYHAUPT Beſchreibung des Saal-Crayſes des Herzogthums Magdeburg T. I. p. 32. Verum illud haud approbavit Otto Friſing., nec enim

(*e*) Litteras exhibet ANNALISTA SAXO ad A. 1135. in ECCARDI *Corpore hiſtor. medii ævi* T. I. p. 670. *ita nobis eos remittas, ut ſalva libertate Electionis nos pro Conſilio Archiepiſcopi & Suffraganeorum adhibitis religionis perſonis talem provideamus, qui Eccleſiæ & Imperio expediat.*

(*f*) Hic Guicmannus ſeu potius Wichmannus fuerat Comes Degenburg. vel, prout alii volunt, Segenburgenſis, de quo 1710. Wittenbergæ *diſſertationem* defendit M. GODOF. HECHT.

enim ſubjungit prætextum, ob quem hæc peregerit Fridericus: *tradit enim Curia, & ab Eccleſia eo tempore, quo ſub Henrico V. de Inveſtitura Epiſcoporum deciſa fuit inter Regnum & Sacerdotium controverſia, ſibi conceſſum autumat, quod obeuntibus Epiſcopis, ſi forte in eligendo partes fiant, Principis arbitrii eſſe Epiſcopum, quem voluerit, ex primatum ſuorum Conſilio ponere.* De quo autem fuſius actum fuit ſupra.

Hiſce autem geſtis ſe mox oppoſuit Pontifex Eugenius III. non ſolum ex unica ratione translationis Epiſcopi, prout vult Anonymus, ſed & ob turbatam electionis libertatem, prout idem teſtatur OTTO FRISING. l. c. L. 8. dum ſcribit: *porro Gerardus Præpoſitus Romam pergens Eugenium Papam adiit, eique cauſam Magdeburg, Eccleſiæ aperiens Guicmannum a principe, ut ſupradictum eſt, per electionem alterius partis ibi locatum multis modis de intruſione accuſavit, hanc rem quam graviſſime Romanus Pontifex exceperit, tam ex litteris, in quibus nonnullis Epiſcopis, qui pro eo ob amorem Regis Romanæ Eccleſiæ ſcripſerant, reſpondit, quam ex Cardinalium, qui poſtmodum ad transalpina directi ſunt, viva voce percepimus.* Litteras Pontificis ad Epiſcopos Germaniæ in hac cauſa admodum vehementes inſeruit quoque OTTO FRISING. *Geſtis Friderici I.*, in quibus reprehendit illos, *quod contra officium ſui Pontificatus in cauſa iſta non, quod expediat Eccleſiæ Dei, quod ſacrorum Canonum ſanctioni concordet, ſed quod terrenis principibus placeat, attenderint, qui eorum animos a ſua minus recta debuiſſent deflectere intentione, atque, ubi eſſet via Domini demonſtrare, non perſuaſerint, quod rectum eſt. &c.*

Deinde deducit Pontifex in dictis litteris, quod translationes Epiſcoporum ſine neceſſitate & utilitate Eccleſiarum ac invito Clero & maxima ex parte reclamante, prout in ſubſtrato ſe res haberet, fieri non poſſint ſecundum canones, in fine mandat Epiſcopis: *quatenus cauſæ iſti favorem ulterius non præſtent, & apud Fridericum Regem, quem Deus hoc tempore pro ſervanda libertate Eccleſiæ in eminentia regni evexit, efficere ſuis exhortationibus ſtudeant, ut & ipſe a ſua ſuper hoc ratione deſiſtat, & contra Deum, contra S. Canones, contra Regiæ dignitatis officium eidem cauſæ favorem ſuum ulterius non impendat, ſed Eccleſiæ Magdeburg. ſicut & aliis Eccleſiis regni a Deo ſibi commiſſi liberam facultatem, quem voluerint ſecundum Deum, eligendi relinquat, & electionem ipſam poſtmodum favore ſuo, ſicut decet majeſtatem regiam, proſequatur.* Adeoque geſtis a Friderico Imp. in hac cauſa tanquam illegitimis contradixit Pontifex Eugenius, conſequenter non poteſt exinde inferri, quod jus talia peragendi competierit Friderico, debebant autem ad ſervandam Eccleſiæ pacem multa indulgere Pontifices, unde & mortuo Eugenio III. Pontifice ſucceſſor ejus Anaſtaſius ad tollendum hocce diſſidium Curiam Romanam inter & Imperatorem tandem petitioni Friderici Imp. ſatisfecit & Guicmannum confirmavit, prout refert OTTO FRISING. l. c. C. X. his verbis: *Verum Princeps* (Fridericus) *miſſis ad Anaſtaſium cum Guicmanno*

nuncius non ſolum facti ſui ratihabitionem, ſed etiam pallium obtinere eum fecit. Addit autem notabilia verba citatus ſcriptor: *non ſine quorundam ſcandalo, qui ne unquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere a proprio ipſorum ore audierant; ex hinc non ſolum in ſæcularibus ſed & in Eccleſiaſticis negotiis diſponendis authoritas Principis plurimum crevit.* Ex hacce igitur ſcriptoris coævi omni exceptione majoris narratione ſufficienter patet, quod de facto Guicmannum Eccleſiæ Magdeburg. obtrudere anniſus fuerit Fridericus contradicente Eugenio III. Pontifice, nec etiam evicerit Guicmannus, niſi conſentiente tandem Anaſtaſio Pontifice tanquam ſuperiore Eccleſ., ad quem Fridericus Imper. miſerat nuncios, qui Anaſtaſius amore pacis ad evitanda majora mala indulſit eatenus aliquid Principi, qui ſuorum concluſorum erat tenaciſſimus; quod autem hæc geſta Friderici haud approbarit Otto Friſing., ſufficienter patet ex ejus verbis: quis igitur æquus rerum arbiter ex hoc facto inferet Imperatoribus competere Jus decidendi controverſias electionum Epiſcoporum Germaniæ!

Quoad Vtum. Sic ob hanc controverſam electionem Colon. non tam prætendit Jus devolutionis Fridericus Imp., quam potius prævio conſilio & judicio Epiſcoporum parti ſaniori aſſenſum præbuit, ſcribit enim OTTO FRISING. l. c. *tandem princeps utrorumque auditis allegationibus conſilio & judicio, quos ſecum habebat, Epiſcoporum aliorumque principum prædictam cauſam ad Curiam Ratisbon. producendam decrevit,* & cum horum Epiſcoporum Conſilio & Judicio in Curia Ratisbon. *præſentatis ſibi iterum de Colonienſi Eccleſia utrisque Pontificibus, alteram electionem, videlicet quæ a Canonicis majoris Eccleſiæ facta fuit, validiorem judicans Fridericum Adolphi Comitis filium de regalibus inveſtivit, ſicque eum a Romano Pontifice conſecrandum ad urbem remiſit.* (g) Cum igitur in hocce caſu contra pactum Calixtinum haud egerit Fridericus, ſic nec eatenus ullum cum Pontifice enatum eſt diſſidium, non autem exinde deduci poſſunt ea, quæ probare voluit Anonymus.

Ad VItum. Ex eodem principio, ex quo prætendit curia referente Ottone Friſing. Jus devolutionis in caſu diſcordis electionis, Fridericus Imp. ſuſcepit quoque cauſam Rudolphi a minore licet parte Electi Trevir. Archiepiſcopi, exinde autem novum enatum eſt diſſidium cum Pontifice, quod ſeptennio turbas & in effectu ſedis vacantiam cauſavit Eccleſiæ Trevir., verum exinde non probatur, quod jus decidendi controverſias electionum ſpectet ad Imperatorem, cum in hac cauſa non ſolum cognoverit Pontifex conſequenter Judicem Eccleſ. egerit, ſed & ab Imperatore denominatus Archiepiſcopus Rudolphus

(g) Aliter cauſam hanc enarrat AUTHOR *magni chron. belg.* apud PISTORIUM l. c. p. 204. cum autem OTTO FRISING. ſit ſcriptor ſynchronus imo ipſe interfuerit dictæ curiæ Ratisbon., ſic eatenus majorem meretur fidem.

dolphus haud obtinuerit Archiepiſcopatum Trevir., adeoque nec hic caſus in confirmationem prætenſi Juris Regii allegari poteſt; & dum Author provocat ad ſcriptores coævos, ſic audiamus illos: ARNOLDUS LUBEC. in *Chronico Slav.* L. III. C. X. in LEIBNITZII T. II. *ſcript. rer. Brunſwic.* p. 66. ſcribit: aliud etiam *habebant negotium* (Lucius Pontifex & Frid. I. Imp.) *quod maximum & præcipuum erat de Electione Trevir., ſiquidem Metropolis Trevir. vacabat, in qua duo electi erant, Volcmarus quidem prior a ſaniore parte electus eſt, Rudolphus vero poſterior a parte infirmiori, cumque ſchisma inter eos eſſet, Volcmarus quaſi de Canonica electione præſumens ad Sedem Apoſtolicam appellavit,* (*h*) *Rudolphus vero ad Imperatorem ſe transtulit, Imperator ergo audiens, quod factum fuerat propter diſſenſionem Electionis, inveſtituram dedit Rudolpho, Apoſtolicus itaque affirmabat partem Volcmari propter Canonicam Electionem, & Imperator pro Rudolpho erat propter Electionum diſſenſionem,* (*i*) *ſicque ab invicem diſceſſerunt, ut quivis ſuam partem diceret juſtiorem, procedente ergo tempore cum Volcmarus ſequeretur Curiam Romanam & pro ſuo negotio moleſtus eſſet Apoſtolico, Apoſtolicus miſſa Epiſtola peremtorie citavit Rudolphum, qui tunc cum Imperatore erat, quod Imperator audiens non parum agre ferebat, ipſum tamen, ne contumax videretur, ad audientiam venire hortatus eſt, mittens ſecum duos decretiſtas, & duos legiſtas: decretiſtas quidem, ut pro Rudolpho eſſent Juſtitia Canonum, legiſtas vero ut pro parte ſua ſtarent jure legum.* (*k*) *Cumque ad judicium ventum fuiſſet, & ex utraque parte plurimum fuiſſet allegatum, nullo dato fine Rudolphus ad Imperatorem revertitur, Volcmaro cum Apoſtolico remanente.* (*l*) *Sic ex utraque parte perturbatio non modica erat: quia cum pro eadem cauſa inter Apoſtolicum & Imperatorem cotidie majora emergerent, fideles, qui ſchiſmatis uſtionem experti fuerant, Eccleſiam denuo graviſſime ſcandalizandam timebant. Interea Rex juvenis & ſuperbus zelatus pro Rudolpho Decanum & Canonicos quosdam confluentiæ, qui pro parte Volcmari ſtare videbantur, calumniatorie aggreſſus eſt, & ablatis ſtipendiis domos & poſſeſſiones eorum exterminari præcepit,* (*m*) *Apoſtolicus vero exinde magis commotus Volcmarum ad Pontificatus apicem promo-*

(*h*) Conſequenter cauſa hujus electionis controverſæ tanquam Eccleſiaſtica iterum de lata fuit ad Judicem ſuperiorem Eccleſ.

(*i*) Quia ſecundum ſæpius adducta prætendit Jus denominandi Epiſcopos in caſu diſcordis Electionis; an vero hac ratione egit ad normam pacti Calixtini, vi cujus promiſit Imperator tali in caſu parti ſaniori eligentium aſſenſum præbere & auxilium?

(*k*) Adeoque Frid. I. in hac cauſa ipſe agnovit Judicium Eccleſ. Pontificis.

(*l*) Non audebat ad evitanda majora mala cauſam decidere pro Volcmaro licet Canonice electo Pontifex, cui cognitus erat Friderici genius ultra modum fervidus, qui omnia fieri prætendebat ſecundum ſuam voluntatem.

(*m*) Ex hiſce patet facta Friderici Imp., in hac cauſa non inferre jus aliquod.

promovere decrevit, quod audiens Imperator per ſuos ei mandat dicens: quodſi Volcmarum contra ſuam voluntatem ad ſummum ſacerdotium promovere voluerit, omnem familiaritatem inter eos perpetuo expiraſſe certiſſime ſciat, minas etiam quasdam terribiles addidit, quæ tamen pro diſcretione eorum, qui internuncii erant, ad medium non devenerunt.

Idem C. 6. ſcribit: *Inter hæc autem Volcmarus Electus Trevir . . . contra voluntatem Imperatoris per manus D. Papæ* (Urbani III.) *ad ſummum ſacerdotium meruit promoveri, Imperator hoc audiens iratus eſt nimis, & ex illa die manifeſtiſſimæ inimicitiæ inter ipſum & D. Apoſtolicum exortæ ſunt, & facta eſt in Eccleſia Dei perturbatio non modica, quia dum inter ſe diſcordarent cardines orbis, facta eſt confuſio elementorum, prælatorum videlicet hinc inde placere volentium. . . . Similiter etiam Metropolis Trevir. errore infinito turbata erat, quia Rudolphus, quem Imperator creaverat, per ipſum temporalibus, uti videbatur, Volcmarus vero, quem Apoſtolicus propter Canonicam Electionem conſecraverat, nec in ſpiritualibus nec in temporalibus prævalebat.* Qua ratione hæc controverſia ſopita fuerit, non quidem deſcribit Arnoldus Lubec., refert tamen AUTHOR MAGNI CHRONICI BELG. in PISTORII *ſcript. rer. Germ.* T. III. p. 220. *tandem Clemens III.* (Pontifex ſucceſſor Urbani) *miſſo Sigfrido Cardinale ad regem mittit, ut ſecundum Canones compoſitione facta inter eos negotium Treviricum terminaret; veniens vero prædictus Legatus omnes ab obedientia Folmari abſolvit, & Epiſcopum de adminiſtratione non de ordine depoſuit, & ab eo dejectos reſtituit & excommunicatos abſolvit & amborum ſcilicet Rudolphi & Folmari electionem ſuſtulit Eccleſiæ, ut prius, eligendi Epiſcopum liberam tradens facultatem, & ſic diſcordia ſeptennio jam protracta fuit terminata.* Placuit itaque terminus medius, ut nec Epiſcopus a Pontifice confirmatus, nec denominatus ab Imperatore ex prætenſo jure devolutionis remaneret Archiepiſcopus Trevir., ſed nova permiſſa eſt Capitulo electio, conſequenter non evicit cum ſuo denominato Rudolpho Fridericus. (*n*)

Ad VII*mum*, audiamus pariter ARNOLDUM LUBEC. in *Chronico Slavorum* L. III. C. 17. in LEIBNITZII T. II. *rer. Brunſvic.* p. 688. qui inducit Philippum Archiepiſcopum Colon. Legatum Romanæ Eccleſiæ hac ratione ad Imperatorem de diſſidiis Pontificiis loquentem: *nunc autem videtur nobis, quod quibusdam penſis, etſi non injuſte, indecenter tamen gravati ſimus, unde etiam videtur D. Apoſtolico, quod juſtam contra vos cauſam proponat, quod mortuis Epiſcopis confiſcantur Eccleſiæ, ita ut ablatis omnibus mobilibus & ſtipendiis præſentis anni Epiſcopus ſubintrans omnia exinanita & evacuata inveniat, ſi ergo juſtitiæ obtentu, & noſtri*

(*n*) Prolixe cauſam hanc enarrant *geſta Trevirenſium Archiepiſcoporum* a MARTENIO & Rdmo. HONTHEMIO in *Tomo prodromo hiſt. diplom. Trev.* edita BROWERUS *Annal. Trevir.* T. II. p. 79. ſeq. CALMET *hiſtoire de Lorraine* T. 2. p. 169.

noſtri ſervitii intuitu per Imperialem clementiam ſuper hoc nobis peperceritis, mediatores juſtitiæ inter vos & D. Papam humiliter erimus: ſin autem, a veritatis via recedere nequaquam poterimus. Ad hæc Imperator ita reſpondit: *in veritate compertum habemus, quod prædeceſſores noſtri antiqui Imperatores hoc juris habuerunt, ut defunctis Epiſcopis inveſtituram Pontificalem ſine alicujus præjudicio probatis perſonis liberrime locaverint, ſed quia hoc ipſorum voluntate mutatum invenimus, ratum habemus, hanc vero minimam ſcintillam juris noſtri, quam invenimus, nunquam mutari permittimus. Sufficiat vobis juſtitia veſtra, quam inveniſtis, quod permittitur vobis electio Epiſcoporum, quam vos Canonice fieri dicitis, ſciatis tamen, quia dum pro voluntate Imperatoris iſta diſpenſarentur, plures juſti inventi ſunt ſacerdotes, quam hoc tempore, dum per electionem inthronizantur: ipſi enim ſecundum vitæ meritum ſacerdotes inveſtiebant, nunc autem per electionem non ſecundum Deum, ſed ſecundum favorem eliguntur.* Ex hiſce igitur patet, per *ſcintillam*, quam noluit mutari Fridericus Imp., non denotari jus decidendi controverſias electionum, ſed jus manus mortuæ, (o) quod

(o) Juri huic in favorem Eccleſiæ Metropol. Magdeburg. & Eccleſiarum huic ſubjectarum renunciaſſe Ottonem M. ſcribit DREYHAUPT in der Beſchreibung des Saalcreiſes des Hertzogthums Magdeburg T. I. p. 36. §. 6. filius Friderici I. & ſucceſſor Henricus VI., prout refert JOANNES MONACHUS ſcriptor coævus in *magno Chronico Belg.* in PISTORII T. III. *ſcript. rer. Germ.* p. 224. in favorem ſtatuum Eccleſ., ſi conſentirent, ut regnum Germaniæ redderetur hæreditarium, ordinare voluit, *ne Imperator mortuas manus Eccleſiaſticarum perſonarum ultra poſtularet*, quia autem negotium hoc ad effectum ſuum haud fuit deductum, ſic nec hujus abolitio juris fuit ſubſecuta; Otto IV. primus erat inter Imperatores, qui Pontifici Innocentio III. a. 1209. in eodem diplomate, quo electionum libertatem denuo ſtabilivit, de quo actum fuit ſupra, dimiſit quoque jus manus mortuæ in formalibus: *illum quoque dimittimus & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt anteceſſores admittere pro motu propriæ voluntatis.* Vid. Diploma in LÜNIGII *Archiv. Imp. Spicil. Eccleſ. Contin. I. pag.* 165. eadem repetiit Frid. II. A. 1213. apud LÜNIG. l. c. p. 166. ac confirmavit in Diplomate A. 1220. Francofurti principibus Eccleſ. conceſſo, quod ediderunt WILHEL. HEDA *in hiſt. Epiſcop. Traject.* p. 552. SCHANAT. *in Cod. probat. hiſt. Wormat.* p. 101. ac Ill. SENCKENBERG *in Corpore Receſſ. Imp.* P. I. p. 14. ſeq. Idem diploma interceſſione Sigefridi III. Archiepiſcopi Mogunt. A. 1234. mediante aurea Bulla ab eodem Friderico II. denuo fuit confirmatum, prout diſcimus ex diplomate principibus Eccleſ. conceſſo A. 1275. a Rudolpho Habsburg., quod extat in JOH. HENR. DE FALCKENSTEIN *Cod. diplom. antiquit. Nordgav.* p. 61. ſeq. n. 61. renunciationes has ab Ottone IV. & Friderico II. factas pariter repetiit iisdem verbis Rudolphus Habsb. A. 1275. in diplomate Gregorio X. Pontifici conceſſo apud LÜNIG. l. c. p. 173. & eodem Anno ſingulare adhuc eatenus ſecundum dicta dedit diploma Epiſcopis Germaniæ: & ab hiſce etiam temporibus non amplius ſibi vindicarunt Imperatores exuvias Epi-

quod Imperatores exercebant defunctis Episcopis Germaniæ, reliqua autem omnia sunt potius contra nostrum Anonymum.

Ad VIII*vum*, scribit OTTO FRISING. *de gestis Friderici I. L. 2. C. IX. at Rex in proximo Pascha Babenberg Coronam gestans duos Cardinales videlicet Bernardum Presbyterum & Gregorium Diaconum ad depositionem quorundam Episcoporum ab Apostolica Sede destinatos secum habuit, proximum de hinc pentecosten Wormatiæ ferians Henricum Mog. Sedis Archiepiscopum virum pro distractione Ecclesiæ suæ frequenter correptum nec correctum per eosdem Cardinales deposuit, ac Arnoldum Cancellarium suum per quorundam ex Clero & populo, qui illuc venerant, electionem ei subrogavit. . . . iidem etiam Cardinales permissu principis Burcardum Eichstetensem senio gravem de inutilitate causantes itidem submovere. Dumque post hæc in Magdeburgensem & quosdam alios sententiam ferre cogitarent, a principe inhibiti & ad propria redire jussi sunt.* Verum non video, ad quid hic locus Anonymo proficiat, nisi exinde inferre vellet, quod sicut judicium circa depositionem Episcoporum tum temporis spectavit ad Pontificem, eodem modo & judicium circa electionem ad ipsum spectarit; neque ipsum juvat, quod Frid. electionem sui Cancellarii in Archiepiscopatu Mog. promoverit; quod concernit electionem Archiepiscopi Mog. post occisionem Arnoldi, de hac scribit DODECHINUS: *A. 1162. Imperator in Longobardia resp. agens Christiano priore electo interim neglecto cum Electione priorum Moguntinæ Ecclesiæ, qui tunc inibi plures præsentes affuerunt, Episcopum constituit Moguntinæ sedi Conradum fratrem Ottonis Palatini.* Adeoque electum inter plures a saniore parte investivit Fridericus, nam Rudolphus Ducis Zehring filius a furente adhuc populo & vi adacto Clero electus fuerat, Christianus Comes de Buche ab Hasso & Conrado Palat. obtrusus fuerat, Ottonem autem ad beneplacitum Imperatoris elegerant optimates & prælati Ecclesiæ Mog. conf. SERRARIUS cum notis Joannidis T. I. *rer. Mog.* p. 564 seq. quod Fridericus I. durante schismate Conradum adhærentem legitimo Pontifici Alexandro III, quem postea ipse Frid. Imper. pro legitimo agnovit, expulerit, & in ejus locum suum Cancellarium Christianum I. suffecerit, veritati est consentaneum, verum quid probant hæc facta violenta invito Jure peracta?

Ad IX*num*. Quod Frid. I. Henrico Leoni concesserit facultatem investiendi de temporalibus, *seu in eo, quod regii Juris erat*, Episcopos Ecclesiarum ab ipso fundatarum, hoc loquitur diploma a MADERO *in Antiquit. Brunsvic.* p. 121.

Episcoporum defunctorum, & sic reservatum illud antiquum regium expiravit. De hoc argumento varia protulerunt HENR. MEIBOM. in diss. *de jure quodam antiquo & antiquato Cæsarum Germ. in decedentium majorum Prælatorum relictis possessionibus*, quæ extat in MEIBOMII *rer. Germ.* T. III. p. 185. BUDER in Diss. *de Testamentis Episcoporum Germaniæ* §. 13. seq. & in Diss. *de jure manus mortuæ seu prava consuetudine Ripsraps* Opusc. p. 695. **MOSER in dem teutsch. Staats-Recht T. XII.** p. 139. seq.

p. 121. a WESTPHALEN *in Monument. inedit. rer. Cimbr.* T. 2. p. 2020. & a SCHEIDIO *in Antiquit. Welfficis* editum. Deduxit etiam JOH. GUIL. HOFFMANN in laudata aliquoties diſſ. ad Concordatum Calixtinum p. 47. ſeq., quod Frid. I. Henrico Leoni non plus concedere potuerit, ac ipſe habuit, conſequenter nec ipſi Jus inveſtiendi per annulum & baculum, quod multi putant, conceſſerit: prætendit quidem etiam Henricus Leo, quod hi Epiſcopi ſine ejus conſenſu eligi haud potuerint, qualia exempla profert STAPHORST *in hiſtoria Eccleſ. Hamburg.* P. I. T. I. verum quid hæc ad cauſam præſentem?

Ad X*mum.* Concedimus Fridericum in pace, quam inivit cum Alexandro III, nihil ceſſiſſe ratione ſuorum Jurium circa electiones Epiſcoporum, ſalva ipſi manebant ea, quæ vi pacti Calixtini regibus Germaniæ eatenus erant conceſſa, negamus autem ſuppoſitum, quod vi hujus pacti vel Jus decidendi controverſias electionum vel jus devolutionis in caſu diſcordis electionis Imperatoribus ſit conceſſum.

Ad XI*mum.* Negari non poteſt, quod principiis ſui parentis & curiæ inſtiterit quoque Henricus VI. Imp., hic enim pariter ex prætenſo Jure denominandi Epiſcopos in caſu diſcordis electionis non ſolum conſtituit Epiſcopum Leod. eique regalia conceſſit, ſed &, quod Author allegare quoque potuiſſet, Epiſcopum Wormatienſ., de quo autem fuſius jam actum fuit ſupra; verum eadem jura prætenſa, quæ aliquoties acerrime defenderat, alia vice remiſit Henricus, & non fundata eſſe ipſo facto agnovit, cum enim Leodii ſimul Simon Ducis Limburg. filius & Albertus Cuickius electi eſſent, & Simonis electionem ægerrime ferret, ex variis autem cauſis dolorem diſſimulare, imo ipſum de regalibus inveſtire neceſſe duceret, facile poſtea permiſit, ut Albertus Romam appellaret, ubi lis longo tempore ventilata fuit teſtante AEGIDIO aureæ vallis Monacho l. c. C. 91. ſeq. & AUTHORE *magni Chronici belg.* apud PISTORIUM T. III. p. 227. add. BARTHOL. FISEN *hiſt. Eccleſ. Leod.* P. I. L. XI. p. 266. ſeq. Simile exemplum profert AUTHOR *magni Chronici Belgici* l. c. p. 228. qui ſcribit: *poſtquam ſepultus eſt Balduinus Epiſcopus Trajectenſis, Theodoricus Hollandiæ hujus nominis ſeptimus ac Otto Geldriæ Comites armis potenter venientes in Trajectum ſeminaverunt exoſum invidiæ malum in electione novi paſtoris, ita ut admodum diſturbarent Vaſallos & Canonicos Eccleſiæ Trajectenſis, quidam enim Concapitularium elegerunt Theodericum de Hollandia fratrem Balduini Pontificis jam defuncti majorem præpoſitum, cui fideliter adhæſit Theodoricus Hollandiæ Comes, & tota terra Trajectenſis. Cæteri vero Canonicorum elegerunt Arnoldum de Iſenborch Præpoſitum Daventrienſem, cujus partem aſſumpſit Otto Geldriæ Comes & tota terra Tranſyſelenſis, & Henricus (VI.) Imperator Theodorico cognato ſuo per annulum &*

paſtoralem Baculum (p) *Inveſtituram Epiſcopatus dedit, quin imo temporalem jurisdictionem Theodorico Comiti Hollandiæ commiſit, donec in Romana Curia definitum eſſet, quis eorum dictante juſtitia Pontificium obtineret.* & p. 233. pergit: *poſt ſchisma trium annorum hoc anno* (ſcil. 1199.) *Theodoricus & Arnoldus electi Trajectenſes Epiſcopi per diffinitivam Innocentii III. ſententiam finem litis habuerunt, Arnoldus etenim primo Pontificium obtinens triceſimus Epiſcopus conſecratus eſt.*

Ad XII*mum.* Defuncto Conrado Archiepiſcopo Mogunt. adhærentes Philippo Regi poſtulaverant in Archiepiſcopum Luipoldum Epiſcopum Wormat., tres autem Ottoni IV. Imperatori faventes Moguntia diſcedentes & ob præſentiam Philippi Regis non liberam electionem cauſantes, appellarunt ad Pontificem & Bingæ elegerunt Sigefridum II. Præpoſitum S. Petri, de qua electione fuſius egit SERRARIUS cum Notis Joannidis T. I. *rer. Mogunt.* p. 582. quod Philippus cauſam ſui amici Luipoldi ſuſceperit, eumque usque ad ſua fata defenderit, negari non poteſt. Conf. SCHANAT *in hiſt. Epiſc. Wormat.* p. 364. ad a. 1200. quod autem Philippus Rex hanc controverſiam haud deciderit, patet ex allegata ab Anonymo Epiſtola decretali Innocentii III. Pontificis, quæ integra extat inter ejus Epiſtolas a BALUZIO editas L. V. Epiſtola 15., cujus fragmentum legitur in Cap. 33. *bonæ memoriæ X. de Elect. & Electi poteſt.* Ibi enim ait Pontifex, quod cauſa hac Romam delata atque utriusque partis procuratoribus in Conſiſtorio Pontificis diligenter & ſufficienter auditis de Conſilio Cardinalium negotium commiſerit Prænestino Epiſcopo Sedis Apoſt. per Germaniam Legato, *hic etiam auctoritate Pontificia cauſam illam decidit, ac rejecta poſtulatione Luipoldi confirmavit Sigefridum, & hanc ſententiam ſui Subdelegati confirmavit Pontifex*, ſive igitur juſte ſive injuſte, ſive ex odio contra Philippum lata fuerit hæc ſententia, nihil facit ad rem, ſufficit, quod cauſam hanc audita utraque parte cognoverit & dijudicarit Pontifex; quod autem & hic fundatas quoque in jure habuerit rationes, egregie deduxit VAN ESPEN *Operum* T. III. p. m. 602. & hoc unicum pro juſtificanda Pontificis ſententia ſufficit, quod ſcilicet poſtulatio non tribuat Jus poſtulato, ſed totum dependeat a gratia ſuperioris Eccleſ., nec etiam translatio Epiſcopi ab una Eccleſia ad

(p) Lapſus eatenus fuit hic ſcriptor antiquus, quod dicat per annulum & baculum inveſtituram conceſſam eſſe, cum hic ritus jam a tempore Henrici V. Imp. vi pacti Calixtini ceſſarit, idem dicitur l. c. p. 272. de Wilhelmo Hollando, quod Henrico Ultrajectino ſimili ratione temporalem jurisdictionem conceſſerit, quod pariter manifeſtum eſt vitium, & ſic confudit ille inveſtituram, quæ ſceptro fiebat cum illa, in qua baculus & annulus adhibebantur, & quidem eo facilius, cum una inveſtitura alteri fuerit ſubſtituta, vel potius eadem in ſubſtantia inveſtitura fuerit ritu autem diverſa.

ad aliam ſecundum illius ævi diſciplinam fieri potuerit ſine conſenſu Pontificis, cui Eccleſia Mogunt. erat immediate ſubjecta. (q)

Ad XIII. XIV. & XV. Sufficiunt ea, quæ ſupra Cap. II. fuere deducta.

Ad XVI. & XVII*mum.* Concedit Author Pontificem in hiſce cauſis electionum judicaſſe, nec hæc fuere attentata, cum ſecundum ſupra probata cognitio cauſarum electionum Epiſcoporum tanquam Eccleſiaſticarum ſpectarit ſemper ad judices Eccleſ. ordine ſuperiores, Eccleſia autem Moguntina non habuit alium ſuperiorem in Eccleſiaſticis quam Pontificem.

Ad XVIII*vum.* Dum Ludovicus IV. Bav. Imp. injunxit ſupremo ordinis Teut. Magiſtro, ne intuitu feudorum Imp. alium, quam Imperatorem agnoſceret judicem, juſtum dedit mandatum, quod etiam lis ſuper poſſeſſione feudorum J. ſpectet ad Imperatoris judicium, nemo negabit; pariter quod modus acquirendi principatum Eccleſ. derivativus ſit electio, nemo ibit inficias, cum autem cauſa electionis ex natura ſua ſit cauſa eccleſiaſtica, cujus cognitio vi Canonum nonniſi judici Eccleſ. competere poteſt, per accidens autem plane ſit, quod in Germania Eccleſiis ſint annexa feuda I., & quoq Epiſcopi legitime electi hoc ipſo fiant Domini territoriales & Vaſalli Imperatoris, & ſic duplicem repræſentent perſonam Eccleſiaſticam & ſæcularem, ſic non ſequitur, quod ad Imperatores ſpectet quoque judicium circa electiones Epiſcoporum, ſed ob duplicem qualitatem Epiſcopi Germaniæ duplicem quoque habent judicem, in Eccleſiaſticis, ad quæ ſpectat electio, habent judicem eccleſiaſticum, & vi concordatorum Pontificem, in ſæcularibus Imperatorem, ſeu ſuprema Imp. Tribunalia.

Quoad XIX*num.* Debuiſſet Author hæc ſua aſſerta tanquam facta quoque probare, de cætero conſtat ex hiſtoria Imp., qualia diſſidia cum Pontifice habuerit Ludov. Bav., & quam illegitime ad vexandum ſolummodo Pontificem in jura Eccleſ. involarit (r), conſequenter & ejus facta circa conſtitutiones Epiſcoporum

(q) ALEX. NAT. *hiſt. Eccleſ.* ad Sæc. 13. & 14. T. VII. p. m. 202. VAN ESPEN in jure Eccleſ. univ. P. I. T. XV. C. 4. n. 17. ſeq. add. Cel. NELLERI Diſſ. *de translatione Epiſcopi.*

(r) Sic a pravis conſiliariis inductus excitavit ille ſchiſma in Eccleſia depoſito Pontifice, aſſeruit ſibi jurisdictionem in cauſis matrimon. & poteſtatem diſpenſandi in gradibus prohibitis, ſuſcepit hæreticos ab Eccleſia damnatos &c. Quæ igitur facta nullum jus faciunt, cum egerit eatenus extra limites ſuæ poteſtatis, ſicut ex altera parte Pontifices in hac cauſa exceſſerunt, & in multis ſphæram ſuæ activitatis ſunt egreſſi. Conf. HERWARTI AB HOHENBURG *Ludovicus Bav. contra Bzovium defenſus.*

porum jus nullum conſtituunt. (s) 2) Fatetur Author, quod prætenſa deciſio Ludovici Bav. fuerit ſine effectu, cum Pontifex confirmarit Ottonem de Wolffskel; de cætero pariter, quod Rupertus Palat. faverit Joanni I. ab Egloffſtein, nihil probat, hoc enim omnes fecere Reges & Imperatores, ut unius Candidati magis, quam alterius promoverint electionem, quin exinde jus aliquod regium devolutivum vel poteſtatem judicandi in ejusmodi cauſis comminiſci quis poſſit.

§. IV.

Refutatio quarti Argumenti.

Quod per aviſamenta Germanica, receptionem Concilii Baſil., & concordata nationis Germ. jura Imperatoris circa electiones Epiſcoporum ipſi legitime competentia non ſint abrogata, hoc ultro largimur Authori noſtro, verum negamus & pernegamus, quod unquam habuerit jus decidendi controverſias electionum, quod etiam tam ex aviſamentis quam ex receptis decretis Concilii Baſil. uti & ex concordatis nationis Germ. clariſſime pateat, prætenſa hæc Jura non competere Imperatori ſed potius Judicibus ſuperioribus Eccleſ. & Pontifici, pariter ſufficienter probatum fuit Cap. II. de cætero mirandum non ſatis eſt, quod ſcribat Author aviſamenta a Germanis Concilio Conſtant. oblata non ſtringere in contrariis nationem Germ., quaſi vero Germani tum temporis fuerint

(s) BARTHOL. FISEN *in hiſtoria Eccleſiæ Leod.* P. II. L. V. p. 104. ſcribit: *parabant ſe Canonici* (Leodienſes) *ad electionem Epiſcopi* (poſt fata Adolphi) *quando edocti ſunt Clementem VI. Pontificem Romanum pro ſuprema poteſtate ſua omnium Eccleſiæ anſtititum creationem ſibi retinuiſſe, quippe cum acre Pontificem inter & Cæſarem exarſiſſet diſſidium, Pontifexque per Italiam Imperii adminiſtratores deſignaret, contra Bavarus per Germaniam Præſules & Epiſcopos, neminem haberi præſulem decreverat Pontifex, quem non legiſſet ipſe, ergo ſe poſuere hoc conſilium Canonici.* Adeoque uterque exceſſit quoad hocce Caput tum temporis, tam Pontifex reſervando ſibi contra pactum Calixtinum collationes Epiſcopatuum Germaniæ, quam Ludov. Bav. vindicando ſibi Jus denominandi Epiſcopos, qui tamen eligendi erant Canonice; nec deficiunt alia exempla, ubi Ludovicus Bav. ex hoc Capite, ut Pontifici reſiſteret, conſtituit Epiſcopos, ſic refert LAURENTIUS HOCHWARTUS *in Epiſcoporum Ratisbon. Catalogo* in OEFELII T. I. *ſcript. Boic.* p. 212. *quod Nicolao Epiſcopo Ratisbon. defuncto A.* 1341. *Canonici Ratisbon. in Electione Epiſcopi diſſenſerint & tres Epiſcopi electi fuerint, nempe D. Fridericus, D. Henricus de Lapide Decanus Eichſtett., & Aylpoldus de Hohenberg Præpoſitus Ratisbon., ſed duobus excluſis Fridericum Ludovicus Dux Bav. & Roman. Imperator in gratiam parentis Epiſcopi bene de ſe meriti, quod Ludovico in gravi ſchismate fortiter adhæſerat, invitis aliis in ſedem Ratisbon. inſtituerit.* Conf. Ludovici Bav. Apologiſta MARSILIUS PATAVINUS *in defenſore pacis* P. 2. C. 25. in GOLDASTI T. II. *Monarch.* p. 278.

rint adeo ſtupidi, ut in ſuis aviſamentis, quæ tamen continebant gravamina Eccleſiæ Germ., propoſuiſſent ac petiviſſent reformationes ſuis juribus & libertatibus contrarias.

Ad 2) debuiſſet Anonymus firmioribus, quam protulit, probare argumentis, quod controverſiæ circa electiones Epiſcoporum Germaniæ nec de Jure, nec de conſuetudine pertineant ad forum Eccleſ, & tunc proceſſiſſet argumentum a concordatis Conſtant. deſumptum, contrarium autem argumentum ex hiſce concordatis formavimus ſupra.

Ad 3) errat noſter Author contra prima Juris principia, dum putat jus confirmandi in ſuperiore Eccleſ. reſidens non involvere ſimul jus decidendi controverſias pro re nata exortas circa objectum confirmationi ſubjectum, negatur autem, quod per pactum Calixtinum Imperator ſibi tale judicium reſervaverit & confirmationem ſolummodo reliquerit ſuperioribus Eccleſiaſticis.

§. VII.

Refutatio quinti Argumenti.

Irritum eſt, quod validitas electionis Epiſcoporum Germaniæ habito reſpectu ad Imperatorem & Imperium Bullis Pontificum confirmatoriis non determinetur, ille enim demum notorie verus in Germania eſt Epiſcopus, qui ſuæ electionis a Pontifice confirmationem obtinuit, & hac ratione perpetuo vinculo Eccleſiæ fuit adſcriptus, cum autem feuda & regalia Eccleſiis Germ. ex largitate Regum & Imperatorum ſint annexa, & de illis nonniſi legitimi Eccleſiarum poſſeſſores & Epiſcopi hiſce eccleſiis debite ſecundum canones & auctoritate Eccleſ. præfecti ab Imperatoribus inveſtiantur, ac etiam inveſtiri poſſint, ſic prona fluit conſequentia, quod validitas electionum etiam reſpectu Imperatoris & Imperii determinetur a Bullis Pontificum confirmatoriis, & analogiæ juris conforme ſit, ut Imperator nonniſi confirmatum Epiſcopum, cujus demum certa eſt dignitas Epiſcopalis, & qui jus in re obtinuit per matrimonium hac ratione cum ſua Eccleſia ratificatum, prout loquuntur Canoniſtæ, de feudis Eccleſiæ annexis inveſtiat; poſſet equidem abſolute Imperator electum etiam non confirmatum, prout olim ſe res habuit, (*t*) inveſtire de feudis, verum cum

(*t*) Scil. vi pacti Calixtini electus in Germania Epiſcopus regalia per ſceptrum ab Imperatore receperat, & expoſt demum ſequebatur confirmatio Eccleſiaſtica ipſi conſecrationi annexa, & hoc etiam a temporibus Henrici V. Imp. usque ad tempora Ottonis IV. Imp. obſervabatur, prout hoc JOH. GUIL. HOFFMANN in allegata ſupra diſſert. *de Inveſtituris Epiſcoporum & Abbatum* p. 29. contra MOSERUM in dem teutſchen Staats-Recht L. I. C. XVII. §. 36. p. 353. contrarium defendentem deduxit, ad ſuum igitur ævum ſpectat quoque allegatum ab Authore ſpeculum Saxon., nihil autem probat pro hodiernis temporibus.

cum ante confirmationem necdum certum ſit, an talis electus fiat vel maneat illius Eccleſiæ Epiſcopus, ac ex juſtis cauſis caſſari poſſet electio denegarique confirmatio, imo pro re nata Eccleſiæ provideri de alio Epiſcopo a Pontifice, ſic talis infeudatio tantum foret intermiſtica ac conditionata, caſſandaque iterum, ſi confirmatio Pontificia haud ſubſequeretur, cum autem hæ ambages forent haud neceſſariæ, Eccleſiæ etiam hoc in caſu duplici onere ratione ſolvendorum pro inveſtitura jurium gravarentur, ſic ſuſpenſio inveſtituræ ad impetratam usque confirmationem Pontificiam majori cum fundamento obſervatur: & hæc etiam eſt ratio praxeos conſilii Imp. aul., cur inveſtitura hodie nulli Epiſcopo concedatur, niſi producta prius in originali Bulla Pontificis confirmatoria, quæ praxis igitur analogiæ juris & prudentiæ regulis eſt maxime conformis. (*u*) Nec hiſce obſtat, quod electi in Germania Epiſcopi etiam

(*u*) Quod vi hodiernæ praxeos Conſilii Imp. aul. ad impetrandam pro principe Eccleſiaſtico Inveſtituram Imperialem de feudis Imp. de neceſſitate requiratur, præter inſtrumentum electionis, vel poſtulationis a Capitulo ſignatum & Breve Apoſtol., quo Papa Imperatori confirmatum commendat, productio prævia Bullæ Papalis confirmatoriæ in originali, hoc non ſolum illis notum eſt, qui ejusmodi acta inſpexerunt, ſed & iis, qui praxin illam vel primis labiis guſtarunt, adeoque fruſtra hoc contra Moſerum in dubium vocavit, vel potius impugnavit noſter ANONYMUS, conf. BREVIC. PRAX. IMP. AUL. tit. XVIII. Theſ. 2. UFFENBACH *de Conſ. Imp. aul.* Cap. XI. pag 123. NEUMANNI *principia proceſſus judicii Imp. Aul.* p. 99. PÜTTERI *introduct. in rem judic. Imp.* edit. de A. 1752. §. 815. de cætero dum argumentari vult ANONYMUS ab Inveſtitura Abbatis Werdenſ. ad Inveſtituram Epiſcopi Eichſtad., quod ab illo tantum inſtrumentum electionis requiſiverit mediante decreto conſilium Imp. aul., conſequenter nec ab Epiſcopo Eichſtad. neceſſarium fuerit exigere ſimul Bullam Pontificis confirmatoriam, ſic non ſatis mirandum, quod eruditus AUTHOR ignoraverit confirmari non omnes Abbates Germaniæ a Pontifice, ſed ſolummodo cum Archiepiſcopis & Epiſcopis Abbates principes votum perſonale in comitiis habentes, qui igitur ſoli exhibere tenentur Bullas Pontificis confirmatorias, conſequenter ex rei natura conſilium Imp. aul. Abbati Werdenſi injungere non potuit, ut afferret confirmationem Pontificiam; ex loco autem BUDERI, quem allegat ANONYMUS, potius contrarium patet, ſcil. quod & Abbas Fuld. produxerit more conſueto Bullam Pontificis confirmat. in originali; quod autem in illa taxaverit conſilium Imp. aul. conſuetam in Bullis Pontificii formulam *in Abbatem præficimus, curam, regimen & adminiſtrationem dicti Monaſterii in temporalibus & ſpiritualibus plenarie committendo*, hæc ad præſentem materiam nihil plane conducunt, melius igitur ex proteſtantibus HENR. LINCKS in Comment. *de concordatis nationis Germ.* p. 51. ſcribit: *exinde vero, quod Epiſcopi vigore concordatorum a Pontifice confirmandi ſint, per bonam quidem conſequentiam colligi poteſt, quod regalia ab Imperatoribus non aliis, quam a Papa confirmatis concedi queant Epiſcopis.*

etiam necdum confirmati & inveſtiti vi obſervantiæ Imperii nanciſcantur ſuperioritatem territ., Votum & Seſſionem in Comitiis, aliaque jura temporalia ſuo ſtatui annexa, hæc enim non inferunt validitatem electionis reſpectu Imperatoris & Imperii etiam ſine confirmatione Pontificia, prout vult Author, ſed tantum ad interim ſaltem conceduntur ab Imperatore (*x*) in utilitatem Eccleſiarum, & quidem in regula ſaltem eo in caſu, ſi quis concorditer fuerit electus. (*y*). Nec hoc adeo mirandum, cum etiam de Jure Canonico per Cap. 28. & 44 *de Electione & Electi poteſtate.* Concedatur Epiſcopis in partibus remotioribus extra Italiam, & ſic etiam Germanis in concordia electis adminiſtratio ſuarum reſpective Eccleſiarum, id quod adhuc ſpeciali privilegio confirmatum fuit Epiſcopis Germaniæ ab Innocentio XI. Pontifice A. 1688. (*z*) Si autem ex ſuppoſito electio talis haud confirmaretur, tunc hoc ipſo perderet electus omnia illa jura, quæ interim adminiſtratorio nomine ex indulgentia Pontificis & Imperatoris exercuit.

§. VI.

Refutatio ſexti Argumenti.

Omne dubium, prout putat Author, tollit decretum Concilii Baſil. *Eccleſiaſticæ ſollicitudinis* ex Seſſ. 31. *de cauſis & appellat.* Verum hoc eſt viliſſimum inter omnia reliqua prolata argumenta; largimur enim per hoc decretum Pontificis cognitioni immediatæ tantum ſubjici cauſas Eccleſ. conſequenter & cauſas electionum Eccleſiarum Cathed. Pontifici immediate ſubjectarum, cauſas vero Eccleſ. & Electionum Eccleſiarum Pontifici non immediate ſubjectarum reſervari cognitioni Metropolitani, certum etiam eſt, quod Eugenius IV. Pontifex receptionem hujus decreti confirmarit Germanis, & hanc ob rationem cauſam contro-

(*x*) Imo Commiſſarius Cæſar. ad electionem miſſus, prout ex ipſis conſtat rerum argumentis, declarat expreſſe, quod Imperator indulgeat electo adminiſtrationem temporalium Eccleſiæ ad Imperium pertinentium.

(*y*) Si enim adſit coëlectus vel legitimus contradictor, nec ab Imperatore facile conceditur uni ex electis adminiſtratio temporalium, ſed plerumque Capitulo, prout adhuc noviſſime factum fuit occaſione diſcordiæ electionis Leod., conceſſit tamen Imperator Ferd. III. Bernardo a Galen electo Epiſcopo Monaſt., licet contradictor fuerit Bernardus a Mallinkrot, adminiſtrationem temporalium Epiſcopatus prædicti pendente etiam adhuc lite in curia Romana, prout ſupra audivimus.

(*z*) Legi poteſt hæc Bulla in Fabri Staats-Canzley. add. celeb. NELLERUS in Diſſ. 2. *de S. Electionis proceſſu* p. 6. qui rationem hujus obſervantiæ unice fundat in eo, quia diſpenſatio *Capituli* 44. *de Elect. & Electi poteſt.* viget in Germania.

controverſiæ electionis Friſing. tum temporis agitatam ad judicem competentem (per quem intellexit Metropolitanum) remiſerit, an autem non natio Germ. in concordatis quoad multa capita receſſit a decretis Concilii Baſil. a Pontifice etiam confirmatis, & etiam quoad hocce Caput Pontifici conceſſit jus confirmandi omnes Germaniæ Epiſcopos etiam Sedi Pontificiæ non immediate ſubjectos, & annexam huic juri confirmandi facultatem dijudicandi controverſias electionum quorumcunque Epiſcoporum Germaniæ? (a) Fallitur etiam ANONYMUS, dum ait cauſas electionum Epiſcopalium nullibi in Corpore juris annumerari cauſis majoribus, contrarium enim demonſtrat Cap. X. *de Elect. & Electi poteſt.* in 6. add. J. H. BÖHMERUS in Diſſ. *de cauſis arduis & majoribus* C. III. §. XI.

§. VII.

Refutatio ſeptimi Argumenti.

Licet in concordatis Aſchaffenburg. de Jure decidendi controverſias electionum Epiſcoporum Germaniæ haud expreſſa fiat mentio, illud tamen tacite tanquam annexum juri confirmationis conceditur Pontifici; de cætero firmum manet principium Authoris, quod quatenus nihil immutatum eſt in concordatis, eatenus in vigore maneant pacta anteriora, immutatum autem per concordata fuit pactum Calixtinum in eo, quod loco, quod in pacto Calixtino deciſio controverſiarum electionis concedatur ſecundum diſciplinam illius ævi Judicio Metropolitani & Epiſcoporum comprovinc., ſic per concordata judicium hoc concedatur Pontifici; quod concernit reſolutionem objectionis ab Anonymo ſibi ipſi formatæ, ſic largimur ipſi, quod illa objectio non ſit indiſtincte fundata, nam nec nos concedimus vi concordatorum Pontifici indiſtincte jus denominandi Epiſcopum, ſi diſcors fuerit electio, hoc enim in caſu vel utraque electio eſt

(a) Unicum tamen in Germania ſupereſt antiqui juris Metropolitici in confirmandis Epiſcopis exemplum, nempe Archiepiſcopus Salisburg. quatuor ſuos Suffraganeos Chiemenſem, Gurcenſem, Seccovienſem & Lavantinum ſolus inſtituit & ordinat in hunc usque diem independenter ab omni Sedis Apoſt. examine & promotione. Verba ſunt cel. NELLERI in cit. diſſ. II. *de ſacræ Electionis proceſſu* pag. 12. qui & ex BÖCKHNIO refert, quod ipſe Nicolaus V., cum quo concordata Germaniæ fuerunt inita A. 1448. per Bullam, quæ habetur in *hiſtoria Salisburg.* p. 999. declaraverit juri Archiepiſcoporum Salisburg. ob merita ſingularia in dictas Eccleſias per concordata nihil fuiſſe detractum. Verum non fuiſſet opus hac cautela, cum in Concordatis tantum ſit quæſtio de Epiſcopis Germaniæ immediate Imperio ſubjectis, & libere a Capitulis electis, prædicti autem Suffraganei nec ſunt immediate Imperio ſubjecti, nec libere a ſuis reſpective Capitulis eliguntur, ſed partim ab Archiepiſcopo Salisburg. partim ab Archiduce Auſtriæ denominantur.

eſt nulla, vel una Canonica & altera vitioſa, 3tius caſus fingi non poteſt, ſi utraque ſit nulla vel vitioſa, tunc Pontifici competit Jus providendi Eccleſiæ de Epiſcopo, ſi una electio fuit Canonica & altera nulla, tunc hoc in caſu Pontifici non competit jus denominandi Epiſcopum, ſed tenetur neceſſario confirmare ex pluribus canonice electum; male autem putat Author concordata haud includere caſum diſcordis electionis: Si enim quævis electio deferenda ſit ad Curiam Romanam, ut ibi examini ſubjiciatur, ſic ex identitate vel potius majoritate rationis eo quoque deferenda eſt diſcors electio, ut circa illam neceſſaria inſtituatur inquiſitio, ac ante omnia quæſtio præjudicialis decidatur: an unus ex electis canonice ſit electus, adeoque per conſequentiam confirmandus, an autem utraque electio fuerit minus canonica & ſic utraque rejecta a Pontifice facienda ſit proviſio ſecundum concordatorum diſpoſitionem; nihil autem contra juris analogiam magis impingit, quam dum vult noſter ANONYMUS quæſtionem præjudicialem: quænam electio ſit canonica, decidendam prius eſſe in Germania ab Imperatore, & illa deciſa confirmationem electionis demum petendam eſſe a Pontifice.

Quoad reliqua, quod Pontifici competat proviſio in caſu annullatæ electionis, hoc clare pronunciant concordata, nec exinde hoc jus Pontifici per concordata quæſitum everti poteſt, quod aliqui occaſione diſcordis electionis Paderbornenſis crediderint novam electionem inſtituendam eſſe, ex horum enim ſententia norma deciſiva deſumi haud poteſt.

§. VIII.

Refutatio octavi Argumenti.

Nec opus habet rebus ſic ſtantibus Pontifex, ut ratione juris decidendi controverſias electionum Epiſcoporum Germaniæ ad præſcriptionem provocet, militat etenim pro Pontifice continua a temporibus concordatorum obſervantia, prout ſupra probatum fuit, & cum optimo jure ex concordatis quæſito egerint eatenus ſemper Pontifices, ſic quodam cum fundamento dici haud poteſt, quod de facto proceſſerint; circa ea autem, quæ adducit Author de pacto Calixtino, pugnat cum larvis & umbris ſupponendo ſuppoſita longe falſiſſima nec unquam probanda; de cætero potuere paciſcentes optimo Jure immutare quædam in pacto Calixtino aliter diſpoſita & loco, quod ibi judicium quæſt. tributum fuerit Metropolitanis, illud tribuere Pontifici & quidem eo validius, cum eorum, quorum interfuerat, ſcilicet Metropolitanorum acceſſerit conſenſus.

Ad 2) negatur, quod Pontifices decidendo a temporibus concordatorum controverſias electionum contra pacta egerint, nec eatenus ulla unquam facta eſt oppoſitio expreſſa vel tacita ex parte Germanorum, ſed hi ſemper agnovere

tales deciſiones Pontificum tanquam legitimas, conſequenter dum Imperatores promittunt in Capitulationibus impedire contraventiones Pontificum contra concordata, hæc promiſſio non tendit ad caſum quæſt., in quo Pontifices non agunt contra concordata.

Ad 3) nec eatenus Imperatores & Principes Eccleſiaſtici aliquid contra ſua Jura indulſerunt Pontifici, de cætero notorii juris eſt, quod etiam conſentientibus iis, quorum intereſt, validiſſima oriatur obſervantia.

Ad 4) quod provocationes in cauſis fæcul. ad Curiam Romanam in Legibus ſint inhibitæ, hoc fuit juſtiſſime ſancitum, in iisdem autem legibus permittuntur quoque provocationes ad judicia Eccleſ. & reſpective ad Pontificem in cauſis Eccleſ. Catholicorum, ad quas ſecundum notoria Catholicorum principia referuntur quoque cauſæ electionum, neque obſtat, quod ſuprema tribunalia ſibi vindicent ſuppoſitis ſupponendis jurisdictionem in cauſis poſſeſſoriis ratione præbendarum & beneficiorum Eccleſ., ex hoc enim non ſequitur, quod etiam vindicare ſibi poſſint jurisdictionem in cauſis electionum Epiſcoporum, hæ enim non ſunt cauſæ poſſeſſoriæ, ſed ibi definitive in cauſa principali deciditur, cujus electio ſit Canonica vel nulla, & dum clariſſima pro Pontifice jura pugnant, ſcilicet concordata & obſervantia concordatis conformis, & haud interrupta, ſic fruſtra opponitur fictitia quædam juris analogia.

Ad 5) conceditur, quod Imperator poſſit decidere controverſias electionum Epiſcoporum proteſtantium, non autem exinde ſequitur, quod & decidere poſſit controverſias electionum Epiſcoporum Catholicorum, maxima enim eatenus eſt diſparitas, & notorium, quod Imperator vi ſuorum religionis principiorum non poſſit eſſe Judex in cauſis Eccleſiaſticis Catholicorum, ſed hæ ſpectant ad Judices Eccleſ., ad cauſas autem Eccleſiaſticas indubie referunt ſecundum dicta Catholici cauſas electionum Epiſcoporum, e contra reſpectu proteſtantium, qui nullam Epiſcoporum & Pontificis agnoſcunt jurisdictionem Eccleſ., cauſas etiam, quæ a Catholicis pro Eccleſiaſticis reputantur, in ordinem profanarum redigunt, in ejusmodi cauſis nullus alius adeſt Judex, quam Imperator, nec eſt contra principia religionis Proteſt., ut Imperator talem cauſam decidat.

CONCLUSIO.

Ex hiſce, quantum confidimus, patebit ſufficienter, quam male ANONYMUS ſuam cauſam defenderit, refutata fuit ejus audacia, dum ignorantiæ reſervatorum Imperialium Auguſtiſſimum Imperatorem, illuſtre Conſilium Imperiale aulicum & digniſſimum Imperialem Commiſſarium ad ultimam Electionem Leod. delegatum arguere fuit anniſus, vindicatus fuit omnium honor & debita ex juſtitia ſine partium ſtudio reddita ſunt Pontifici, quæ ſunt Pontificis.

TANTUM.

Animad-

Animadverſiones Editoris.

Ad Cap. II. §. IV. Perſpicue ſane oſtendit Auctor vi Concordati *Calixtini* Imperatoribus nequidem, competiiſſe jus decidendi electiones controverſas. Quare mirum eſt, hanc rem veluti jam exploratam non ſolum a LEYSERO, quem Auctor nominat, ſed et aliis haberi, uti HAEBERLINIO, dum *Hiſt. Tom. 2. f. 335. inquit:* Nach dieſem oben angeführten *Concordat* kam unſern Kayſern das Recht zu, die ſtreitige Biſchoffs-Wahlen zu entſcheiden; immo a MOSERO (idque dum data opera eundem ANONYMUM cum AUCTORE confutat) in ſeinen neueſten kleinen Staats-Schrifften *N. I.* Das päbſtliche Entſcheidungs-Recht in zwiſpaltigen Wahlen geiſtlicher Reichs-Fürſten geprüfet und vertheidiget, adverſario concedi, *f. 43.*, ubi per Concordata poſteriora hac in re a *Calixtino* receſſum fuiſſe probare nititur. Id aliquando in contrarium fuiſſe allatum memini, vi pacti *Calixtini* Imperatoris eſſe, ut ſaniori parti aſſenſum et auxilium praebeat: eo ipſo autem penes eundem quoque fuiſſe, ut ſaniorem partem diſcernere potuerit, debueritque. Nemo autem non videt illico, quam infirma haec ſint: qua enim ratione ſanior haec pars ab Imperatore tum diſcerni inveſtigarique debuerit, in ipſo pacto exprimitur: *Metropolitani videlicet et Comprovincialium conſilio et NB. judicio.* Horum itaque fuit, quaenam pars ſanior, Imperatori judicio ſuo declarare: hujus autem dein judicio huic aſſenſum praebere, et ſaniori parti, ſi opus foret, opem atque auxilium.

Ad Cap. cit. §. V. a) Succeſſoribus HENRICI *V.*, PHILIPPO inter alios contra OTTONEM IV. electo, litem motam fuiſſe aliquando ait HAEBERLIN *l. cit. S. 340.* circa jus praeſentiae in electionibus vi pacti *Calixtini* Imperatori competens, ex eo praetextu, quod electiones alias non ſatis liberae ſint futurae: ſed neque PHILIPPUS, neque OTTO jure hoc ſuo ceſſerunt: ita poſt obitum BRUNONIS Colonienſis electionem differri juſſit OTTO, donec ipſe Coloniae praeſens intereſſe poſſet, quod et factum in electione dein ſubſequente, teſte GODEF. *Colon. ad an. 1208.* Atque ex his quoque explodituir ea narratio, quod FRIDERICUS I. per calliditatem quandam rem eo deduxerit, ut ipſi primum electioni Moguntinae intereſſe permitteretur. Vide tamen id, quod deinde Auctor occaſione renuntiationis OTTONIS IV. advertit. *b)* Porro ex iis, quae habet Auctor de jure inveſtiturae a LOTHARIO II. reſtitui ſibi poſtulato, patet falſum eſſe, id quoque revera eidem Imperatori a Pontifice denuo ceſſum fuiſſe. Conf. BARON. *ad an. 1131. n. 8.*

Ad Cap. cit. §. VI. Literas Electorum, quas hic memorat AUCTOR, CONRING aliique argumentis aeque infirmis, atque illa sunt, quibus Diploma *Ottonianum* impugnatur ab Auctore refutata, aggrediuntur, uti quod a BZOVIO nonnisi per Synopsin referantur, BARONIUS eas dicat ex *Codice Vaticano descriptas*, non item BZOVIUS, uterque circa numerum Electorum subscriptorum variet, &c. sed haec aliaque confutata jam sunt a *P.* SCHWARTZ *Coll. Hist. P. IX. f. 237.* Quoad ultimum, quod alicujus momenti videri possit, nota praeter literas communes Collegii Electoralis nomine extractas, alias a singulis quoque datas fuisse, in quibus pro more adhuc illius aetatis plures ex eadem familia Electorali Principes subscripti legantur: haec ex RAYNALDO vide apud cit. P. SCHWARTZ.

Ad l. cit. §. VII. Notanda sunt hic quoque, quae ex GERCKENIO adducit Diplomata duo BALDERANI Episcopi Brandenburgensis HAEBERLIN *Tom. 2. f. 479.* in priori an. 1186. Capitulo suo jus electionis confirmat his verbis: *Omne etiam jus Canonicum, quod Cathedrales Ecclesiae Saxoniae juste et rationabiliter debent habere, eisdem Canonicis confirmamus, videlicet ut obeunte eorum Pontifice in electione futuri Episcopi cum Praeposito eorum . . . primam habeant vocem, nullusque eis invitis praeponatur, sed quem concors fratrum cum Praeposito assensus, vel pars sanioris consilii de gremio ipsius Ecclesiae elegerit, ipse obtineat:* et in altero circa an. 1187. in quo idem Monasterio *Liezkensi* jura sua confirmat, ita dicit: *Utriusque Ecclesiae Canonici libere eligant, sicut justitia dictante NB. mos obtinuit omnium Ecclesiarum Cathedralium.*

Ad l. cit. §. IX. Ferme silentio potius quam confutatione digna sunt, quae ANONYMUS circa verba Concordatorum ab Auctore hic allata, eaque tam perspicua inquit: uti 1. ex iis tantum sequi electiones ad sedem Apostolicam deferendas esse, ut ibi confirmentur, non vero ut, si controversae sint, decidantur. 2. circa electiones Canonicas decisione opus non esse. 3. Verba: *si minus Canonicae fuerint, Papa provideat*, loqui de electione, quae Canonica esse credita fuerit, in examine autem talis non esse apparuerit. Recte his nugis respondet vel ipse MOSERUS *Tract. cit.* §. *17. seqq. ad 1.* jubentur eo deferri confirmationis ergo: hanc autem in se complecti eo ipso jus quoque, de casu electionis controversae ferendi judicium, sat demonstratum est ab Auctore; et a MOSERO exemplis quoque profanis circa eum, qui jure confirmandi intuitu officii cujusdam gaudet, confirmatur. *Ad 2.* Etiam electiones Canonicae examine indigent, an tales sint, nec ne: sive potius circa electiones etiam unanimi calculo peractas examine instituto constare debet, an sint canonicae, an secus: tales enim quoque minus canonicas esse posse, patet vel ex primis Juris Canonici in hac materia principiis. *Ad 3.* Sufficit et hic non solum examen Pontifici competere, verum etiam sub certo modo, quem hic examinare ex

mente

mente Concordatorum hujus loci non eſt, jus providendi. Sic penes Pontificem fore, Principes quoque et Electores Imperii creare, Anonymus quidem verbis ad invidiam adhibitis abſonum putat: ſed quodſi aliter viſum fuit ſupremis paciſcentibus, privatus nonniſi temere pacta haec publica in invidiam adducere laborabit. In nupero exemplo *Tridentino*, quod retuli *in Inſtitution. bus meis Part. II. §. LXVI.*, Imperium univerſum hoc jus Pontificis agnovit, Principemque et Statum Imperii, a Pontifice nominatum Epiſcopum veneratur.

Ad Cap. cit. §. XI. a) Quoad caſum Coadjutoriae *Trevirenſis* haec adde ex MOSERO *l. cit. f. 25.* In Congreſſu *19. Jul. 1650.* de hac re in propoſitione jamdum *Moguntina* expreſſe dicitur: Die Confirmation müſte vom Pabſt geſchehen: weil aber *periculum in mora* ſeye: ſo möchte der Kayſer erſucht werden, dem *Coadjutori* ſo lang die *Adminiſtration* aufzutragen, bis der *Coadjutor* ſeine *Confirmation* erlangt habe. Teutſchmeiſter hielte zwar eine ſolche Kayſerliche *Proviſional*-Verordnung nicht für thunlich: dann obwohl der Chur-Fürſt die *Temporalia* vom Reich zu Lehen hätte: ſo wüſte man doch wohl, daß *ratione ſpiritualium* die Confirmation vom Pabſt da ſeyn müſte, und ohne derſelben kein geiſtlicher Chur-Fürſt werden könnte. 23. Jul. conventum eſt hoc modo nomine Imperii: daß (allenfalls) die *Adminiſtration* der Weltlichkeit dem *per Majora canonice* erwählten *Coadjutori*, oder, mit und neben demſelben, zugleich dem Dom-Capitul, anzubefehlen, und von demſelben, bis der in 2c. ſicut in Auctore. Recte ex his infert MOSER totum hac ratione Imperium tam ex parte Catholicorum, quam etiam Proteſtantium ſolenni ratione agnoviſſe, jus decidendi in his controverſiis Pontifici deberi.

b) In caſu *Colonienſi* Legatus Bavaricus in Collegio Electorali hanc edidit declarationem: Die Haupt-Sache gehöre für den päbſtlichen Stuhl nach Rom, und er wolle ohne Erwartung der päbſtlichen *Confirmation* keinen Beſitz nehmen. Anonymi autem effugia ab Auctore allata non ſolum recte hic dicuntur reſponſione indigna, ſed et tanquam in Imperatorem ipſum injuria Fiſcali animadverſione coercenda forent.

c) Alia exempla Concordatis recentiora, quae profert STRUV. *in Hiſt. Gravam. Relig. Tom. 1. p. 368. ſeqq.* plane iterum ANONYMO non favent; uti in cauſſa electionis *Argentinenſis* 1592.: id enim peculiare eſt huic caſui, quod ea Eccleſia tum conſtaret Canonicis tam Catholicis, quam Proteſtanticis: mortuo JOHANNE *Comite Mandersheidenſi* Proteſtantes elegerunt GEORGIUM *Brandenburgicum*, Catholici CAROLUM *Lotharingum* Epiſcopum *Metenſem*: quare haec controverſia jam non inter ſolos Catholicos agitabatur: immo ne hoc quidem in caſu Imperatorem ſibi jus decidendi arrogaſſe, ait MOSER in *Tract.* von denen Kayſerlichen Regierungs-Rechten und Pflichten. *1772. Cap. 14.*

14. f. 296. ſed ſolum pro re amice componenda ab eo laboratum fuiſſe: KOELER *in Hiſt. Imp. f. 449.* ait, a Commiſſariis Caeſareis Epiſcopatum primum inter duos Candidatos diviſum fuiſſe, usque ad amicam transactionem: hanc autem 1604. coaluiſſe, qua ſolutis 130000 fl. Epiſcopatus *Lotharingo* relictus fuit, reſervatis inſuper *Brandenburgico* annuis 9000 fl., et Canonicis Proteſtantibus aliis quibusdam emolumentis conceſſis. Conf. LONDORP. aliosque a KOELERO citatos. Quoad Eccleſiam *Tullenſem* 1641. plane nequidem agebatur de electione controverſa, ſed de proviſione Pontificia. Conf. MOSER *in Tract. cit. f. 305.* et ibidem LONDORPII *Acta publ. Tom. 5. p. 567.*

Ad Cap. III. §. III. Ex his, quae exemplis ab Anonymo pro cauſſa ſua perperam adductis, Auctor eruditiſſime opponit, emendandus quoque eſt HAEBERLIN, dum *Tom. 2. f. 335. ſeqq.* pro aſſerendo Imperatoribus jure jum decidendi electiones controverſas, tum Devolutionis in caſu electionis diſcordis non ſolum ad pactum *Calixtinum* appellat, ſed et ſenſa ſua. Ferme iisdem exemplis tanquam indubiis legitimisque ſtabilire conatur, immo vadem dictorum ſuorum praecipue ſiſtit Anonymum invicte ab Auctore confutatum. Aliquos viri alias celebratiſſimi lapſus ſubjungere ſufficiat. Ita LOTHARIUM II. vult electionem controverſam ALBERONIS Trevirenſis in Synodo *Moguntina* decidiſſe: item pro HERMANNO Ultrajectenſi ab eodem ſententiam dictam: a FRIDERICO I. in Comitiis *Ratisbonenſibus* pronuntiatum pro electo in diſcordia a Capitulo *Colonienſi &c.* Silet aut diſſimulat HAEBERLINIUS, aut quid Romae quoque in his electionibus actum, aut juxta normam pacti Calixtini ab Imperatoribus nonniſi ex judicio et conſilio Metropolitani et Comprovincialium; aut jus Devolutionis praetenſum non ſatis diſcernit a jure decidendi electionem controverſam, aut praeter jus geſta, pro legitimis vult haberi, quae omnia fontes ab Auctore allatos inſpicienti luculente patebunt. Porro ex hiſce facile videas, qua cautela in ejusmodi quaeſtionibus examinanda ſint, alias a viris, utut magni nominis atque eruditionis, pro certis habita, traditaque.

Ad Cap. III. §. V. Quod hic Auctor inquit, de inveſtitura olim Feudali ab Imperatoribus ante Confirmationem concedi ſolita vi pacti Calixtini (ex qua re potius, quam ex *Cap. 44. de Elect. & elect. pot. Auctor Obſervat. Hiſtorico-jurid. in Concordata 1771. Obſ. IX.* derivari vult, adminiſtrationem temporalium hodie quoque in Germania ab Electis ante Confirmationem ſuſcipi) de hoc alibi pauca notabimus. Recte ſane aſſerit Auctor, eſt hoc olim ita obtinuerit, eam inveſtituram nonniſi *conditionatam* fuiſſe: ideo enim evidens eſt Epiſcopos Germaniae Principes eſſe Imperii, quia Epiſcopi ſunt, non vero ideo Epiſcopos fieri, quia Principes et Status Imperii, cum Capitula Epiſcopum. Praelatumque eligant, non vero Principem. Conf. MOSER *l. cit.* in ſeinen neueſten kleinen Schriften

ten *f. 5.* Quare idem dicendum eſſet hodie de ejusmodi inveſtitura fors conceſſa, quodſi vera ſunt quoque, quae habet cit. *Auctor Obſervat.* Simile quid 1576. in caſu Epiſcopi *Verdunenſis 1. Oct.* in Comitiis concluſum, et 1716. ab Imperatore declaratum fuiſſe, dum Romae admiſſio poſtulationis in Archi-Epiſc. *Trevirenſem* differretur. Caeterum quod hodiernum morem concernit, frivola ſunt, quae MOSERO opponit Anonymus. In concluſo Senatus Imperialis Aulici in cauſſa *Eichſtadienſi 5. Dec. 1725.* a MOSERO adducto dicitur: *Ponatur requiſitio Feudi ad Acta*, und wird Herr *Impetrant*, nebſt andern *Requiſitis*, auch die *Bullam confirmatoriam Pontificiam in Originali* in gehöriger Zeit beyzubringen haben. Id tantum majoris cautelae cauſſa aut ſolennitatis fortaſſe factum ait Anonymus: atenim id quaeritur, quaenam hodie requiſita probari debeant ad inveſtituram obtinendam, atque inter illa a Conſilio Imperiali Aulico haberi *Bullam confirmatoriam* ex verbis manifeſte elucet. Exploratum hoc eſſe nullique dubio obnoxium ANONYMUS intelligere potuit a pluribus ſcriptoribus non ſolum ab Auctore, ſed MOSERO quoque relatis, ipſoque BUDERO, quem appellat; qui de *Confirmatione Pontificia Epiſcoporum et Praelatorum Germaniae, in ejus Symmictis N. III. §. 23.* ait: *Exhibere autem cum precibus inveſtiendus debet* I. *Documentum, quo Anteceſſorem mortuum eſſe, vel locum reſignatione reliquiſſe;* II. *Inſtrumentum Electionis, aut Poſtulationis:* III. *Bullam Pontificis confirmatoriam.* IV. *Bullam ad Regem, quo Papa Imperatorem de Confirmatione certiorem facit,* V. *Literas inveſtiturae poſtremae.* Cum poſt pacem Religioſam in utraque Saxonia ſubinde eligerentur aut poſtularentur a ſacris Catholicis alieni, inveſtitura eis denegata fuit, ex hoc quoque capite, quod Confirmationem Pontificiam non obtinuerint; aut ea, praeſertim a MAXIMILIANO II faciliore hac in re, conceſſa quidem fuit, ſed ſub conditione impetrandae adhuc Confirmationis. BUDER *l. c. §. 22* Inde quoque evenit, ut inter ipſos Proteſtantes oſtendit HOLZIUS *Diſſ. de Statu juribusque Epiſcoporum Germaniae A. C. a condita Tranſactione Paſſavienſi et pace Religioſa uſque ad P. W.* pro obtinenda facilius a Caeſare inveſtitura etiam ab iis ab ipſo Pontifice Confirmationem expetitam fuiſſe. Proſtant quoque exempla, a Civibus Vaſallisque obſequia denegata fuiſſe ante exhibitam quoque ipſis Confirmationem iſtam; ejusmodi recenſet BUDER *l. cit. § XXVIII. not.* n. Anno 1403. Cives *Magdeburgenſes* electo GÜNTHERO Archi-Epiſcopo ſuo homagium praeſtare nolebant, niſi oculis ſuis vidiſſent Bullam Confirmatoriam et Pallium. *Chron. Magdeburg. in* STRUVII *Hiſtoriſch- und politiſchen Archiv Part. V p. 24* Iidem cum Hallenſibus PETRO novo Archi-Epiſcopo a Papa licet confirmato an. 1371 nec *Homagium* nec *Vaſallagium* praeſtare volebant, antequam Pallium accepiſſet, teſtimonio cit. Chron. ad an. 1381. de FRIDERICO AB HOIM ibidem dicitur: die Magdeburgiſchen und Hälliſchen huldigten ihme nicht, dann er war noch nicht *confirmiret*, darzu hätte er auch ſein *Pallium* nicht. Quam

inepte Anonymus provocet in hac cauſſa ad exemplum Abbatis *Werdenſis*, non ſolum patet ex eo, ut habet Auctor, quod Abbas ille nec Principis titulo fulgeat, nec cum Epiſcopis in Collegio Principum in ſcamno Eccleſiaſtico jure voti perſonalis gaudeat: ſed et potiſſimum ex eo, quod Abbatia illa conſiſtorialis, ut inquiunt, non ſit, atque inde nulla ratione Confirmatio Abbatis Roma peti debeat. Abſolute enim loquendo ejusmodi confirmatio illinc peti poteſt debetque, etſi non ſit Abbatia Principalis, nec Abbas Princeps voto virili in Comitiis gaudeat: ſed et, quodſi alias Sedi Apoſtolicae immediate ſubjecta, atque Confirmatio Abbatis de conſuetudine tempore Concordatorum Roma peti debuit, ex verbis Concordatorum: *In Monaſteriis, quae non ſunt immediate ſubjecta Sedi Apoſtolicae, nec non in aliis beneficiis regularibus, ſuper quibus pro Confirmatione, ſeu Proviſione non conſuevit haberi recurſus ad Sedem Apoſtolicam; non teneantur venire electi, ſeu illi, quibus providendum eſt, ad Curiam ad habendum Confirmationem ſeu Proviſionem . . . . ubi autem in Monaſteriis, ad Curiam Romanam venire ſeu mittere conſueverunt, ibi Papa aliter non confirmet, ſeu provideat, quam ſuperius de Cathedralibus Eccleſiis eſt expreſſum.* Hujusmodi Abbatiam non Principem, Conſiſtorialem tamen, ubi proin Confirmatio Roma petenda eſt, ait eſſe MOSER *l. cit. f. 12. Salmansweilerenſem* in Suevia. Quae ad uberiorem notitiam huc ſpectant, exponit BARTHEL *in Diſſ. 3. de Concord. C. 3. §. XLI. et XLII.*

IX. JO:

IX.

JOSEPHI KLEINER, S. J.
Ss. Theologiae Doctoris, ejusdemque in Electorali et antiquissima Universitate Heideiberg. Prof. P. et O.

DISSERTATIO DE ORIGINE ET ANTIQUITATE EMINENTISSIMORUM S. R. E. CARDINALIUM

Heidelbergae Anno 1767.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

CAPUT I. *In sacro Ecclesiæ Principatu inter membra illustriora eminent S. R. E. Cardinales*

CAPUT II. *Origo & antiquitas* Muneris *Cardinalium.*

CAPUT III. *Origo & antiquitas* Nominis *Cardinalium.*

CAPUT IV. *De* Numero.

CAPUT V. *De* Titulis *Eminentissimorum Cardinalium disseritur.*

CAPUT I.

In Sacro Ecclesiæ Principatu inter membra illustriora eminent S. R. E. Cardinales.

§. I.

Quantum lucidissimus Solis splendor præ reliquis astris fulgore suo inclarescit, tantam Ecclesiæ Romano-Catholicæ in suo systemate ac Religionis

Religionis Catholica Ma-

ſtas ex Regimine Hierarchico.

nis ritibus majeſtatem ipſi quoque adverſarum partium ſectatores vel inviti gratulantur; adeo nihil non in ejus dogmatis ſanctum, in ritibus ſublime, in regiminis forma auguſtum, ac prope divinum. Cujus rei ratio inde petitur, quod Eccleſiæ hujus regimen HIERARCHICUM *) cum ſit (ſive, quod idem eſt, ſacro quodam principatu conſtituatur eorum, qui ſub uno aſpectabili Capite, ordine pulcherrimo, ac mira conſenſione plebem ſubjectam regunt) corpus quoddam myſticum exhibeat, aut ſacram rempublicam, ſacri, qui eſt in cœleſtibus, Principatus æmulam **).

§. II.

Membra Hierarchiæ Eccleſiaſticæ.

Ac hujus quidem ſacri Principatus membra illuſtriora ſacroſancta TRIDENTINA Synodus in *Epiſcopis*, *Presbyteris*, & *Miniſtris* recenſet (a); qui varia Eccleſiaſticæ dignitatis inter ſe partitione, mira varietate Eccleſiam ornant, dum ex Epiſcopis alii *Patriarchali* eminent dignitate: *Primatum & Metropolitarum* nomine effulgent alii ***); ex Presbyteris & Miniſtris *Archi-Presbyterorum*, & *Archi-Diaconorum* gradu alii præcellunt; in ſingulis denique Hierarchiæ gradibus S R. E. *Cardinales* illuſtri loco eminent, qui lucem, quam accipiunt, Auguſto ſplendore in Eccleſiam reflectunt.

Cardinales S. R. E.

§. III.

Argumentum Diſſertationis.

Qui quidem Eminentiſſimi Eccleſiæ Patres, cum & antiquitate & dignitate, & prærogativa non una in ſacro Eccleſiæ Principatu conſpicui ſint, præſenti

*) Majeſtatem Religionis Catholicæ ex Regimine Hierarchico jam ſæculo Eccleſiæ I. deduxit Magnus Areopagita & S. Pauli Diſcipulus DIONYSIUS Libro de *Eccleſiaſtica Hierarchia*, ubi in Eccleſiaſtici regiminis forma, tanquam in ectypo, imaginem *Cœleſtis* illius, de quo libro priore egerat, oſtendit. Idem argumentum luculenter proſequitur R. P. ADRIAN. DAUDE S. J., nuper in Alma Wirceburgenſi Profeſſor Hiſtoriarum in Præfat. Operis cui Titulus: *Majeſtas Hierarchiæ Eccleſiaſticæ*, editi ibid. an. 1745.

**) *In Eccleſia progreſſiones Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum ſunt, ut arbitror, imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œconomiæ, & diſpenſationis.* S. CLEMENS *Alexandr.* L. 6. Strom. p. 665. Vid. etiam GREGOR. L. 4. epiſt. 12., & BERNARD. L. 2. de Conſid.

(a) *Siquis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* TRIDENT. Seſſ. 23. Can. 6.

***) *Patriarchatuum* antiquiſſimorum & recentium, *Primatum, Metropolitarum* cum ſuis *Suffraganeis*, & *Epiſcoporum exemptorum* ad noſtra usque tempora ſyllabum brevem exhibent *Inſtitutiones Theologicæ Wirceburgenſes* jam alias a nobis laudatæ Tract. de Princip. Theolog. Diſp. II. Cap. I. Art. V.

ſenti expoſitione ea proſequemur, quæ ad primam eorum *Inſtitutionem*, & *antiquitatem*, & quæ cum his propter argumenti nexum conjuncta ſunt; acturi de *Muneris* primum, tum *Nominis* antiquitate; deinde vero de eorundem *Numero* & *Titulis*, adjectis pro opportunitate reflexionibus criticis & hiſtoricis, ſermonem habituri.

§. IV.

Cardinalium nomine qui veniant?

CARDINALIUM porro nomine veniunt ii Eccleſiæ Proceres, qui ſummo poſt Pontificem Maximum Eccleſiaſticæ dignitatis faſtigio effulgentes, in univerſalis Eccleſiæ regimine eidem adſunt, & cum *Sede Apoſtolica*, ut ait EUGENIUS IV. (*b*), *Eccleſiam regunt univerſam*, quosque vel ideo *partem ſui corporis* ſummi Præſules appellant, & B. SYLVESTER *in Synodo generali congregatis præſidens*, *hos Coadjutores ſuos*, *Cardinales nuncupavit*; *Caput vero Eccleſiæ*, *quod eſt Papa*, *ut contigua ſui corporis membra*, *præ cæteris* arctius ſibi adſtringit, ac plus in eos dignitatis derivat. Quæ tanquam ſummariam Cardinalitiæ dignitatis imaginem præmittere viſum eſt ante, quam ad eorum Originem & antiquitatem Hiſtorica epitome repræſentandam animum adjicianus.

CAPUT II.

De Origine & antiquitate Muneris Cardinalium.

§. V.

Cardinalium originem ad ipſa Eccleſiæ exordia,

Ac circa *Originem* quidem Cardinalium, eorumque primam inſtitutionem, tanquam circa rem haud ſatis exploratam atque antiquitate conſepultam, in diverſa abeunt Critici, & Hiſtoriographi ſacri. Sunt, qui hujus initia inſtituti ad ipſa Eccleſiæ primordia referant. „Nomen Epiſcoporum, Presbyterorum, „& Diaconorum S. R. E. *Cardinalium*, inquit ALPHONSUS CIACONIUS (*c*), „licet non ſtatim a principio fuerit Romanæ Eccleſiæ, . . . *Munus* tamen ip„ſorum ſemper extitit cum Pontificia Sede conjunctum. . . . Unus etenim „haud poterat tantam ſolus molem & pondus ſuſtinere, quin in partem mini„ſterii nonnullos idoneos adſciſceret, quibuscum ardua negotia Eccleſiæ pro „tempore occurrentia tractaret, & penſum cuique laboris impartiretur. Tales „fuerunt apud Petrum Apoſtolorum Principem Linus, Cletus, Clemens, Ana„cletus, Marcus Evangeliſta, atque alii permulti, qui Pontificatus ejus munia

(*b*) Conſtitut: *Non mediocri*, Tom. I. Bullar. ad an. 1439. p. 332.

(*c*) In Vitis & reb. geſt. Pontif. Rom. & S. R. E. Card in vita S. Hygini.

„& onus ſubierunt, & Coadjutores, & Conſiliarii in re gerenda & adminiſtranda fuere„ *).

§. VI.

& Chriſti inſtitutionem alii referunt.

Ad duplex, qui ita diſcurrunt, Apoſtolorum tempus reſpiciunt: *alterum*, quo Servator e terris migraturus Apoſtolicum Collegium confirmavit, ſecundum illud: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tribulationibus meis; & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, ut ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſraël* (*d*): quibus verbis Chriſtus Apoſtolos non Paſtores, ſed cooperatores fecit, qui ei aſſiſterent, ejusque mandata perficerent; atque ita (ut ait TURRECREMATA (*e*) Apoſtoli prius facti ſunt Cardinales Orbis, quam Epiſcopi Urbis: prius enim, quam ea proferret Chriſtus: *Paſce oves meas*; jam Apoſtolicum ordinaverat Senatum, docendo eos legem ſuam, ut magiſtri evaderent in regimine Eccleſiæ, quibus poſtea demum officium Paſtorum commiſit; *alterum* tempus illud eſt, quo Divus Petrus, primus Chriſti in terris Vicarius, varios ſibi coadjutores, quibuscum Eccleſiæ regendæ curam partiretur, adlegit, prout ex Ciaconio mox retulimus **). Unde qui in hanc ſententiam diſſerunt, primam Cardinalitii muneris inſtitutionem traditione per Chriſtum derivant, eisque illud e ſacro eloquio tribuunt: *Domini ſunt cardines terræ, poſuit ſuper eos orbem* (*f*), quos & ſeptuaginta illis de ſenibus Iſraël, de quibus Deus ad Moyſen (*g*): *auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris*, adumbratos volunt. Ac ſane ſicut ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia dicitur *caput* & *cardo* aliarum Eccleſiarum (*h*), quam ab ipſo Chriſto inſtitutam nemo fidelium ambigit, ita

*) Sic & S. Stephanum olim S. Jacobo, Timotheum & Linum Paulo, Anacletum & Clementem Petro, Diaconos miniſtraſſe, ex S. IGNAT. *Mart.* ep. ad Trallianos habemus.

(*d*) Luc. 22.

(*e*) Lib. 1. Summæ de Eccl. c. 80.

**) Ante Ciaconium in eundem ſenſum diſſeruit HIER. MANFREDUS de Cardinal. c. 6. Videatur etiam epiſt. unic. JOAN. III. relata Can. *Si Petrus* VIII. q. 1., & EUGENIUS Conſtit. laudata §. 5. inquiens: *Decuit etiam, cum ſummus Pontifex Chriſti repræſentet perſonam, quemadmodum Chriſto converſanti in terris aſſiſtebant Apoſtoli, ita etiam Cardinalium cœtus Apoſtolicum repræſentans, coram Papa aſſiſteret; reliqui vero Epiſcopi ubique diffuſi, Apoſtolos repræſentant ad prædicandum per orbem miſſos.*

(*f*) 1. Reg. 2. cap.

(*g*) Num. 11. v. 17.

(*h*) Can. *Sacroſanctæ* Diſt. 22. §. 6.

ita ejus quoque cardines (*i*), quibus Eccleſia regitur, Dominus poſuit *).

§. VII.

Iſthæc ſentiendi ratio utut ſuis videatur momentis conſiſtere; juvat tamen & aliorum ſententias audire, quorum bene multi primos Cardinalium ortus non a Chriſto, aut divino, ſed Eccleſiaſtico jure ac diſciplina repetunt: neque tamen in eundem omnes Pontificem hujus inſtituti authorem conſentiunt. Alii ex Pontificia inſtitutione repetunt,

§. VIII.

GOFFREDUS **) Viterbienſis Epiſcopus a *Cleto* primum ſeptem *Cardinales* promotos fuiſſe, in ſua hiſtoria nobis reliquit (*k*). ONUPHRIUS PANVINIUS *Evariſto* ad annum 112. idem cum PLATINA (*l*) tribuit, eoquod *Parochias* ſive *Titulos* ***) in Urbe diviſerit Presbyteris, ac *ſeptem Diaconos* quam tribuunt S. Cleto aut Evariſto;

(*i*) BARBAT. in D. 1. Q. Baſilica. num. 20. & 29.

*) Plura ad hoc argumentum qui volet, adeat Eugenium in Conſtit. cit., ubi inter alia §. 4.: *Officium tamen ipſum* (Cardinalium) *a B. Petro ejusque ſucceſſoribus inſtitutum evidenter invenies.* Synodus vero Romana ſub Stephano III. (ad an. 769.) habet: *Oportebat, ut, . . . juxta quod a B. Petro, & ejus ſucceſſoribus inſtitutum eſt, . . . in Apoſtolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis conſecraretur.* Card. de TURRECREMATA l. c., & in cap. *Quanquam* 11. q. 7. *Cardinalium ſtatum a ſolo Chriſto* originaliter, & *primordialiter*, ut loquitur, inſtitutum ſatetur. JOAN. PAUL. DONATUS cap. 8., de jure eligendi Miniſtros Eccleſ., Cardiales a D. Petro inſtitutos tradidit. INNOCENTIUS III. ab Eugenio iterato laudato relatus §. 4. cit., Dei præcepto ex V. T. (Deut. 17.) ex jure Levitico Cardinalium ſtatum originem duxiſſe opinatus eſt. *Turrecremata* argumenta ajentium, Cardinales humano jure inſtitutos fuiſſe, refutat. Vid. ANDR. VICTORELLUS in notis ad Ciacon. in Hygino.

**) Henrico VI. Imperatori a ſecretis conſiliis & eleemoſynis, quadraginta, quibus varias Orbis provincias peragravit, annis, celeberrimas Bibliothecas luſtravit.

(*k*) Card. ALBAN. in Tract. de Card. q. 3.

(*l*) De officio Mag. in verſicul. Titul. TURRECREMATA vero l. c. ex Goffredi proxime relati ſententia *viginti quinque Titulorum* inſtitutionem ad *Cletum*, ſeptem vero Cardinalium promotionem ad *Anacletum* refert. Utrumque autem, *Cletum & Anacletum*, ſæculo I. ſacram Sedem tenuiſſe conſtat.

***) *Titulorum* (quorum in hoc argumento mentio frequentior occurrit) non eſt una in omnibus & ubique acceptio. BARONIO *in Annal.* ad an. 112. Tituli erant *ædes* Divino cultui addictæ (nomenclatura a Fiſcalibus titulis deſumpta, ut oſtendit ibidem ex L. *Si quando. C. de bon. vacant.*) deſignatæ per

alii Hygino, *nos* *) ordinaverit, qui Epiſcopum prædicantem cuſtodirent(*m*). Ad *Hygini* tempora & an. Chriſti 158. plures apud PANVINIUM cit. referendam primam Cardinalium appellationem conjiciunt; quippe qui, cum aucto fidelium numero plures

per vexillum aut ſignum *Crucis*, prout ibidem proſequitur; ac ſimilia habet *Annot. in Martyrol. Rom.* VIII. Cal. Aug. Baronio conſentit BZOVIUS c. 33. PANVINIUS *L. de Titulis & Diaconiis Cardinalium* Titulos dixit *Eccleſias*, in quibus *Sacramenta*; BELLARMINUS *l. 1. c. 16. de Clericis, Eccleſias principales*, in quibus *Baptiſmus* adminiſtrabatur. Eundem fere in ſenſum loquitur MABILLONIUS Comment. in Ord. Rom. c. 3. CIACONIUS l. c. Titulorum nomine *Paræciarum* primo *limites* intelligit; tum ſubjungit aliam Tituli acceptionem pro *reditibus* ſive proventibus, quibus Eccleſiæ miniſtri ſuſtentabantur (quo fere ſenſu titulo patrimonii aut Beneficii ordinari quis dicitur) & ab iis diſcriminis cauſa nuncupabantur. Ejusmodi Tituli erant *Equitii*, *Veſtinæ*, *Pammachii* &c. ab iis, qui eos erexerant, ita dicti. Demum tertiam addit pro *memoria Martyrum* aut *Confeſſorum*, quibus Templa ſub Principibus Chriſtianis jam publice exſtrui cepta dicabantur. Vide infra §. 24. 25.

Sed conciliari poſſe videntur diverſæ iſtæ Titulorum acceptiones diverſa conſideratione temporis, quo Chriſtiani aut in ædibus privatis locisque abditis, aut adjectis ſubinde piis legationibus in erectis palam Eccleſiis ſacris vacabant. *Alia* adhuc Tituli notio exponetur infra *Cap. 5. in princ.*

*) Titulis affines erant *Diaconiæ*; de qua re apte DU CANGIUS *in Gloſſar. p.* 925. Ædes ſacræ in civitatibus duplicis potiſſimum fuerunt generis. Aliæ enim *Parochiarum* (uti nunc dicuntur) vice erant, quas *Titulos* vocabant, ad quas conveniebant fideles, Divinas liturgias audituri, & Euchariſtiam percepturi; aliæ dicebantur *Diaconiæ*, erantque publicæ quodammodo pauperum hoſpitales domus, quibus adjuncta erant *Sacella*, quæ Diaconiarum perinde nomen obtinuere. Priori ædium generi præerant *Presbyteri*, alteri *Diaconi*. Si quæ vero aliæ eſſent ædes ſacræ in civitatibus, *Oratoria* dicebantur, in quibus nec Baptiſmum celebrari, nec Sacramenta fidelibus miniſtrari fas erat, ſed tantum Miſſæ privatæ a Capellanis, ſeu a Presbyteris (quos *locales* nuncupabant) fiebant. Ut igitur ab illis Oratoriis cæteræ ædes ſacræ diſtinguerentur, *Cardinales* appellatæ ſunt, id eſt, principales & præcipuæ, quemadmodum & earundem Presbyteri ibidem Cardinales nuncupati ſunt. Ædes illas hoſpitales dirutas, narrat PANVIN., temporis progreſſu in Collegia Clericorum mutatas, ait MABILLON. cit. Sacella, quæ ſuperſunt, *Diaconiæ* vocantur, & ad *Titulos Cardinalium Diaconorum*, iisdem authoribus, referuntur.

(*m*) ANASTASIUS BIBLIOTH. ex *L. de Rom. Pontif.*, qui *Damaſo* tribuitur: in quem locum BARONIUS cit. n. 8. ait: ut cuſtodirent non more *prætorianorum*, ſed *ob muneris majeſtatem & functionis amplitudinem*; aut *quaſi veræ doctrinæ teſtes*, ut loquitur CIACONIUS in vita *Evariſti*, *ne ab æmulis Epiſcopo prædicanti imponerentur errores, quos tamen ipſe non commiſiſſet*; aut demum, prout BLANCHINUS in Notis ad Anaſtaſ. Tom. 2. Part. 2. pag. 78. ex ipſo Libro de Rom. Pontif. obſervat, *propter ſtilum veritatis addiſcendum in miniſterio prædicationis.*

res in quolibet Titulo Presbyteros & Clericos ordinaſſet, tradente Damaſo Lib. de Rom. Pontif. *Clerum compoſuit & gradus diſtinxit*; quod ita creditur præſtitiſſe, ut ſuperiores alios, alios inferiores, illos præeſſe, hos ſubeſſe juſſerit, atque in quovis Titulo præcipuos *Cardinarios*, aut *Cardinales*, cognomento Præſidum Aſiæ honoris cauſa adjecto, compellarit (*n*); quam appellationem antea adhibere eo minus neceſſe fuerat, quo certius ſinguli ſingulis duntaxat Parœciis erant attributi.

§. IX.

A *Sæculo II.* in *III.* Cardinalium originem removent ii, qui *Fabianum* Papam ſacri illius Senatus auctorem decernunt. Poſtquam enim is ſeptem Notariis a S. Clemente ad acta Martyrum conſcribenda deputatis totidem Subdiaconos præfeciſſet; urbis quoque regiones *ſeptem Diaconis* diſtribuit, qui pauperum rei, tum initiandis Baptiſmo neophytis, & Chriſtianis tumulo inferendis curam addicerent (*o*). Quemadmodum enim haud multo poſt Neronianum incendium quatuordecim *), in quas Roma dividebatur, regionibus, ſeptem *Curatores* (quos poſterior ætas Capita regionum vocavit) erant præfecti, qui civilibus commodis intenderent; ita iisdem regionibus Curatores ſeptem, qui rem Chriſtianam promoverent, conſtituti a *Fabiano* ſunt; unde ex quorundam opinione uſus obtinuit, ut qui hoc nomine præficerentur, *Cardinalium* titulo ad ſignificandam muneris prærogativam diſtinguerentur. Tametſi non deſint, qui hanc regionum diviſionem atque Curatorum conſtitutionem in *Sæc. IV* S. *Sylveſtro* tribuant (*p*). Illud certius conſtat, in *Concilio* ROMANO ſub eodem Sylveſtro intra thermas Domitianas celebrato **) *Canone 6.* cautum eſſe, ut *Dia-*

Fabiano,

aut Sylveſtro.

(*n*) CIACON. in *Hygino.*

(*o*) BARONIUS ad an. 112. n. IX. PLATINA in vita *Fabiani* apud *Moſconium c.* 5.

*) *Primo omnium obſervandum eſt, ait* MABILLON. Tom. 2. Muſæi Italici pag. 3, *ſeptem eſſe regiones Eccleſiaſtici ordinis Urbis Romæ*, cum *quatuordecim* eſſent ſecundum diviſionem *civilem*, teſte TACITO.

(*p*) Vid. MOSCONIUS de Maj. Eccl. p. 1. c. 5. Sic & Parœciarum ac *Titulorum diviſio*, ſecundum dicta §. præced. facta ab Evariſto, in Lib. Pontificali *S. Dionyſio* ad an. 270. (quin & *S. Marcello* ad an. 308.) adſcribitur. Sed obſervat BARON. ad an. 270. n. 17. *Dionyſii opus fuiſſe Parochias ab anteceſſoribus aliis ſuis diſtinctas limitibus*, quas Valeriani perſecutio turbaverat, inſtaurare, & *Presbyteris compluribus martyrio vita functis easdem iterum dividere &c.* Quod & *de S. Marcello*, & quoad *regionum diviſionem de S. Sylveſtro* merito eodem ſenſu accipitur.

**) Ad an. Chriſti 325.

Diaconi non eſſent plures per Parochiarum examen, niſi duo, & Cardinales urbis Romæ, nonniſi *ſeptem*; ubi manifeſta ac diſerta Cardinalium mentio infertur *). Poſterioribus ſæculis frequens hujus nominis mentio, præprimis in GREGORII M. *epiſtolis* (*q*), tum apud univerſos Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores occurrit.

§. X.

Ex dictis quid veroſimiliter colligatur?

Nihil vetat, auctoritatibus ſingulis hactenus recenſitis tribuere aliquid momenti; eo videlicet ſenſu, ut Cardinalium munus *quoad rem* antiquiſſimum, & ipſis Eccleſiæ initiis coævum, ad perfectam tamen ſui efformationem, & *muneris* ipſius *nominisque* cum aliqua prærogativa *conjunctionem* ad poſteriora aliquanto tempora deducatur. Unde haud improbabili conjectura id aſſequimur, ipſum Cardinalium munus in *V. L.* aliqua ratione adumbratum, atque ad *Apoſtolici* imitationem collegii, quo illi tempore indiviſi Chriſto comites adhærebant, quoad præcipuam muneris partem (in partiendis ſcilicet ac ſubeundis propius cum Chriſti Vicario Eccleſiæ curis) ſub ipſa Eccleſiæ initia introductum; ab *Evariſto*, *Hygino*, horumque ſucceſſoribus certiori ordine ac forma diſtinctum fuiſſe. Quo autem denique tempore certo, aut quo ſedente Pontifice abſolutionem ſuam iſta Cardinalitii muneris, ut ita dicamus, efformatio conſecuta ſit, aut quando hujus *appellatio nominis* diſtinctius *cum* eo *munere*, prærogativa quadam ſingulari, conjuncta fuerit, cum penitus certi nihil annales antiqui ad nos transmiſerint, ſtatuere nec ipſi nos in tanta aliter ſentientium varietate quidquam ſatis audemus.

§. XI.

Ad quod tempus plena & perfecta Cardinalium inſtitutio referenda?

Tametſi, ſiquid dicendum ſit, fatemur (ſalvo melius ſentientium judicio) eo nos propendere, ut ſub *Fabiano* demum certiorem, ac magis perfectam Cardinalitii cum dignitate muneris imaginem deprehendere nos exiſtimemus. Quod ut ſentiamus, adducimur ex eo *primum*, quod nullum ante hunc clarius ejus rei aut ſufficiens veſtigium reperiatur: *deinde* vero, quia poſt ipſius Sylveſtri tempora ſub *Symmacho*, *Hormisda* & aliis, *Diaconi primores* (quos a Sylveſtro in Concilio Rom. *Cardinalium* nomine jam appellatos fuiſſe, certo conſtat) *Regionariorum* nomine ſubſcripſerint; quod primum nomen ſub Fabiano diſtributis regionibus conſecuti ſunt, ſecundum dicta in præced. §. 9. Jam vero cum Sylveſter

*) *Calvinus* L. 4. Inſt. c. 7. §. 30. *ante Gregorii tempora* dicit, ſe *non legiſſe* nomen Cardinalium: at conſtat ex dictis, ſub Sylveſtro, qui Gregorium annis fere trecentis præceſſit, ſeptem fuiſſe in R. E. Cardinales Diaconos. Conferantur dicenda in obſervat. ad §. 25.

(*q*) Documenta complura affert THOMASSIN. de V. & N. Eccl. diſciplina Part. 1. L. 2. c. 115.

veſter ipſe non *inſtituiſſe* primum Cardinales legatur, ſed de iis, tanquam prævie conſtitutis loquens, non niſi de eorum *numero* Canonem tulerit*), ante Sylveſtri tempora *prima* Cardinalium *appellatio* requirenda eſt; cujus indicium alibi nullum commodius, aut documentum, quam in dicta *Fabiani* inſtitutione (facta ad poſteriorem ſubſcriptionem comparatione) aut in tempore huic decreto viciniore, deprehendere nobis videmur, ut ſeptem illi Diaconi primores *Cardinales* primum dicerentur.

§. XII.

Quæ omnia magis illuſtrantur ex eo, quod Sylveſter diviſiſſe regiones**) legatur ſeptem Diaconibus, Fabiano, Marco, Liberio, Arcidamo & Julio, *aliis duobus*, *Priſco & Theodoro ad hunc farciendum numerum* (ſeptenarium, de quo duo deceſſerant) *ordinatis:* igitur jam ante Concilium illud Romanum erat numerus ſeptenarius Diaconorum, dictorum *Cardinalium*, & de quorum *numero* pro iis temporibus *non augendo*, Sylveſter in Concilio diſpoſuit. Subſcribimus proinde laudato ſæpius Ciaconio dicenti: „Origo igitur vera Cardinalium *ex* „*antiquis Curatoribus* ſeu *Capitibus regionum* urbis Romæ primitus deſumpta, & „ab *Evariſto* & *Hygino*, ſanctiſſimis Pontificibus, *inchoata*, & a *B. Sylveſtro* non „tam inſtituta, quam *renovata*;„ propiorem ſolum temporis *circa Fabiani magiſtratum* determinationem, ex adductis rationibus conjectura adjicientes. Atque hæc de *origine & antiquitate Muneris* Cardinalium, ſive *de munere ipſo* ſenſim ad ſuam abſolutionem deducto, atque *cum Cardinalium appellatione* ſub ſingulari prærogativa *conjuncto*. Nunc ipſius Nominis etymon atque Originem inveſtigare juvat. Illuſtrati conjectura.

CAPUT III.

De Origine, & antiquitate Nominis Cardinalium.

§. XIII.

Nomen ipſum Cardinalium quod attinet, ex voce idem ſonat, quod *præcipuus*; ſive a quo alii pendent, ut a cardine oſtia pendere ſolent. Hinc enim & *Virtutes* cardinales, & *Venti* cardinales, & *puncta* cœli cardinalia dici ſolent, ait cum POLYDORO VERGILIO BELLARMINUS (*r*); adeo, pergit Polydorus, ut Etymon & derivatio vocis *Cardinalis*.

*) Videantur verba Canonis recitata §. 9.

**) Conferantur dicta §. 9. ſub lit. p).

(*r*) POLYDOR. de rer. inventor. L. 4. c. 9. BELLARM. loc. ſup. cit. §. *Quod autem.*

ut esse Cardinalem, initio *nihil* fuerit *aliud*, nisi *ante alios præcipuam habere curam animarum*. Alii ex *stabilitate* appellationem deducunt: *Erant & persæpe plures unius Ecclesiæ Presbyteri*, inquit THOMASSIN. cit., *sed eorum unus tantum erat Cardinalis, unus Titularis, unus sponsus individuo nexu ei copulatus, & residendi strictissima lege devinctus*; quæ & congruunt cum ea phrasi GREGORIANA (*s*), & JOANNIS DIACONI (*t*); qua hujusmodi Presbyteros & Diaconos, imo & Episcopos *incardinatos* vocabant; idem vero GREGORIUS (*u*), & GELASIUS (*x*) inter Episcopum *visitantem* & *Cardinalem* distinguebant, ex quibus hic apud suam Ecclesiam perpetuo resideret, ille hinc inde vagans Ecclesias visitaret.

§. XIV.

An personis, an Ecclesiis primum attributa?

Atque ex dictis hactenus plures statuunt, Cardinalium Nomen *Personis* primum adhæsisse; sive iis, ut cum PANVINIO plures loquuntur, qui præerant aliis Presbyteris & Diaconis ejusdem Ecclesiæ; sive iis, qui ad imitationem Curatorum urbis Romæ ad promovendam religionem Christianam, prædicationem, & Eucharistiam ministrandam septem primum regionibus urbis Romæ præfecti sunt, uti cum CIACONIO & POLIDORO alii existimant.

§. XV.

Assertum & rationes Bellarmini

A quibus tamen dissentit Eminent. BELLARMINUS (*y*) ex eo, quod in *eodem* Titulo aliquando *plures* fuerint Cardinales *); tum, quod tempore S. Sylvestri *septem tantum* erant Romæ Diaconi **), qui tamen omnes dicebantur Cardinales. Non igitur Diaconus Cardinalis erat, qui præerat aliis Diaconis ejusdem Ecclesiæ, cum alias ex his ejusdem Ecclesiæ Romanæ Diaconis nonnisi unus, qui cæteris præfuisset, dici debuisset Cardinalis; ac demum, quod in hac sententia ratio reddi haud posse videatur, cur dicerentur *Episcopi* quidam Cardinales, cum

(*s*) L. 2. ep 25. & 81., & L. 31. ep. 13. &c. apud THOMASSIN. cit.

(*t*) In vita S. Gregor. L. 3. c. 11.

(*u*) L. 1. epist. 15.

(*x*) Collect. Rom. HOLSTENII pag. 208. 234.

(*y*) L. & cap. cit. §. *Hæc Onuphrii.*

*) Provocat ad *Synodum S. Gregorii*, quæ habetur l. 4. Regist. cap. 88; ubi in subscriptionibus Presbyterorum Cardinalium inveniuntur *tres Titulo S. Balbinæ, duo S. Damasi &c.*

**) *Nam adhuc recens erat eo tempore canon 14. Concilii Neocæsarienſis* (inquit Bellarm., *ubi definitur, in quolibet civitate, quamvis magna, septem tantum debere esse Diaconos.*

cum aperte conſtet, cuilibet Diœceſi non præeſſe, niſi unum Epiſcopum. Unde a Titulis, ſive *Eccleſiis cardinalibus* id primitus nomen dimanaſſe ad perſonas exiſtimat; eumque in finem CONCILII quoque MELDENSIS *) authoritatem allegat; ubi Can. 54. ſancitur, ut *Titulos Cardinales in urbibus, vel ſuburbiis conſtitutos Epiſcopus canonice ordinet & diſponat*; tum vero JOANNEM DIACONUM *in vita S. Gregor. L. 3. cap. 11.* ſcribentem: *Cardinales violenter in Paræciis ordinatos forenſibus in priſtinum cardinem Gregorius revocabat*; ubi manifeſte *cardo* dicitur, *cardinalis Titulus*, ſive Eccleſia.

§. XVI.

Verum his Bellarmini rationibus commode ſatisfieri videtur poſſe. Etſi enim probare videantur contra eos, qui *Panvinium* ſequuntur; non tamen contra eos, qui *Ciaconium*. *Quoad* 1*mum* obſervat ante Bellarminum Ciaconius, ſeptem primores Diaconos, qui *primitus Regionariorum* nomine ſubſcripſerunt **), ab ædificiis & patrimoniis, ſive titulis Eccleſiarum ***) *poſtea* aucto numero, diſcriminis cauſa, ſe nuncupaſſe; ac demum, quando pia legata in proventus ampliores excreſcebant, *plures eidem* Titulo Cardinales fuiſſe præfectos: unde antiquior eſt appellatio Regionariorum a cura rei Chriſtianæ promovendæ ſpecialiter demandata, quam illa plurium in eodem Titulo ordinatio.

expenduntur.

1ma ratio.

§. XVII.

2*da* Bellarmini *ratio* bene denuo concludit adverſus Panvinii hypotheſin. Si enim *ſeptem tantum* tunc Romæ in urbe erant *Diaconi*, iique *omnes Cardinales*, non igitur horum quilibet habebat ſub ſe alios, quibus præfectus eſſet; unde & conjectura Panvinii ruit. Illud tamen haud perinde evertitur, quod Ciaconius ſtatuit; nimirum iis ſeptem principem prædicationis, Baptiſmi, & Euchariſtiæ miniſtrandæ curam fuiſſe commiſſam, cum iſtud per ſingulas regiones munus, etiam absque prælatione ac prærogativa relate ad alios inferiores Diaconos, committi potuerit & exerceri. Omittimus, Bellarminum haud oſtendere, eo tempore ſeptem præciſe, non plures, nec pauciores, Romæ Diaconos fuiſſe, cum BARONIUS obſervet ad an. 112. n. 19., *non defuiſſe alioqui* eodem tempore *plures alios aliarum Eccleſiarum in Urbe exiſtentium Diaconos, in ſingulis ſaltem duos, ut ejusdem Sylveſtri Papæ in Romano Concilio inſtitutio*

2da.

*) Celebratum eſt hoc Concilium ſedente MELCHIADE, ante Sylveſtrum & Nicænum I., an. 314. (ut HARDUINUS refert) Neocæſareæ, quæ poſtea *Trapezuntium* dicta eſt.

**) Vide ſupra [illegible]

edita oſtendit Can. eod. 6to, ſupra á nobis §. 9. relato; cujus conjecturæ veritate ſuppoſita, Bellarmini ratio, hypotheſi ſeptem præciſe Diaconorum non ſatis ſtabilita, nequidem eam, quam alias, contra Panvinium vim habet.

§. XVIII.

3tia. Ad 3*tium*, quemadmodum Cardinales *Epiſcopi* omnium poſtremi erant, qui id nomen in Eccleſia Romana ſæculo primum octavo ſortiti ſunt *); ita & *primam* Cardinalium appellationem prioribus introductam ſæculis, ejusque nativam velut conditionem fruſtra ab hoc poſteriori ævo requirimus.

§. XIX.

4ta. Unde 4*to* nec inficiamur authoritatem *Concilii Meldenſis* **); neque ea, quæ ex *Joanne Diacono* relata ſunt; e quibus, cum Diaconus ſæculi 8vi ſcriptor ad Gregorii M. tempora, qui ſæculo 6to floruit, eam in loquendo phraſin retulerit; Synodus vero illa poſterius etiam, ad annum ſæculi 9ni 45tum celebrata ſit, nulla ex his teſtimoniis ſuppetit ratio convincens dicendi, Cardinales primitus ac potius a Titulis, ſive Eccleſiis, quam ab impoſito munere, ſecundum dicta, nomen eſſe mutuatos.

§. XX.

Vox Cardinalis videtur perſonis prius, quam Eccleſiis attributa.

Jam vero ſi ſubſiſtunt, quæ ſupra attigimus (§. 11.) partim infra gravibus ex documentis referemus (§. 23.) Cardinales a *Regionibus* primum, deinde *Titulis* nomen & diſcrimen eſſe ſortitos, ac proinde Titulorum ſaltem uſum, & ad Cardinales diſtinguendos translationem poſteriorem fuiſſe; ſequi videtur, Cardinalium nomen primo non Eccleſiis & Titulis, ſed *Perſonis* fuiſſe impoſitum (iis nimirum, quibus potior præ cæteris Euchariſtiæ, Baptiſmi, ac proferendæ latius doctrinæ Chriſtianæ cura commiſſa fuit) atque ab his ad Titulos &c. dimanaſſe. Rurſum ita arguimus: Cum a primis Eccleſiæ ſæculis in Hiſtoricorum monumentis Cardinalium nomen Perſonis diverſis in locis tribuatur (Vid. dicenda §. ſeq. & §. 27.) ejusdem vero nominis attributio facta ipſis Eccleſiis circa Gregorii primum tempora & Concilium Meldenſe (plus enim ex Bellarmini ratiocinio non conficitur) referatur; perſonis prius, quam Eccleſiis id nomi-

*) Vid. infr. §. 26.

**) Obſervanda hic, quæ FRANC. SYLVIUS in Summa Conciliorum Bartholomæi Carranzæ ex Florentino circa hunc canonem notat, videlicet: *Quos tamen conventus omnes* (Antiochenum, Ancyranum, & Neocæſarienſem ante Nicænum I. celebratos) *Synodus ipſa Nicæna comprobavit, nonnullis ejusdem Neocæſarienſis conventus de ſeptem Diaconis actis exceptis, quæ cum probanda non eſſent, reſellit.*

nominis adhæſiſſe, legitima conſecutione videtur inferri. Sequatur eruditus Lector rationes, quæ ex allatis plus momenti habere videbuntur.

§. XXI.

Obſervandum porro, nec Romæ *inventum* primitus Cardinalium nomen, ſed aliunde translatum *) fuiſſe; neque *ſoli* Romanæ Eccleſiæ inde proprium adhæſiſſe, cum & Annales veteres Cardinalium Eccleſiæ *Sueſſionenſis* in Gallia meminerint, & Gregorii M. tempore quilibet Presbyter aut Diaconus *vinculo ſtabili* Eccleſiæ ſuæ alligatus, Cardinalis Presbyteri aut Diaconi nomine veniebat, & juxta Gregorianam phraſin eidem *incardinabatur* **). Quin & in Galliis Parochos paſſim fuiſſe appellatos Cardinales ad Sæculum usque II., fidem facit incerti nominis author in ſuo *Tract. de Origine Cardinalium* (z). Nomen Cardinalium pluribus initio commune.

§. XXII.

Quæ tamen appellatio proceſſu temporis, poſtquam octavo ſæculo ipſi quoque ſeptem viciniores Epiſcopi Romæ ſuffraganei, Cardinalium deinceps nomine inſigniti, & in unum cum Presbyteris Cardinalibus & Diaconis, atque ipſo Pontifice collegium cooptati, *Proceres Cleri* ***), dicti ſunt, in aliis Eccleſiis extincta fuit, ſoli Romano Clero aſſerta, cæteris ab hujus uſurpatione vocis abſtinere juſſis: cumque Eccleſiarum *Compoſtellanæ*, *Ravennatenſis*, *Mediolanenſis*, & *Neapolitanæ* Canonici Cardinalium adhuc nomine uterentur, S. PIUS V. an. 1567. 13. Calendas Martii id fieri poſthac vetuit ****), hujus prærogativa nominis iis ſolum reſervata, qui ab ipſo ſupremo Eccleſiæ Capite nominati Cardinales, hoc Titulo decorantur. Soli Eccleſiæ Romanæ poſtea aſſertum.

§. XXIII.

Huc ea pertinent, quæ cum hac Cardinalium appellatione velut *ſecundario* connectebantur. De *Regionariis*, quos vocabant, diximus ſupra *****). Regiona- Acceſſoria hujus Nominis

*) Sub Hygino quosdam Cardinarios aut *Cardinales cognomento Præſidum Aſiæ* dictos fuiſſe retulimus ſupra §. 8.

**) Vid. ſupr. §. 13.

(z) Apud VAN ESPEN Part. 1. Tit. 22. cap. 1.

***) Vetuſtiſſ. author anonymus in vita Leonis III. apud THOMASSIN. Part. 1. L. 2. c. 116. n. 3.

****) VINCENT. DE PETRA Tom. Conſtit. ad Conſtit. 15. Eugenii IV.

*****) §. 9. & 11.

gionariis *Palatinos* quatuor additos fuiſſe, obſervat VICTORELLUS (*aa*) Referenda huc *ſubſcribendi* ratio, quam diverſis temporibus diverſam adhibebant. Videlicet a *regionibus* primo nomen & diſcrimen ſortiti ſunt; quod inter alia ex *Decretis* SYMMACHI eluceſcit, qui floruit anno 498; ubi tales reperiuntur ſubſcriptiones: „Ciprianus Diaconus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ regionis „ſeptimæ his ſubſcripſi, & conſenſi ſynodalibus conſtitutis, atque in hac me „profiteor manere ſententia. Anaſtaſius Diaconus regionis primæ ſubſcripſi. „Citonatus Diaconus regionis quintæ ſubſcripſi &c.„ Subinde a *Titulis ædificiorum & patrimoniorum* Eccleſiæ, quibus ex collationibus & legatis virorum, ac piarum & potentium matronarum Eccleſiam Romanam ditatam fuiſſe comperimus (*bb*), nuncupationis diſcrimen deſumebant; unde Tituli orti (quos ad diſtinctionem cæterorum velut *profanos* dicere licebit) *Equitii*, *Veſtinæ*, *Pammachii*, *Lucinæ*, *Julii & Calliſti*, *Damaſi Papæ*, *Paſtoris*, *Eudoxiæ*, *Æmilianæ*, *Creſcentianæ*, *Faſciolæ*, *Tygridæ* &c. ea quidem ratione, ut quando proventus legatorum *copioſi* erant, eidem Titulo *plures* præficerentur, ejusque nomine ſubſcriberent. Ita Titulo *Julii* unico *trium* reperitur ſubſcriptio, Pauli, Marcellini, & Septimii; Titulo *Equitii totidem*, Felix, Sebaſtianus, & Adeodatus; Titulo *Marcelli duo*, Timotheus & Venantius ſubſcribunt *).

a Titulis velut profanis,

§. XXIV.

& ſacris.

Atque hæc ſubſcriptionis & appellationis ratio eo tenuit uſque, dum Chriſtiani intra cæmeteria & abdita loca, Gentilium metu, ſacris conventibus operam dabant: Ut primum vero ſub Imperatoribus Chriſtiana religione initiatis libertate uti, atque in apertam lucem prodire licuit, Templa publica in Titulis ac domibus legatis, in Ss. *Martyrum* & *Confeſſorum* memoriam exſtrui cœperunt, quorum nomina titulis patrimoniorum adjicientes ita ſubſcripſerunt: „Laurentius Presbyter Cardinalis *S. Sylveſtri in Exquiliis*, *Titulo Equitii*; Joan„nes Presbyter Cardinalis *SS. Vitalis*, *Gervaſii & Protaſii*, *Titulo Veſtinæ*; „Deusdedit Presbyter Cardinalis *SS. Joannis & Pauli*, *Titulo Pammachii &c.*„: atque ita Titulos profanos *ſacris* ſociabant, qui & ordo deinceps ſervatus eſt **).

§. XXV.

Cardinales Epiſcopi,

Conſideranda hic demum diverſa Cardinalium *Epiſcoporum*, *Presbyterorum* & *Diaco-*

(*aa*) In notis ad *Ciacon.* cit. Vid. & infra §. 26. ſub nota *), & §. 28. ſub nota **).

(*bb*) Teſte AMMIANO MARCELLINO Scriptore ethnico Lib. 27.

*) Conf. dicta §. 15. ſub nota *)

**) Plura de his reperies apud CIACON. laudat.

Diaconorum *) appellatio: cujus diſcriminis ratio non ex ſacri, quo inaugurati ſunt, Ordinis gradu deſumenda eſt, ſed ex Titulo, in quo *Diaconia*, aut *Presbyterium &c.* conſtitutum eſt; quæ ex dicendis *Cap. 5.* illuſtrabuntur. Presbyteri, & Diaconi.

§. XXVI.

Et *Cardinalium* quidem *Epiſcoporum initia* ad STEPHANUM III. (alias IV) qui *Sæculo VIII.* an. 768. S. Sedem tenuit, referuntur (*cc*), qui ſeptem viciniores urbi Antiſtites ſelegit, ſibi ut ſacris operanti aſſiſterent, *diebus Dominicis in Eccleſia Salvatoris* (Lateranenſi) *ſuper altare S. Petri* divina myſteria *celebrarent*, aliique aliis in eo munere obeundo ſuccederent; eosque primus nomine honorifico *Cardinales* appellavit (*dd*), atque in idem cum Summo Pontifice, Metropolitano ac Patriarcha ſuo, collegium cooptatos, adminiſtrandæ Provinciæ & Eccleſiæ Romanæ rebus, tum ſuperſtite, tum extincto Metropolita, operam cum Cardinalibus cæteris conferre voluit. Atque ita Cardinales Epiſcopi omnium *poſtremi* erant, quibus illud cum nomine Cardinalium munus conferebatur. Ex reliquis S. R. E. Cardinalibus, Presbyteri Cardinales omnium cenſentur *antiquiſſimi*, inquit OLDOINUS cit. **) Initium Cardinal. Epiſcoporum. Quinam antiquiſſimi.

§. XXVII.

*) Notandus hic alter *Calvini* lapſus, qui loco cit. *Hic titulus* (Cardinalium) inquit, *Gregorii ætate in ſolos Epiſcopos competebat; nam quoties meminit Cardinalium, non Romanæ Eccleſiæ, ſed aliis quibuslibet eos attribuit, ut in ſumma nihil aliud ſit ſacerdos Cardinalis, quam Epiſcopus.* At Calvinus in exploratum errorem incidit. Nam S. GREGOR. L. 5. ep. 11. ad Fortunat. Epiſcop. Neapol. meminit *Diaconorum Cardinalium*, & L. 11. ep. 34. ad Joan. Epiſcop. Syrac. *Presbyterorum Cardinalium*; & JOAN. DIAC. L. 3. vitæ S. Gregor. c. 7. enumerat Epiſcopos, quos S. Gregor. ex *Presbyteris Cardinalibus* conſecraverat.

(*cc*) PAGIUS in vita Stephani III. THOMASSIN. cit. n. X.

(*dd*) Obſervat ad hunc locum BARON., hic *primam* de ſeptem *Epiſcopis Cardinalibus* mentionem reperiri. Eos autem recenſet JOAN. DIAC. L. de Eccl. Lateran. c. 8. *Epiſcopus Oſtienſis, qui debet conſecrare & benedicere Apoſtolicum, præ omnibus aliis; Epiſcopus S. Rufinæ ſecundus; Epiſcopus Portuenſis tertius; Epiſcopus Albanenſis quartus; Epiſcopus Tuſculanenſis quintus; Epiſcopus Sabinenſis ſextus; Epiſcopus Prænestinenſis ſeptimus.*

**) Verum id eſſe videtur, ſi primaria Cardinalitii muneris pars, & prima ejus initia reſpiciantur: *Summa enim*, ut ait POLYDORUS laudato c. 9. princ., ac præcipua *Dominici Gregis* (cum Pontifice) *paſcendi cura Presbyteris olim* & in Eccleſiæ exordio *incumbebat.* Aliter tamen loquendum, ſi tempus ſpectetur, quoad perfectiorem jam formam deductum, cum prærogativa quadam in Eccleſia Romana uſurpari cepit Cardinalium munus & appellatio, ſecundum dicta §. 11. & 12. Neque aliter intelligendus *Oldoinus*, qui & ipſe loc.

§. XXVII.

Cardinales Subdiaconi.

Demum *Cardinales* etiam *Subdiaconos* tempore S. Gregorii in Eccleſia Romana fuiſſe, teſtatur JOANNES DIACONUS (*ee*), quorum tamen participatio nominis duntaxat fuit, non muneris cum ſingulari cæterorum prærogativa, cum de eo documentum non extet; aut certe ſtabilem non fuiſſe, neque ad noſtra tempora deductum hunc Cardinalium gradum, conſtat. Hactenus de origine & antiquitate *Nominis* Cardinalium. De eorum *Numero* capite ſequenti dicendum.

CAPUT IV.

De numero S. R. E. Cardinalium.

§. XXVIII.

Numerus Cardd. *Diaconorum* ab initio:

De eo ex diverſis, non conſentiente penitus omnium calculo, iſta habemus. *Diaconi* Cardinales initio *ſeptem* tantum (Vid. §. 9.) ſinguli binis urbis regionibus præerant. Aucto fidelium numero ſtatutum, ut in ſingulis regionibus ſinguli eſſent, atque ita *quatuordecim* (*ff*) conſtituti Diaconi. Paucis poſt annis *quatuor* ſuperadditi a S. GREGORIO III. *), quorum erat, in Lateranenſi Baſilica miniſtrare; unde quatuor iſti dicti *Palatini*, quemadmodum quatuordecim Regionarii: atque ita ad *octodecim* numerus Cardinalium Diaconorum aſcendit **); quem numerum *ante* HONORIUM II. ſolus *exceſſit* PASCHALIS II. (*gg*), quo ſedente Cardinales Diaconi *triginta* ſimul numerabantur ***).

§. XXIX.

loc. cit. poſt paucos §§. teſtatur, Cardinales *Presbyteros* creatos eſſe paulo poſt *Palatinos*, quorum exinde appellatio ac munus ceſſavit: ipſos autem Palatinos *Regionariis*, in Concilio Romano cognominatis *Cardinalibus* poſteriores fuiſſe, retulimus ſupra §. 23.

(*ee*) L. 3. ep. 7., relatus a THOMASSIN. n. VII.

(*ff*) VICTORELLUS & OLDOINUS citt.

*) Sedit GREGORIUS III. ab an. 731.

**) MABILLON. Muſ. Ital. Tom. 2. cit. ponit *Regionarios* 12. *Palatinos* ſex. Conferantur dicta §. 23. ſub lit. *aa*).

(*gg*) Ad an. 1099.

***) De eodem PASCHALE II. ſcribit PLATINA in ejus vita, in pluribus per eum celebratis promotionibus Cardinalium numerum univerſim *ad monageſimum* fuiſſe perductum.

§. XXIX.

Qui vero hactenus creverat Diaconorum Cardinalium numerus, HONORIO II. Pontifice (*hh*) *imminui* paulatim cepit, ac decrescere, ut non nisi *tres* (secundum alios *quatuor*) Diaconi Cardinales aliquando supereſſent, prout in electione Nicolai III. (*ii*) contigit; cujus rei ratio §. sequente apparebit. *Aucto* subinde *denuo* ac sensim eorum numero, PAULO III. Pontifice (*kk*) *novendecim*, PIO vero IV. Ecclesiam moderante (*ll*) *viginti quatuor* numerati sunt.

Subinde decrescens, ac rursum auctus.

§. XXX.

De *Cardinalibus Presbyteris* (quorum initium ad *Sæcul. VIII.* post tempora GREGORII III., & annum 731. ex Oldoino verosimiliter §. 26. posuimus) traditum accepimus, eorum numerum ad *viginti octo* ascendisse; ita, ut per quatuor septenarios divisi, in quatuor Patriarchalibus Romæ Ecclesiis instituerentur; qui numerus *integer perduravit*, ut habetur ex PANDULPHO PISANO (*mm*) *usque ad* HONORII Papæ II. *tempora*; quo sedente ab an. 1125. (uti §. præcedente de Cardinalibus Diaconis monuimus) paulatim decrescere cepit numerus & ipse Cardinalium Presbyterorum: his enim fato decedentibus, tunc primum Titulis suo Rectore orbatis, per Pontificem de novo Presbytero provideri intermissum, neque, ut antiquitus consuetudo ferebat, mox in defuncti locum alter subrogatus Presbyter Cardinalis; unde factum, ut aliquando nonnisi duo Presbyteri Cardinales viventes in Collegio essent, prout sub ALEXANDRI III. (*nn*) obitum, & URBANI IV. creationem (*oo*) contigit*).

Cardd. *Presbyteri* initio 28.

Sub Honorio II. decrescit numerus.

(*hh*) Ad an. 1125.

(*ii*) Ad an. 1277..

(*kk*) Ad an. 1545.

(*ll*) Circa an. 1560.

(*mm*) In vita GELASII II., qui vixit Sæculi 12. anno 18.

(*nn*) Ad an. 1181.

(*oo*) Ad an. 1261.

*) Cur HONORIUS II. primo, ejusque exemplum secuti Rom. Pontifices Cardinalium numerum ita diminui passi sint, causa hæc erat. Videlicet sedente CALLISTO II. Honorii decessore in CONCILIO LATERAN. I. ad an. 1122. pax inter Ecclesiam Rom. & Imperium sub HENRICO V. post longissimum dissidium & multa schismata ob Sacerdotiorum investituras exorta, restituta fuerat; in qua inter cætera multa cautum fuit, ut Romani Pontificis electio ad Cardinales, Clerumque Urbanum pertineret, neque amplius Imperatores jus aliquod, ut hactenus, haberent in Romanorum Pontificum

§. XXXI.

Epocha inter Honorium II. & Nicolaum III.

Adque hæc fere ſunt, quæ circa *determinatum*, ſpeciatim Cardinalium Presbyterorum numerum, afferre licet: deinceps enim poſt HONORIUM II. ad poſtrema usque tempora Cardinalium numerum absque diſcreta vel diſtincta Cardinalium ſive Diaconorum ſive Presbyterorum recenſione communiter Scriptores exhibent; ea quidem ratione, ut in epocha inter HONORIUM II. & NICOLAI III. electionem intermedia (h. e. ſpatio 152. annorum) numerus ille continuo decreverit. Qui enim prius (additis ad 28. Presbyteros Diaconis 18. & Epiſcopis 7.) ad *quinquaginta tres* determinatus erat, ſenſim dilabi, & in incertum reduci cepit. Primo enim ſub INNOCENTIO II. aut COELESTINO II. *) *quadraginta* eſſe ceperunt: mox 35, deinde 30, poſtea 25, 20, ac 10; demum ex Cardinalibus tantum *octo* collegium conſtabat, quatuor ſcilicet Presbyteris, totidemque Diaconis; quibus pauciores nunquam dicuntur numerati.

§. XXXII.

Actus rurſum numerus ſub Nicolao III.,

Exinde augmentum rurſum accepit numerus; quippe NICOLAUS III. unica promotione *decem* creavit Cardinales. A Pontificatu BONIFACII VIII. (*pp*) (qui aliis VII. dicitur) usque ad SIXTI IV tempora Cardinalium numerus *trigeſimum*, PALEOTTO affirmante (*qq*) non exceſſit, aut ſecundum alios non attigit **); maxime, cum in CONSTANTIENSI CONCILIO

ficum creationibus: cumque ob Cardinalium multitudinem pleraque chiſmata in novis Rom. Pontificum electionibus orirentur (nondum enim electionis valor ad duas Cardinalium tertias lege reſtrictus erat) huic malo medelam facturi Rom. Pontifices, Cardinalium numerum imminui paulatim fecerunt. THOMASSINUS P. I. L. 2. c. 1. 4. num. 13. addit, Patres Purpuratos Pontifici dixiſſe, *ſe ipſa numeroſitate vileſcere.* 2. Exiſtimare quosdam, Italos machinatos fuiſſe, ut ea dignitas ſuæ tantum genti vindicaretur; quod Thomaſſinus ſe ait colligere ex verbis PII II., quæ in Commentariis ſuis reliquit: *Se Pontificem non poſſe Regum ac Principum tranſalpinorum preces effugere; nec ſui honoris eſſe, nationes exteras præterire &c.*

*) Sedit INNOCENTIUS II. an. 1130. COELESTINUS vero II. an. 1143.

(*pp*) Sæculo 13. in fine.

(*qq*) Apud OLDOINUM cit.

**) PAPHAEL tamen VOLATERRANUS, dum URBANI VI. acta recenſet, qui inter Bonifacium VIII. & Sixtum IV. ſedit, ab hoc Pontifice una die 29. Purpuratos Patres priori numero additos fuiſſe, traditum reliquit; & PLATINA in vita ejusdem URBANI VI. ſcribit, in quatuor Ordinationibus *quadraginta & octo* Cardinales ab hoc Pontifice creatos fuiſſe: Quæ ſi ſubſiſtunt, anſam huic exceſſui dediſſe videtur ſchiſma contra Urbanum

LIO (*rr*) cautum fuerit, ne plures ſimul Cardinales quam *viginti quatuor* vivi numerarentur. Cujus tamen Decreti Conſtantienſis nulla ratione habita, primus Cardinalium numerum præ ſuis anteceſſoribus maxime ampliavit SIXTUS IV. (*ss*); qui *triginta* Purpuratos Patres in univerſalis Eccleſiæ adminiſtratione coadjutores habuit; quem ſecutus ALEXANDER VI. (*tt*), ad *quinquaginta* numerum illum perduxit; quin tamen alteruter, aut alius Romanorum Pontificum antiquum illum *quinquaginta trium* numerum eatenus excederet, cum nec eum attigerint. Sixto IV. Alexandro VI.

§. XXXIII.

At vero LEO X. (*uu*) omnium Romanorum Pontificum primus (inquit PANVINIUS (*xx*), qui antiqui Inſtituti ratione non habita, magna illa Cardinalium *triginta & unius* creatione, veterem & antiquum, atque a nullo unquam Romano Pontifice ſuperatum numerum 53. longe exceſſit *), ita ut ſub Leone *ſexaginta duo* juxta Oldoinum, ſecundum alios *ſexaginta quinque* ſimul Cardinales recenſiti ſint. Leonis inhærentes veſtigiis PAULUS III. & IV., PIUS IV. & GREGORIUS XIII. (*yy*) ad majorem præ omnibus numerum **), nimirum ad *ſeptuaginta ſex*, HIERONYMO PLATO & MOSCONIO teſtibus, ſacrum Collegium auxere (*zz*). Atque hæc memoranda erant de numero Eminentiſſimorum Cardinalium ante poſtremam, ac noviſſimam SIXTI V. Con- Leone X. & aliis, usque ad Sixtum V.

num VI. excitatum, ubi diviſis Cardinalibus, tribus eorum Collegiis tres omnino Pontifices vallatos videre erat. De quo vid. SANDINIUS in Vita *Urbani* ad an. 1378.

(*rr*) Seſſ. 33. Idem in BASILEENSI ſancitum fuiſſe, teſtatur LÆLIUS ZECCHIUS *de Republ. Eccleſ.*

(*ss*) Sedit ab an. 1471.

(*tt*) Eod. Sæc. 15. in fin.

(*uu*) Pontificatum geſſit ab an. 1513.

(*xx*) L. de Titul. & Diaconis Cardinal. cit.

*) Pontifici viciſſitudinem iſtam conjuratio nefaria, quam unus e ſacro Collegio contra eundem moverat, perſuaſit, prout habemus ex RAYNALDO ad an. 1517.; de multorum quippe tunc fide addubitans, huic ſe malo mederi poſſe deſperaverat, niſi adlectis novis in ſacrum Senatum Patribus adverſantium conatus elideret.

(*yy*) Eod. Sæc. 16.

) Intellige poſt Honorii II. tempora, propter dicta §. 28. ſub not. *)

(*zz*) Acerbiorem hic, quam par ſit, *Panvinii* ſtylum, quo iſta in amplificando Cardinalium Cœtu ſtudia perſtringit, notat & refellit laudatus ſupra Cap. II. nr. VII. *Auctor Operis de Majeſtate Hierarchiæ Eccleſiaſt.*

Conſtitutionem, de qua iis, quæ ad numerum Cardinalium Epiſcoporum pertinent, breviter expoſitis, mox dicemus.

§. XXXIV.

De numero Cardd. *Epiſcoporum.*

Itaque *Cardinalium Epiſcoporum* numerum *ſeptenarium* initio fuiſſe §. 26. ſub lit. dd) indicavimus, atque ibidem recenſuimus. Mutationem tamen & ille ſubiit. Sub *Paſchale* quippe II. (de quo §. 28. ſub nota "") Epiſcopi Cardinales *decem* numerati, affirmante PLATINA §. eod. 28. allegato. Ac porro ſeptem ſupra recenſitis Cardinalibus Epiſcopis, variis de cauſis a variis Pontificibus alii additi; ut ſub LEONE IX. & PASCHALE II. (*ba*) Epiſcopus *Veliternus*; ſub *Clemente III.* Antipapa, & URBANO II. (*bb*) *Nepeſinus*, ac ſub eodem Urbano *Labicanus*; ſub PASCHALE III. (*bc*) *Parmenſis*; ſedente INNOCENTIO II. (*bd*) Archiepiſcopus *Piſanus*, & Epiſcopus *Mutinenſis*, *Ortanus*, *Tiburtinus*; ac noviſſime ſub LEONE X. (*be*) *Reatinus*, & iterum *Tiburtinus*; e quibus tamen rurſum quædam Eccleſiæ Cardinales aliis adjunctæ, plures a diverſis Romanis Pontificibus eo honore exutæ leguntur, prout §. ſequens docebit, modernam repræſentans Eccleſiæ circa numerum Eminentiſſ. Cardinalium diſciplinam.

§. XXXV.

Numerus *hodiernus* Eminentiſſ. Cardd.

Noſtris itaque *temporibus* Purpuratorum Patrum numerus ex Conſtitutione SIXTI V. *) *Septuageſimum* non excedit; ex quibus *Cardinales Epiſcopi ſex* **), *Presbyteri quinquaginta*, *Diaconi quatuordecim*. In quo quidem numero auguſta dignitatis luce Eccleſiam ita ornant Purpurati Senatores, ut non modo ex numero (quod ſupra in obſervat. ad §. 31. metuere quidam videbantur) nihil ei decedat, ſed aucto potius dignitatis ſuæ incremento illuſtrius inde reſplendeat.

CAPUT

(*ba*) *Sæcul. XI.*

(*bb*) Eod. *Sæc. XI.*

(*bc*) *Antipapa* poſt annum *Sæc.* 12. 59*num.*

(*bd*) S. Sedem tenuit ab anno *Sæculi* 12. 30*mo.*

(*be*) Vid. §. 33. ſub lit. uu.)

*) Conſt. 50. §. 9. Vid. VAN ESPEN J. Eccl. Univ. P. 1. Tit. 22. c. 1.

**) Eccleſia enim SS. *Rufinæ & Secundæ* (alias *Silvæ candidæ*) quæ ex dictis ad §. 36. ſecunda erat inter Eccleſias *ſeptem* Cardinalium Epiſcoporum, deficientibus propter crebras Barbarorum incurſiones incolis, a CALLISTO II. poſt annum Sæculi 12. 18vum Portuenſi adjuncta eſt. Ex reliquis §. præced. enumeratis *Veliterna* EUGEN. III. (qui poſt annum 1145. cum ſumma poteſtate Eccleſiæ præfuit) cum Oſtienſi conjuncta fuit, cæteris, uti diximus, ea prærogativa ſpoliatis.

CAPUT V.

De Titulis Eminentiſſimorum Cardinalium differitur.

§. XXXVI.

Tituli Eminent. Cardd.

Tituli Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium hoc loco dicuntur & ſunt parva Diœceſis & Eccleſia, cui Cardinalis præficitur, & unde appellationem nanciſcitur ſuam; Cardinalibus enim *Epiſcopis* pro Titulo ſunt Eccleſiæ Cathedrales, quas obtinent. Agendum hic breviter de prima Titulorum *erectione*, tum de erectorum quorundam *ſuppreſſione* & novorum *ſuſcitatione*. Demum *hodierna* Titulorum *ratio* exponenda.

§. XXXVII.

Presbyterorum.

Tituli (*initio* diviſi *Presbyteris* *) pauci fuere, videlicet *ſeptem*, quorum inſtitutio communius *Evariſto* tribuitur, prout §. 7. monuimus. Creſcente Fidelium numero ad *octo* ſupra *viginti* aucti ſunt, qui numerus in Synodo ROMANA ſub SYMMACHO (*bf*) celebrata deſcriptus invenitur, & apud ANASTAS. BIBLIOTHECAR. Eosdem 28. Presbyterorum Titulos per *quatuor ſeptenarios*, ſecundum quatuor Patriarchales Romæ Eccleſias, quibus Cardinales Presbyteri adſcripti erant, recenſent SPECULATOR (*bg*), ALVEOTUS (*bh*), BARTHOL. CASSANEUS (*bi*), & PANVINIUS (*bk*); ad quos Lectorem, cum hic fuſioribus eſſe nobis non liceat, remittimus.

§. XXXVIII.

Mutatio Titulorum pro Presbyt. Cardd.

Ex his 28. Titulis *ſeptem* proceſſu temporis *mutati*, *quinque* vero recens *erecti*, ut ex Synodo Romana ſub S. GREGORIO M. (*bl*), apud eundem ANASTASIUM conſtat. Mutationem variam, quæ ſub diverſis Pontificibus ab anno *Sæculi decimi quinti* 77. usque ad noſtra tempora, videlicet a SIXTO IV. usque

*) Obſerventur hic tamen, quæ de antiquitate Cardinalium Presbyterorum & Diaconorum notavimus ſupra ad §. 26.

(*bf*) Apud HARDUIN. ad an. 499.

(*bg*) Tit. de Leg. §. *ſequitur*.

(*bh*) In d. Tit. Epiſcop.

(*bi*) 4. p. Cat. gloriæ mundi, Conſiderat. 12.

(*bk*) De Tit. & Diaconiis Cardd.

(*bl*) Ad finem Sæc. 6. & an. 59.

usque ad PAULUM V. circa titulos partim recens*) erectos, partim extinctos, translatos, aut reſtitutos interceſſit, accuratius perſequitur AUGUST. OLDOINUS ſæpius laudatus. Nos omiſſis his, ea, quæ moderno uſu obtinent, ſubjicimus, ita quidem, ut Titulos *viginti octo* primitus erectos charactere, quem vocant, antiquo; recens additos charactere, quem *Italicum* dicunt, exhibeamus, ſecundum ordinem atque uſum hodiernum repræſentatos.

§. XXXIX.

Tituli Presbyterorum Cardinalium poſt tempora PAULI V.

1. S. *Crucis in Hieruſalem*, ſubſtitutus in Concil. Romano ſub Gregor. I.
2. *SS. Petri & Marcellini*, Subſt. in Conc. Rom. Greg.
3. *SS. Quatuor Coronatorum*, ſubſtitutus in eod. C.
4. SS. Joann. & Pauli, *alias Pammachii.*
5. S. Anaſtaſiæ.
6. S. Sabinæ.
7. *S. Stephani in Monte Cœlio*, ſubſtit. in C. Rom. ſub Greg.
8. S. Clementis.
9. *SS. Nerei & Achillei*, ſubſtitutus ibid. *alias Faſciolæ.*
10. S. Suſannæ, *alias S. Gabinii & Suſannæ.*
11. S. Pudentianæ, *alias Paſtoris.*
12. *S. Sixti*, ſubſtit. in C. R. Greg. *alias Tigridis.*
13. S. Petri ad Vincula, *alias Eudoxiæ.*
14. S. Martini in montibus, *alias Equitii.*
15. S. Euſebii.
16. S. Priſcæ.
17. *S. Calliſti.*
18. S. Marci.
19. S Marcelli, *alias Lucinæ ſecundæ.*
20. S. Laurentii in Lucina.
21. SS. 12. Apoſtolorum.
22. S. Laurentii in Damaſo.
23. *S. Balbinæ*, ſubſt. in eod. Conc. Rom.
24. S. Cæciliæ.
25. S. Chryſogoni.
26. S. Praxedis.
27. S. Mariæ trans Tyberim.
28. *SS. Quirini & Julitæ.*
29. *S. Joan. ante port. Latinam.*
30. *S. Agnetis in Agone.*
31. *S. Laurent. in pane & perna.*
32. *S. Thomæ in Pariene.*
33. *S. Sylveſtri in Campo Martio.*
34. *S. Pancratii.*
35. *S. Bartholom. in Inſula.*
36. S. Matthæi in Merulana.
37. *S. Mariæ de Ara Cœli.*
38. *S. Mariæ in Via.*

39. S.

*) Pontifices, ſub quibus dictæ mutationes interceſſerunt, recenſentur SIXTUS IV., LEO X., JUL. III., PAUL., IV. PIUS IV. & V., SIXTUS V., CLEMENS VIII., & PAULUS V.

39. *S. Mariæ ſuper Minervam.*
40. *S. Mariæ in Thermis.*
41. *S. Hieronymi Illyricorum.*
42. *S. Onuphrii in Janiculo.*
43. *S. Auguſtini.*
44. *S. Mariæ de Populo.*
45. *S. Alexii in Aventino.*
46. *S. Cæſarii.*
47. *S. Mariæ de Pace.*
48. *S. Salvatoris in Lauro.*
49. *S. Petri in Monte aureo.*
50. *SS. Trinitatis in Monte Pincio.*

51. *S. Mariæ Tranſpontinæ.* *)

§. XL.

Diaconias XVIII. ſive Titulos Cardinalibus Diaconis *antiquitus* aſſignatos ſeqq. nominibus expreſſas ſubjicimus; ita quidem, ut quatuor a SIXTO V., qui Diaconias ad antiquum *quatuordecim* numerum redegit, ſuppreſſas, charactere itidem *Italico* exhibeamus. De Tituli Cardd. *Diaconorum,*

§. XLI.

Tituli Diaconorum Cardinalium.

1. S. Mariæ in Dominica.
2. *S. Lucæ in Circo juxta ſeptiſolium,* ſuppreſſus a SIXTO V.
3. S. Mariæ novæ.
4. SS. Coſmæ & Damiani.
5. S. Hadriani.
6. *SS. Sergii & Bacchi, ſuppreſſ. ab eod.*
7. *S. Theodori,* ſuppreſſ. ab eod.
8. S. Georgii in Velabro.
9. S. Mariæ in Coſmedin, alias Scholæ Græcæ.
10. S. Mariæ in Porticu.
11. S. Nicolai in Carcere Tulliano.
12. S. Angeli in Piſcina.
13. S Euſtachii juxta Pantheon.
14. S. Mariæ in Aquiro.
15. S. Mariæ in Via lata.
16. S. Agathæ in Equo marmoreo.
17. *S. Mariæ in Silice,* alias Caput Suburræ vel Orpheæ, ſeu S. Luciæ, ſuppreſſ. a Sixto V.
18. SS. Viti & Modeſti in Maçello Martyrum.

§. XLII.

*) *Retentis* itaque *viginti* ex Titulis primitus inſtitutis, omiſſi octo, *S. Creſcentianæ, Faſciolæ, S. Caji, S. Cyriaci, Veſtinæ* (alias SS. Gervaſ. & Protaſ. vel S. Vitalis) *S. Æmilianæ, S. Nicomedis. Tigridis.* Ampliorem de his intelligentiam ſuppeditabit OLDOINUS l. c. *Obſervandum præterea,* Titulos *Præsbyterorum* Cardd. poni hic 51., cum reipſa ſint Cardinales Presbyteri nonniſi 50.. cujus rei ratio eſt, quod eorum unus ex Decreto CLEMENTIS VII. ſemper Vicecancellarii proprius ſit; ita ut, ſi Vicecancellarius ad *Epiſcopi* dignitatem aſcenderet, vel Cardinalis *Diaconus* eſſet, ſemper retineret Titulum *S. Laurentii,* dum Vicecancellarii munus exercet.

§. XLII.

& Epiſcoporum. Cardinalium demum *Epiſcoporum* Eccleſias *Cathedrales*, quas pro Titulo iisdem eſſe §. 36. monuimus, exhibet ſequens eorum recenſio:

I. Epiſcopus Cardinalis *Oſtienſis.*

II. Epiſcopus Cardinalis *SS. Rufinæ & Secundæ, alias Silvæ candidæ.*

III. Epiſcopus Cardinalis *Portuenſis.*

IV. Epiſcopus Cardinalis *Sabinus.*

V. Epiſcopus Cardinalis *Præneſtinus.*

VI. Epiſcopus Cardinalis *Tuſculanus.*

VII. Epiſcopus Cardinalis *Albanus.*

E quibus Eccleſiæ *SS. Rufinæ & Secundæ*, juxta dicta in obſervatione ad §. 35. *Portuenſi* adjuncta, numerum hodiernum *Senarium* Cardinalium Epiſcoporum relinquit.

§. XLIII.

Concluſio. Dedimus nunc, quæ ad *Originem & Antiquitatem* Eminentiſſimorum Cardinalium ex antiquorum & recentiorum documentis pertinere videbantur. Quæ ad eorundem Purpuratorum Senatorum *Munia & Prærogativas* ſpectant, ampliori Diſſertationi materiem, ubi locus & occaſio tulerit, ſuppeditabunt.

A. M. D. G.

X.

EJUSDEM AUTHORIS DISSERTATIO ALTERA DE MUNIIS ET PRAEROGATIVIS EMINENTISSIMORUM S. R. E. CARDINALIUM.

Heidelbergae Anno 1768.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

CAPUT I. *De* Munere eligendi *ſupremum Eccleſiæ Caput*, *ſive* Pontificem.

CAPUT II. *De* munere adminiſtrandi *cum Pontifice*, *aut Vicario nomine* Eccleſiam.

CAPUT III. *Eminentiſſimorum Cardinalium* Prærogativæ ex Dotibus *eligendorum.*

CAPUT IV. *Prærogativa ex Gradu*, *quem* in Hierarchia Eccleſiaſtica *obtinent.*

CAPUT V. *Prærogativæ ex* Privilegiis *Purpuratorum Patrum Ordini ſpeciatim conceſſis.*

CAPUT I.

De munere eligendi ſupremum Eccleſiæ Caput, ſive Pontificem.

§. I.

Poſt expoſitam ſuperiori Diſſertatione Eminentiſſimorum Cardinalium *Inſtitutionem* & *Antiquitatem*, ſupereſt, ut de eorundem Purpuratorum Præſulum Ordo & diviſio Diſſert. præſentis.

ſulum *Muniis* ac *Prærogativis* reliqua differamus. *Officium* (omiſſis hic iis, quæ Differt. primæ §. 5. 8. ſeqq. ad prima Eccleſiæ ſæcula retulimus) una ſub Purpura duplex eſſe cognoſcitur: alterum, Pontificem orbi ſuffragio dare; alterum eidem ſupremo Hierarchæ in adminiſtrandis univerſalis Eccleſiæ rebus operam commodare, ac partem in ſe curarum ſuſcipere. *Prærogativæ* ex eorum, qui ſacro Cardinalium Collegio adlegendi ſunt, dotibus, tum ex gradu, quem in ſacro Eccleſiæ Principatu obtinent; ac demum ex privilegiis Eminentiſſimo Ordini ſpeciatim conceſſis, recte colliguntur. De ſingulis ex ordine quædam in medium proferenda.

§. II.

Munus nominandi Pontificem.

Inter munia primum eſſe diximus, ſupremum orbi Catholico Paſtorem ſuffragiis deſignare. Huic ut rei lucis aliquid afferamus, haud abs re erit, neque citra hujus ſcopum argumenti, exponere primo modum triplicem, cujus in creatione ſummorum Antiſtitum ſacri annales meminerunt; *Inſtitutionis* videlicet, *Subſtitutionis*, & *Electionis*; deinde vero referre morem ac ritum varium, qui in Pontificum etiam *electionibus* per diverſa Eccleſiæ ſæcula interceſſit, antequam oſtendamus, quo pacto ad ſolos Cardinales nominandi Pontificis provincia devolveretur, ac ea demum, quæ hodie obtinet, electionis ratio ex GREGORII X. inſtituto in Concilio LUGDUNENSI ſanciretur.

Modus in creatione Summi Pontificis triplex.

§. III.

1. *Inſtitutionis.*

Inſtitutione (Divina Chriſti) ſolus S. PETRUS a Divino Redemptore, Sacerdotum & Pontificum ſupremo, poſt glorioſam ejus anaſtaſin Caput Eccleſiæ viſibile, & Pontifex in terris Maximus renuntiatus eſt iis apud Joannem verbis *a*): *Paſce oves meas;* ſecundam fidem a Chriſto alibi datam *b*): *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam . . . Et tibi dabo claves regni cœlorum;* qua promiſſione Divo Petro inter Sacerdotes & Pontifices Principatum, Primatum vero inter cæteras Eccleſias Romanæ conſtitutum fuiſſe, SS. Patrum doctrina conſtans, & Fidelium ſenſus ſemper fuit *).

§. IV.

2. *Subſtitutionis.*

Subſtitutione obtineri ſumma Sedes intelligeretur, ſi Pontifex anteceſſor Roma-

a) Joan. 21. v. 17.

b) Matth. 16. v. 18.

*) Præter ea, quæ in præſens argumentum late diſſeruntur in Theologia Tractatu *de Principiis Theolog.*, videri poſſunt Can. *Enimvero*, Can. *Ita Dominus*, Diſt. 17., Can. 1. *ſeqq.* Diſt. 22., Can. 53. 54. Diſt. 50., Cap. *Solitæ*, de Majorit. & Obed. &c.

Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopatum, Fideique Cathedram, ſucceſſori ab ſe vivente deſignato traderet, & tranſcriberet. Hac ratione a S. Petro Clementem in Pontificatu ſucceſſorem conſtitutum eſſe, augurantur plures, ex Can. *Si Petrus* 1. VIII. q. 1., eique ſubjecto §. *Unde ipſe;* & ex Can. *Oportet* 13., Can. *Clemens* 14. *ibid.* Verum conſecutione haud ſatis firma. Præterquam enim, quod Epiſtola illa S. Clementis ad Jacobum Fratrem Domini (ex qua Canones relati omnes deſumpti ſunt) ſerviorem criſin non ſuſtineat *), nube teſtium convincimur, proximos D. Petri ſucceſſores fuiſſe SS. Linum & Cletum, iisque martyrio coronatis S. Clementem denique ſuffectum. Atque ita ſentiunt IRENEUS *c*), EUSEBIUS *d*), OPTATUS MILEV. *e*), EPIPHANIUS *f*), AUGUSTINUS *g*), HIERONYMUS *h*), THEODORETUS *i*), cum quibus aliisque PP. & Scriptoribus idipſum probant BARONIUS *k*), BINIUS *l*), & RR. communiter cum PAPEBROCHIO in ſuo Conatu Chronologico *m*); atque idem ſentire videtur Eccleſia, in Canone Miſſæ Linum & Cletum Clementi anteponens. Unde & Interpretes cum GLOSSA *n*) Clementem a Petro deſignatum potius, & Clero Populoque commendatum, quam eidem ſuffectum docent; Clementem vero ſtudio demiſſionis, & ne ex Apoſtolica deſignatione facta ſucceſſio exemplo pernitioſa eſſet, jure ſuo ceſſiſſe, ac Petro Linum, huic vero Cletum *o*) electione ſucceſſiſſe **).

qui tamen neque in S. Clemente

*) Dicitur ſcripta illa epiſtola a S. Clemente poſt S. Petri obitum ad Jacobum Fratrem Domini; & tamen certum eſt, eundem Jacobum ad Dominum migraſſe ante S. Petrum, anno Neronis VII. juxta Euſebium. SCHELSTRAT. apud Papebroch. in Conatu Chronol. fol. 15.

c) L. 3. cont. Hæreſ. c. 3.

d) L. 3. Hiſtor. c. 2.

e) De Schiſmate Donatiſt. l. 2.

f) Hæreſ. 27. §. 6.

g) Epiſt. 165.

h) De Viris illuſtr. c. 15.

i) In ep. 2. Tim. c. 4.

k) Ad an. Ch. 69. n. 38., & an. 93. n. 1.

l) Tom. 1. Concil. p. 1. in Notis ad vitam S. Lini.

m) Differt. VI. fol. 15. & 16.

n) In Can. *Si Petrus* cit. *V. ligandi.*

o) CIACONIUS in vita S. Lini. NATALIS ALEX. Hiſt. Eccl. Differt. 13. Card. PETRA in Conſt. 5. Clem. V., BARBOSA in Can. *Si Petrus* cit. n. 5.

**) Quæſtionem juris, *an & in quo caſu Pontifex ſucceſſorem ſibi in B. Petri Sede deſig-*

§. V.

neque in seqq. sæculis locum habuit.

Neque aliud hujusmodi substitutionis in consequentibus Ecclesiæ sæculis exemplum occurrit. De BONIFACIO quidem II. SANDINIUS *p*) ex BARONIO *q*) & PAGIO *r*) refert, eum, ut occurreret Regum Gothorum in designandis Pontificibus licentiæ, habito Romæ Concilio *Vigilium* Diaconum, qui sibi succederet, delegisse, consentiente Clero, consensumque & jurejurando, & chirographis confirmante. Quæ tamen res, utpote contraria sacris legibus, officiensque libertati Comitiorum, adeo postea Clericis & ipsi Bonifacio displicuit, ut alio coacto Concilio Decretum pœnitendum abrogaret, ignique traderet.

§. VI.

Constituti a Summis Pontific. Vicarii;

aut pro electione commendati.

Etsi vero ex Pontificibus cæteris fuerint, qui aut eam, qua pollebant, potestatem, vicario modo in alios transtulerint (qua ratione & S. Petrus Linum, Clementem & Cletum, cum Roma interdum abesset, Vicarios sibi constituit *) aut ante obitum Electoribus eos commendaverint, quos sustinendo Ecclesiæ regimini magis idoneos pro eo temporum statu judicabant; illud tamen ex omnibus molitus est nemo, ut authoritate sua Pontificium in alium devolveret. Atque ita LUCIUS I. a Volusiano exilio primum, dein gladii supplicio addictus, Stephano Archidiacono omnem, qua pollebat, potestatem (vicario modo) permisit *s*). GREGORIUS vero VII. triduo ante mortem *rogatus*, referente PAGIO *t*) *ut in tanta fidelium perturbatione sibi successorem designaret, trium dedit optionem; videlicet Desiderii Cardinalis & Abbatis Cœnobii Casinensis, atque Reverendissimorum Episcoporum Ottonis Ostiensis, & Hugonis Lugdunensis*; e quibus & post Gregorium Desiderius *u*) dictus Victor III., post hunc vero commendatus itidem a Victore moriente Otto, sub nomine *Urbani II.* summum in Ecclesia impe-

designare possit? (quam hic ab instituto nostro alienam lubentes prætermittimus) breviter discussam ex SUARESIO & AMICO reperies apud WIESTNER Instit. Can. Lib. 1. Tit. VI. a n. 349. Vid. & SANDINI annot. 1. in vit. Bonif. II., annot. 3. ad S. Hilarum (sive Hilarium) & annot. 4. ad Vitam PII IV.

p) In Vita hujus Pontificis.

q) Ad an. 531. §. 2. seqq.

r) Ad eundem an. §. 4.

*) PAPEBROCH. Dissert. III. sui Conat. Histor.

s) BARON. ad an. 257.

t) In Breviar. Rom. Pontif. ex Paulo Benridensi c. 109.

u) LEO *Marsicanus* sive *Ostiensis* L. 3. Chron. Casin. c. 72.

imperium obtinuit *x*). Rurſum Gelaſius II. *y*) ad extrema deductus *Conenem* Prænestinum Epiſcopum, aut, ſi is abnueret, *Guidonem* Archiepiſcopum Viennenſem tanquam magis idoneum regendæ inter tot tempeſtates Petri naviculæ deſignavit; e quibus & poſterior *Calliſti II.* nomine aſſumpto, controverſiam de Inveſtituris, quæ per annos quinquaginta Imperium & Sacerdotium inter ſe commiſerat, convocato Concilio LATERAN. I. ingenti Eccleſiæ bono compoſuit. CŒLESTINUS demum III. ad extrema vitæ confinia *Joannem a S. Paulo* Cardinalem Eccleſiæ præficiendum propoſuit, ac inſuper ſuam de abdicanda ſuprema dignitate voluntatem expoſuit, ſi ſuperſtiti ſibi ſucceſſorem intueri liceret *z*). Cujus quidem demiſſioni Cardinales tum univerſi obſtitere *aa*); nominatio vero tantum valuit, ut eodem, quo Cœleſtinus tumulo illatus eſt, die Joannes *Innocentii III.* nomine, conſentientibus votis ſufficeretur *bb*). Ex quibus apparet, etſi in aliis nominandis Præſulibus ſecundus iſte ſubſtitutionis modus locum aliquando habuerit, in ſupremis tamen Eccleſiæ Paſtoribus inſtituendis nunquam obtinuiſſe; ne videlicet ſummum Eccleſiæ Sacerdotium ab ordine Melchiſedech *) in ordinem Aaron deſcenderet, nec dignatio cœleſtis faceret Antiſtitem, ſed carnalis ſucceſſio generaret Sacerdotem. Quin & circa Præſules inferiores mori illi contraventum **), ut Eccleſia, quantum hæreditariam velut in Sacris ſucceſſionem averſaretur, oſtenderet.

§. VII.

Modus 3tius *electionis* inde a S. Pe-

Electione itaque ſuffecti ſunt, quotquot S. Petrum in ſupremo Eccleſiæ regimine

x) BARON. ad an. 1088. §. 1. PAG. §. 1.

y) Idem BAR. ad an. 1119. PAG. in Brev. ad Sæc. XII. fol. 583.

z) Idem ad an. 1198.

aa) ROGERIUS ejus temp. Scriptor, apud Baron.

bb) BARONIUS, cujus Annales deſinunt in electionem Innocentii III., & A. C. 1198. PAG., RAYNALD., SPONDAN. ad eund. an. 1198.

*) In V. L. Sacerdotes creabantur ſucceſſione, utpote aſſumpti ex ſola ſtirpe Aaronica. Melchiſedech vero Sacerdotii Chriſti typus, *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia* (ut ait Apoſtolus Hebr. 7. i. e. nulla ſui patris aut ſtirpis genealogia exiſtente venit in lucem, quo ſignificaretur, Sacerdotes fieri, non naſci. Vid. TURRECREMAT. l. 2. c. 103.

**) *Olim*, referente PAGIO juniore in Breviar. §. 5., *in more poſitum fuerat, ut Epiſcopi ſibi ſucceſſorem deſignarent.* At cum ſecus fieri cepiſſet, quam ut ſapientiſſimi quique deligerentur, morem illum interdicto ſuſtulit NICÆNA Synodus; cujus Nicænæ prohibitionis meminit AUGUSTINUS ep. 213. alias 110. HILARIUS quoque Pontifex ad an. 461. in Concil. ROMANO *Can.* 4. cavit, ne ullus Epiſcopus ſibi eligat ſucceſſorem.

tro obtinuit. Ejus *Epochæ quatuor*. Electio initio erat penes Clerum, & Pop. Rom.

gimine conſecuti ſunt. Quæ tamen electio neque ab iisdem ſemper, neque eodem modo celebrata fuit, ſed pro diverſitate temporum diverſo. *Epochas quatuor* ſecundum eventus & viciſſitudines celebriores commode diſtinguimus. *Prima* a S. LINO usque ad ortum ſub DAMASO ſchiſma *) ab an. C. 69. ad an. 367. extenditur; quo tempore penes Clerum Romanum **) & populum ea poteſtas fuit, ut illorum ſuffragiis, hujus vero accedente conſenſu ***) Pontifices renuntiarentur.

§. VIII.

Imperatorum ſubinde ac Regum authoritas varie interceſſit.

Altera periodus eſt a DAMASO (qui ſedere cœpit an. 367.) usque ad annum 684., & BENEDICTUM II., ſive rectius ZACHARIAM, & annum 741., ubi Pontificum electionibus *Imperatorum* ac *Regum Italiæ* authoritas varie interceſſit; ea ratione, ut ii *rogati* aliquando adverſus iniquos competitores Pontificem legitime creatum tuerentur; aliquando progreſſi longius electionis nego-

*) Sub initio Pontificatus Damaſi I. nonnulli ſive odio, ſive invidia alium Pontificem in Baſilica Sicini crearunt, Urſinum ſeu *Urſicinum*, Diaconum Romanum. *Quo ex facto tanta ſeditio, imo vero tanta bella coorta ſunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano ſanguine orationum loca.* RUFIN. l. 2. Hiſt. Eccl. c. 10; *conſtatque in Baſilica Sicini uno die centum & triginta ſeptem reperta cadavera peremptorum.* AMMIANUS MARCELLIN. l. 27. c. 3.

**) Cum Papa non tantum communis eſſet Eccleſiæ Hierarcha, ſed & Romæ Epiſcopus, decebat, ut non alius niſi Clerus Romanus in vota iret, quemadmodum & Metropolita a Clero Metropolis duntaxat eligitur, etſi univerſæ dein provinciæ præfuturus. Vid. THOMASSIN. de Benefic. p. 2. l. 2. n. 4. edit. Venet. de an. 1730.

***) Legi hic merentur, quæ Thomaſſinus proxime laudatus c. 2. & 3. refert de varia Eccleſiæ diſciplina tum in Oriente, tum in Occidente circa Epiſcoporum electionem; ubi tamen ſiquando (ſicut & apud alios authores) mentio occurrit *ſuffragii* populo in Antiſtitum creatione conceſſi, haud alio id ſenſu accipiendum eſt, quam aut præſentationis, ſive poſtulationis (*Can.* 1. *Diſt.* 62.) aut conſenſus (Can. Noſſe *Diſt.* 63.) aut teſtimonii de probitate electi (*Can. Vota Diſt. ead.* & apud NATAL. ALEX. *Hiſt. Eccl. ſæc.* 1. *Diſt.* 8.) ac univerſim ita, *ut ponderari magis deberent* populi *ſuffragia* ac diſcuti, *quam numerari*, ut ait THOMASSIN. c. 3. cit. n. 2., judicio ipſo atque eligendi jure ſolis ſemper Clericis reſervato. Neque obſtat S. CYPRIAN. ep. 52. dicens, Cornelium Epiſcopum ad Romanam Cathedram evectum de Clericorum teſtimonio, *& plebis, quæ tunc adfuit, ſuffragio:* mentem enim ſuam diſerte is explicat ep. 68., oportere, *ut Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur . . . ut ſub populi aſſiſtentis conſcientia vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur &c.* Adde Conc. SARDICENSE an. 374. Can. 2., LAODICENUM an. 356. Can. 13., ANTIOCHENUM ſub Julio ad an. 341. Can. 18., quibus conſonat NICÆNI II. Can. 3.

negotium *ſuarum* quoque *partium*, & nonnunquam cum *prærogativa*, eſſe vellent. Atque ita *Valentinianus* ad Patrum in Synodo Romana preces, Damaſi electionem adverſus Urſicinum auctoritate & poteſtate ratam habuit, expulſo ab uſurpata Sede Urſicino *cc*). Valentiniano fatis ſublato, & Urſicino rurſus in S. Sedem graſſante *Gratianus* ad ſupplices Synodi *Rom.* IV. *) literas Urſicinum in Gallias proſcripſit, lege lata, qua ſchismaticorum deinceps molitiones fortius cohiberentur. Majorem ſibi auctoritatem ſumſit Imp. *Honorius*, gliſcente ſub an. 419. Bonifacium I. inter & Eulalium diſſidio, Symmachi Urbis præfecti literis **) deceptus; in quibus cum Symmachus Eulalio addictus, totum jus ſacrorum Auguſto per aſſentationem aſſereret, is Bonifacium, Symmachi mendaciis circumventus, Urbe exeſſe jubet. A Clero ſubin veriora edoctus, utrumque, Bonifacium & Eulalium, Ravennam ad cauſam in Concilio dicendam evocat; Eulalio non comparente, S. Sedem Bonifacio decernit, lege inſuper lata, ut in eventu ſchiſmatis neuter deinceps Pontificio jure gauderet, ſed ad electionem novam procederetur. Honorii,

§. IX.

Majore adhuc auſu *Odoacer* Italiæ Rex Arianus, circa an. 476. per Baſilium Urbis Præfectum *dd*) edictum interpoſuit, *ne novus Pontifex absque ſuo conſenſu eligeretur*; rogatu, ut ajebat, Simplicii Pontificis, cum in extremis verſaretur. Oppoſuit prædictæ ſanctioni Synodus ROM. III. aliam, *ne in Pontificis electione laicorum præſumptio, utut Regia fulciretur poteſtate, locum ſortiretur* ***). Graviùs etiam Eccleſiaſticæ libertati præjudicium intulit *Theodoricus*, Gothorum & Italiæ Rex ad an. 498. Symmacho Pontifice, & Laurentio intruſo de Odoacris, Theodorici,

cc) SOZOMEN. l. 4. c. 11.

*) Extat epiſtola Synodi Tom. 2. Concil., cum reſcripto Gratiani Auguſti, ubi & habentur ſupplices alterius Synodi AQUILEJ., Præſide S. AMBROSIO, ad eundem Gratianum adverſus eundem Urſicinum.

**) Literas Symmachi recitat BARON. ad an. 418., quibus ea inſerta ſunt, quæ jam tanquam fundamentum juris majeſtatici Impp. circa Sacra, fruſtra a quibusdam circumferuntur. Porro ex hoc inter Bonifacium & Eulalium diſſidio factum exiſtimat PAGIUS in *Vita Bonif. c.* 3., ut Honorius primum, dein alii Italiæ Reges Pontificum electioni ſe immiſcuerint.

dd) *Can.* 1. Diſt. 96. Cap. *Eccleſia* 10. de Conſtitut. SIGON. de Impp. Occid. l. 25.

***) Acta hujus Synodi, etſi alibi non extent, ſummarie recenſet ANASTAS, in Vita Bonif. III.

de prima Sede concertantibus *ee*). Etſi enim Theodoricus, utroque ad ejus Ravennæ tribunal provocante, cauſam Symmacho legitimo Pontifici adjudicaverit, idem tamen ſubinde extincto Joanne Papa, *Felicem IV.* cum imperio obtruſit; neque interpoſitis exceptionibus inflecti ultra potuit, quam, ut Pontificem quidem more priſtino eligendum a Clero decerneret; a Rege tamen, exſoluta prius pecuniaria præſtatione, confirmandum *ff*). Continuata ſub Gothorum Regibus iſthæc Pontificis creandi ratio, exaſperata tunc fuit, cum lar-
Theodati. gitionibus adductus *Theodatus* Rex, *Silverium* objiceret, adjecta gladii comminatione, niſi Clerus ei, quem averſabantur, ſuffragia impertiretur *gg*).

§. X.

Ratio ejusdem electionis tempore Exarchorum ſub Juſtiniano I.,

Non inferiorem ſibi, quam Ariani Reges uſurpaverant, facultatem competere ratus *Juſtinianus I.* Imper. Catholicus. Is, cum Gothis Roma exactis quartum jam annum Roma potiretur, nullum ad S. Sedem admittere ſtatuit, niſi, quem aut ipſe, aut ejus Exarchus, ſive Apocriſiarius probaſſet *); qua etiam tempeſtate, acciſa vix non ex integro Eccleſiæ libertate, Pontificis inaugurandi Diploma certa pecuniæ ſumma redimenda fuit **). Hanc pendendi pro conſecratione tributi legem ſubinde ſuſtulit *Conſtantinus Pogonatus* pro reverentia, qua erga *Benedictum II.* ferebatur, relicta interim altera, qua, niſi Imperatoris juſſu, conſecrari Pontifices permiſſum haud erat *hh*); qua tamen ab eodem haud ita multo poſt abrogata, ei, quem Clerus populusque Pontificem dixiſſet, ſupremum illico imperium capeſſere more antiquo, haud requiſito Imperatoris aut Exarchi conſenſu licuit *ii*). Detractum nonnihil ab hac libertate fuit a *Juſtiniano II.* Pogonati filio, qui Pontificum confirmationem, quæ ab Impp. poſtulanda alias fuiſſet, ab Exarchis ſaltem Ravennæ petendam eſſe conſtituit; quod & in electione *Cononis* ad an. 686. factum eſſe conſtat *kk*). Neque ab impoſita hac neceſſitate immunem eſſe licuit, dum auctis in Italia

Conſtantino Pogonato,

& Juſtiniano II.

Longo-

ee) THEODORUS Lector l. 2. Hiſt. Eccl.

ff) OLDOIN. ad Ciacon. in Addit.

gg) ANASTAS. in ejus Vita.

*) Vid. PAPEBROCH. Con. Hiſt. pag. 116.

**) ANASTAS. in Vita Agathonis. MABILLON. Comment. in Ord. Rom. c. 17.

hh) DE MARCA l. 8. de Concord. c. 9. §. 10. ex Anaſtaſio.

ii) ANASTAS. in Vit. Bened. II. circ. an. 685.

kk) Idem in Vit. Cononis.

Longobardorum, ac debilitatis Exarchi viribus, *Zacharias Gregorio III.* ſuffectus fuit, & citra Exarchi aſſenſum conſecratus *).

§. XI.

Transmiſſa hæc a Zacharia ad poſteros libertas **), pacatius aliquanto, haud absque omni tamen viciſſitudine fluere fecit *ætatem* ſequentem *tertiam*, quam a Stephano II., Zachariæ ſucceſſore usque ad Nicolaum II. (ab an. C. 752. ***) ad an. 1058.) figimus. Neque nos hic morantur eorum placita, qui commentitium *Sigeberti* (Scriptoris ſchiſmatici, & Henrici IV. contra Gregorium VII. partibus addicti) canonem ſecuti contendunt, Hadrianum Papam cum univerſo Clero in Synodo Romæ ad an. 774. habita *Carolo M.* tradidiſſe jus & poteſtatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem; inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias a Carolo inveſtituram accipere, diffiniviſſe ****). Canonem quippe eum cum Synodo fictitium eſſe invictis argumentis demonſtrant acutiſſimi Critici, BARONIUS *ll*), GRETSERUS *mm*), VICTORELLUS *nn*), de MARCA *oo*) THOMASSINUS *pp*), SANDINIUS *qq*), &c., cujus & nos Canonis authentiam examinavimus in Specimine inaugurali ex Univ. Jure ſacro propoſito *rr*). Unde cum FLORO

Epocha 3tia a Stephano II. ad Nicolaum II. ſub Carolo M. & Succeſſoribus.

Canon e Sigeberto deſumptus fictitius

*) Ad an. 741. Deceſſerat Gregorius IV. Cal. Decemb., inauguratus eſt Zacharias eod. menſe & anno pridie Cal. Dec. *Breviſſimum hoc interregnum*, ait SANDINIUS annot. 1. in Zachar., *oſtendit, nec petitam nec exſpectatam ab Exarcho Ravennate confirmationem Pontificiæ electionis, & Romanam Eccleſiam demum vindicatam in libertatem.*

**) Teſte SANDIN. proxime laudato.

***) PAGIUS ad an. 555. n. 11. hanc Eccleſiæ liberationem refert ad regnum *Pipini*, cujus initia in annum 752., Zachariæ ultimum, & Stephani II, primum, incidunt.

****) Can. *Hadrianus* 22. Diſt. 63.

ll) Ad an. 774. n. 10., & an. 964 §. 22.

mm) Apolog. pro Baron. c. 1. & 2.

nn) Addition. ad Ciacon. in vita Hadriani I.

oo) De Concord. L. 8. c. 12. §. 9.

pp) De V. & N. Eccleſ. diſcipl. p 2. l. 2. c. 20. & 25., ubi *exempla primum omnia* depromit *Canonicarum electionum; tum fundamenta & exempla regiarum nominationum; poſtremo ex hac legum Canonumque & exemplorum farragine regulas quasdam univerſales & conſtantes elicit, ad quas tota illa veritas expendi & referri poſſit.*

qq) Diſſert. 19. ad vitas Pontif. Rom.

rr) In Diſſert. ad Cap. Hadrianus 22. cit. an. 1755. 6. Septemb. Heidelberg.

concludimus, qui tempore Caroli Calvi id nobis reliquit *): *Desiderio Longobardorum Rege ex Italia* (a Carolo M.) *expulso, electionem apud Clerum permansisse ad Leonem VIII. usque* **), *quæ & hodie* (scribebat autem Florus sub Carolo Calvo, ut dictum, ac proinde post Carolum M., Ludovicum I., & Lotharium I.) *Ecclesiastica adhucdum viget disciplina.*

§. XII.

stendi- ir. Illustrantur hæc ex Constitutione ***), qua post Carolum *Ludovicus Pius*, Paschale I. Pontifice, sanxit, ut „nullus seu Francus, seu Longobardus, aut de „qualibet gente homo sub sua Ludovici potestate constitutus . . . licentiam ha„beat, electionem (Rom. Pontificis) faciendi.„ Et licet eidem Constitutioni inseruerit, ut Pontifice *more Canonico* a Romanis electo & consecrato, legati tantum ad se, & successores Reges Francorum mitterentur, *amicitiæ, charitatis, & pacis* causa; tamen, cum Hadriano II. electo *Ludovici legati in Urbe præsentes haud invitati graviter id tulissent, accepta ratione, non contemptu Augusti, sed futuri temporis prospectu factum id esse* (*ne videlicet Legatos Principum in electione Rom. Præsulum exspectandi mos per hujusmodi fomitem inolesceret*) *acquievere, atque ad salutandum etiam ipsi humiliter accesserunt*; quod & factum Ludovicus ipse imperiali mox epistola comprobavit ****). *Lotharii* Decretum, (anno 824.) quo eadem libertas confirmatur, recitat COLETUS Tom. 9. Concil. p. 649. c. 3.*****) Ubi illud obiter advertimus, neque a Ludovico, neque a Lothario mentionem uspiam fieri privilegii in Carolum avum aut parentem ab Hadriano collati, cui ipsi per hujusmodi edicta renuntiarent. Omittimus recitare *Leonis IV.* Pontif. ad Lotharium & Ludovicum II. epistolam, *Henrici* item & *Othonis*, utriusque *Imi*, Decretum de libera electione Pontificis ex præscripto Canonum facienda; *Othonis* demum *jusjurandum* Joanni XII. Papæ factum; quæ ex S. ANTONINO P. 2. Tit.

*) Apud THOMASSIN. p. 2. l. 2. c. 25. n. 4.

**) Pseudo-Pontificem, de quo vide inf. §. 13. in fin. sub nota *).

***) Apud COLETUM Concil. Tom. 9. p. 607., SIGONIUM l. 4. de regno Ital. *ad an.* 817. pag. 171. Ejus partem recitat GRATIANUS Can. 30. Dist. 63.

****) Ex Pontificalibus MSC. Hadriani II. Vid. §. *In iisdem*, Canoni 29. Dist. cit. subjectus. CIACONIUS in Vita *Hadriani III.* ad an. 884, aliam hujus Pontificis Constitutionem refert, qua is hujusmodi sanctionem de exspectanda Imperatoris in creando vel consecrando Pontifice authoritate abolevit.

*****) Totidem pene verbis, quibus Can. 32. Dist. cit. Constitutio *Henrici I.*, & *Othonis I.* recensetur.

Tit. 16. c. 1. §. 2. & 16., & ex *legibus Longobardorum* L. 5., a Gratiano referuntur *).

§. XIII.

Sæculi X. evolutio, quod BARONIUS *ss*) *ferreum* vocat, etsi calamitosa præprimis Ecclesiæ dici possit, atque Apostolicæ Cathedræ partim Regulorum Italiæ adjumentis, improbissimorum partim hominum machinationibus imponerentur, quos ad istud fastigium evehi haud oportebat **); haud usquequaque tamen omnis in eligendo libertas abfuisse existimanda est, cum ita intrusos probrosæ licet aliquando vitæ, fidei tamen integræ, ac nulla hæresi infectos Pontifices, accedente suo consensu Ecclesia universa cum Clero Romano susceperit; *schismatis vitandi causa*, ait idem BARON. *tt*), *utpote mali omnium pessimi*, ac *minoris sciens esse mali monstrosum quantumlibet caput ferre, quam duobus capitibus infamari, & secari corpus unum in duo.* Exasperavit hunc Ecclesiæ statum *Otto I.*, cujus de libera electione decretum, ac jusjurandum ante adventum in Urbem Pontifici factum, §. præced. laudavimus. Is a suo Romam adventu cum Joannem XII. adversus Berengarium, & Adelbertum vindicasset, atque imperialem coronam, Germanorum primus, a Pontifice recepisset ***), subinde decrevit, ut *futura Pontificum electio canonice & juste*, Pontificis vero electi consecratio in conspectu Legatorum fieret ****). Neque hos intra limites constitit; sed Joanne Papa ad partes Adelberti deflectente, *Leonem VIII.* Antipapam opposuit, eo eventu, ut & Leo jus eligendi Pontificem, Archiepiscopos atque Episcopos investiendi, transferre in Ottonem attentaverit *****), & hoc jus ab Ottonis successoribus ægre repeti potuerit ******).

Ritus electionis sæculo X. sub Ottone I.

*) Dist. 63. cit. Can. 31. 32. 33.

ss) Ad an. 900.

**) Vid. SANDINI ad an. 904. 914. 931. 972. 974. &c.

tt) Ad an. 955. §. 4., & BZOVIUS de Pont. Rom. c. 2.

***) PAG. ad an. 962. §. 1.

****) *Ut ista de electione* (& consecratione) *Rom. Pontificis decernerentur, vis tyrannorum effecit, ut alias sæpe dictum est, adversus quos Imperatoris opus fuit auxilium implorare.* BARON. ad an. 962. n. XII; atque ita, quod aliquando beneficii loco expetitum, tolerandum subinde fuit, & in morem Ecclesiasticæ libertati gravem & pernitiosum desiit.

*****) Can. 23. Dist. 63. Hanc Constitutionem confictam esse, perinde ac illam, qua idem jus Carolo M. ab Hadriano I. datum fuerit, contendit BARONIUS ad an. 964., tum ad an. 774. Sed de hoc quidquid sit, scribit merito ad an. cit. 964. BRIETIUS: *Quæ autem a Leone* [VIII.] *concessa sunt Imperatoribus, tantum habent ponderis, quantæ ejus valet authoritas, cui vis & externa violentia tribuit authoritatem.*

******) Quantum ad negotia Cathedræ Romanæ, vid. BARON., PAG., SANDIN. in

§. XIV.

Epocha 4ta a Nicolao II. ad noſtram ætatem. Electio primario ad Cardinales,

Poſt hos turbines pacatiora demum Eccleſiæ tempora illuxere ævo *poſtremo*, quod a NICOLAO II. (poſt annum 1058.) ad noſtram usque ætatem protenditur; videlicet poſtquam Nicolaus habito Romæ Concilio *) Pontificis eligendi munus primario ad *Cardinales Epiſcopos*, tum ad Cardinales *reliquos* **) *accedente Cleri populique conſenſu* ***) ac *ſalvo debito honore & reverentia* Imperatoris ****) revocavit. Qua & ratione *Gregorium* ſubinde *VII.* ſtrenuum illum Eccleſiaſticæ libertatis aſſertorem, tum complures ejus ſucceſſores in ſumma Sede collocatos novimus *****). Ac licet imperante *Henrico V.* ſerenitas iſta objecta nube obſcurari viſa eſſet, cum Henricus a PASCHALE II., contra jusjurandum *in vinculis detento pactiones libertati eligendi Pontificem præjudiciales extorſiſſet*, diſcuſſum tamen ocyus periculum eſt, poſtquam Paſchalis libertati redditus, *quæ Henrico coactus promiſerat, revocavit; cui revocationi nec ipſe Henricus, minis cœleſtibus territus, refragari auſus eſt* ******).

§. XV.

in Vitis *Benedicti V.*, *Joannis XIII.*, ſub Ottone I., *Joannis XV.*, *Gregorii V.*, *Sylveſtri II.* ſub Ottone III; *S. Leonis IX.* ſub Henrico III.; *Alexandri II.* ſub Henrico IV. Quantum ad Inveſtituræ diſſidia, ea ſub *Calixto II.* ad an. 1122. demum compoſita notavimus ſupra §. 6.

*) Ad an. 1059.

**) Rationes hujus ſuæ Conſtitutionis, ac ſpeciatim, cur Cardinalibus & cum prærogativa Cardinalibus *Epiſcopis* hoc munus reſervetur, indicat Pontifex in ipſa Conſtit. §. 2. 3. 4. apud LAB. Tom. 9. Conc. p. 1013; & refertur Can. *In nomine* 1. Diſt. 23. De iisdem rationibus diſſerit Card. PETRA ad Conſt. Joannis XV.

***) Nimirum ut præcaveatur, *ne venalitatis morbus aliqua occaſione ſubrepat*, ut habent verba Conſtitutionis cit.

****) Hoc privilegium Henrico (IVto Regum Germaniæ, Imperatorum IIItio) conceſſum, ejusque ſenſum & extenſionem diſcutit BARON. ad an. 1059. §. 24. S. ANSELMUS *Lucenſis* (qui poſt Nicolaum II. Alexandri II. nomine ſummam Sedem obtinuit) l. 2. cont. Guibert. Antip. Tom. 18. Bibl. Patr. p. 609. oſtendit, *præfatum Decretum nullius momenti eſſe, nec unquam aliquid jurium habuiſſe*; & S. PETRUS *Damiani* in Diſcept. Synodali inter Regis Advocatum & Rom. Eccleſiæ Defenſorem probat, Regem ipſum & Optimates conceſſum ſibi privilegium irritum feciſſe.

*****) ANGELUS DE NUCE annot. in Chron. Caſſin. l. 4. c. 2. Tom. 4. Script. Rer. Italic. p. 941. ex decreto electionis Gregorii VII. conjicit, eum a *Presbyteris & Diaconis tantum Cardinalibus, cum inferioribus Clericis, præſentibus tamen Epiſcopis Cardinalibus electum fuiſſe.* PAGIUS vero ad an. 1074. §. 6. advertit, *Gregorium VII. ultimum fuiſſe, cujus electio ante conſecrationem Imperatori ſignificata fuerit.*

******) Cardin. PETRA ad Conſtit. 5. Clementis VI., CIACONIUS in vita Paſchalis II.

§. XV.

Obviatum ita fuerat iis, quæ deforis electionis negotium turbare potuiſſent. Ne tamen, orta inter ipſos Cardinales Electores diſſenſione, ſchiſmate interno Eccleſiæ pax convelleretur, ALEXANDER III. in Concil. LATERANENSI III. (Generali undecimo ad an. 1179.) Sacra approbante Synodo ſtatuit, ut, ubi non eſſet una omnium in eundem eligendum conſenſio, ac duabus partibus conſentientibus, pars tertia diſcreparet, ille rejecta exceptione omni, ab univerſali Eccleſia Romanus Pontifex habeatur, qui duarum ex tribus partium ſuffragia tulerit; ille vero, qui tertiæ partis nominatione conſiſus univerſalis Epiſcopi nomen uſurpare auſus fuerit, cum omnibus ejus partes ſequentibus excommunicationi, Sacrorum Ordinum privationi, atque Euchariſtiæ in vita interdicto ſubjaceat *). Adnotavit porro PANVINIUS ad Platinam (pag. 157.) *Clero omnino & populo a Pontificis electione excluſis, eam ad Cardinales ſolos tunc primum, ad evitanda in poſterum ſchiſmata, redactam eſſe.*

tum ad duas ſuffragiorum tertias;

& ad Cardinales privative devoluta.

§. XVI.

Reſtituta hoc modo electionis libertate, obſtaculis etiam externis remotis, atque cautela adverſum ſchiſmata adhibita, unum ſupereſſe videbatur, ut medio quodam caveretur, ne Comitia Cardinalium pro electione congregatorum, ingenti ſane reip. Chriſtianæ incommodo, nimium prorogarentur. Ab obitu quippe *Clementis IV.* ex 15. Cardinalium Electorum protracta diſſenſione Summa Sedes annos duos cum menſibus novem Paſtore viduata ſtetit. Electus in Synodo LUGDUNENS. II. *uu*) GREGORIUS X., quod deſiderari potuerat, adjecit Conſtitutione *Ubi periculum xx*); in qua Sacro approbante Concilio ſacri Conclavis uſum introduxit, cui Cardinales arctius incluſi, & a communione hominum aliisque negotiis ſejuncti, parſimonia victus, & loci anguſtiis ad accelerandam Capitis Eccleſiæ electionem permoverentur **). Alexandri & Gre-

Pro acceleranda Pontificis electione uſus Conclavis a Gregorio X. introductus,

*) Conſtitutio Alexandri refertur Cap. *licet de vitanda* 6. de Electione & electi pot. §o. 3. ibid. Pontifex rationem reddit, quare in nominandis aliarum Eccleſiarum Prælatis regulariter partis majoris & ſanioris ſententia debeat prævalere, in Pontifice vero eligendo duæ tertiæ requirantur; *quia quod* in aliis Eccleſiis *in dubium venerit, ſuperioris* (Pontificis) *poterit judicio definiri. In Romana vero ſpeciale aliud conſtituitur, quia non poterit ad ſuperiorem recurſus haberi.*

uu) Ad an. 1273.

xx) Refertur *Cap.* 3. de Elect. in 6.

**) 1. Locus Conclavis eſt in civitate, in qua cum ſua Curia moratus Pontifex diem extremum clauſit. Si Romæ deceſſerit, eſt in Palatio ipſius Pontifi-

ficis

& confirmatus. Gregorii ſanctiones a CLEMENTE V. in Concil. VIENNENSI *yy*) a CLEMENTE VII. *zz*), PAULO IV *ba*), PIO IV. *bb*), GREGORIO XV. *bc*), ac URBANO demum VIII. *bd*) confirmatæ, ac novis, iisque ſaluberrimis inſtitutis

ficis apud S. Petrum, in Capella, quæ Paulina nuncupatur; ſi alibi, in ædibus Epiſcopalibus illius civitatis, vel aliis arbitrio Cardinalium magis aptis. *Conſtit.* GREGOR. X. §. 1. 2. *Ceremoniale Rom.* l. 1. Tit. 1. 2. In eodem Palatio (vel ædibus) unum Conclave, nullo intermedio pariete, ſeu alio velamine, ab omnibus inhabitatur in communi. quod ita clauditur undique, ut nullus illud intrare valeat, vel exire, nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat &c. *Conſt. cit.* §. 1. Unde & *Conclave* dicitur, quia pluribus clavibus clauditur: in principio enim aulæ ferreis vectibus quatuor munitur: in medio habet porticulam, qua eſculenta & poculenta clauſis Patribus ſubminiſtrantur. MOSCONIUS *de Maj. militant. Eccleſ. p.* 1. *c.* 2. 3. Conclave poſt exequias novem diebus defuncto Pontifici perſolutas, die decimo ingrediuntur Cardinales omnes in urbe tunc præſentes, & juſte non impediti; neque abſentes ultra decimum diem exſpectantur, neque ſuffragium per literas aut Procuratorem ferre permittuntur; uti nec alii in urbe præſentes, quacunque ratione extra Conclave exiſtentes, ſuffragium habent. Quandocunque tamen ad urbem electione adhuc integra accedentes, ad Conclave admittuntur. *Conſt. Gregor.* §. 2. *cit.* 4. In Conclavi degentes *ſinguli ſingulis tantummodo ſervientibus, Clericis vel laicis, contenti ſint; aut, quibus patens neceſſitas id ſuggerit indulgeri, duobus.* Conſt. cit. & Conc. Lugdun. *Quodſi poſt tres dies in clauſura exiſtentes Papam eligere non curaverint, ſpatio quinque dierum immediate ſequentium, ſingulis diebus tam in prandio, quam in cœna uno ferculo illis tantum veſci conceditur. Si poſt hujusmodi proviſiones nec intra dictum tempus Pontifex eligeretur, de ordine dicti Concilii miniſtratur eisdem tantum panis & vinum & aqua, donec proviſio ſubjequatur;* ibid.

Hanc tamen poſtremam ſanctionis partem nonnihil mitigavit CLEMENS VI. *Conſt.* 5. *Tom.* 1. *Bullar. p.* 279. Cardinalibus in Conclavi congregatis duos univerſim concedens famulos: in prandio & cœna præter panem, vinum, & aquam, indulſit miſſum carnium, piſcium ſeu ovorum, confectumque ex carnibus ſeu piſcibus embamma: inſuper carnes ſale conditas, herbas crudas, caſeum, fructus; atque pro quietis ac ſomni tempore permiſit eis *intermedia*, ſeu *velamina ſimplicium cordinarum.*

yy) Clementina *Ne Romani.*

zz) Conſtit. *Cum cariſſimus* 26. Octob. 1529.

ba) Conſtit. *Cum ſecundum.* 1554.

bb) Conſtit. *In eligendis* 5. Cal. Febr. 1559.

bc) Conſtit. *Æterni* 17. Calend. Decemb. & Conſtit. *Decet.* 4. Id. Mart. 1621.

bd) Conſtit. *Ad Romanum* 5. Cal. Feb. 1625.

ſtitutis & cautelis auctæ ſunt *) ex quarum præſcripto Pontificis electio hactenus inſtituitur **).

§. XVII.

Electionis porro ipſius *triplex* eſſe modus poteſt: ſcrutinii nimirum, inſpirationis & compromiſſi. *Scrutinium* eſt, quando conjectis in calicem omnium in Conclavi præſentium ſchedis, a tribus Cardinalibus Scrutatoribus, ante quodvis ſcrutinium ſorte deſignatis, ſuffragia promulgantur ac numerantur; ubi ſi *duæ* tertiæ *tantum* partes in unum conſentiant, & aperta electi ſcheda cognoſceretur, eum pro ſe ipſo ſuffragium tuliſſe, unius ſuffragii defectu nulla foret electio. Si vero ab electo ſuffragium in alium collatum eſſe conſtet, uti & ſi promulgato ſcrutinio in unum plura, quam præciſe duarum partium ſuffragia conſpiraſſe deprehendantur, electio Canonica erit. Ad Scrutinium reducitur *Acceſſus*, qui ſcrutiniis ſingulis ſemel ſubjici poteſt, ac tunc eſſe intelligitur, quando in ſcrutinio pluribus, haud ſufficiente tamen ſuffragiorum numero nominatis, Cardinalium quisque ad aliquem ex ita nominatis accedere poteſt, quo duæ partes tertiæ ad electionis valorem requiſitæ compleantur. Alter modus *Inſpirationis* dicitur: non tantum veræ, qua Divina revelatione eligendus deſignetur, prout de S. Fabiano columbæ ex alto delapſæ, ejusque tergo inſidentis

Electionis modus triplex; per *ſcrutinium*, ad quod reducitur *acceſſus*; per *inſpirationem*,

*) Vid. Conſt. Clementis V., Gregorii XV., &. Urbani VIII., in quibus, quæ ab Alexandro III. & Gregor. X. ſtatuta ſunt, diſtinctius determinantur, ac variis, quæ evenire poſſunt, dubiis occurritur.

**) Obſervanda tamen hic ex PANVINIO in Annot. ad Platinam pag. 181. mutatio, quæ poſt Gregorii X. Conſtitut. aliquando interceſſit. Videlicet *poſt Innocentii V. mortem, qui ei ſucceſſit Hadrianus Papa V., Gregorii X. de Conclavi conſtitutionem ſtatim revocavit. Cujus revocationem, ſive ſuſpenſionem, (quæ, quod ante ejus coronationem facta fuiſſet, invalida erat) Joannes XXI. confirmavit. Atque ſine Conclavis recluſione, qui ei ſucceſſerunt Romani Pontifices, Nicolaus III., Martinus II. (dictus IV.) Honorius IV. & Cœleſtinus V. creati ſunt. A Cœleſtino vero eadem, qua Gregorius X., cauſa moto, ipſius Gregorii Conſtitutionem de conclavis recluſione denuo renovatam & approbatam, qui ei ſuffectus eſt Bonifacius Papa VIII. ratam habens & confirmans, Libro Decretalium ſexto regiſtravit. A quo deinceps tempore usque ad noſtram memoriam perpetuo obſervata eſt. Hæc ex Gloſſa capituli:* Ubi periculum, *cujus Auctor fuit* Joannes Andreas *celeberr. Jureconſultus.* Addit RAYNALDUS ad an. 1276. §. 29., & ad an. 1289. §. 49., eandem Gregorii X. de Conclavi Conſtitutionem abrogatam quoque fuiſſe a *Nicolao IV.* (qui S. Cœleſtinum V. immediate præceſſit. ex ejus epiſt. 1. lib. 2. Verum addubitat PAGIUS in Vita Nicolai; tum, quia ejus epiſtolæ verba non recitat Raynaldus, tum quia nulla mentio de ea abrogatione reperitur in tribus S. Cœleſtini diplomatis apud eundem Raynaldum in *Addendis*, ad

tis judicio electo perhibent EUSEBIUS *be*) & BARONIUS *bf*); ſed & quaſi Inſpirationis, qua Cardinalibus omnibus in Conclavi præſentibus, nulla de certa perſona conſultatione præcedente, unus certum quendam Cardinalem eligendum, & a ſe nunc eligi aſſereret, cæteris ad unum omnibus illico conſpirantibus, ac voce *Eligo* palam prolata, Pontificem eum proclamantibus. *Compromiſſum* erit, ſi ab omnibus & ſingulis unanimiter aliquibus, v. g. tribus e ſacro Collegio, eligendi poteſtas committitur (vel abſolute; vel prout expedit, ſub certo modo ac forma;) promiſſione facta, eum habendum eſſe Pontificem, qui concordi trium, aut conſentiente ſaltem duorum calculo fuerit nominatus *). Quælibet ex his eligendi ratio legum Eccleſiaſticarum authoritate firmitatem habet **).

& compromiſſum.

§. XVIII.

Itaque faciliorem ac feliciorem Pontificis creandi viam velut deſignavit NICOLAUS II. ***): complanavit introductis ſuffragiorum duabus partibus Alexander III. ****); ad perfectum veluti deduxit GREGORIUS X., ac S. CÆLESTINUS V. aliquantum interturbatam revocavit. Quam *ingenti* Eccleſiæ bono? vel inde perſpicuum eſt, quod inde ab *Alexandro III.* ad hæc usque

Anacephalæoſis primi Capitis.

Tom. XV., in quorum primo atque altero S. Pontifex *aſſerit, Gregorii X. conſtitutionem ab Hadriano V., & Joanne XXI. fuiſſe ſuſpenſam, in tertio autem, eam etiam per eundem Joannem XXI. fuiſſe revocatam.*

be) L. 6. Hiſtor. cap. 22.

bf) Ad an. 238. §. *Quod autem.*

*) Hac compromiſſi via electus GREGORIUS X. (confer. dicta §. 16.) cum Cardinalibus ſex creandi Pontificis arbitrium permiſiſſent novem reliqui. RAYNALD. ad an. 1271. §. 7. 12. SPONDAN. §. 5. De iſthac Gregorii electione extant apud AMALARICUM HUGERIUM in Vita Gregorii (Tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. part. 2. pag. 425.) ſequentes verſus *Joannis Cardinalis & Epiſcopi Portuenſis:*

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit diſcordia fratrum.

**) Cap. *Quia propter* 24. de Election., Conſt. Gregorii *Decet.* laudata. Plura de his qui volet, AZORIUM adeat in Summa Tom. 2. part. 2. Inſtit. mor. L. 4. c. 1. ſeqq., BARBOSAM Jur. Eccleſ. L. 1. cap. 1. n. 54. & a n. 105., Eminentiſ. DE LUCA Relationis Curiæ Rom. Diſc. 3. a n. 17., & Cl. P. WIESTNER Inſt. Canon. L. I. Tit. VI. a n. 355., ubi varia, quæ etiam circa modernam Pontificem eligendi formam occurrere poſſunt, dubia indicat, atque ex principiis Juris ſacri elucidat.

***) Vid. §. 14.

****) §. 15.

tuque tempora pauciſſima ſchiſmata, atque (ſi illud, quod in *Clemente VII.* inchoatum per annos quadraginta Eccleſiam ſolicitam habuit, & in CONSTANTIENSI demum Concilio finitum eſt, excipias) pene nulla Eccleſiam conturbaverint *). Ex omnibus vero hactenus dictis illud conficitur, non minori Eccleſiæ bono, quam præcipua Purpuratorum Patrum dignitate, hanc in eos renuntiandi Pontificis provinciam, proprio ac ſpeciali jure translatam eſſe.

CAPUT II.

De Munere adminiſtrandi cum Pontifice, aut Vicario nomine, Eccleſiam.

§. XIX.

Vicarii Pontificum

Muneris partem aliquam in adminiſtrandis Eccleſiæ rebus ab ipſo Eccleſiæ exordio in Cardinales diviſam eſſe, ex iis conjicitur, quæ Diſſertat. priore § 5. & 9. recenſuimus. PAPEBROCHIUS annot. 1. ad §. 6. hic a nobis relatus, etſi fateatur, *præterea aſſertorum ab Henſchenio Vicariatuum nullum eſſe indicium apud antiquos, niſi quoad S. Linum, Clementem, & Cletum*, probat tamen dein ipſe, & alios Pontificum Vicarios fuiſſe, in quos aliqua curarum pro Eccleſiæ regimine pars traducta ſit. Nos ejus rei indicia deprehendimus apud PAGIUM ad an. 590. § 8., videlicet rerum gerendarum poteſtatem *vacante Sede* fuiſſe penes *Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium Notariorum* tanquam Sacræ Sedis *locum tenentes*; e quibus ſi unum eligi Pontificem contingeret, quartus *Conſiliarii* nomine ſubſtituebatur. Colligit id Pagius ex epiſtola Cleri Romani ad Scotos reddita **), cum Sede per mortem Severini vacante, JOANNES IV. electus tum quidem, ſed nondum conſecratus eſſet Pontifex. Ejus epiſtolæ principium ita habebat: *Dilectiſſimis & Sanctiſſimis Thomiano &c., Hilarus Archipresbyter & Servans locum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, Joannes Diaconus* (i. e. Archidiaconus, qui Diaconi nomine ſæpe exprimebatur) *& in Dei nomine electus;*

Sede vacante,

*) *Petrus* enim *de Corbario*, ſub nomine *Nicolai V.* JOANNI XXII. & *Amedeus* Sabaudiæ Dux, nomine *Felicis V.* EUGENIO IV. oppoſitus, brevi ſpatio, ille biennio, hic decennio, uſurpato ſe Pontificatu abdicaverunt. Vid. RAYNALD. & SPONDAN. ad an. 1330., & 1449. Poſt Amedeum nullo hactenus ſchismate pax Eccleſiæ turbata.

**) Epiſcopi & Presbyteri Scotiæ ad *Severinum* Joannis deceſſorem perſcripſerant. Horum Epiſtolæ ſibi redditæ reſpondit cum reliquis JOANNES IV. Epiſtola Joannis extat apud LABBEUM Tom. 5. Concil. pag. 1717. Damnantur, in ea quidam Scotiæ incolæ Paſcha celebrantes more Judæorum, & reviviſcenti Pelagii hæreſi occurritur.

ctus; item Joannes Primicerius, & Servans locum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Joannes ſervus Dei, Conſiliarius ejusdem Apoſtolicæ Sedis. Pagio conſentit GARNERIUS in notis ad librum Diurnum Rom. Pontificum *bg*), ac inſuper ex memorata Epiſtolæ inſcriptione obſervat, Pontifici tantum *electo* *) *nihil tum fuiſſe juris ad res* Eccleſiæ *gerendas, donec ordinaretur*, (niſi forte & ipſe, ut Joannes IV., inter *Servantes locum* S. Sedis connumeraretur; unde & non ſe *Pontificem Romanum*, ſed *Electum* inſcripſit) *Exarchorum* autem & *Gothorum ætate* intervalla *Sedis vacantis ab obitu Pontificis non ad electionem Succeſſoris, ſed ejus ordinationem* fuiſſe computata.

§. XX.

aut Pontifice alio diſcedente.

Atque hæc adminiſtrandæ per Archipresbyterum, Archidiaconum & Primicerium Notariorum Eccleſiæ ratio non modo Sede vacante, ſed *abſente* quoque *Pontifice* obtinuit. Extat in Cap. 2. Libri Diurni Rom. Pontificum Titulo I. *formula* literarum, ad exiſtentem pro tempore *Exarchum de Tranſitu* (ſive profectione) *Pontificis* ſcribi ſolitarum. Earum *epigraphe* ita habet: *Domino Excellentiſſimo atque præcellentiſſimo, & a Deo nobis longæviter in principalibus miniſteriis feliciter conſervando III. Exconſuli, Patricio, & Exarcho Italiæ, III. Archipresbyter, III. Archidiaconus, III. Primicerius Notariorum ſervantes locum S. Sedis Apoſtolicæ* **). Hunc vero morem, ante Pontificis inaugurationem Eccleſiæ negotia adminiſtrandi per Archidiaconum &c., aut exoleviſſe, aut abrogatum fuiſſe in BENEDICTI II. *electione* (ad an. 684.) vel paulo ante, indicio eſt inſcriptio epiſtolæ ***), qua *Benedictus Presbyter, & in Dei nomine electus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Proto-Notario Regionario* a Leone II. Deceſſore in Hiſpaniam cum decretis Synodi ſextæ miſſo, curandam horum ab Epiſcopis Hiſpaniæ approbationem injungit, idque *ſuo unius*, non Archipresbyteri &c., nomine inſcripto.

§. XXI.

Vicaria hæc poteſtas ad Cardina-

Ad ſacrum denique Cardinalium Collegium *poſt obitum* Pontificis Eccleſiæ Romanæ adminiſtrationem translatam fuiſſe, conjicit Franc. PAGIUS *bh*); idque

bg) Cap. 2. tit. 1. pag. 9.

*) Peculiare erat, quod S. GREGORIUS M. & conſequentium nonnulli annuente Clero res adminiſtraverint ante Ordinationem. Idem ibid.

**) *In hac inſcriptione III. idem eſt, quod hodie apud nos N., cum ſcilicet locus nominis indicatur.*

***) Apud LABB. Tom. 6. pag. 1278.

bh) In Breviar. Præfat. Tom. 1, §. 14.

idque non anno 1241., ut ad annum eundem §. 21. SPONDANUS autumat, sed an 1059., quo NICOLAUS II. Pontificis nominandi jus soli Cardinalium Ordini asseruit. Certe sæculo duodecimo non multum provecto jus illud administrationis competiisse Cardinalibus, ex ARNULPHO Sagiensi Archidiacono, postea Lexoviensi Episcopo docemur, qui in *Tractatu de Schismate orto post Honorii Papæ decessum* *), verba faciens de INNOCENTIO II. Pontificatum recusante, Cardinales sic ei loquentes inducit: *Si acquiescis, exhibemus obsequium; si recusas, exigimus de inobedientiam pœnam. Eadem enim, quæ Papæ superstitis est, ipso decedente, penes nos præcipiendi & ulciscendi consistit auctoritas, donec alius inducatur. His dictis*, subdit Arnulphus, *parabant excommunicationis proferre sententiam.* Ab eodem anno 1059. *absente* quoque *Pontifice* regimen fuisse penes aliquot Cardinales a Pontifice designatos multum verosimile videtur: anno etenim 1118., cum GELASIUS II. in Galliam secedere decrevisset, Petrum Portuensem Episcopum pro se Vicarium constituit, & Cardinales aliquot ei in auxilium sociavit **). les translata circa an. 1059.

§. XXII.

De hodierno more ea consideranda veniunt, quæ ab Eminentissimis Patribus, partim una cum Summo Præsule, partim eo fatis erepto, pro communi Ecclesiæ utilitate suscipiuntur. Ad prius pertinent Cardinalium *Congregationes XV.*, quæ a SIXTO V. P. M. summo totius rei Christianæ commodo, aut stabilitæ, aut excitatæ sunt ***); videlicet 1. *Pro S. Inquisitione.* 2. *Pro Signatura gratiæ.* 3. *Pro erectione Ecclesiarum & Provisionibus Consistorialibus.* 4. Pro uberiori tate annonæ Status Ecclesiastici. 5. *Pro Sacris Ritibus & Ceremoniis.* 6. Pro classe paranda & servanda ad Status Ecclesiastici defensionem. 7. *Pro Indice librorum prohibitorum.* 8. *Pro executione & interpretatione Concilii Tridentini* ****). Eminentiss. Cardinalium labores, quos in varias distributi Congregationes

*) Hunc Tractatum edidit DACHERIUS Tom 2. Spicilegii cap. 4.

**) PANDULPHUS in vita Gelasii.

***) Constit. 74., qua Congregationem *Inquisitionis hæreticæ pravitatis* (quæ etiam *Sacrum Officium* appellatur) a PAULO III. institutam, a S. PIO V. stabilitam iterato confirmat, & alias *quatuordecim* instituit. Porro distinguendi hic *Inquisitores* Catholicæ *Fidei*, quos primus omnium constituit INNOC. III. adversus *Albigenses*, ut est apud VAN ESPEN Jur. Eccles. Univ. part. 1. tit. 22. cap. 3. §. 3; & *Inquisitio Hispanica*, circa quam anno 1479. jam institutam Sixtus hic nihil innovare intendit; & mox dicta *Congregatio* (Cardinalium *Inquisitionis*, cui Romæ Papa ipse præsidet.

****) Jam PIUS IV. Constitut. 81. Congregationem Cardinalium instituit, qui Tridentinæ Synodi decreta *executioni* mandanda curarent, eorum interpretatione sibi reservata. RAYNALD. & SPONDAN. ad an. 1564. SIXTUS vero

9. Pro Status Eccleſiaſtici gravaminibus ſublevandis. 10. Pro Univerſitate Studii Romani. 11. *Pro Conſultationibus Regularium.* 12. *Pro Conſultationibus Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum.* 13. Pro Viis, Pontibus, & aquis curandis. 14. Pro Typographia Vaticana. 15. Pro Conſultationibus negotiorum Status Eccleſiaſtici. Ex quibus potiores ad communem Eccleſiæ utilitatem recta referri, manifeſtum fit conſideranti *). Quanti vero in iisdem laboris opus intercedat, quæ in Eccleſiaſticum regimen commoda dimanent, vel ex ſolis *Declarationibus* Cardinalium Tridentini Interpretum ex Editione Joannis GALLEMARTII abunde liquet; nihil ut de aliis dicamus tum hic recenſitis, tum quas alibi ſacri annales produnt **). Huc referri poſſunt Officia *Legatorum a Latere*, de quibus prolixius Sacri Juris Interpretes***). Vide & Cap. V. §. 42.

pro feliciori Eccleſiæ regimine ſuſcipiunt.

§. XXIII.

Amplitudo muneris & curarum Pontificalium adjutores exigens.

Atque ut perſpicue magis appareat, quam jure in partem ſolicitudinis a Summo Antiſtite tot Eminentiſſimi adjutores vocentur, juvat ex Joan. Bapt. Cardinale DE LUCA audire, quot quantisque negotiis Supremus Eccleſiæ Hierarcha aſſiduo detineatur. „Ultra adeo frequentes, ait *bi*), & longas occu„pationes ſacras in cultu Divino, in capellis ſcilicet & proceſſionibus, aliisque „functionibus hujusmodi, *ſingulis diebus ordinarias & extraordinarias* habet occu„pationes, quæ totum pene diem abſorbent. *Qualibet* enim *die*, poſtquam Miſ„ſam celebravit, atque Divinum Officium recitavit, audit *Datarium* pro Bene„ficiorum proviſionibus, aliisque pertinentibus ad Datarium, & ſupplicationes „ſignat. Expedito Datario audit *Secretarium Brevium*, aliaque expedit, quæ ad „Secretarium ejusmodi pertinent. Iſta functio quotidiana eſt, exceptis illis „diebus ſolennibus, in quibus Capellis, aliisque Divinis vacandum eſt; prout „ſingulis diebus poſt prandium, vel alia ſtatuta hora, audit *Cardinalem Superin„tendentem Generalem*, tanquam primum magisque fiduciarium Miniſtrum, at„que

Negotia & curæ quotidianæ;

vero V. Conſt. cit. etiam *interpretandi* poteſtatem fecit, quæ ad formationem morum, non tamen, quæ ad ſacra *dogmata* pertinent. Vid. VAN ESPEN Jur. Eccleſ. Univ. p. 1. tit. 22. c. 5.

*) Brevem dictarum Congregationum exegeſin reperies apud BINER in *Apparatu Eruditionis* part. 13. cap. 25. pag. 281.

**) Hujusmodi ſunt Congregatio Cardd. de *propaganda Fide*, a GREGOR. XV. erecta (ex Spondano an. 1622.) Congregatio eorundem pro *Indulgentiis, & Sacris Reliquiis* recognoſcendis a CLEMENTE IX. ad an. 1669; Congregatio eorund. *ad digniores in Epiſcopos promovendos* a BENEDICTO XIV. an. 1740. erecta &c. Vid. BINER l. c. pag. 344. 362. 402.

***) Vid. WIESTNER Inſt. Can. L. 1. Tit. 30.

bi) Diſcurſu 4. Relat. Rom. Cur. forenſis.

„que cum eo de gravioribus negotiis agit; nec non *Secretarium Status*, deinde„que *Secretarium Memorialium*, & *Auditorem Domeſticum*, *aliosque* audit Palatii „*Officiales*, pro negotiorum qualitate; iſtæque occupationes ſunt *continuæ* ſin„gulis diebus.

§. XXIV.

„*Diſcontinuæ* vero ſunt (pergit idem): Die Lunæ de mane habetur *Con*- aliæ certis „*ſiſtorium*, in quo Cardinales audit. Die Martis alternatim habetur *Signatura* diebus „*gratiæ* *), & *Congregatio Examinis Epiſcoporum*. Die Mercurii eſt audientia affixæ. „*generalis Officialium*, nempe Gubernatoris Urbis, Auditoris Cameræ, Theſau„rarii Generalis, Senatoris Urbis, Viceſgerentis, Secretariorum Congrega„tionum, Præfectorum annonæ & graſciæ, pluriumque aliorum Officialium. „Die Jovis habetur coram eo *Congregatio Inquiſitionis*, ſive ſancti Officii. Die „Veneris audit plures *Oratores Principum*, juxta eorum Ordinem ac diſtribu„tionem. Die Sabbati audit quoque plures *alios Principum & Civitatum Orato*„*res*, nec non denuo audit *dictos Officiales*; & Die Dominico, quando Capellæ „impedimentum non adeſt, audit *Epiſcopos venientes ad limina*, ac etiam *Gene*„*rales*, aliosque *Superiores Religioſorum*. Atque in ſingulis diebus in iis ſpatiis, „quæ ſuperſunt, privatas præſtat audientias, ultra *audientias extraordinarias* Ora„torum Principum, Cardinalium & Officialium, ac etiam ultra *extraordinarias* „*Congregationes*, quæ coram eo haberi ſolent aliquibus anni temporibus ſuper „*Canonizationibus* vel *Beatificationibus*, aut in negotiis pertinentibus ad *Congrega*„*tionem propagandæ fidei*, vel in negotiis *Status*, aut publicæ *annonæ* cum ſimi„libus, & quandoque ex improviſo coram eo evocari ſolent *Rota*, *Camera*, „*Signatura juſtitiæ* **), & *alia Tribunalia*, ut audiat, quomodo cauſæ bene exa„minentur, ac juſtitia miniſtretur: ideoque præmiſſum eſt, occupatiſſimum & „laborioſiſſimum eſſe munus, quod exercetur.„ Hactenus Eminentiſſimus DE LUCA.

§. XXV.

Officium Eminent. Cardd. Se- de vacan- te.

Atque hæc ad ea ſpectant, quæ ſecundum modernam diſciplinam Emi- nentiſſimi Conſiliarii junctis cum Summo Sacrorum Principe curis ad Eccleſiæ regi-

*) Eſt Congregatio, quam Pontifex in modum parvi Conſiſtorii in ſuo palatio habet, pro diſcuſſione precum vel ſupplicationum, quæ ſignari, vel potius recipi debeant. DE LUCA *Diſc.* 30.

**) Erectum eſt hoc tribunal pro omnibus utriusque, Pontificii, & temporalis Principatus, ac etiam particularis Epiſcopatus Urbis cauſis ac negotiis, pro quibus Principem adire oporteat, ad effectum committendi cauſas appellationis vel reſtitutionis in integrum, ſive decidendi controverſias ſuper fori competentia. Idem *Diſcurſu* 31.

regimen conferunt. Pro tempore vero, quo per obitum Pontificis prima Sedes vacat, etſi laudata GREGORII Conſtitutione *bk*) ſancitum ſit, ut pro eo intervallo *Cardinales accelerandæ proviſioni attentius vacantes, ſe nequaquam de alio negotio intromittant*, neque illud ex ipſa temporis, quod inter novam electionem intercedit, brevitate magnopere neceſſum ſit; ea tamen cautela ibidem mox ſubjicitur, *niſi forſan neceſſitas adeo urgens incideret, . . . vel niſi aliquod tam grande & tam evidens periculum immineret, quod omnibus & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur, illi celeriter occurrendum*; quo in eventu etiam tunc Eminentiſſimo Senatui incumberet, Eccleſiæ bono meliori, quo fieri poſſet, modo proſpicere *).

§. XXVI.

Quibus in eventibus Eminentiſſ. Cardinales Concilium indicere poſſent?

Addenda his extremum cura, quæ ſecundum communem Theologorum cum BELLARMINO *bl*) in eventibus quibusdam ſingularibus ſacro Cardinalium Collegio ex officio incumberet pro *Concilio congregando*; ut puta, ſi Sedes Romana vacet morte, aut renuntiatione aut captivitate perpetua *Pontificis*: ſi dubius foret legitimus Pontifex, cujus rei exemplum in Concil. *Conſtantienſi* fuit; ſi Papa notorie foret hæreticus, aut ſuſpectus de hæreſi, aut gravi crimine infamatus; aut etiam ſecundum communiorem, ubi notæ optimæ Pontifex, Concilium rogatus convocare conſtanter recuſaret, atque in dictis eventibus aperta Eccleſiæ neceſſitas aliud, niſi conciliare remedium, non admitteret **).

§. XXVII.

Concluſio Capitis.

Atque iſta, quæ hactenus recenſuimus, merita Eminentiſſimorum Patrum, & dignitatem in Ordine Hierarchico ex æquo in lucem ponunt. Neque tanta, tamque grandia aliis, quam experientia eruditis, prudentia valentibus, qua rerum exitus perſpicacia quadam proſpiciant, & conſilio moderentur, integritate & ſcientia eminentibus, ac præcipua in rep. ſacra dignitate conſpicuis committi aut decuit aut fas fuit. Atque huc reſpexere Pontifices Mari-

bk) *Ubi periculum* de Election. in 6. §. 1.

*) Pro Quæſtione: *Qua jurisdictione Collegium Cardinalium Sede Apoſt. vacante gaudeat?* Vid. BARBOS. *ad Cap. unic. de Schismaticis* lib. ſexto n. 6., & *in Clem. 2. de Elect.* n. 1. & 2. & apud eund. J. U. Eccl. l. 1. c. 4. n. 91-94. WIESTNER cit. lib. 1. Tit. 31. art. 2. n. 34.

bl) L. 1. de Conc. c. 14; ubi in idem argumentum TURRECREMATAM adducit. Vid. etiam MANFRED. de Card. c. 31., & Can. 3. ſeqq. Diſt. 83.

**) Quantæ authoritatis & poteſtatis hujusmodi Concilium foret, aut quid in eo ſervandum eſſet, monet idem BELLARM.

Maximi, cum & eos ampliſſimo Cardinalium Ordini adlegendos ſancirent, qui munus tantum tamque ſublime præcipuis, quas afferrent, dotibus ornarent, & adlectos prærogativis ipſi ſingularibus atque inſignibus in tanto faſtigio redderent auguſtiores. De his pauca per Capita reſidua ſubjicienda ſunt.

CAPUT III.

Eminentiſſimorum Cardinalium Prærogativæ ex Dotibus eligendorum.

§. XXVIII.

Ex prærogativis prima eſt, quam ipſi afferunt in dotibus ſuis atque ornamentis, qui ad Purpuram evocantur, ut ab eo dignitatis faſtigio non minus conſpicui videantur, quam eodem digni. Dotes eas enumeratas videſis in Sacrosancta TRIDENTINA Synodo, tum ante illam in CONSTANTIENSI, BASILEENSI, & LATERANENSI V.; in quibus eas paucis, at in paucis multa ſane comprehenſa reperies. Dotes eligendorum.

§. XXIX.

Ac noviſſimum quidem Tridenti habitum Concilium *bm*) *ea omnia & ſingula, quæ de Epiſcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo conſtituta ſunt, decernit eadem etiam in creatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, etiamſi Diaconi ſint, exigenda, quos Sanctiſſimus Romanus Pontifex ex omnibus Chriſtianitatis nationibus* *), *quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, aſſumet. . . . ut Beatiſſimus Romanus Pontifex, quam ſollicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debet, eam hic potiſſimum impendat, ut lectiſſimos tantum ſibi Cardinales adſciſcat.* Quantas autem, quamque præcellentes Epiſcoporum oporteat eſſe virtutes, non modo ex epiſtolis Apoſtoli ad Timotheum & Titum *bn*) diſcimus; verum etiam repetitis Eccleſiæ ſanctionibus docemur in LATERANENSI potiſſimum, & hac Tridentina Synodo; ubi præter ætatem definitam atque ordinem requiritur *vita, ac ætas omnis per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſtica laudabiliter acta*; tum ſcientia atque eruditio

bm) Seſſ. 24. c. 1. de reform.

*) SIXTUS V. eadem Conſtit. 50., qua numerum Cardinalium definivit (Vid. Diſſert. prior. §. 35.) ſimul conſtituit, ut *ex Regularium & Mendicantium Ordinibus inſignes viri in ſacra Theologia Magiſtri*, Cardinales eſſent *ſaltem quatuor, non pauciores.*

bn) 1. Tim. c. 3.; Tit. c. 2. & 3.

ditio præſtans, qua *Eccleſiarum regimen, onus Angelicis humeris formidandum, maxima* cum *dignitate* ſuſtinere poſſint *bo*). Easdem dotes ſuccincta paraphraſi exponit diſertiſſimus BERNARDUS *bp*): *Sint tales*, inquit, *ut præter Deum nil timeant, viriliter pugnent pro afflictis, judicent in æquitate pro manſuetis terræ: ſint probati ad ſanctimoniam, parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam, ſubditi ad diſciplinam, rigidi ad cenſuram, Catholici ad fidem, fideles ad diſpenſationem, concordes ad pacem; recti in conſulendo, providi in jubendo, & diſcreti in omnibus.*

§. XXX.

Atque hujusmodi dotes ut totæ ad commune Eccleſiæ bonum referren-
on tra- ant alie- nego- tur, multipliciter cautum eſt. URBANUS VI., ut primum Apoſtolicæ dignitatis faſtigium adiit, illud lege lata ſanctum eſſe voluit, ne in aliena ſe negotia, qui promovendo communi Eccleſiæ bono conſecrati eſſent, dividerent: unde ab accipiendis quibusque præſtationibus abſtinere juſſit, *ſuæ intentionis non eſſe*, declarans, *quod aliqui ex Dominis Cardinalibus de cætero haberent penſiones, ſeu proviſiones, vel alia lucra illicita a Principibus, communitatibus, vel alia quacunque perſona, quia propter illa lucra negotia Eccleſiæ male procedebant, & procederent* *). Haud multum diſpari Conſtitutione MARTINUS V., ut *Protectiones Regum, Principum, Comitum, aliarumque perſonarum ſecularium* (Cardinales) *non aſſumant, aſſumptasque non exerceant, ut liberius ipſi Sanctiſſimo in conſiliis, ac aliis actibus valeant aſſiſtere*: ac rurſum, ut *pro Ordinum Religioſorum*

bo) TRID. de reform. Seſſ. 6. & 7. c. 1. Seſſ. 22. c. 2., & LATERAN. relatum Cap. *Cum in cunctis* de Election. Ante Tridentinum in CONSTANTIENSI Conc. Seſſ. 43. ſub MARTINO Papa V. ita decretum eſt: *Sint* (Cardinales *viri in ſcientia, moribus, & rerum experientia excellentes: Doctores Theologiæ, aut in jure Canonico vel Civili:* atque in iis etiam, *qui de ſtirpe Regia aut Ducali, aut magni Principes oriundi exiſtunt, competens literatura* requiritur: ſtatuitur nullius *criminis vel infamiæ nota* debere eſſe *reſperſos*, LABB. Tom. 8. Conc. pag. 877. Ibidem & in Concordatis Martini V. & nationis Anglicæ pag. (893.) decernitur, eos *cum aſſenſu communi Dominorum Cardinalium, vel majoris partis eorum aſſumendos eſſe.* Similia repetuntur Seſſ. 23. Concilii BASILEENSIS. Videatur quoque LEONIS X. Bulla Reformationis in Concilio LATERAN. V. Tit. de *Cardinalibus* T. 19. Conc. pag. 1750., ubi ſimiliter dotes in Cardinalibus requiſitæ recenſentur.

bp) Ad EUGENIUM III. lib. 3. de Cardinal.

*) Vid. RAYNALD. ad an. 1378., THOMASSIN. p. 1. lib. 2. c. 114. n. 11. Cur iſtud Urbani decretum ex modo agendi quibusdam diſplicuerit, ratio colligi poteſt ex hiſtoria electionis & regiminis Urbani, expoſita a CIACONIO in ejus vita; itemque ex additionibus VICTORELLI & OLDOINI ad Ciaconium.

rum quorumcunque, aut perſonarum particularium protectione nihil pecuniæ percipiant, etiam a ſponte offerentibus bq). Etſi porro congregati BASILEÆ Patres recitatum Martini Decretum eo ampliaverint, ut *Principum & quorumcunque, præſertim pauperum ac Religioſorum, gratis & ſine ullo queſtu promovere juſta negotia* Cardinalibus permitteret, & *tanquam charitatis opus commendaret;* animum tamen in hujusmodi negotiorum tractationibus a partium ſtudio & præconcepta propenſione abeſſe debere præcepit: *Cum ei, qui communis eſt omnium Pater, Cardinales aſſiſtant, perſonarum acceptatores fieri, & advocatos valde indecens eſt. Propterea interdixit hæc ſancta Synodus, ut tanquam judices collaterales partialitatem nullam accipiant, etiamſi de terra partiali originem ducant; nec ſint Principum aut Communitatum, ſeu aliorum contra quendam, cum pretio vel ſine, partiales* (h. e. unius partis ſtudio plus juſto addicti) *Protectores aut Defenſores, ſed exuti omnem paſſionem, in ſedandis concordia & juſtitia litibus Papæ aſſiſtant* *).

§. XXXI.

His vero dotibus non minori Eccleſiæ decore, quam emolumento inclareſcere Eminentiſſimos illos Proceres, non modo palam in oculis omnium eſt, ſed & enumerari quam plurimi poſſent, qui cum inſigni ſacri hujus Collegii prærogativa, aut ſanctimonia floruerunt; inter quos HUGO Cardinalis, Seraphicus BONAVENTURA, Divus CAROLUS BORROMÆUS, S. PETRUS DAMANI &c.; aut eruditionis præſtantia atque amplitudine eminuerunt; uti CÆSAR BARONIUS, Annalium Eccleſiaſticorum, ut MIRÆUS ait *br*), conſummatiſſimus conditor, quos Flacco Illyrico ac Centuriatoribus oppoſuit; ROBERTUS BELLARMINUS, alter (ut Miræus cit. loquitur) ſæculi noſtri Auguſtinus, Polemicorum adverſum ſectas noſtri temporis anteſignanus ac pene parens, atque e cujus fontibus, quotquot fere hactenus adverſus novitia poſtremi ævi dogmata pugnaverunt, largiter hauſerunt; JOANNIS TURRECREMATA, Huſſitarum in Baſileenſi Concilio expugnator, *Defenſoris fidei* titulo condecoratus **); aut eos, qui Regiam originis cum Eccleſiaſtica Cardinalium e Stirpe

Cardinales ſanctimonia & eruditione illuſtres:

bq) OLDOINUS laudatus in addit. ad vitam Martini V.

*) Seſſ. 23. Approbavit, quæ a Baſileenſibus conſtituta ſunt, ac iisdem pene verbis Bullæ reformationis inſeruit Synodus LATERAN. V. Vid. Tom. 9. Conc. pag. 1751., quin tamen expreſſerit, ejusmodi tutelas ac patrocinia gratis debere ſuſcipi; unde ea, pro æquitate etiam & juſtitia ſuſcepta haud prorſus atque univerſim gratuito eſſe tractanda, innuit.

br) De Scriptoribus Sæc. XVII.

**) Ad quæſtionem: *Utrum D. Hieronymus fuerit R. E. Cardinalis?* affirmando reſpondent JOSEPH DE SIGUENZA in Vita hujus S. lib. 3. c. 6., Ba-

Regia oriundi. Purpura conjunxerunt. Verum quia præfixi limites eo excurrere non ſinunt, lectorem avidum remittimus ad GEORG. JOSEPHUM AB EGGS, qui in *Purpura docta*, & ad *Magnum Theatrum Vitæ humanæ* ſolertiſſimi Archidiaconi Antverpienſis *), qui ex Onuphrio Panvinio, Ciaconio, aliisque, Cardinalium omnium usque ad Urbani VIII. Pontificatum, nomina, genus ſive familiam, ac nonnunquam dignitatem, ordine alphabetico complexus eſt **).

CAPUT IV.

Prærogativæ Eminentiſſ. Cardinalium ex gradu, quem in Hierarchia Eccleſiaſtica obtinent.

§. XXXII.

Poteſtate Ordinis Epiſcopi Cardinalibus majores. Prærogativa altera ex gradu, quo in ſacro Eccleſiæ Principatu eminent, qui Cardinalitia dignitate præfulgent, accerſitur. Equidem ſi poteſtas *Ordinis* ſpectetur, obſervat BELLARMINUS *bs*), & fatentur omnes majorem eſſe Epiſcopum Presbytero vel Diacono Cardinale, ac rurſum conſiderata *jurisdictione* in Eccleſia *propria*, Cardinalem Presbyterum vel Diaconum Epiſcopus antecedit, cum Epiſcopi Diœceſis præ Titulo Cardinalis communiter & amplior ſit, & Epiſcopus Ordinaria & plena utatur jurisdictione, Cardinalis Presbyter aut Diaconus nonniſi ſecundum factæ ſibi conceſſionis menſuram. Unde & antequam ad univerſalis Eccleſiæ regimen ſimul aſſumerentur Cardinales, Epiſcopos eis ante-

BARON. annal. Tom. 4. ad an. 382, & alii apud BARBOSAM in Repertorio, *verbo* Cardinalis. Negat BELLARMINUS L. I. de Clericis c. 16.. eoquod S. Hieronymus non Romanæ ſed *Antiochenæ* Eccleſiæ presbyter fuerit, ut ibid. latius oſtendit. POLYD. VERGILIUS de Invent. rerum l. 4. c. 9., poſtquam notaſſet, Paulum II. (qui ſedere cæpit an. 1467.) Cardinalibus veſtem coccineam cucullo inſignem dediſſe, *pictores deinde noſtros, nimirum valde pios*, eandem *D. Hieronymo impertitos eſſe . . . etſi per id tempus, quo ille vixit, ne nomen quidem tam ſublime* (ſive cum tanta prærogativa, multo minus cum iſtis inſignibus *Cardinalis erat auditum.*

*) LAURENTII BEYERLINCK Tit. *Cardinales.*

**) Nihil proinde dignitatis ex aucto Cardinalium numero eisdem deceſſiſſe, docemur. Vid. Diſſert. prior. §. 30. ſub nota *).

bs) Loco proxime cit.

antehabitos esse constat *). Atque ita Episcopi eo tempore sanctionibus Conciliorum ante Cardinales leguntur subscripsisse **).

§. XXXIII.

Cardinalium aucta dignitas.

Post ea vero tempora, quibus cum Episcopis septem ad Lateranensis Ecclesiæ officium deputatis, atque cum ipso Pontifice Cardinales reliqui in unum Collegium coaluere (Vid. Dissert. prior. §. 26.); omnium velut conjuncta authoritas supra Episcoporum Ordinem eminere cœpit, ac *Humbertus* Ecclesiæ Romanæ Cardinalis Episcopus ante Petrum Amalphitanorum Archiepiscopum in Synodo Cpoli sub Leone IX. anno 1054. habita subscripsit ***). Incrementum cepit ea dignitas, quando in Concilio ROM. sub NICOLAO II. summa creandi Pontificis authoritas ad Cardinalium Senatum devoluta est. Vid. supra §. 14. Accessere frequentes Cardinalium *legationes*, ex quo jure novo facile Cardinales, tanquam Pontificis Oratores, Episcopis anteferebantur *bt*); adde, quod ex Cardinalium Collegio plerumque aut frequentius Supremi Ecclesiæ Pastores delecti sint ****); quibus tamen omnibus haud effectum penitus est, ut non aliquando huic prærogativæ factis quorundam contrariis intercederetur *****). Sta-

 biliri

*) BALDUS in cap. *Bonæ memoriæ* de Postul. Prælat. ait: *Episcopus est major Presbytero Cardinali, quia non potest hic Episcopum consecrare.* BARONIUS an. 604. Tom. 8. annal. n. 65. ait: *Non consueverat, ut Cardinales ante Episcopos ponerentur.* Cardinalatus nimirum Officium est, non Ordo. Hinc & Episcopi Cardinalatum recusabant usque ad tempora Clementis V. & Joan. XXII., eoquod Episcopatus esset prima post Papatum dignitas, & Cardinalatus ipse gradus esset ad Episcopatum, ut docet PANVINIUS L. de Cardinalib., & apertissime colligitur ex lib. 1. c. 7. vitæ S. Gregorii Vid. late BARONIUS Tom. 7. ad an. 583.

**) Constat inter alia ex Concil. ROM. sub BENEDICTO VIII. ad an. 1015., ubi non solum ante Cardinales Presbyteros, sed etiam Episcopos subscribebant Episcopi non Cardinales ordinatione antiquiores.

***) THOMASSIN. p. 1. lib. 2. c. 113. n. 1.

bt) BARON. ad an. 1059. n. 10.

****) Etiam post Synodum Rom. sub Stephano III. ad an. 769., ejusque Decretum (quod recitatur Can. 4. Dist. 79.) adhuc numerantur quindecim, qui extra sacrum Collegium ad Pontificatus honorem assumpti sunt, quos recensct SANDINIUS p. 3. de Vitis Pontificum Rom. in fine, pag. 878. Cur vero Diaconis olim sæpius, quam Presbyteris Pontificatus collatus sit, ipsum vide apud eundem in Vita *Sabiniani*, *annot.* 1.

*****) Ita teste LEONE *Ostiensi* ad an. 1068. in electione *Victoris III.* Episcopi prima suffragia habuere. Vid. etiam Bulla unica *Calixti II.* Tom. 1. Bullar. an. 1122. ad Henricum V. Imp. data, ubi manifeste Episcopi Cardinalibus anteponuntur.

biliri tandem visus est iste Cardinalium gradus ab INNOC. IV. in Concil. LUGDUNENSI I., cum Pileum, seu *Galerum rubrum* *) ejusdem Ordinis insigne, renuntiatis Cardinalibus in pervigilio Natalis Domini concessit; ac profecto exinde supra Episcopos aliosque Primates altius assurrexisse Cardinalium Ordo ex actis Concilii deprehenditur: *Ad dexteram* (ita ibid. legitur) *& in eminentioribus locis sederunt Episcopi Cardinales: ex altera vero Presbyteri Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi post eos.*

§. XXXIV.

Bulla Eugenii IV.

At vero, cum EUGENIUS IV. inter S. R E. Cardinales adlegisset *Joannem* Archiep. *Eboracensem*, loci prærogativam eidem negavit *Henricus* Archiepiscopus *Cantuariensis*. Edit ei Eugenius Constitu... *Non mediocri bu*), mirari se, cur Joanni Henricus locum prælationis dubium faceret, cum eundem *Henrico* Tit. S Eusebii *Cardinali* Presbytero, in sessionibus & suffragio ferendo, absque lite mota per annos 14. & amplius concesserit, etsi Henricus proxime dictus, *Episcopus* duntaxat *Vintonienſis*, ac Henrici Archiepiscopi Suffraganeus esset; Joannes vero *Archiepiscopus*, & Cantuarienſi nulla ratione subjectus. Neque ex eo purgare se posse ait Cantuarienſem, quod Henricus Vintonienſis regio sanguine prognatus sit; quippe cum hic, antequam Cardinalatus dignitatem esset adeptus, & voce & loco Cantuarienſi cesserit. Tum pergit per §§. seqq. ostendere, quam jure ad istud prælationis fastigium Cardinales evecti sint, quod ii præ cæteris inde ab Ecclesiæ exordio summis Pontificibus in gubernanda *universali* Ecclesia assistant, atque ad Apostolatus culmen *unus de Cardinalibus Presbyteris aut Diaconis*, secundum B. Petri & Successorum institutum, assumatur; quod in confinio Nicæni Concilii a B. Sylvestro ejus *Coadjutores* appellati, ac *privilegiis* (quæ recitat) supra Patriarchas & Archiepiscopos aucti, ab aliis vero Pontificibus *pars sui corporis* appellati sint; quod officio *Legati a latere* Cardinales soli cum prærogativa gaudeant; a Constantino vero Magno *Patriciorum* dignitate ornati, ac *Patrum* loco honorati sint, &c. &c.

Ejus Summarium.

§. XXXV.

*) Eo *Pontifex* Cardinales *admonitos voluit, paratos omni tempore esse debere sanguinem fundere pro Christiani populi libertate tuenda.* GAGUINUS de Francorum reb. gest. lib. 7. p. 122. An vero in Lugdunensi I., vel II. factum sit, ut rubro Galero Cardinales donarentur, nec THOMASSINUS, nec PAGIUS audent definire. Affirmat tamen NICOL. DE CURBIO Innocentio IV. coævus in ejus vita cap. 21. Tom. 3. Scriptor. rer. Italic. pag. 592.

bb) Ad an. 1439. Tom. I. Bullarii pag. 332.

§. XXXV.

Ex his rationibus eam afferri præcipuam obſervat BELLARMINUS cit., quod in *univerſalis* Eccleſiæ regimine Cardinales continuo *præſto ſint Pontifici, neque ullum negotium majoris momenti ſine eorum conſilio peragatur, cum Epiſcopi non Cardinales, nunquam adhibeantur ad regimen univerſalis Eccleſiæ, niſi rariſſime, id eſt, cum ad Generale Concilium convocantur. Et quia hinc fit, ut Epiſcopi a Cardinalibus, ut Summi Pontificis cooperatoribus judicentur, creentur, deponantur, non autem contra Cardinales ab Epiſcopis; propterea abſolute*, inquit, *Cardinalis Epiſcopum non Cardinalem præcedit.* Adducit ſubinde BERNARDUM, qui jam ante Eugenium IV. l. 4. de Conſiderat. ad Eugenium III. de Cardinalibus loquens: *An non*, inquit, *eligendi de toto orbe, orbem judicaturi?* & in ep. 188. ad Cardinales data: *Nulli dubium*, ait, *quin ad vos ſpecialiter ſpectet tollere ſcandala de regno Dei, ſurgentes ſuccidere ſpinas, ſedare querelas;* quibus locis apertiſſime Bernardus majorem in Cardinalibus, quam in Epiſcopis non Cardinalibus, poteſtatem agnoſcit. Bellarmini reflexio,

§. XXXVI.

Ita porro mutationis hujus rationem præcipuam duplicem idem Bellarminus exponit. Ac *1mo* ait, quo tempore Pontifices eligebantur ab Imperatoribus, vel Clero & populo, mirum haud eſſe, ſi tanta non fuerit Cardinalium dignitas. At poſteaquam cœperunt ſoli ipſi eligere, ac ipſi quoque ſoli plerumque eligi, non ſine cauſa Cardinalitia dignitas magis cœpit excellere, & Epiſcopatus gradus eſſe ad Cardinalatum. *2do.* Ante, quam Cardinales ad univerſalis Eccleſiæ regimen aſſumpti a Pontifice ſunt, neque ii ſoli, neque primarii Pontificis Conſiliarii erant; ſiquidem primis ſexcentis vel octingentis annis Summi Pontifices ad graviora Eccleſiæ negotia dijudicanda cogebant Concilia nationalia Epiſcoporum Italiæ, quibus Conciliis intererant quidem Cardinales Presbyteri: ſed tamen primus locus Epiſcoporum erat; prout cognoſci poteſt ex Tomis Conciliorum, ubi plurima inveniuntur Concilia Romana, ſive Lateranenſia, celebrata ab anno Domini CCC. ad DCCC. . . . At poſtea creverunt negotia Eccleſiæ Romanæ, præſertim cum acceſſiſſet Principatus temporalis tempore Pipini & Caroli M.; proinde egebat Summus Pontifex Conſiliariorum ope multo, quam antea, frequentius. Neque poterat tam ſæpe convocare Concilia Epiſcoporum, quam neceſſe erat: Concilia enim vix tertio quoque anno cogi poterant; Pontifex autem anno quolibet ſæpius conſilia requirebat. Itaque uſu docente, & neceſſitate cogente his poſtremis annis ſexcentis vel ſeptingentis intermiſſa paulatim Epiſcoporum Concilia, & res tota redigi cœpit ad Senatum Cardinalium. Potuiſſe autem hoc fieri, ac recte factum eſſe, in dubium revocari non poteſt, cum Pontifex non teneatur hos potius, quam illos in Concilium adhibere. Ita fere Bellarm. loc. cit. & exegeſis.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Subjungit deinde multiplex commodum inde conſecutum; quorum *primum* eſt, quod modo Summo Pontifici ſenatus in promptu ſit, ut poſſit ſingulis etiam diebus, cum voluerit, de rebus graviſſimis inire conſilium: *alterum*, quod iſtud absque detrimento particularium Eccleſiarum geratur, cum ſæpe nequeant Concilia Epiſcoporum cogi absque Eccleſiarum particularium detrimento, quibus abſentia Paſtorum pernitioſa eſt; *tertium*, quod habeat Conſiliarios magis inſtructos, cum hæc ſola & aſſiduo tractent. Facta autem legitime hac mutatione Concilii Pontificii ab Epiſcopis & Cardinalibus ad ſolos Cardinales, mirum eſſe non debet, ſi dignitatum quoque mutatio facta ſit. Ita fere Bellarminus loco cit. a §. *Neque etiam* *).

§. XXXVIII.

Locus Calvini notatur.

Pungebant iſta Cardinalium decora, ac vehementer ſtimularunt Joannem *Calvinum*; unde is in extrema diſputatione l. 4. Inſt. c. 7. §. ult. *Neſcio*, inquit, *qui factum ſit, ut ita ſubito in tantam amplitudinem emerſerint*: & mox infra: *Nunc adeo mutata ſors eſt, ut facti ſint Regum & Cæſarum cognati; nec dubium eſt, quin una cum ſuo capite ſenſim creverint, donec ad hoc dignitatis faſtigium evecti fuerint.* Quibus tamen ille ſui immemor mox ita ſubjungit: *Impleri*, inquit, *in illis oportuit, quod de talibus ait Malachias: vos receſſiſtis de via, & offendere feciſtis in*

*) Quæ his Bellarmini rationibus obmovet JUSTINUS FEBRONIUS in ſuo libro ſingulari de ſtatu Eccleſiæ, & legitima poteſtate Rom. Pontificis c. 7. §. 9., lubentes præterimus. Oppoſuimus eidem alias Obſervationes quasdam ſummarias ad librum prædictum, de ſcopo & mediis, quæ in eodem ſibi eſſe præfixa teſtatur. Vindicias & *Reflexiones* oppoſuit Febronius. Haud difficilis futura erat reſio ad ea, quæ repoſuit. Verum cum pars eorum potior in aculeatas dictiones, & vehementiorem ſcriptionis ſtylum deſinat (cujus rei exemplum in omnibus fere paginis occurrit) regulam Febronii ſequemur ab eodem aſſignatam ad finem Præfat. §. *Qui ex privatis*; quæ acerbius contra nos ſcripta ſunt, ſilentio non tam vindicaturi, quam prætermiſturi. Videri interim poterunt a Lectore avido *Vindiciarum adverſus J. Febronii JCti librum ſingularem liber ſingularis Reverendiſſimi* D. GREGORII TRAUTWEIN *Præpoſiti & Abbatis Exempti Collegii S. Michaelis Archangeli ad Inſulas Wengenſes, Ulmæ Suevorum* 1765., *Auguſtæ Vindel. & Oeniponti.* LIBRO APOLOGETICO *contro il nuovo Siſtema dato alla luce da Giuſtino Febronio J. C., compoſto da un Franceſcano Min. Conventuale* (SAN-GALLO) *in Venezia*, 1766; *Apologeticon* JOAN. GODEFRIDI KAUFFMANS S. T. D. Facult. Theol. Colon. Decani &c. *Coloniæ Agrippinæ* 1767; quibus, quantum nobis quidem conſtat, nihil hactenus a Febronio reſponſum.

in lege plurimos; propterea ecce ego dedi vos contemptibiles, & viles omni populo. Videlicet aduſſit hominem Orthodoxi Patrum Senatus gloria, & oculos perſtrinxit, ut, quam ſecum diſſentientia ſcriberet, haud videret.

CAPUT V.

Eminentiſſimorum Cardinalium prærogativæ ex Privilegiis eisdem ſpeciatim conceſſis.

§. XXXIX.

Ad triplicem ea claſſem reducuntur, quorum alia eorundem perſonis, alia Officio annectuntur: alia utrique ita adhærent, ut ordinem ad perſonas Cardinalibus eorumque officio extraneas dicant. Ad *perſonas* referuntur inſignia ac Tituli eidem Eminentiſſimo Collegio conceſſi. Præter *Purpuram*, qua a Pontificibus anteceſſoribus ornati ſunt, *ruber Galerus* additus ab INNOCENTIO IV.*), PAULUS II. *veſtem coccineam cucullo inſignem* addidit, uti refert POLYDORUS VERGILIUS *bx*); ſive ut JACOB. PICCOLOMINEUS Card. Papienſis, uſum *mitræ ſericeæ* damaſceni operis, *rubraque capitia* indulſit **) eorumque ſubſellia tam ad Senatus, quam ad Sacrificiorum confeſſum altius elevavit, quo a cæteris Præſulibus in ſolenni rei divinæ ac ſacræ apparatu ſecernerentur. Uſum *coloris nigri* ac lugubris, quo dolorem etiam ex neceſſarii alicujus obitu teſtarentur, Cardinalibus interdixit ALEXANDER VII. *by*). Addit BARBOSA J. E. Univ. l. 1. c. 4. n. 86., Cardinales facultatem habere utendi veſtibus ex *duobus* tantum coloribus, *rubro*, & *violaceo*; exceptis Dominica 3tia Adventus, & 4ta Quadrageſimæ; quibus diebus ſubtanis, mantelleto, & mozzeta utuntur coloris *roſæ ſiccæ*. *In Capella* ſedent adinſtar Canonicorum Cathedralium in ſedibus coopertis *bz*) cum appodio: non pedes, ſed manus Pontificis oſculantur: non genuflectunt, more reliquorum, ſed profunde ſe duntaxat Papæ inclinant; atque a Pontifice, ſaltem quando totum Cardinalium cœtum alloquitur, etiam Cardinales non Epiſcopi Venerabiles *Fratres* conſalutantur; quos alias ac ſeorſim, quando Filios vocat, haud alio ſenſu ita compellantur, quam ut filii *primoge-*

Privilegia Emin. Cardd. *perſonalia.*

*) Ad an. 1245. in Conc. LUGD. I. Vide ſupra §. 33. ſub nota ****).

bx) De rerum Invent. l. 4. c. 9.

**) Uſum Bireti rubri Cardinalibus quoque *ex Ordinibus Regularium* conceſſit.

by) SANDIN. in vita hujus Pontificis.

bz) Card. PETRA ad Conſtit. unic. Joan. XV.

mogeniti ſecundum HOSTIENSEM *ca*), aut filii primi gradus ex LÆLIO ZECCHIO *cb*) intelligantur. In Eccleſiis ſuorum Titulorum habent *jurisdictionem Epiſcopalem*, licet Epiſcopi non ſint, atque uti *inſigniis Pontificiis* poſſunt, ac more Epiſcoporum *ſolenniter benedicere*, & *minores Ordines* conferre, itemque corrigere ſubditos & *excommunicare*, atque *Beneficia* in iis ſita *conferre*; & *in Epiſcopatibus* indulto gaudent, Beneficia in *menſibus Papalibus* conferendi *cc*). Atque ut tota demum hujus Ordinis magnificentia nomine uno dici poſſet, URBANUS VIII. eos *Eminentiſſimos*, quaſi propria compellatione, voluit nominari *cd*). Adde, quod ex privilegio a SILVESTRO Papa conceſſo Cardinales ſine plurima teſtium multitudine damnari non debeant *); ii vero, qui eosdem violentia quadam læſerint, aut conſilium ad hoc favoremve præſtiterint, læſæ Majeſtatis rei, & perinde ac ipſius Throni Apoſtolici violatores habeantur, graviſſimisque pœnis ſubjaceant *ce*).

§. XL.

ivilegia fficii.

Inter prærogativas ad *Officium* pertinentes, præter ea, quæ ſuperioribus jam Capp. de munere Sum. *Pontificem eligendi*, de *Congregationibus* diverſis, atque *univerſalis Eccleſiæ adminiſtratione* dicta ſunt, adhuc ſingulari conſideratione digna venit hoc loco dignitas *Legatorum a latere* ſolis Cardinalibus extra Curiam miſſis propria *cf*). Tres vero Legatorum Pontificiorum claſſes a DD. communiter diſtinguuntur, cum GLOSSA in c. 1. *de Officio Legati* in 6. V. legati, & PANORMITANO in c. *Excommunicati* 9. eodem tit.: Videlicet *Legatorum a latere*, *Natorum* & *Miſſorum*. Ex his quoad duas poſteriores, tanquam minus ad ſcopum Expoſitionis noſtræ ſpectantes Lectorem ad Ss. Canonum DD. remittimus; ac videri inprimis de iis poteſt cum laude alias a nobis nominatus WIESTNER *cg*).

§. LXI.

ca) In c. *Ad liberandum* n. 3. de Judæis; & ex Text. in c. *Fundamenta* §. *Decet*, de Elect. in 6.

cb) De Rep. Eccleſiaſt. Tit. de Statu Illuſtriſſ. Cardinal. num. 1.

cc) ZECCH. proxime cit. n. 9.

cd) SPONDAN. ad an. 1630. §. 8.

*) Vid. BARBOSA J. E. Univ. lib. 1. c. 4. n. 51.

ce) EUGENIUS IV. Conſtit. *Non mediocri* cit. §. 5. & 6., & BARBOSA cit. n. 43.-50.

cf) Card. ALBANUS de Cardinal. q. 42. in privil. 22. & 23. AZOR. Inſt. mor. p. 2. l. 4. c. 3. q. 20.

cg) Inſt. Can. l. 1. Tit. 30. Summario *Legati nati* dicuntur, qui legationis munus

§. XLI.

Legatos autem *a latere* ſicut excellentia dignitatis, ſic & poteſtatis mul tum eminere, conſtat inprimis ex *c. 1. in 6. cit.* Deinde *ex inſignibus* Apoſtolicæ dignitatis, c. *Antiquæ 23.* de Privileg.; quæ ſunt 1*mo* veſtis purpurea cum veſte linea, ſive byſſina ſuperiore; equus albus phaleratus, fœnum & calcaria deaurata, uti in c. cit. n. 12. notat HOSTIENSIS; quibus a latere Legatus hodie utitur, ut primum egreditur territorium civitatis reſidentiæ Papalis, cum jure æquiparentur Proconſuli *ch*), qui cum imperio in provinciam iturus, ſimul atque ex Urbe egreſſus eſt, faſcibus & inſignibus Proconſularibus utebatur. *l. 1. ff. de officio Proconſ.* 2*do* Cum iisdem inſignibus civitates & oppida, Clero & populo ſolenniter excipiente ac deducente, ſub pallio ſive baldechino ingrediuntur *ci*). 3*tio* Præſente Legato a latere Legati cæteri tam Nati, quam Miſſi, etiam cum poteſtate Legati a latere, Cruce, quæ ante ipſos deferri ſolet, & aliis ſuæ legationis inſignibus ac poteſtate non utuntur. Cap. *Volentes* 8 de offic. leg.; quæ proinde poteſtas ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ (quam Legatus a latere aſſumptus ſpeciali modo & propinquius repræſentat) etſi non exſpiret, tamen, quamdiu Legatus Cardinalis præſens eſt, quoad exercitium ſuſpenditur, ut nec contentioſam, nec voluntariam jurisdictionem valeant exercere. *Text* cap. *Volentes* cit., GLOSSA V. *Latere noſtro.* De *jurisdictione* ejusdem *in Exemptos*, poteſtate *abſolvendi a cenſuris*, & *conferendi Beneficia* latius diſſerit Wieſtner cit. Officium Legati a latere.

§. XLII.

Superſunt ad extremum privilegia, quæ ita perſonis Cardinalium & offi cio adhærent, ut ordinem ad alios præcipue involvant. Sunt autem potiſſimum 1. Privilegium conſuetudine introductum, ut ſi Cardinales ei, qui ad *ſupplicium* educitur, facti obviam veſte aut pileo eum tegant, a fatali eum ſententia exi mant Privilegia utrique adhærentia.

munus annexum habent ſuæ Eccleſiæ, ſive Dignitati Archiepiſcopali; quales ſunt *in Germania* olim Magdeburgenſis, hodie Salisburgenſis; *in Gallia* Rhemenſis, *in Hiſpania* Toletanus, *in Italia* Piſanus, *in Anglia* Cantuarienſis, *in Hungaria* Strigonienſis, *in Bohemia* Pragenſis, *in Polonia* Gneſnenſis Archiepiſcopus. AZOR p. 2. Inſt. l. 5. c. 27. q. 1., PIRRHING. ad hanc rubr. n. 2. *Legati miſſi* ſive conſtituti, & ut appellari ſolent *Nuncii Apoſtolici*, dicuntur Prælati & Clerici Cardinalibus inferiores, a Papa ad legationis munus in provincia aliqua obeundum deputati. (Can. 1. Diſt. 94. Quales hodie Venetiis, Neapoli, Coloniæ, Lucernæ, & alibi reſidere ſolent, & quorum facultatibus aliquando clauſula: *cum poteſtate Legati a latere*, adjici ſolet.

ch) Cap. *Legatos* 2. in 6. de offic. Leg.

ci) Vid. BARBOSA J. E. lib. 1. c. 5. n. 18. & 22.

mant *ck*). 2. Privilegio *immunitatis* Eccleſiaſticæ gaudent Cardinalium domus, in quibus extat Oratorium, ubi Divina Officia celebrantur *). Cardinales in domibus ſuis habere poſſe *carcerem privatum* (excepto iterum crimine falſi) affirmat ZECCHIUS §. 39. lit. cc. relatus. 4. A ſententiis Cardinalium, quando a toto eorum Collegio feruntur, non procedit *appellatio cl*). 5. De conſuetudine Curiæ ſtatur dicto Cardinalis de his, quæ dicta vel facta ſunt coram eo *cm*); ac rurſum 6. Cardinali *Legato* citra mandatum ſcriptum, circa ea, quæ ſpeciale mandatum non requirunt, aut principaliter non diriguntur in præjudicium tertii *cn*). 7. Præ aliis demum hoc ſingulare habent Illuſtriſſimi Curiæ Senatores, ut non includantur in *regulis Cancellariæ* faciendis, & in futurum edendis, neque aliis conſtitutionibus *generalibus co*); uti neque Diſpoſitio *generalis odioſa* eosdem, tanquam ſpeciali nota dignos, afficit; neque ſententia *ſuſpenſionis* vel *interdicti* in Conſtitutione Pontificia lata, niſi ſpecialiter exprimantur *cp*) &c. &c. De his plura qui volet, adeat AA. paſſim hoc §. ultimo allegatos, ac præprimis eruditiſſ. & celeberrimum Auguſtinum BARBOSA Jur. Eccl. Univ. lib. 1. cap. 4. per totum. Atque hiſce de *Muniis* & *Prærogativis* Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium pro Diſſertatione hac altera dictum eſto ſatis.

onclu-
o.

Animadverſiones Editoris.

Ad Diſſ. 1. Cap. IV. §. 31. in not. Quae ad hanc materiam ſpectant, apud Auctores in Diſſ. utraque allatos illuſtrata reperies. Quare peculiaria tantum quae-

ck) LÆL. DE ZANCH. de Privileg. Eccl. privil. 154. num. 11. AZOR loc. cit. verſ. 1. Excipe, niſi reus educatur ratione falſitatis.

*) Card. TUSCHIUS Practic. Concluſ. Verb. Eccleſ. Concluſ. 9. n. 12., MANFRED. in Tract. de Card. deciſ. 147. & c. 8. privil. 14. FARINAC. tamen Tract. de Immunit. Eccleſ. n. 274., & PEREG. in ſimili Tract. c. 4. n. 75. advertunt, hujusmodi privilegium hac tempeſtate non ſervari in Urbe, ut conſulatur bono publico, & delinquentes puniantur. DUARD. vero in Bullam Cœnæ l. 2. can. 15. q. 16. exiſtimat, hoc privilegium revocatum eſſe a Gregorio XIII., & Sixto V. De Urbano V. conſtat, eum vetuiſſe, ne domus Cardinalium improbis eſſent perfugio.

cl) Card. ALBAN., MANFRED. & AZOR citt.

cm) HOSTIENS. in Cap. *Conſtitutis* de appellat.

cn) Card. TUSCH. apud Barboſ. cit. n. 66.

co) Regula Cancellar. 68. alias 67.

cp) BARBOS. n. 60. & 69.

quaedam animadverto. Ex THOMASSINO Auctor notat existimasse aliquos, quod Itali quondam soli dignitatem Cardinalis affectarint. Magis singulare est, quod suggerit FREHERUS *in notis posthumis ad* LUPOLDI *de Bebenburg Tr. de Jurib. Regni et Imper. Rom. ad Cap. XIII. not. b.*, *sanctum* ANTONINUM *in summa historiali P. III. Tit. XXI. Cap. 2. §. 2.* ita scribere quoad hanc rem de Germanis: *quod, quamvis de omni natione debent Cardinales eligi, non tamen consueverit Ecclesia aliquos de Alemannia Cardinales assumere, ne secreta Ecclesiae Imperatoribus pandantur.* Sed inprimis haec verba l. cit. in S. ANTONINO non reperiri, testatur vel ipse HAEBERLIN *Hist. Tom. 8. f. 346. not. y:* tum si reperirentur, ex eo solo non subsistere, quod ante haec tempora plures Cardinales Germanos occurrere certum sit, quanquam Italis praesertim, et Gallis pauciores. Rationem deinde adjectam minus adhuc audiendam nemo non videt. Quod Jus Imperatorum concernit designandi vel nominandi Cardinalem, apud RAYNALD. *ad an. 1477.* n. 10. et 11. exemplum jam occurrit: ita enim inquit l. cit.: *Auctum fuit X. Septembris hujus anni Collegium Cardinalium a Sixto IV. ..... in arcanis etiam Comitiis alius renunciatus Cardinalis ob ardentes et continuas Friderici Imperatoris preces, nimirum Heslerus &c.*

Ad Diss. 2. Cap. I. §. 4. Negat hic Auctor a *S. Petro* substitutum sibi ita S. *Clementem* fuisse, ut ei immediate succederet. Idem uberius exponit Cl. NELLER in *Coroll. Historico, subjuncto Exercitio juridico 1772. 2. April. de S. Clemente I. Papa ad Can. 1. VIII. q. 1. f. 34. seqq.* sed illud iterum insolitum est, quod sibi idem circa hanc successionem systema effingit: nimirum LINUM & CLETUM successisse D. PETRO adhuc vivo in Episcopatu Romano, quem ipse iterum dimiserit; non autem in Primatu universae Ecclesiae: nec de S. CLEMENTE certum esse, quod quocunque ordine in hoc Primatu successerit, *quoniam*, ut inquit, *hactenus convincens ratio allata non fuerit, quod is, qui successit S. Petro in Episcopatu Romano, eidem quoque ipso jure et sine quovis alio requisito, successisset in Primatu, seu Praefectura totius Ecclesiae: quod id possit ex praecepto Christi ceu jure divino derivari, negare inter alios Catholicos* NICOLAUM CUSANUM, & NICOLAUM HONTHEIMIUM. *Si ad jus humanum provocare velis? ubinam istud jam fuit*, (ita porro arguit) *tempore S. Clementis? ubi canon? ubi mos? vis ex facto S. Petri? ecquod istud? an fundatio et institutio Ecclesiae Romanae? an mortis ibidem perpessio? an quia primus Urbis Episcopus fuit simul Apostolorum, et omnium fidelium Caput a Christo constitutus? Cave, ne hic aut fallaciam aequivocationis committas in syllogismo, aut id supponas, quod est in quaestione &c.* Existimat deinde nonnisi successu temporis ex ipsa determinatione Ecclesiarum, quarum aliae revera a Romana tanquam matre egressae fuerint, aliae accessione et adoptione ejus filiae evaserint, accedentibus aliis causis Primatum Ecclesiae Romanae collatum, quem dein Concilia etiam Ca-

nonibus ſcriptis firmarint. Neminem vero vult terreri hac lacuna, ut inquit, temporis, qua primo et ſecundo ſeculo Eccleſia acephala fuerit? nam hoc et alias tot interregnis, praecipue vero famoſo illo ſchiſmate contra Urbanum VI. et ſucceſſores excitato eveniſſe, quin propterea Eccleſia ipſa ruinam faceret: cui addendum tempus, quo Pontifices inutiles ſederint &c. Meum non hic eſt conſilium integrum hoc ſyſtema data opera confutare; praeſertim cum certis auctoribus in comperto habeam, propediem in lucem edendam a P. HYACINTHO BERG, *S. J. Theologo Colonienſi Diſquiſitionem Criticam*, in qua paradoxa haec NELLERI aſſerta examini ſubjicienda erunt. Quare pauca tantum generatim obſerv. 1. Veterum monumenta, quae nobis de immediatis ſucceſſoribus *D. Petri* ad manus adhuc ſunt, fatente ipſo NELLERO obſcura ſunt, multisque adhuc dubiis obnoxia; atqui hoc ipſo exiſtimo ejusmodi exinde aſſerta ſtabiliri non poſſe, quibus ſyſtema tam inſolitum deinde tuto imponere queas: aut quodſi nihilominus facias, totam molem labili plane fundamento nixam, facile ſua ſponte ruituram, aut in ruinam impelli poſſe per ſeſe conſequitur. 2. Succeſſores *D. Petri* enumerant IRENAEUS *L. 3. C. 3.* usque ad *Eleutherium*. TERTULL. *L. 3. cont. Marcion.* usque ad *Telesphorum*: OPTAT. MILEV. *L. 2. cont. Parmen.* uſque *ad Siricium*. AUGUSTIN. *ep. 165* uſque ad *Anaſtaſium*: nulli horum incidit diſtinguere inter alios Petri ſucceſſores, qui primo et ſecundo ſeculo nonniſi in Epiſcopatu Romano ſucceſſerint, et alios qui poſtea etiam in Primatu. Quid poſt tantos antiquiſſimosque Patres dicemus de Recentiore, qui, ut antea jam notavi, obſcuris quibusdam textibus nixus demum nobis ejusmodi diſcrimen vult obtrudere? 3. Eſto Catholicis necdum certum ſit ita jure divino Primatum Eccleſiae Romanae annexum fuiſſe, ut non etiam a *S. Petro* in alia Eccleſia ſucceſſores ſuos relinquente, huic quoque Primatus affigi potuerit; id tamen perquam inauditum eſt atque paradoxum, nullum plane ne in Romana quidem a *Petro* quoad Primatum ſucceſſorem relictum fuiſſe. Factum quoddam *Petri*, aut canonem requirit NELLERUS: atenim quod factum peculiare aut qui Canones fuere neceſſarii, ut Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores eſſent? Hoc enim ex eo per ſeſe conſequitur, quodſi Chriſtus Primatum in Eccleſia perdurare voluit, ſicut voluiſſe Catholicis certum eſt, voluiſſe eum quoque, ut ad *Petri* ſucceſſores tranſiret. Omitto clariſſimos textus CC., Patrum, omnisque aevi ſcriptorum exinde hunc Primatum Romanorum Pontificum repetentium, quod Petri ſucceſſores fuerint. 4. Lacuna illa temporis, quo Eccleſia acephala fuerit, neminem terreat, optat NELLERUS: atenim, credo, omnes terrebit, qui mala illa graviſſima perpenderint Eccleſiam prementia, dum longiori tempore, praeſertim ſchiſmate illo ab ipſo NELLERO allato, caput ſatis certum non habuit; quamquam integris plane ſeculis, ſicut in ſyſtemate *Nelleriano*, Eccleſia acephala non fuerit? tantae tanto tempore fluctuationi Chriſtum ſapientiſſimum Eccleſiae ſuae

ſuae Conditorem relinquere eam voluiſſe, cui ſano ratiunculis ſuis hic ſcriptor perſuadebit?

Ad Cap. cit. §. 14. Recitatur Decretum NICOLAI II. de electione Pontificis a GRATIANO *Can. 1. Diſt. 23. Correctores Romani* lectionem genuinam teſtantur ibidem his verbis: *hujus decreti integrum exemplum eſſe in vetuſtiſſimo libro Abbatiae Monaſterii Farfenſis, literis Longobardicis ante annos pene quingentos ſcripto, et alibi:* adde HARDUIN. *Tom VI. CC. p. 1065.* Idem Decretum habet BARON. *Tom. IX. ad an. 1059* ibidem tamen n. 29. ſubjungit: *hactenus. Nicolai Conſtitutio, labefactata tamen, ut dicetur, dolo malo ſchiſmaticorum:* quod cum deinde n. 30. et 31. probaſſet ex Cardinali *Deus-dedit* concludit: ex *quibus intelligis lector, ejusmodi a* GRATIANO *editum* NICOLAI *decretum haud eſſe integrum, purumque, prout ab eodem Pontifice in Synodo eſt conſtitutum, ſed a ſchismaticis labefactatum, atque additione corruptum.* Videtur BARONIUS illa decreti verba, ſuſpecta habere. *Salvo debito honore et reverentia dilecti filii noſtri, Henrici, qui in praeſentiarum Rex habetur, et futurus Imperator, Deo concedente ſperatur, ſicut jam ſibi conceſſimus, et ſucceſſoribus illius, qui ab hac Apoſtolica Sede perſonaliter hoc jus impetraverint;* nimirum ut electio Imperatori ſignificetur, ejusque conſenſus expetatur. Sed ſi verba ipſa Cardinalis DEUS-DEDIT inſpiciantur, equidem volunt a QUIBERTO *Anti-Papa* et ſchismaticis ei adhaerentibus falſa hujus Decreti exemplaria procuſa fuiſſe; non vero ea quoque, prout a GRATIANO referuntur, adulterata fuiſſe, quippe quae ipſi *Correctores Romani* ex dictis pro genuinis agnoverunt: ita vero inquit laudatus Cardinalis: *praeterea autem* GUIBERTUS, *aut ſui, ut ſuae parti favorem adſcriberent, quaedam in eodem decreto addendo, quaedam mutando, ita illud reddiderunt o ſe diffidens, ut aut pauca aut nulla exemplaria ſibi concordantia valeant inveniri: quale autem decretum eſt, quod a ſe ita diſcrepare videtur, ut, quid in eo potiſſimum credi debeat, ignoretur?* Finis ſchiſmaticorum erat, ut habet BARON. n. 30., ut Imperatori adjudicarent jus confirmandi electum Pontificem, non acceptandi eum, et hoc caſu, quem vellet, nominandi: tale autem nihil habetur in decreto, prout refertur a GRATIANO. DEUS-DEDIT ſane nonniſi exemplaria vere corrupta vidiſſe dici debet, cum addat: *non potuiſſe eundem Nicolaum ejusmodi ſanciviſſe decretum, per quod relaberetur jus ſuper electionem, ſive confirmationem RR. PP.*, cum tam in Orientali, quam Occidentali Eccleſia ſacris Conciliorum decretis id non eſſe conceſſum Principibus laicis, nec in minoribus Epiſcopatibus, jura, quae citat, admoneant: ita BARON. l. cit. Verum GRATIANI textus denuo nec de jure electionis, neque confirmationis quidquam commemorat. Id quod Imperatoribus, tanquam peculiaribus Eccleſiae Romanae et univerſae Advocatis, per eum antea conceſſum diximus, adeo paradoxum ex ipſis principiis Juris Canonici videri non debet, cum ſimile quid legatur

tur datum Regibus intuitu Epiſcopatuum in Regnis ſuis *Cap. 18. in fin. de elect.*, ubi INNOC III. tanquam tutor FRIDERICI II. Regis Siciliae, dein Imperatoris, in electione Capuana vult, ut *per nuntios a Capitulo miſſos poſt electionem peractam a ſe NB. vice Regia aſſenſus poſtuletur:* adde *cap. 25. de jure patron.*, ubi id certis patronis in Eccleſiis Collegiatis permittitur. Quid poſt hoc decretum Imperatores in electionibus Pontificiis aut egerint, aut praetenderint, vide compendio in *Poſitionibus Hiſtorico-juridicis de ſyſtemate Imperii Romano-Germanici Vindobonae 1769. poſit. LXXXVII.* et apud HAEBERLIN. *Hiſt. Tom. 1. f. 198. ſeqq. et f. 324.*, apud quem et coaevos ſcriptores huc ſpectantes invenies: quanquam in utroque ſcriptore minus recte ex dictis pro certo habeatur, Imperatori jus Confirmationis decreto *Nicolai* ſtabilitum fuiſſe, niſi fortaſſe eam vocem latiori ſenſu ſumere velis. Ea res interim pluribus videtur originem dediſſe juri ita dicto *Excluſivae*, hodie exerceri ſolito, de quo tamen pluribus agere hujus loci non eſt.

Ad Cap. IV. ejusdem Diſſ. Quod hic Auctor de dotibus Cardinalium etiam ex *Baſileenſi* refert, vide uberius apud NELLERUM *in Diſſ.* de *Decret. Baſil. etc. Tom. 1. hujus Theſauri f. 298. ſeqq.* De aetate ad dignitatem Cardinalis requiſita, cum aut Epiſcopi aut Presbyteri aut Diaconi ſint, per ſeſe jam conſequitur, qualis eſſe debeat. SIXTUS nihilominus V. peculiari Conſtitutione in Diaconis Cardinalibus annum vigeſimum ſecundum requiſivit 1586. Quare cum ageretur hoc adhuc ſeculo de LUDOVICO BORBONIO *Infante Hiſpaniarum impubere* tum adhuc in numerum Cardinalium adlegendo, ea res apud CLEMENTEM XII. difficultate non caruit: quanquam deinde Pontifice, ut plane poterat, diſpenſante exitum felicem nacta fuerit. Caeterum id exemplum minime primum eſt, Cardinalium in aetate adhuc 22. annis minore, immo etiam impubere, a Pontificibus ex cauſſis ſpecialibus creatorum; quemadmodum iisdem ex CIACONIO enumeratis oſtendit ESTOR *de Cardinali impubere Diatribe poſter. Cap. 3.* Acta quoad *Ludovicum Borbonium* refert *ibidem Cap. 7.*

XI.

JOANNIS FERDINANDI ANDREAE LAMMERZ DISSERTATIO PUBLICO-JURIDICA DE PRAEEMINENTIA S. SEDIS MOGUNTINAE EJUSDEMQUE EMINENTISSIMI ARCHI-PRAESULIS, PRINCIPIS ELECTORIS PRAEEMINENTIBUS AC SINGULARIBUS JURIBUS ET PRAEROGATIVIS.

Moguntiae Anno 1731.

PROOEMIUM.

Non paucis equidem temeritatis notam incurriſſe videbor, quod qualecunque Diſſertationis Academicæ ſpecimen editurus, & materiem in ampliſſimo fertiliſſimoque juris campo ſelecturus, haud triviale quoddam argumenti genus, quod ſane juventutis viriumque mearum imbecillitas pro modulo ſuo imperare poterat, verum ſublime, præcellens, nec minus arduum Thema, de Præeminentia S. Sedis Moguntinæ, Ejusdemque Eminentiſſimi Archi-Præſulis, Principis Electoris undique fulgentiſſimis & præcipuis juribus ac prærogativis, quibus inter cæteros Imperii Electores ac Principes eminet, Tractationi ſubjicere conſtituerim; attamen ſubeſſe rationem non unam confido, qua a temeritatis crimine ac omni culpa conatus iſte abſolvi poſſit; Tanta ſiquidem eſt Pietas, quam filius erga Matrem, ſubditus erga Patriam debet, ut mihi licet infimo, genuino tamen ac indiſſolubili nexu filialis ſubjectionis obſtrictiſſimo S. Sedis Moguntinæ filio hoc in præceptis datum eſſe perſuaſus imo convictus ſim, quo non tantum præeminentem illum ac prope infinitum honorem, quem ob innumera ac præcellentia ornamenta, decora ac præſtantias omnino eximias meretur, publico aliorum applauſui, & venerationi exponerem;

CAPUT I.

De Præeminentia S. Sedis Moguntinæ in Sacris, a S. Fidei Antiquitate, Sanctitate, Conſtantia, Ss. Martyrum Gloria, perpetua Præſulum Corona, Primatu, aliisque Ornamentis deducta.

§. I.

Quantum cujuscunque Ordinis Nobilitas ſibi prærogativæ decus ab Antiquitate temporum aſſumat, non ſolum, quotquot illuſtri Proavorum ſanguine inclaruerunt, ſed illi quoque diſcernere norunt, quibus nudum obſequendi, eminentemque aliorum ſublimitatem, & generis æque ac virtutum præſtantiam venerandi ſtudium pro gloria eſt relictum; Ita enim ſaniorum Judicio comparatum eſt, ut eo illuſtrior ſemper ſit Nobilitas, quo antiquior fuerit; eo ſplendidior, quo plurium retro vetuſtorum ſæculorum Catalogo reperitur inſcripta. Ad eundem plane modum, cum in definienda ſacri cujuscunque ſtatus ac Eccleſiarum Dignitate, ab æquiſſimis rerum æſtimatoribus ante omnia alia ad Originis vetuſtatem, veluti præcipuum prærogativæ characterem reſpici ſoleat, non immerito primum omnium & maximum *S. Sedis Moguntinæ* Ornamentum & præeminentiæ ſplendorem in veneranda Eiusdem Antiquitate collocavero; ſiquidem non Orthodoxorum duntaxat unanimi, ſed frequenti etiam, partium cæteroquin ſtudio laborantium ſcriptorum calculo comprobatum eſt, in primi ſtatim CHRISTI JESU Domini ac Salvatoris noſtri ſæculi Anno 80. per primum Epiſcopum S. CRESCENTEM, S. PAULI Apoſtoli Diſcipulum *S. Sedem Moguntinam* plantatam, & ſalvificæ fidei ac ſacroſancti Evangelii luce illuſtratam eſſe; quod pluribus deducit ac demonſtrat P. NICOLAUS SERAR. *Mogunt. Rer. Lib. 1. C. 19. & L. 2. C. 1. & 2.*

§. II.

Equidem non deſunt, qui ſicuti Moguntinis tantum tanti Apoſtoli Diſcipulum invident, ita in transverſum acti quovis modo negare laborant, S. CRESCENTEM unquam S. ſedi Moguntinæ Epiſcopum & Doctrinæ Chriſtianæ Magiſtrum primum præfuiſſe, atque, ut veritati ſummorum Virorum teſtimoniis comprobatæ nebulas offundant, unam alteramque difficultatem objiciunt, & proinde ſe ſe capere non poſſe dicunt, quando & quomodo D. CRESCENS, S. PAULI Apoſtoli Diſcipulus, Moguntiam venerit, eo quod idem Apoſtolus *2. ad Timoth. 4. v. 10.* diſertis verbis ſignificet, CRESCENTEM abiiſſe in *Galatiam;*

Latiam; ut hanc ipſam Doctoris Gentium Epiſtolam etiam perfunctorie tantum legenti apparere poſſit, D. CRESCENTEM non in Germaniam, neque Galliam, aut adſitas Rheno provincias, ſed in Aſiæ Galatiam tetendiſſe. At vero cum non tantum SS. Patres, ſed & alii magno numero a P. SERARIO *Mogunt. Rer. Lib. 2. Cap. 2* relati Authores, interque illos præcipue EPIPHANIUS, HIERONYMUS, SOPHRONIUS, THEODORETUS, ADO, BEDA, USUARDUS, unanimi ſententia tradant, *Galatiæ* nomine Sæculis antiquiſſimis Galliam, aliasque Rheno propinquas Provincias, imo ipſam Germaniam, appellatam fuiſſe, nihil adverſariis præſidii ſupereſſe poterit, quo Moguntinum S. CRESCENTIS Evangeliſmum & Apoſtolatum in dubium vocare valeant; præſertim cum meminiſſe etiam oporteat, Moguntiam inter Galatiæ ſeu Galliæ Urbes olim fuiſſe relatam SERAR. *Lib. 1. Cap. 10.*

Quodſi autem minus apta alicui videatur iſta concluſio: *S. CRESCENS ivit in Galatiam, ſeu Galliam. Ergo Moguntiam.* Siquidem potuerit in aliam quamlibet Galliæ urbem iviſſe, poſſetque pari jure, eum alia quælibet Galaticæ urbs ſibi vindicare Apoſtolum & Epiſcopum; Non equidem diffiteor, concluſionem iſtam, ſi ſola per ſe ſpectetur, eſſe, ut non nullis videtur, *ineptam*; ſed ſi conjungatur cum perpetua Majorum traditione, cum temporum, Eccleſiæque illius monumentis, teſtantibus, D. CRESCENTEM illuc veniſſe, minime contemnendam, ſed maximam in re hiſtorica vim & authoritatem habebit. SERAR. *Lib. 2. Cap. 2.*

§. III.

Alii, ut aliam veritati caligînem obtrudant, S. CRESCENTEM Viennam Galliæ perveniſſe, ac ibidem Epiſcopum, & quidem primum fuiſſe contendunt, ADONIS VIENNENSIS *in ætat. 6.* aliorumque Teſtimonio ſuffulti; ex quo concludere volunt: vel D. CRESCENTEM Moguntinum Epiſcopum non fuiſſe, vel ſi ejus nominis quidam ibidem extiterit, ſaltem illum S. PAULI Diſcipulum non fuiſſe. Sed ſi concedamus etiam, Viennam Galliæ adveniſſe D. CRESCENTEM, & multo fortaſſis tempore populum Orthodoxa doctrina & Chriſtianis moribus inſtruxiſſe, prout ADO, BEDA, USUARDUS, & PETRUS CLUNIACENSIS, nec non MARTYROLOGIUM ROMANUM *Die 27. Junii.* produnt, nemo tamen Authorum horum aut aliorum inficias ibit, D. CRESCENTEM Moguntinis præfuiſſe Epiſcopum. Quin ſi fingamus etiam, hunc ipſum D. PAULI Diſcipulum aliquo tempore Divina explicaſſe præcepta in Aſiæ Galatia, in Italia, Gallia, & quibusdam Germaniæ provinciis, Moguntiæ perinde tamen nec pilus adimitur: Superavit enim D. CRESCENS ſua ætate annos omnino 80. ex communi hac de re ſcribentium mente. Quippe in Galatiam ſi miſſus abiit, abiiſſe eo tempore certum eſt, quo

D. PAU-

D. PAULUS ſecundam ad Timotheum dedit Epiſtolam: annis vero novem ante D. PAULI Martyrium ſcriptam eam fuiſſe, argumentis probat BARONIUS *Tom. 1.* quamvis nonnihil refragentur D. HIERONYMUS *Lib. de ſcriptorib. Eccleſ.* EUSEB. *Lib. 2. Hiſtor.* multique recentiorum ſerius illam conſcriptam eſſe affirmantes. Si igitur horum opinionem amplecti, & dicere fas ſit, Anno PAULI poſtremo Epiſtolam hanc ſcriptam, & CRESCENTEM in Galatiam miſſum veniſſe, haud adverſabitur iis, quæ dicta ſunt: namque D. PAULUS An. poſt natum Salvatorem 69. capite plexus ſub Nerone, D. CRESCENS vero An. 102. vel potius 103. ſub Trajano paſſus eſt: annorum igitur 34. intervallum inter D. PAULI & hujus Diſcipuli CRESCENTIS fata interceſſit: cui ſi demantur 22 vel 23. anni, quibus Moguntiæ præfuit; annos omnes reliquos vindicare ſibi poſſunt Galatia & Galliæ Vienna, nimirum annos 11. Quodſi tot annorum ſpatium non ſufficiat aut Gallis aut Galatis, quis jure affirmare poterit, D. CRESCENTEM eo, quo Moguntinis Fidei Dogmata explicavit tempore, nunquam excurriſſe in provincias alias nunc propinquas, nunc remotas? abhorruerunt certe ab hac ſedendi more & mora antiquiſſimorum Epiſcoporum plerique, dum oves paſcebant, & nova paſcua nunquam non inquirebant. Proinde D. CRESCENTEM, primum & ſupremum Moguntiæ Antiſtitem inter D. PAULI diſcipulos floruiſſe, conſenſu maximo tradidere Ss. Patres & Hiſtorici, tum antiqui, tum medii, tum recentiores, quorum omnium recenſet nomina P. SERAR. *L. 2. Cap. 2.* P. KOLB. *in ſerie Epiſc. Archi-Epiſc. & Elect. Mog. pag. 4.*

§. IV.

Non fundamenta autem ſolum S. Sedis Moguntinæ poſuit D. CRESCENS, ſed ea quoque indefeſſo usque ad mortem Zelo conſolidavit, atque per 22. ſolidos, aut 23. inchoatos annos, quibus factus multorum diſcipulorum Magiſter, &, ovium Paſtor vigilantiſſimus ibidem præfuit, nihil impenſe magis curavit, quam ut idolorum delubra deſtrueret, zizania eradicaret, virtutes plantaret, & dicatam Deo Sedem, velut arcem inexpugnabilem ita præmuniret, quo inter frequentes & vehementiſſimos impetus portæ inferi adverſus eam nunquam prævalituræ eſſent. Tandem D. iſte Moguntinorum Præſulum Anteſignanus, veluti glorioſus Athleta, meritis ac victoria plenus cæleſtem triumphum adornavit; & quamvis de Martyrii loco non adeo aperte conſtet, concordi tamen ſententia tradunt Authores *Itali*, *Galli & Germani*, eum ſub Trajano Imperatore ſanctam mortem oppetiiſſe, & quidem, ut ſupra dictum, Anno Domini 102. vel 103. Exuvias tanti Martyris Moguntiæ in æde S. Hilarii ſepultas primo, & inde in S. Albani Templum translatas eſſe, antiquiſſima perhibent monumenta; nec præterire hic poſſum ornamentum illud poëti-

cum in Basilica Arcis Moguntinæ, in glorioſam primipili D. Antiſtitis & Fundatoris memoriam ſcriptum:

Creſcentis fecit clarum ſacra pagina nomen,
Dum tibi fidus erat, Paule beate, Comes.
Bisque Moguntinis undenos præfuit annos,
Et vita clarus, clarus & eloquio.
Martyriumque tulit, Trajano Principe, CHRISTI
Cum Decades denas auxerat una trias.

E quibus omnibus ſatis apparet, quanto S. Sedes Moguntina præeminentiæ honore a primis Natalium Auſpiciis inſignita fuerit, ac merito in perpetuum condecoretur.

§. V.

Quid aliud vero tam ſanctum & illuſtre initium excipere potuit, quam continua & immortalis *Sanctitatis* Gloria, qua per longiſſimam ſæculorum ſeriem Moguntina Eccleſia in hunc usque diem præfulget; quod ipſum eſt alterum Præeminentiæ ſingularis Ornamentum. Namque neminem facile latere poteſt, quod a complurimis tum egregio virtutum nitore, tum morum & Chriſtianæ devotionis integritate ſanctis & perſpicuis Viris, partim Epiſcopis, partim Archi-Epiſcopis, Sedes Moguntina ſibi merito *Sanctæ* nomen vindicaverit, & propterea poſt Sedem Summam Romanam, *Sanctæ Sedis Moguntinæ* Dignitate ab ipſo Pontifice Maximo Gregorio III. cohoneſtata, atque ſic a cæteris Germaniæ Archi-Epiſcopatibus, tanquam omnium maximus & præcipuus inſigniore, & pleno venerationis Elogio diſtinctus fuerit. LEHMAN. *Chron. Spirenſ. Lib. 1. Cap. 18.* Unde mirandum non eſt, quod ipſa Urbs Moguntina, quæ propter ampliſſima ornamenta a SERAR. *L. 1. Cap. 12. ſeqq.* latius propoſita, *Civitas Auguſtæ Nobilitatis:* item *Nobiliſſima, tam per Pontificalem Primatum divo apice, quam per Regni faſtigium mundioli culmine glorioſa, omnique prorſus coronata dignitate:* nec non *Regina: Egregia & generoſa*: imo *Aurea* a GOSWIN. *Lib. 1. C. 27. & 28.* LIGURIN. *Lib. 1. v. 380. ſeqq.* & porro *Domina urbium* a SIGEHARD. *Epiſt. ad Conrad. S. Alb. Abbat.* compellatur, ſeſe ipſam Sanctiſſimæ *Eccleſiæ Romanæ ſpecialem filiam* nominet; ita enim in Sigillo Civitatis, veteri ac majori dicto, inſcriptio habet: *Aurea Maguncia, Romanæ Eccleſiæ Specialis Filia.* Quod Sigillum exhibet GEORG. CHRISTIAN. JOANNIS. *in Addend. & emendand. ad Serar. pag. m. 1000.* Et hinc etiam enati ſunt vulgati verſus a SERAR. *Lib. 1. Cap. 15.* ſub finem adducti:

Aurea ſum Villa, Moguntia nomine dicta;
Mundi Matrona, Specialis Filia Romæ, &c.

Quod

Quod insigne *Filiæ specialis Romæ* encomion aliunde sibi conciliare non potuit, quam a celeberrimo Sacro-Sanctæ religionis & pietatis fervore, per Sanctos Præsules infuso, ac singulari Divinæ Gratiæ assistentia dilatato; siquidem Divi hujus S. Sedis Antistites tanquam integerrimi Operarii, singulari industria, indefessoque pro Lege & Grege labore, messem Domini curantes, forma Gregis facti sunt, tantaque vitæ sanctimonia claruerunt, ut ex primis XL. Episcopis, qui in cælitum numerum relati, *Sanctique* titulo publice ornati sint, XX. commemorentur, præter eos, quos passim fama sanctitatis præstantes sua fata tulisse constat; a quibus optimus virtutum odor in subjectorum animos sese diffudit, veræque pietatis Zelo eos in tantum usquequaque accendit, ut, qui Divina Divorum Præsulum pascebantur doctrina, in illorum velut unici exempli mores sese efformare studerent; & hinc non immerito ROTGER. *in vita S. Brun. Archi-Ep. Colon.* præclaro testimonio, *Moguntiæ religionis sinceritatem vigere*, corroboravit.

§. VI.

Novum, cum ipsa *Sanctitate* connexum, S. Moguntinæ Ecclesiæ adjecit Ornamentum *Ss. Martyrum*, in eadem pro Sanctissima CHRISTI religione occumbentium *Gloria*, & aliorum inter tot Gentilium in Christianos tragædias, tot & tam variorum hæreticorum furores & impostoras *invictissima Constantia*, quæ licet omnium facile præstantissima ejusdem laus esse possit, in eam tamen longius excurrere, instituti ratio non permittit. Interim silendæ non sunt horrendæ Hunnorum, Arianorum, & cæterorum sectariorum persecutiones, gravissimique errorum, tumultuum, direptionum, ac incendiorum impetus, quibus S. Moguntina Ecclesia cum universo sibi commisso grege, a primo exordio per tot sæculorum vices, tot Imperiorum rerumque mutationes tentata & conquassata, sanctisque Præsulibus spoliata, nunquam tamen penitus convulsa fuit; notabilis præter alia hanc in rem est Breviarii Moguntini *die 16. Junii* Lectio: *Quo tempore* (in quinto scil. Christi Sæculo) *Hunnorum frequentes incursiones Rhenanas provincias infestarent, omnesque CHRISTI Ecclesias Ariana perfidia miserabiliter perturbaret: contigit inter cæteros B. Aureum Moguntinæ Sedis Episcopum, doctrina & Sanctitate celeberrimum, ipsa Sede sua Pontificali atque urbe pelli. Quem in exilium prosecuta est soror ejus Justina sacra virgo, una cum aliis quibusdam orthodoxis hominibus. Postquam autem barbarorum & infidelium crebris istis incursionibus tota eversa civitas esset: tandem Episcopus reversus, ac dispersas oves colligens, omnia boni Pastoris munera diligenter obire cœpit. Id cum Arianis, ex inveterato erga Catholicam fidem odio, perquam molestum esset, opportunitatem nacti, Præsulem in Altari Sacra facientem crudelissime cum sorore trucidant, atque in puteum vicinum præcipitant.*

§. VII.

§. VII.

Non minora invincibilis in Fide Chriſtiana Conſtantiæ exempla leguntur in aliis ſæculis, præſertim etiam in vita S MAXIMI, ſupremi Moguntinorum in ſæculo IV. Præſulis, quo in tota Germania eo tempore non eſt inventus Pontifex doctior ſanctiorque, qui ſupra firmam divini amoris petram fundatus nullas hæreticorum perſecutiones formidavit, ſepties licet ſui Pontificatus tempore ab impiis Arianis Urbe Moguntina pulſus, ſepties tamen Divina Providentia reſtitutus, eo quod nunquam animo dejectus, nunquam victus, ſed incredibili patientia præmunitus malorum omnium adverſitates ſuperaret; ea tunc agebantur tempora, quibus, niſi optimus, nemo fuit Chriſtianus: crudelitas tanta ſæviebat, ut neque Summi Antiſtites, nec miniſtri Domini Sacerdotes, in urbibus aut vicis publice comparere auderent, ſed cum ſuis oviculis ad nemora ſecedere coacti fuerint, & in ſpeluncis ac cavernis montium latitantes, inedia, fame ac ſiti ultra, quam credi poteſt, afflicti longum pro Fide CHRISTI Martyrium invicta perſeverantia ſuſtinerent. Inſigne porro eſt teſtimonium, quod D. HIERONYMUS *ad Gerontiam:* de conſtantia Moguntinorum in Chriſtiana pietate & cultus divini fervore profert, cum inquit: *Moguntiacum, nobilis quondam civitas capta, atque ſubverſa eſt: Et in Eccleſia multa hominum millia trucidata.* En locum & tempus, quo a teterrimis fidei hoſtibus invaſi hoc modo Moguntini, & conſtantiſſimi pro ſancta religione contrucidati ſunt; non enim in campis luſitantes, non in cauponis potitantes, ſed *in Eccleſia* Divina celebrantes myſteria, ſacrarum inſtar hoſtiarum ad ipſas Domini aras occiſi ſunt, iique non aliqui ſaltem, non centum aut mille, ſed *millia*, & quidem *multa millia*, ſine diſtinctione ordinis, ſexus & ætatis, ideoque & hinc facile credendum, in Eccleſia illa *Sacerdotes & Clericos*, religione, devotione, ſacerrimaque pertinacia populum confortaſſe, ut viri ac fœminæ, adoleſcentes & pueri, virgines & puellæ, una omnes barbarico enſi ſeſe ſubmiſerint. Quantum igitur hoc eſt Moguntinorum in priſca Chriſtiana virtute, pietate, & ſancta fide conſtantiæ exemplum?

§. VIII.

Aliud porro, quovis auro pretioſius, S. Sedi Moguntinæ parit Ornamentum continua, pulcherrimo ordine contexta, nec ullo unquam tempore interrupta *Series omnium Summorum Antiſtitum, tum Epiſcoporum, tum Archi Epiſcoporum & S. R. J. Electorum*, qui Eccleſiæ Moguntinæ præfuerunt, quos a primo usque ad noviſſimum, & ab ipſo Apoſtolico ævo ad noſtram usque ætatem, præſentemque diem numerat, ac numeratos orbi commonſtrat univerſo; cum vero illa Moguntinorum Præſulum Series cum vita & factis eorum a multis Autoribus, quos recenſet JOANNIS *in præfat. ad Serar.* quibus addi meretur P. GREGORII KOLB. *Series Ep. Archi-Ep. Mogunt. an. 1725. edita.* jam varie deſcri-

deſcripta ſit, Nomina ſaltem eorum in triplicem periodum redacta, juxta ſæculorum numerum adſcribere placet: numerantur autem in Periodo I. Epiſcopi XL. Sequentes: in Sæculo I. D. CRESCENS. In Sæculo II. D. MARINUS. D. CRESCENTIUS. S. CYRIACUS. S. HILARIUS. S. CELSUS. S. LUCIUS. S. GOTHARDUS. S. SOPHRONIUS. S. HERIGERUS. S. RUDGERUS. In Sæculo III. S. AVITUS. S. IGNATIUS. S. DIONYSIUS. S. RUTHBERTUS. S. ADELHARDUS. In Sæculo IV. S. LUCIUS. S. MARTINUS. D. MAXIMUS. D. SIDONIUS I. In Sæculo V. D. SIGISMUNDUS. LUPOLDUS. NICETIUS. MARIANUS. D. AURÆUS. EUTROPIUS. S. ADELBERTUS. RATHERICUS. In Sæculo VI. ADELBERTUS II. LANDFRIDUS. RUTHARDUS. SIDONIUS II. In Sæculo VII. WILBERTUS. LUDEGASTUS. RUDHELMUS. LUDWALDUS. LEOWALDUS. In Sæculo VIII. RICHBERTUS. GEROLDUS. GERVILIO. In Periodo II. conſpiciuntur XVI. Archi-Epiſcopi: & quidem in eodem adhuc Sæculo VIII. S. BONIFACIUS. S. LULLUS. In Sæculo IX. RICHOLPHUS. EISTULPHUS. OTTOGARUS. D. RABANUS. CAROLUS. LUITBERTUS. SUNZO HATTO I. In Sæculo X. HERIGERUS. HILDEBERTUS. FRIDERICUS. WILHELMUS. HATTO II. RUPERTUS. In Periodo III. *Archi-Epiſcopi* ſimulque *S. R. J. Electores* eminent: adhuc in Sæculo X. S. WILLIGISIUS. In Sæculo XI. ARIBO I. ERCKENBALDUS. ARIBO II. D. BARDO. LUIPOLDUS. SIGFRIDUS. WEZILO. RUTHARDUS. In Sæculo XII. ADELBERTUS I. ADELBERTUS II. MARCOLPHUS. HENRICUS I. ARNOLDUS. CONRADUS. CHRISTIANUS I. In Sæculo XIII. SIGFRIDUS II. SIGFRIDUS III. CHRISTIANUS II. GERARDUS I. WERNERUS. HENRICUS II. GERARDUS II. In Sæculo XIV. PETRUS. MATHIAS. HENRICUS III. GERLACUS. JOANNES I. ADOLPHUS I. CONRADUS II. JOANNES II. In Sæculo XV. CONRADUS III. THEODORICUS DIETHERUS. ADOLPHUS II. ALBERTUS I. BERTHOLDUS. In Sæculo XVI. JACOBUS. URIEL. ALBERTUS II. SEBASTIANUS. DANIEL. WOLFGANGUS. In Sæculo XVII. JOANN. ADAMUS. SCHWICARDUS. GEORG. FRIDERICUS. ANSELM. CASIMIRUS. JOAN. PHILIPPUS. LOTHAR. FRIDERICUS. DAMIAN. HARTARDUS. CAROL. HENRICUS. ANSELM. FRANCISCUS. LOTHAR. FRANCISCUS. cui in ſæculo præſenti XVIII. ſucceſſit *Eminentiſſimus ac Sereniſſimus FRANCISCUS LUDOVICUS*, Archipræſul una pluribus par Eccleſiis, & Princeps principatibus, quem Deus Ter. Opt. Maximus per longiſſimam annorum Seriem felicem ſoſpitare velit. Tot vero Summorum Nominum, tot morum ſanctitate, miraculorum claritate, virtutum ac doctrinæ præſtantia conſpicuorum Præſulum recordatio & Eorum cum Ss. Apoſtolis indiſſolubilis unio, quem in admirationem non rapiat ac amorem, ut ſanctiſſimam illam fidem & doctrinam omni ſtudio complectatur, quam vetuſtiſſimi, Sanctiſſimi ſpectatiſſimique Apoſtolorum diſcipuli, ſucceſſores ac in vita & morte imitatores, majoribus noſtris tradiderunt, & ſanguine ſuo conſignarunt, nobisque per tot temporum viciſ-

ſitudines, mutationum æſtus & Euripos reliquerunt, hactenusque conſervarunt.

§. IX.

Inſignem præterea gloriam S. Sedi Moguntinæ acceſſiſſe indubium eſt quando ſupremi Archi-Epiſcopatus dignitate fuit condecorata, quod *S. Bonifacii* ætate factum; Hunc enim Moguntinorum Archi-Epiſcoporum primum fuiſſe, una omnium vox eſt; verum non in ſolo Archi-Epiſcopatus faſtigio honor ille ſubſtitit, ſed tam ſingulari inſuper incremento auctus fuit, ut Eccleſia Moguntina in totius Germaniæ Metropolim ſublimata, præ univerſis aliis in Germania Eccleſiis *Primatum* obtinuerit; Unde maximus ſemper in Germania præ cæteris omnibus honor Archi-Præſuli Moguntino fuit habitus, quod innuunt verba MARIANI SCOTI *Lib. 3. Chronic. ætat. VI. ad Ann. 750.* apud PISTORIUM, *de Scriptor. Rer. German. pag. 437.* hoc modo relata: *Pipinus vero in Civitate Sueſſionum, a S. Bonifacio Archi-Epiſcopo* (Moguntino) *in Regem unctus, Regni honore ſublimatus eſt, & deinde ob id, poſt Papam ſecundus habetur Moguntinus Archi-Epiſcopus usque in hodiernam diem.* Quod ulterius confirmat ONUPHRIUS PANVINUS. *de Comitiis Imp. cap. 7. pag. 118.* in verbis: *Arnolphus, Ejus filius, Ludovicus IV. & Conradus I. Reges coronati ſunt & conſecrati ab Archi-Epiſcopo Moguntino*, a quo *etiam Pipinus, Rex Francorum, & Pater Caroli M. primo, deinde Ludovici Pii Imper. filii, Ludovicus & Carolus III. Reges Germaniæ, vel Francorum Orientalium coronati fuerant. Hos autem Reges ideo a Moguntino Archi-Epiſcopo coronatos fuiſſe crediderim, quod ipſe TOTIUS REGNI GERMANIÆ METROPOLITANUS* eſſet. Apprime huc facit egregium effatum JOACHIMI VADIANI S. GALLENSIS CONSULIS. *De Collegiis monaſter. German. veter. Lib. 1. cap. 5* cum inquit: *Non ſolum Epiſcopi, & Archi-Epiſcopi, ſed etiam Pontifices, ac ſummi quidem, vocati ſunt, cum hodie Romano Pontifici ſoli id nomen tribuatur, vulgatiſſimum ante præſulibus omnibus, præcipue antem MOGONCIACENSI, CUI SUMMUS SEMPER, INTER GERMANIÆ EPISCOPOS, HONOS HABITUS EST, ac poſt Eum, Trevirenſi & Colonienſi.* Cui concordat teſtimonium WITICHINDI *Lib. 1. Annal.* ubi de Moguntino dicit: *Cumque Ei* (OTTONI I.) *Unctio offerretur cum diademate a SUMMO PONTIFICE.* Item *Lib. 2. Annal.* ait: *Deinde ſummi Pontificatus Moguntiacæ Sedis faſtigium promeruiſſet.* Ipſum etiam S. Sedis Moguntinæ Primatum diſerte inſinuat LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS. *ad Ann. 1054.* in verbis: *Imperatoris filius, Henricus, conſecratus eſt in Regem Aquisgrani, ab Hermanno Colon. Archi-Epiſcopo, vix & ægre ſuper hoc impetrato conſenſu Luipoldi Archi-Epiſcopi, ad quem propter PRIMATUM MOGUNTINÆ SEDIS conſecratio Regis, & cætera negotiorum Regni diſpoſitio potiſſimum pertinebat.* Idem LAMBERTUS *ad ann. 1073.* hoc modo repetit: *His accenſus Archi-Epiſcopus Mogun-*

Moguntinus, cui potiſſimum propter PRIMATUM MOGUNTINÆ SEDIS eligendi & conſecrandi Regis authoritas deferebatur, Principes de toto Regno Moguntiam evocavit. Cum quibus omnibus optime concordant, quæ in vita S. Bonifacii apud SERAR. *Libr. 1. cap. 22. in fin.* leguntur verba: *Gervilione depoſito, S. Bonifacius a Carolomanno & Pipino fratre ejus, Moguntinæ Sedi præficitur, & ut ejus Dignitas eſſet eminentior, ſtatuerunt iidem Principes, Eccleſiam Moguntinam in totius Germaniæ Metropolim provehere, miſſaque mox Legatione, a Romano Pontifice id impetrarunt.*

§. X.

Quem præeminentem, hodiedum adhuc præfulgentem S. Sedis Moguntinæ *Primatum* ex eo etiam cognoſcere licet, quod ſub ſe habeat *Suffraganeos Epiſcopos* numero plurimos, & authoritate præſtantiſſimos. Nam cum Trevirenſis Archi-Epiſcopus tantum tres: *Metenſem, Tullenſem, ac Verodunenſem*, numeret Suffraganeatus; & Colonienſis ſolum quatuor: *Osnabrügenſem, Monaſterienſem, Leodienſem, & Mindenſem* ſub ſe Eccleſias Suffraganeas habeat: e contra longe plures Metropolitanam S. Sedis Moguntinæ jurisdictionem ſuſpiciunt Epiſcopatus Suffraganei. Ut autem antiquiſſima tempora ſileam, quibus Eidem *Pragenſis, Bambergenſis, Olomucenſis* imo *Colonienſis* Eccleſiæ præter alias ſubjectæ erant, uti partim ex indubitatis documentis probat JOANNIS *ad Serar. Lib. 1. Cap. XXIII. a.*) partim ex Litteris a Pontif. ZACHARIA ad S. Bonifacium datis conſtat, in verbis: *Authoritate B.* PETRI *Apoſtoli ſancimus, ut Eccleſia Moguntina perpetuis temporibus, tibi & ſucceſſoribus tuis in Metropolim ſit confirmata, habens ſub ſe has civitates, id eſt, Tungris, Coloniam, Wormatiam, Spiratiam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per ſuam prædicationem CHRISTI lumen cognoſcere fecit.* Quia ob Hierarchici ordinis uſum meliorem hæc aliquantulum poſtea ſunt immutata; attamen Archi-Præſuli Moguntino ſubditi remanſerunt Epiſcopi XII. ſcilicet: *Wormatienſis, Herbipolenſis, Spirenſis, Eiſtettenſis, Argentinenſis, Verdenſis, Curienſis, Hildesheimenſis, Paderbornenſis, Conſtantienſis, Halberſtadenſis, & Auguſtanus.*

§. XI.

Unde non immerito totus mirabundus GEORG. WICELIUS *in præfat. exercit. pietat.* Scribit: *Laudum pulcherrimarum cumulus ad Metropolim Moguntiacam ingens redit, quoties contemplamur huic XII. Diœceſes, gubernationesque & adminiſtrationes in re Eccleſiaſtica, diverſis regionibus plane inclytas jure quodam adhærere, atque hoc ipſum agnoſcere, nimirum ſibi eſſe huc confugiendum ultro, ſiqua religionis parte laboretur, quippe, ad unum Diœceten, quem vulgo Diœceſanum appellamus, qui præemineat auctoritate pariter ac dignitate.* Nec minus ornate ac vere in Eccleſiæ Moguntinæ ſingularem præeminentiæ laudem COCHLÆUS

in præfat. in vit. S. Bonifacii edicit, quando ait: *Moguntinus Archi-Epiſcopatus tantæ amplitudinis eſt, ut totius Germaniæ maximam partem ſub Eccleſiaſtica juriſdictione ſua contineat: habens ſub ſe Epiſcopatus XII. eosque amplos, antiquos & populoſos, Monaſteriis & Conventibus innumeris adauctos, ad cultum Dei deſtinatos, tot jam ſæculis a piis majoribus noſtris.*

§. XII.

Ex eadem *Primatus* Dignitate a vetuſtiſſimis retro ſæculis promanavit inſignis illa prærogativa & Jus Electum novum Regem Romanorum conſecrandi, ungendi ac ſolenniter coronandi, quod Archi-Præſuli Moguntino, tanquam primo Regni Metropolitano merito vindicari debuit. Cum enim illud Reges orbis coronandi jus, veluti de reſervatis ſummi Sacrorum Antiſtitis, in toto fere orbe cuſtodiri deprehendatur, ac ea propter Rex Hiſpaniæ ab Archi Epiſcopo Toletano, utpote primate Regni; Rex Portugalliæ ab Archi-Epiſc. Braçarenſi; Galliæ Rex ab Archi Ep. Rhemenſi, Eccleſiaſticorum Principe & Primo Pare Franciæ; Rex Hungariæ a Strigonienſi, Rex Poloniæ a Gneſnenſi, Rex Bohemiæ a Pragenſi Archi-Epiſcopis, aliique Reges ab aliis Metropolitanis, Unctionem & Coronam accipere ſoleant; ita pariter in Imperio noſtro Romano-Germanico ab antiquiſſimo tempore Archi-Præſuli Moguntino, ob S. Sedis Primatum competiit; quamvis enim in Coronatione Ottonis I. Trevirenſis & Colonienſis eam dignitatem uſurpare vellent præ Moguntino Hildeberto, attamen non modo tunc, ut verbis utar WITICHINDI apud PFEFFINGER. *ad Vitr. Lib. 1. tit. 8 pag. m. 891.* relatis, *uterque eorum Hildeberti cunctis nota Almitati ceſſit*, ſed & poſtea Archi Epiſcopi Moguntini in jure coronandi permanſerunt; ſiquidem deinceps Otto II. a Wilhelmo; Otto III. a Willigiſio; Henricus Sanctus ab eodem; Conradus II. ab Aribone, omnibus Moguntinis præſulibus coronati noſcuntur; uti etiam Pipinum Francorum Regem, manu S. Bonifacii Archi-Epiſcopi Moguntini in Civitate Sueſſionum unctum fuiſſe, ex antiquis annalibus ſupra retuli, latiusque id ipſum ab *Eminentiſſ. Electore Moguntino* JOANN. PHILIPPO in litteris, S. Cæſareæ Maj. *Anno 1653* exhibitis, comprobatum, & Eccleſiæ Moguntinæ jus hac in parte deductum fuit.

§. XIII.

Equidem Colonienſis Archi-Epiſcopus ſeſe opponere, & ſacræ hujus functionis prærogativam ſibi attribuere voluit, non minus ad exemplorum vetuſtatem, quam ad *A. B. Cap 4. §. 4.* generale teſtimonium provocans. Aſt Moguntinus Archi Præſul hoc jus ſibi rectius iterum vindicavit, aſſerens *Aureæ Bullæ* enunciationem ad ſolam urbem Aquisgranenſem, quæ Colonienſis Diœceſeos eſt, ſi fiat ibidem inauguratio juxta *A. B. Cap. 28. §. 5.* reſtringendam eſſe,

eſſe, cum vero in locis extra illam Diœceſin ſitis, qualia Francofurtum, item Auguſta Vindelicorum, & Ratisbona, Coronatio celebranda ſit, eam non ad Colonienſem, ſed ſe, Moguntinum, quippe totius Regni Primatem, pertinere arguens; quo factum, ut in Maximiliani II. & ſequentium Imperatorum inauguratione Moguntinus conſecrationis ſolennia perageret, & quamvis Colonienſis contra id proteſtari voluerit, Moguntinus tamen in poſſeſſione perſeveraverit; poſtquam autem *An. 1653.* in Comitiis Ratisb. ante Coronationem Ferdinandi IV. acerrimæ hac de re inter Joannem Philippum Moguntinum, & Maximilianum Henricum Colonienſem, exarſere lites, ad quem nimirum jus coronandi pertineat, ſi Coronatio non in Diœceſi Colonienſi, ſed forte Moguntina, vel extra utriusque expedienda? permulta ibi pro utraque parte fuerunt allegata, Archi-Epiſcopo Moguntino nihilominus Ferdinandi IV. unctionem & coronationem peragente; ſcripta poſtmodum varia hac de controverſia in lucem prodierunt, Moguntini partes ſtrenue defendente CONRINGIO in *Aſſertione jur. Mogunt. in coronand. Regib. Rom.* A ſcriptis forte ad alia deventum eſſet, niſi tandem res mira moderatione, & ſingulari pacis ſtudio prudentique conſilio JOANNIS Philippi, Archi-Epiſcopi Moguntini per amicam pactionem *An. 1657. d. 25. Jun.* utrinque initam compoſita fuiſſet, ſcil. eum in modum, ut quilibet eorum in ſua Diœceſi, extra utramque vero alternis vicibus officium Coronationis expedirent, Moguntino in præeminentiæ ſignum incipiente. CRÜGER. *de Novemviror. jur. part ſpec. m. 2. diſc. 3. n 10.* Et hæc compoſitio Capitulatione Leopoldi *Art. 37.* Joſephi *Art. 36.* Caroli VI. *art. 3.* eſt confirmata.

§. XIV.

Cæterum notare hic expedit, quoniam a paucis notari video, diſtinctionem faciendam eſſe inter *Conſecrationem* ipſam, de qua hic proprie quæſtio eſt, & inter *Coronationem*, ſive *Coronæ impoſitionem:* illa enim ab eo ſolo peragitur, ad quem per ea, quæ dicta ſunt, Inauguratio pro tali vice ſpectat; ad hanc autem uſu notorio, adjuvandi cauſa, etiam reliqui Archi-Epiſcopi Electores concurrunt; Ita ſiquidem Carolo V. omnes tres Archi-Epiſcopi Coronam ſimul dederunt, item Joſepho Regi Romanorum, Auguſtæ Vindelicorum per Archi-Epiſcopum Moguntinum conſecrato & inuncto, tres Archi Præſules, *Anſelmus Franciſcus* Moguntinus, *Joſephus Clemens* Colonienſis, & *Joannes Hugo* Trevirenſis, Diadema Regium communi opera impoſuerunt. CRÜGER. *dict. loc.*

§ XV.

Tum autem demum Archi-Præſuli Moguntino, & nunc ſuo modo Colonienſi, hujus coronandi dignitatis exercitium competit, ſi non tantum Infula,

ſed & pallio Archi-Epiſcopali inſignitus ſit; proinde ſi caſu coronationis eveniente nec Moguntinus, nec Colonienſis Archi-Epiſcopale Pallium haberet, neutri facultas ungendi permitteretur; Nam, licet Coronatio actus per ſe videatur politicus, prout tamen cum Conſecratione & Unctione conjuncta eſt, non niſi muneris eſt Epiſcopalis, *Can. quoniam quid Diſt. 110* quod Archi Epiſc. ante receptionem Pallii non exercent, cum ea, quæ ordinis Epiſcopalis, & in Pontificalibus Ornamentis, vel inter Miſſarum ſolennia peragenda ſunt, uti hæc eſt Conſecratio, ſine pallio expedire nequeant. *Cap. 28. §. ſuper eo. X. de Election.* ENGEL. *de Auth. & uſu Pall. n. 5.* HERMES. *Faſcic. jur. public. Cap. 10. n. 9.* Tali igitur in caſu Archi-Epiſcopus Trevirenſis, aut eodem pariter impedito, alius officium Conſeeratoris peragere deberet; ſic enim, referente DITMARO FRIDERICUS II. Imp. a Theodoro Sedis Apoſtolicæ Legato coronatus eſt; quæ etiam cauſa fuit, quod, cum *An. 1630.* Eleonora Auguſta Mantuana coronanda eſſet, & neque Anſelmus Caſimirus, Moguntinus, neque Ferdinandus, Colonienſis, infula legitima gauderent, illa Coronatio Philippo Chriſtophoro, Trevirenſi, demandata ſit, THULEMAR. *Octovir. Cap. 25. n. 31.* SCHWEDER. *Jur. publ. part. ſpec. Sect. 1. C. 2. §. 33.*

§. XVI.

Porro, quemadmodum pro ſpeciali S. Cæſareæ Maj. reſervato jure reputatur, vi cujus Imperator. Romanor. legitime electus ad Beneficia in Eccl. Germaniæ vacatura, vel vacantia, perſonas idoneas nominare poteſt, quibus Ordinarii, vel alii, ad quos collatio pertinet, Beneficia illa, ſi intra menſem acceptaverint, conferre tenentur; quæ nominatio nomen primarum ſeu Primariarum precum ſortita eſt, vel quia in qualibet Eccleſia eſt prima & unica, i. e. uni eidemque Imperatori non niſi unica vice in ſingulis Eccleſiis hoc jus exercere licet; vel quia præfertur cuilibet alteri nominationi, præſentationi aut collationi. HERMES *Faſcic. jur. publ. cap. 11. n. 6.* ita pariter pro ſingulari quodam S. Sedis Moguntinæ privilegio haud immerito haberi debet, quod poſt obitum alicujus Archi-Præſulis, novus ſucceſſor etiam in exordio ſui Regiminis Archi-Epiſcopalis, in Eccleſiis S. Sedi Moguntinæ immediate ſubjectis, ejusmodi primas preces concedere, & per eas jus ad vacaturas Præbendas, Canonicatus, aliaque Beneficia, & Dignitates, perſonis idoneis efficaciter tribuere valeat. Quod inſigne jus ut aliorum Autorum, quos enumerat PEFFINGER. *Ad Vitriar. lib. 3. tit. 10. §. 32. pag. m. 747. n. 11.* Teſtimoniis ſuffulciatur, eo minus neceſſe erit, quo certiori ac prorſus indubitata antiquiorum æque, ac noviſſimorum temporum praxi, & in hodiernum uſque diem continuato uſu ejusdem obſervantia corroboratur, id quod ex tenore primarum precum, non ita pridem a Moderno Eminentiſſ. ac Sereniſſ. Archi-Præſule Moguntino,

poſt

poſt glorioſiſſimi Regiminis Archi-Epiſcopalis ſuſceptionem, ad Eccleſias ſubjectas emiſſarum pateſcit, quarum formulam, prout hujatis Eccleſiæ Colleg. B. M. V. Capitulo per preciſtam exhibitæ ſunt, pro illuſtratione hujus argumenti ſubjicere volui, ſequentem in modum:

DEI Gratia Nos FRANCISCUS LUDOVICUS, S. Sedis Mogunt. Archi-Epiſc. S. R. I. per Germaniam Archi-Cancellarius, & Princeps Elector &c. &c. honorabilibus, devotis Nobis, in Chriſto dilectis, Præpoſito, Decano, & Capitulo Eccleſiæ noſtræ Colleg. B. M. V. in Civitate noſtra Erfurtenſi ſalutem in Domino ſempiternam; Cum ſecundum antiquam laudabilemque conſuetudinem, diutiſſime obſervatam felicis recordat. Prædeceſſores noſtri Archi-Epiſc. Moguntini poſt initia Inthroniſationum, ad Collegia, Conventus & perſonas quaslibet, quibus de beneficiis Eccleſiaſt. diſponendi jus eſſet, Preces ſuas primarias emittere conſueverint in favorem eorum, quos dignos ſtatuiſſent, ad conſequendum Dignitates, Canonicatus, Prebendas, aliaque Beneficia, ad diſpoſitionem eorundem Collegiorum, &c. ſpectantia, atque hujusmodi Precibus a Collatoribus, & Collatricibus præfatis merito paritum fuerit, reverenterque, ut decuit, datus ſit locus; & inde majorum veſtigia, ſolitumque, Beneficiorum officium proſecuti Nos Primarias Preces noſtras in favorem venerab. & illuſtr. devoti Nobis pariter in Chriſto dilecti, & fidelis Friderici Wilhelmi L. B. a Bieken, Eccleſiæ Noſtræ Metropol. Mogunt. Canon. Capit. Conſiliarii Noſtri intimi, & in prædicta Civitate Noſtra Erfurt. Locumtenentis contulerimus, is vero easdem preces in favorem N. cedere decreverit, & actualiter ceſſerit, ac ad Manus Noſtras reſignaverit, quam quidem ceſſionem & Reſignationem Nos porro ratam, gratamque habuimus, & acceptavimus; idcirco vos hortamur, quinimo in virtute S. obedientiæ requirimus, ac pro jure Eccleſiæ Noſtræ mandamus, ut præfatum N. virtute hujusmodi primariarum precum ad Beneficium Eccleſiaſticum de veſtra ordinatione, Nominatione, ſeu quavis alia diſpoſitione conjunctim, vel diviſim exiſtens, ſi quod vacat ad præſens, vel quam primum vacaverit, & prænominatus N. per ſe, vel per ſuum procuratorem duxerit acceptandum, etſi Canonicatus, & Prebenda, vel aliud quodcunque fuerit, cum vel ſine dignitate, aut officio admittatis, nominetis, illud eidem conferatis, aut de eodem provideatis, eundemque in realem, actualem, vel corporalem poſſeſſionem inducatis, & inductum defendatis, facientes illi de reditibus, fructibus, Juribus, & appertinentiis plenarie reſponderi &c. in iis omnibus debitum Reverentiæ, & obedientiæ, eatenus præſtituri, ut apud nos de contempta Contumacia, & promerito obedientiæ veſtræ Jure poſſitis commendari &c. conſummatis tamen ſemel precibus noſtrum jus in reliquis Nobis per expreſſum reſervamus. Datæ ex Arce Sancti Martini, in civitate Noſtra Moguntina, die 20. Jul. Ann. D. 1729.

Ex quibus inſuper apparet, quod hæ preces Archi-Epiſcopales in plerisque cum Cæſareis conveniant, proinde ad dubia, circa earundem executionem emergentia, illa, quæ de precibus Cæſareis a juris publici Scriptoribus paulo

latius exponi ac disquiri ſolent, facile transferri & applicari poſſunt, monente HERMES *Faſcic. jur. publ. Cap. 17. n. fin.* plura de aliis pluribus Sacris S. Sedis Moguntinæ Ornamentis & prærogativis ut addere omittam, non materiæ defectus, ſed altera breviſſimæ licet, præſentis academicæ diſquiſitionis pars exigit, quam præeminentibus ac ſingularibus Archi-Epiſcopatui Moguntino annexis juribus ordinis ratio reliquam eſſe voluit.

CAPUT II.

De Eminentiſſimi Archi-Præſulis, Principis Electoris Moguntini præeminentibus ac ſingularibus juribus et prærogativis circa ſecularia ſeu politica.

§. I.

Immediata Imperii Romano-Germanici Membra & ea quidem, quæ jure Seſſionis ac Suffragii in Comitiis gaudent, atque ob id Ordines ſive Status Imperii appellari ſolent, a multo jam tempore in tres Claſſes aut Collegia, Electorum ſcilicet, Principum, nec non Civitatum Imperialium diſtribui conſueverunt; Quonam autem tempore primitus factum, ut peculiari & diſtincta a Principibus Claſſe in Comitiis & Conſultationibus Imperii agerent Electores, nondum ſatis conſtat; ſiquidem ſeparatam Electorum Curiam demum An 1489. in Comitiis Francofurtenſibus ſub Imp. Friderico III. enatam eſſe, ex LEHMANNO adſtruit ARUM. *de Comitiis cap. 4. n. 30.* LYNCKER *de Conſens. Elector.* §. 1. MAURIT. *de Receſſ. Imper. Th. 18.* AUTOR *der Grundveſte des H. R. Reichs. p. 2. cap. 3.* E contra diſtinctionem Ordinum in tria diverſa Collegia dicto anno 1489. longe antiquiorem eſſe, & evidentiſſima argumenta ſeparatæ conſultationis Electorum a Principibus, hinc inde ex *Aurea Bulla* ſumi poſſe rectius contendit BOECLER. *Notit. Imp. Lib. 21. cap. 1.* & multis aliis Documentis confirmat PFEFFINGER *ad Vitr. lib. 3. tit. 8. §. 2. lit. a.*

§. II.

Ipſa vero Electorum Origo, ac competens iis poteſtas, Regem Romanorum, in Imperatorem promovendum, privative excluſis omnibus aliis Imperii Proceribus eligendi, unde etiam *Electorum* nomine inſigniti ſunt, a quo ſæculo, quove anno petenda ſit, tanta Hiſtoricos inter & Publici juris Doctores contentione certatum hucusque fuit, ut multi quidquam certi in eadem definire penitus deſperent; aliis interim ad tempora Caroli M. plerisque ad

ætatem Gregorii V. Summi Pontificis, & Ottonis III. Imperatoris; quibusdam ad annos Ottonis IV. nonnullis ad luſtra Friderici II. non paucis ad ſolum uſum & conſuetudinem provocantibus, aliis aliter ſentientibus; uti videre eſt apud HERMES in *Faſcic. jur. publ. cap. 16.* VITRIAR. *Inſt. jur. publ. lib. 1. tit. 13. n. 3.* SERAR. *Rer. Mogunt. lib. 1. C. 26. ſeq.* KIEFFER. *de Elector. orig. & poteſt. quæſt. 4.* quam litem ab aliis copioſe ventilatam, quia ab inſtituti præſentis ratione longius abit, intactam relinquere cogor. hoc unico ſaltem addito, quod Moguntini Annales & Catalogi primum ſuum Electorem S. WILLIGISIUM laudent, & ab Eodem continuam Electorum ſuorum ſeriem deducant; Is vero *An. 1011.* mortem obiit, poſtquam *Anno* 1002. S. Henricum Imp. una cum Electoribus aliis elegiſſet. Unde enata eſt illa vetuſta & pervulgata, ac non niſi novis temporibus impugnata opinio, ſcilic. Gregorii V. & Ottonis III. ævo, circa Domini *Annum 1000.* inſtitutam eſſe dignitatem illam Electoratus, quem olim a numero *Septemviratum* dixere, & hodie ab eodem aucto *Novemviratum* compellamus.

§. III.

Non ſolum autem Electores tam in Conventibus & Comitiis Univerſalibus, quam extra iſta, & in Ordinariis Imperii Deputationibus, peculiare ac ſeparatum Corpus & Collegium conſtituunt, non obſtantibus iis, quæ plus vice ſimplici, & præſertim in Comitiis *An. 1653.* contra illud a reliquis Principibus ac Statibus diſputata & prolata ſunt; utpote quibus illa Electorum ſeparati Collegii Authoritas in Oligarchiam quandam erumpere, ſine ſufficienti tamen ratione, viſa fuit; vid. CRÜGER *de Novemvir. part. ſpec. memb. 1. diſc. 3. n. 4.* verum etiam principem inter univerſos Imperii Ordines locum obtinent, ac plurimis pro Dignitate ac ſplendore Electorali inſignibus privilegiis præ aliis Principibus condecorati ſunt, quæ ipſis ex antiquiſſimo uſu, & ſuccedanea Aureæ Bullæ, aliarumque Legum, Decretorum & Receſſuum Imperii ordinatione competunt, ac longa ſerie recenſentur a VITRIAR. ejusque illuſtratore PFEFFINGERO. *L. 3. tit. 8* SCHWEDER. *part. ſpec. ſect. 2. c. 2. n. 5. ſqq.* BESNECKER. *Jur. publ. prud. part. 2. cap. 1. §. 5.* STRUV. *S. J. publ. Diſſ. 16. §. 14. ſeqq.*

§. IV.

Neque id mirum cuiquam videri debet, quod tam variis & ampliſſimis Juribus cæteros Imperii ſtatus præcellant Electores; omnino enim Collegium Electorum cardinem quaſi tenet Imperii, quo ſine tantum corpus nec librari, nec Monarchici juris faſtigium cum libertate Ordinum contineri, volvique poſſet, niſi in tanta Procerum copia, totque Eorundem diverſis ſtudiis, ex illis

aliqui, & præcipui quidem, Imperatoriæ Autoritati propius aſſiſterent, variis pro Dignitatis ſuæ Eminentia juribus & prærogativis inſtructi; Et hæc ipſa ratio eſt, quod Eminentiſſimi ac Sereniſſimi Principes Electores dicantur Palmites Imperiales: Septem Candelabra in unitate Spiritus ſeptiformis lucentia ad ſacrum illuminandum Imperium, *A. B. in proœm.* ad ſimilitudinem ſeptem lucernarum, quas Dominus mandavit Moyſi ponere ſuper candelabrum *Exod. 25. vers. 37.* item Membra propinquiora Sacri Imperii. *A. B. C. 2. ſ. 8.* Membra intima Cæſaris: Columnæ principales Imperii. *Capitul. Leopold. Art. 46.* Columnæ proceres, quæ ſacrum ædificium ſuſtentant, & quorum præſidio dextra Imperialis potentiæ roboratur. *A. B. C. 3. ſ. 1.* Baſes ſolidæ Imperii, & columnæ immobiles. *A. B. C. 12. §. 1.* Pars Corporis Imperatoris: Cæſareæ ſublimitatis Aſſiſtentes, & in partem ſolicitudinis conſtituti. *A. B. C. 24. pr. C. fin. §. 1.* quæ glorioſa Elogia ferme conjunctim producuntur a Sigismundo Imp. in litteris inveſtituræ, Electori Saxoniæ Friderico *Anno 1426.* datis, teſte HORTLED. *de Cauſ. Bell. Germ. L. 4. C. 9.* ibi: Wann wir allezeit betrachtet haben, daß Uns und dem Heil. Römiſch. Reich unbeqvemlich wäre, wo die Zahl der ſieben Churfürſten, ſintemahl dieſelbe ein Theil Kayſerl. Leibes, ja des Reichs foderſte Glieder, und als feſte und unbewegliche Säulen ſeynd, darauf es gebauet iſt, unerfüllet bleiben ſolte. Quibus addi merentur verba, quæ Elector Moguntinus in litteris, ad Saxonem & Brandenburgicum Electores *Ann. 1623.* ſcripſit: Das Churfürſtl. Collegium iſt das Haupt-Fundament, darauf ſo wohl das Haupt, als die Glieder, und alſo die gantze Subſiantz des Reichs beruhet.

§. V.

Tametſi vero perquam eminentia ac conſpicua ſint illa jura, quibus ſplendidiſſimus Electorum Ordo, tanquam ſupremum poſt Imperatorem & Regem Romanorum dignitatis ac poteſtatis faſtigium obtinens, inter univerſos Imperii proceres præfulget; nihilominus tamen Eminentiſſimus S. Sedis Moguntinæ Archi-Epiſcopus non ſolum ea omnia & ſingula participat, ſed & præterea in hoc ipſo Electorum Ordine ſeorſim adeo peculiaribus & præeminentibus honoribus, juribus ac prærogativis coruſcat, ut in iis neminem ſibi parem & æqualem habeat, Ipſe vero præcipui ac eximii loco eadem ſibi ſoli propria vindicet; quæ dum pro infracto veritatis ſtudio breviter percurrere intendo, nulli ſane Principum de ſua Dignitate; nullique Electorum de ſua Eminentia quidquam detractum, ſed hoc tantum dictum volo, quod, licet cæteri omnes Germaniæ Electores in excelſo Autoritatis & præſtantiæ gradu ſubſiſtant, inter omnes tamen Moguntinus iterum præcellentia quadam & magis inſigni ſplendore præemineat.

§. VI.

§. VI.

Et quidem, cum dignioribus dignior ſemper locus debeatur, nemini dubium relinqui poterit, ſingularem Moguntini Electoris Dignitatem & præeminentiam denotari per primum tanquam digniorem locum, quem non tantum, ut ſupra *Cap. I. §. IX.* dictum, qua Archi-Epiſcopus & totius Germaniæ Metropolitanus, inter univerſos Germaniæ Præſules habet, verum etiam qua Elector & Archi-Cancellarius per Germaniam, inter quoscunque tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares Imperii Electores, velut primus ab Imperatore Princeps, obtinet, de quo ipſi nemo, ne Rex Bohemiæ quidem, controverſiam movet; unde non mirum, quod ab ipſo Maximiliano Imperatore in privilegio, ſub dato Freyburg in Breißgau. *14. Jul. Anno 1498.* Electori Moguntino, circa capturam delinquentium in alieno territorio, conceſſo nominetur Obriſter Churfürſt, in verbis: Wie uns, und dem Heil. Reich an einem Ertz-Biſchoff zu Maynt, als Ertz-Cantzlern, und Obriſten Churfürſten, mercklich gelegen iſt. Quod extat apud LUNIG *in ſpicileg. Eccleſ. part. 1. Cont. 1. cap. 2. Tit.* Maynt *§. 107.* ſimilem præferentiæ notam ponit, quod Collegii Electoralis *DECANUS* audiat, atque non ſolum hoc elogio ab Imperatore Sigismundo in litteris ad Conradum Moguntinum *Anno 1426.* datis mactetur. LONDORP. *act. publ. Tom. 1. Lib. 1. cap. 5. n. 22.* verum etiam in litteris Friderici III. Imp. *An. 1444.* in Comitiis Norimbergæ ad Theodoricum Moguntinum emiſſis, nominetur ein Dechand und Vorgeher der Churfürſten; der auch die gröſte Provincien aller Teutſchen Landen hat. a quo non multum differt effatum SLEIDANI *Lib. 1. de ſtat. Religion. ad Ann. 1518.* quando inquit: *Moguntinus Archi-Epiſcopus Principum Electorum primus eſt, ac veluti Conſul Perpetuus antiqua conſuetudine;* Et licet vox *Decani* diſpliceat COCCEJO *in prud. jur. publ. Cap. 10. §. 11.* eo quod ſola Collegia Eccleſiaſtica, quale non eſt Electorale, Decanum habeant, in Regni autem Collegiis non Decani, ſed Directores audiant; recte tamen monet SCHWEDER. *jur. publ. part. ſpec. ſect. 2. C. 4. n. 1.* BARBOS. *jur. Eccl. Lib. 1. cap. 26. n. 1.* Decanum olim dictum, qui denis præfuit, inde poſtea nomen hoc ei tributum fuiſſe, qui præcipuo ſive primo inter aliquos ejusdem Ordinis vel Collegii loco habebatur; quapropter antiquis temporibus & jam ante conditam A. Bullam Archi-Præſules Moguntinos ſeſe ipſos *Electorum Principum Decanos* compellaſſe ex antiquis documentis teſtatur BERN. a MALLINCKROT. *de Archi-Cancellar. S. R. I. Cap. 4.*

§. VII.

Inſignem illum & vetuſtiſſimum inter Electores Primatus honorem non parum confirmat Conſtitutio Alberti I. Imperatoris, ſub dato *Rotenburg. IX.*

Kal. Octobr. An. 1298. in verbis: *Publice diffinimus, ad universorum notitiam luculentum, quod venerabilis Gerhardus, S. Moguntinæ Sedis Archi-Episcopus, S. J. per Germaniam Archi-Cancellarius suique post eum Successores, in ordine & honore processionis, Sessionis, nominationis & scripturæ, ratione Archi-Cancellariæ per Germaniam, inter Principes, esse debent & locari priores, non obstante, quod in Decreto Electionis Nostræ, nuper ab Illustribus Alemanniæ Principibus celebratæ, supra dictus Gerhardus Archi-Episcopus ordine præposterο, seu turbato, post Ven. Boëmundum, Treverensem Archi-Episcopum, tam scriptura, quam figura, positus inveniatur, per errorem facti, quem in hac parte scienter damnamus, ne trahatur in consequentiam ullo modo &c.* Conf. LUNIG. *in Spicileg. Eccles. Part. 1. Cont. 1. Cap. 2. Tit. Maintz. §. 50. pag. 45.* Exceptio quidem occurrere videtur in Colonienſi Archi-Epiſcopo, quia Is juxta tenorem *A B. Cap. 3. §. fin.* item *Cap. 21. in fin.* in ſuis Diœceſibus & Provincia, ut & Italia & Gallia a latere dextro Imperatoris ſedendi jure frui dicitur. aſt ille admodum reſtrictim conceſſus Colonienſi locus Primatui Electoris Moguntini nihil officit, cui alias maximus ſemper inter omnes in Germania fuit honos.

§. VIII.

Ex quo facile colligitur, Electoris Moguntini Præeminentiam, unde fere omnia reliqua jura ſingularia & præſtantiæ illius promanant, potiſſimum reſplendere in primario Imperii Archi-Officio, quod ARCHICANCELLARIATUS *per Germaniam* dicitur, quo ab antiquiſſimis & primis ferme Reipublicæ initiis gaudet ac perfungitur. Originem vero *Archi Officiorum* Imperii, quibus Electores ſinguli condecorati ſunt, hoc modo deducit COCCEJUS *in jur. publ. prud. Cap. 10. §. 3. ſeqq.* nempe veteri Germaniæ inſtituto duplicia erant, quibus Rempb. Reges moderabantur, Officia: *Cancellariæ* alia, alia *Aulæ*. Qui Cancellariæ (loco judicii publico, a cancellis, quibus vulgus ab ingreſſu præcluditur, ita cognominato) præpoſiti erant, decidendis civium negotiis vacabant, & *Cancellarii*, ſeu *Capellani* (a *Capella*, quod cum Cancellariæ vocabulo paria facit) horumque primarii *Archi-Cancellarii*, vel *Archi-Capellani* appellabantur; & hi ſemper clerici fuerunt, quia in omni conſultatione prima ubique quæſtio eſt, & eſſe debet, num quid juſte ac honeſte fieri poſſit; his itaque quæſtionibus primariis definiendis antiquiſſimo Germanorum & Gallorum more Sacerdotes præfecti ſunt, quippe qui ſoli, nondum erectis Academiis, litteratorum ordinem conſtituebant, & juris divini humanique periti cenſebantur. Econtrario qui Regi in Aula aderant, aulica curabant negotia, & pro eorum diverſitate varios titulos v. g. *Mareſchalli*, *Pincernæ*, *Dapiferi*, ſortiebantur. quamvis autem ordinarie Cancellarii in Cancellaria, reliqui in aula, præcipua quisque autoritate polleret, in publicis tamen deliberationibus, tractan-

dique

dique regni negotiis puta belli, pacis, fœderum, omnes, ſua tamen cuivis relicta prærogativa, concurrebant. Unde apparet, hæc *Archi-Officia* ipſa *Electorali Dignitate* longe antiquiora eſſe, imo huic acquirendæ occaſionem dediſſe, quæ ratio, quoque eſt, quod univerſi Electores in titulorum ſuorum ſerie *Archi-Officialem* Electorali in hodiernum usque diem præponere ſoleant.

§. IX.

Et quoniam Imperatores noſtri tria habebant Regna, nempe *Teutonicum*, *Gallicum*, & *Italicum*, tres etiam Archi-Cancellarios conſtituerunt, ita ut ſucceſſive tribus ad Rhenum Archi-Epiſcopis iſta Archi-Cancellariatus Dignitas, & quidem Moguntino per *Germaniam*; Colonienſi per *Italiam*; & Trevirenſi per *Galliam* & *Regnum Arelatenſe* privative commendata ſit. *A. B. Cap. 1. §. 11.* & *12. Cap. 2. §. 3.* Cum vero ab initio Cancellariatus ambulatorii, & arbitrio Regum collati, nec illa dignitas uni alicui Epiſcopatui ſine revocatione, vel privative conceſſa fuerit; COCCEJ. *Prud. jur. publ. Cap. 10. §. 8.* Hiſtorici æque ac Politici, & inter eos præprimis ſolertiſſimus rerum Imperii veterum indagator BERNH. a MALLINCKROT. *de Archi-Cancellar. S. R. I.* CONRING. *de Officialib. Imp. R. G. th. 8.* magna hucusque cura inquiſivere, quo quidem tempore ac ratione ad hoſce Archi-Epiſcopatus prædictæ Dignitates privative pervenerint? quantum igitur omnium antiquiſſimum Archi Cancellariatum Moguntinum, de quo ſolum nunc ago, attinet, a communi DD. ſententia recedere nolo, juxta quam ſub Imp. OTTONE I. Ejus filius WILHELMUS, Archi-Epiſcopus Moguntinus, hanc ſuæ Sedi prærogativam obtinuit, ut perpetuis deinceps temporibus non alii, quam Moguntini Antiſtites, *S. R. I. Archi Cancellarii* conſtituerentur, & inde factum, quod poſt prædictum WILHELMUM Sedes Moguntina Archi-Cancellariatum privative retinuerit, quem hodie dum continua ſerie exercet. Verum an expreſſo OTTONIS I. vel alterius Imperatoris privilegio? an vero tacita voluntate Archi-Cancellariatus Imperii Moguntinæ Sedi primitus annexus & incorporatus fuerit? cujusque arbitrio & judicio relinquit cum MALLINCKROT. *dict. Tr. pag. 20. ſeqq.* VITRIARIUS *Inſtit. Jur. publ. Lib. 1. tit. 14. n. 7.* & certo definiri non poſſe aſſerit CONRING. *dict. loc.* imo indubitata adhuc deeſſe monumenta refert GEORG. CHRISTIAN. JOANNIS *ad Serar. lib. 1. Cap. 29. in fin.* ubi tamen recte monet, aliter dicendum eſſe, ſi de Cæſarum, qui ſæculo XIII. regnarunt, voluntate ſit ſermo; præſto namque eſſe Adolphi & Alberti I. Diplomata quibus uterque hanc Dignitatem Sedi Moguntinæ expreſſe confirmaverit: ille Tabulis *An. 1292. III. Non. jul. Bonnæ*; Hic *An. 1298. Id. Septembr.* Litteris in monaſterio Holzkirchen datis.

§. X.

Interea tamen, ſi perluſtretur Catalog. Cancellariorum, & Archi-Cancellariorum, quos apud coævos ſcriptores, vel in ipſis Imperatorum, Regumque Germaniæ Diplomatis a Carolo M. ad Fridericum II. usque ſubſcriptos exhibet PFEFFINGER. *ad Vitr. Lib. 1. Tit. 14. §. 7. lit. 6.* apparet, jam ab ætate *Henrici Aucupis*, imo etiam diu ante Moguntinos Archi-Præſules, in negotiis Regni Germaniæ, ut plurimum Archi-Cancellariorum munere fuiſſe functos, ita enim reperitur ſubſcriptio ſub ipſo jam Carolo Magno Francorum Rege: *An. 794. Williſarius, Cancellarius, ad vicem Lulli* (Archi-Ep. Moguntini) *Archi-Capellani.* ſub LUDOVICO PIO. *An. 823. Helifactus, Cancellarius, ad vicem Richolfi* (Moguntini) *Archi-Capellani recognovi.* ſub LUDOVICO GERMANICO. An. *873. Hebarhardus Cancellarius ad vicem Luitberti* (Moguntini) *Archi-Capellani.* ſub LUDOVICO II. GERMANICO An. *882. Arnolfus Cancellarius, ad vicem Luitberti, Archi-Capellani.* ſub CAROLO CRASSO, Imp. An. *887. Amalbertus Cancellarius, ad vicem Luitberti, Archi-Capellani.* ſub HENRICO AUCUPE. An. *922. Simon, Notarius, ad vicem Herigeri* (Moguntini) *Archi-Capellani recognovi.* An. *931. Popo, Cancellarius, ad vicem Hildiberti Archi-Capellani* ſub OTTONE I. An. *936. Adalbat, Notarius, ad vicem Hildiberti Archi-Capellani recognovi.* An. *941. Brun Cancell. ad vicem Friderici* (*Moguntini*) *Archi-Capell.* An. *953.* & *954.* lidem. An. *959. Ludolfus Cancellar. ad vicem Wilhelmi, Archi Capellani.* An. *965. Luidolfus, Cancellarius ad vicem Wilhelmi, Archi Capellani.* An. *966. 967.* lidem. An. *970. Ludigerus, Cancellarius, ad vicem Ruperti* (Moguntini) *Archi-Capellani.* Sub OTTONE II. An. *978. Hildiboldus, Capellanus, ad vicem Willigiſi, Archi-Capellani.* An. *983. Hildebaldus Epiſcopus & Notarius ad vicem Willigiſi Archi-Capellani conſcripſi.* Sub OTTONE III. An. *996. Hildebaldus Epiſcop. & Cancellarius vice Willigiſi Archi-Capellani recognovi.* Sub HENRICO II. An. *1011. Guntharius, Cancellarius, ad vicem Erkambaldi* (Moguntini) *Archi-Capellani.* An. *1023. Gualterus, Cancellarius, vice Aribonis Archi-Cancellarii.* Sub CONRADO SALICO. An. *1033. Burchardus, Cancellarius, vice Bardonis* (Moguntini) *recognovit.* Sub HENRICO III. An. *1047. Hartwicus, Cantellarius, vice Bardonis Archi-Ep. & Archi-Cancellarii.* Sub HENRICO IV. An. *1058. Wantherius, Cancellarius, vice Leopoldi Archi-Capellani.* Sub FRIDERICO I. An. *1153. Joannes Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Conradi, Moguntinenſis ſedis Archi-Epiſcopi, & GERMANIÆ ARCHI-CANCELLARII, recognovi.* An. *1180. Gottfridus Imp. Aulæ Cancellarius, vice Domini Chriſtiani Moguntinæ Sedis Archi-Epiſc. GERMANIÆ Archi-Cancellarii.* Sub FRIDERICO II. *An.* 1213. *Conradus Spirenſis & Metenſis Epiſcopus, Imp. Aulæ Cancellar. Vice-Sigefridi Moguntini, TOTIUS GERMANIÆ Archi-Cancellarii.*

§. XI.

§. XI.

Cæterum ex hoc ipſo, quem vel ideo copioſius adducere volui, Subſcriptionum Catalogo non improbabilis redditur opinio, quam fovet THULEMAR. *de Octovirat. cap. 13. n. 19. ſeq.* nempe Archi-Epiſcopum Moguntinum, qui alias ſaltem in genere *Archi-Capellanus*, vel *Archi-Cancellarius* in Diplomatum ſubſcriptionibus vocatus fuerat, ſub Imp. Friderico I. & ejus filio Henrico VI. *Archi-Cancellarium per Germaniam* dici ſcribique cæpiſſe, idque ad differentiam aliorum, eoquod ab eodem Imp. Friderico I. *Archi-Cancellariatus Italiæ* Colonienſi datus fuerit.

§. XII.

Adeo autem Eminentiſſimi Electoris Moguntini *Archi-Cancellariatus* hodiedum præeminet, ut, quamvis Colonienſis per *Italiam*, & Trevirenſis per *Galliam & Regnum Arelatenſe* Titulos *Archi-Cancellariorum* adhuc præ ſe ferant, nihilominus tamen Moguntinus ſolus & unus effective, per omne id, quod eſt ditionis Imperii noſtri, Archi-cancellariatum gerat; ſiquidem omnes, expeditiones negotiorum publ. quæ non tantum Provincias, Archi-cancellariatui *Moguntino* principaliter & per ſe obnoxias, ſed etiam *Galliam Belgicam*, in quantum Imperii Legibus adhuc tenetur, & exiguas *Arelatenſis Regni* reliquias, ſicut & *Italiam*, ibique varia Imperii Feuda ſita, reſpiciunt, ex inveterata Imperii conſuetudine & in hunc usque diem continuata obſervantia ſolius *Moguntini* curis relinquuntur, & per ſubordinatam ipſi Cancellariam Imperialem, ſicut reliquæ omnes, Germaniam concernentes, ordinationes peraguntur; ut hac ratione Moguntinum ſolum per totum Imperium Romano-Germanicum *effective* Archi-Cancellarium agere, & omnia Acta publica, quamcunque Imperio noſtro quoquo modo ſubjectam provinciam aut partem concernentia, in ipſius Archivo recondi, recte dici poſſit; Ex quo conſectarium hoc multis fluere viſum eſt, quod Trevirenſis & Colonienſis hodie nudis ſaltem Archi-cancellariorum Titulis ſplendeant, iisque præter nomen vix quicquam amplius ſuperſit; cui ſententiæ præter alios ſubſcribunt RUTGER. RULAND. *de Commiſſar. & Commiſſion. p. 2 Lib. 5. c. 4. §. 10.* GASTEL. *de Stat. Publ. Europ. c. 9. §. 56.* SCHÜTZ. *Jur. Publ V. 1. Exerc. 7. th. 23. lit. E.* KLOCK. *de Contrib. c. 5. §. 26* RHET. *Inſt. jur. publ. L. 1. T. 9. §. 3.* VITRIAR *Lib. 3. tit. 10. pr.* L. B. ab ANDLER *Jurispr. L. 1. Tit. 5 p. 2 §. 21.* FRITSCH. *de jure Archivi. C 4. §. 4.* CRÜGER. *de Novemvir. part ſpec. m. 2. diſc. 4. §. 2.* BESNECKER. *jur. publ. prud. cap. 2. §. 3. n. 4. & 5.* Illud interim uti veriſſimum, ita & ſingularis in Moguntini Archi Cancellariatu præeminentiæ nota eſt, quod ſub Ejus Archi-Cancellariatu Colonienſis & Trevirenſis Præſulum Archi-Epiſcopatus contineantur, proinde illi, ſi quod etiam hodie Archi-Cancellariatuum ſuorum jus vel exercitium adhuc haberent, in propriis tamen Archi-Epiſcopa-

tibus

tibus id minime exercere poſſent. BOECLER. *Not. Imp. Lib. 8. C. 5.* COCCEI. *jur. publ. prud. cap. 10. §. 9.*

§. XIII.

Ea inſuper Authoritate Moguntinus in *Archi-Cancellariatus* dignitate polet, ut nec ipſe Imperator in uſu & exercitio illius Eum quavis ratione impedire, aut modum ac regulam exercendi ullam præſcribere velit, aut poſſit, prout non tantum expreſſe conventum eſt in Capitulationibus *Leopoldi Art. 42. Joſephi Art. 41. Caroli VI. Art. 13. & 24.* verum etiam ab Imperatore Joſepho, cum Ann. 1708. tanquam Rex Bohemiæ, ad Vocem & ſeſſionem in Collegio Electorali in omnibus Comitialibus, Deputationum & Collegialibus, ordinariis & extraordinariis deliberationibus readmiſſus fuit, in majorem Moguntini ſecuritatem datis propterea Eidem litteris reverſalibus, exhibitis a PFEFFINGER. *ad Vitr. Lib. 3. tit. 10. pr. lit. c.* expreſſe cautum eſt, quod Eum in Archi-Cancellariatu & directorio tam comitiali, quam Electoralis Collegii, nullo plane modo turbaturus ſit.

§. XIV.

Primariam hanc Archi-Cancellariatus Dignitatem alia inſignia, & præcipua Moguntini jura concomitantur, inter quæ jus Directorii præfulget; ſicut enim potiſſima negotiorum Imperii diſpoſitio ad Eum a multis retro ſæculis ſpectavit, ita etiam non in Comitiis tantum Imperii univerſalibus, ſed & aliis quibuscunque Conventibus, ſolus hodiedum eſt *Director*, omni tempore & loco ſecundus a Cæſare; quod Directorium etiam exercet extra Conventus, in omnibus ſcilicet illis negotiis, quæ ad Imperium, tanquam Corpus, pertinent, cujus exemplum ſuppeditat Negotium Pacis Ryswicenſis, ubi, qui Imperii nomine deputati aderant, Illuſtriſſimo Domino de SCHOENBORN tanquam primario Legato Moguntino, & litteras, quibus de mandatis fidem facerent, exhibebant, & dirigendi munus illius agnoſcebant.

§. XV.

Quod ſi vero durantibus Imperii Diætis Sedem Moguntinam vacare contingat, cui tunc Directorium in Comitiis competat, in litem trahi voluit, prout ea, quæ in comitiis, præſertim *Ann. 1675. & 1678.* acta ſunt, & a FRITSCH. *ad Limnæum. Lib. 9. cap. 1. §. 131.* KULPIS. *ad Monzamb. de ſtat. Imp. Germ. p. 2. cap. 5. §. 36.* producuntur, aliaque recentiora palam faciunt. Siquidem *Metropolitanum Capitulum Moguntinum* hoc eveniente caſu dirigendi jus ad ſe omnino ſpectare aſſerit, eoque nomine non ad fundamenta juris ſolum, ſed ad exemplum etiam Congreſſus Oſnabrugenſis provocat, ubi defuncto Ann. 1647. Archi-Præſule *Anſelmo Caſimiro*, actu illud exercuit. *Trevirenſis* e contra &

Colo-

Colonienſis, *Archi Cancellarii*, ſui muneris id eſſe, *Moguntino* non exiſtente arbitrantur. *Elector Saxoniæ* vero omnibus contradicens, vi pactorum Ann. 1529. & 1562. cum Moguntino Initorum, facultatem hanc ſibi arrogare voluit.

Quamvis autem in ejusmodi quæſtionibus privatorum nemo decidendi arbitrium ſibi ſumere valeat; ſi tamen quod res eſt, edicere fas ſit, metropolitani Capituli jus hac in parte contra omnes prævalere exiſtimo: imprimis enim illa hipotheſis, quod Capitulum Sede vacante tantum ſuccedat in iis, quæ Epiſcopo, ut Epiſcopo, competunt, oppido falſa eſt, cui etiam univerſalis Imperii conſuetudo, per INSTRUM. PAC. OSNABR. *Art. 5. §. 17. & 21.* ſeu declarata, ſeu confirmata refragatur, ita, ut veriſſimum ſit, capitulum S. V. in juribus & prærogativis temporalibus eadem proportione, qua in Eccleſiaſtica poteſtate, ſuccedere; ex qua ſola ratione in INSTRUM. PAC. OSNAB. *dict. loc.* expreſſe cautum eſt, ut S. Vacante Capitula ad univerſales æque, ac particulares deputationum, viſitationum, reviſionum, aliosque Conventus Imperiales literis ſolitis evocentur, ac jure Suffragii fruantur, prout quisque Statuum eorum jurium particeps fuit; hinc *jam antea* quoque Dechant und Capitul zu Minden *Anno 1555.* Probſt, Dechant und Capitul des Thomb-Stiffts Freyſingen *Anno 1559.* S. Vacante Comitiis interfuerunt. VITRIAR. *Inſt. jur. publ. L. 4. t. 1. n. 21.* & ibidem PFEFFINGER. ubi poſt plura & recentiora hujusmodi exempla adducta ſubjungit, quod Capitula defuncto Præſule in omnia Regalia & Superioritatis jura ſuccedant; Licet vero illa excipere velit, quæ ſpecialiter Perſonæ inhærere dicit, quorſam refert Electionem Regis Roman. & Directorium in Comitiis: in quæ Capitulum ſuccedere negat; Falſitas tamen hujus prætenſæ exceptionis ex eo relucet, quod & ipſum *Jus Status Imperii* ſit perſonæ Dignitas non vero patrimonio, aut glebæ terræ annexa qualitas, juxta SCHWEDER. *Part. ſpec. ſ. 2. C. 1. n. 9.* VITRIAR. *Lib. 1. tit. 12. n. 1. & Lib. 3. tit. 15. n. 10.* in quod tamen Capitulum S. V. ſuccedit, quia Seſſione ac Suffragio in Comitiis gaudet, in quo ſubſtantia Status Imperii conſiſtit. Sin igitur concederetur, Archi-Cancellariatum & cum eo connexum Directorium Perſonæ Archi-Præſulis inhærere, Capitulum tamen, penes quod S. V. omnis poteſtas reſidet, & ideo mortuo Antiſtite, eo non eſt inferius ſed illum repræſentat, ab Ejusdem exercitio excludi non poſſet; quod eo magis obtinere debet, cum totum hocce jus Sedi Moguntinæ realiter incorporatum ſit, ut proinde ſicut INSTRUM. PAC. OSNABR. *Art. 5. §. 17.* loquitur, ejus adminiſtratio, & aliorum quoque jurium Epiſcopalium exercitium ſede Vacante Capitulo competere debeat; accedit, quod Tutor ſecularis alicujus Principis Electoris, ætatis defectum patientis, omnia quantumvis ſingularia jura, & ab ejus Archioſficio dependentes functiones expedire poſſit; quo igitur jure Capitulum Moguntinum S. Vacante ab iis, quæ Archi-Præſuli competunt, excludetur, cum

mitiis & Conventibus aliis a Cæſare publicandorum, quæ omnia, olim quidem ſolus, ſed hodie una cum Imperatore, vel ipſe, vel per ſuum Vice Cancellarium ſubſcribit & ſubſignat, ſic tamen, ut in calce Secretarii nomen quoque conſpiciatur; nihil enim a Cæſarea Majeſtate ſubſcribitur, niſi primo a Secretario, loco inferiore, & deinde ab Imperii Cancellario, loco medio, ſubſcriptio facta. Cum ſignandi jure optima ratione cohæret *Cura Sigillorum*, nec non *Archivi Imperialis*. Proinde apud ſolum Moguntinum Sigilla & Typaria Imperatoria aſſervantur, Isque in ſua cuſtodia Moguntiæ habet Archivum Imperii publicum, in quo continentur omnia Imperii Documenta, & Acta publica Belli, Pacis, Fœderum, Legationum, Ordinationes, Capitulationes, Matriculæ, Libri Legum & Statutorum, & quidquid usquam publico nomine literis mandatur, ſive ad Germaniam, ſive ad Italiam quoque & Galliam ſpectet; vocaturque eapropter ſæpius Cancellaria Moguntinenſis, die Mayntziſche Cantzley: LIMN. *ad Capit. Caroli V. pag. 196.* alias die Reichß-Cantzley audit. *Rec. Imp. de an. 1542. §.* dagegen *129.* a qua differt die Reichß-Hoff-Cantzley, quoniam in Aula Cæſarea eſt, cui nomine Electoris Moguntini præeſt ab ipſo Conſtitutus Vice-Cancellarius Imperii.

§. XXVI.

Namque illud etiam inter ſingularia Eminentiſſimi Moguntini jura connumerandum eſt, quod Solus in Aula Cæſarea Vicarium, ſive Vice Cancellarium habeat, non Cæſari tantum, ſed Sibi quoque Sacramenti religione obſtrictum, per quem Conſilii Aulici Cancellaria dirigitur, cujus reliquos omnes Officiales, Secretarios, Protonotarium, aliasque perſonas, Cancellariæ inſervientes ſolus Moguntinus conſtituit, Taxaſque Cancellariæ ſolus temperat, eaſque regit. *Art. 22. Capit. Caroli VI.* Propterea in Aula Imperiali Taxatorem habet, qui ipſius Reſidens plerumque eſt. Nec Imperator quid de iſta Taxa remittere poteſt. *Dict. Art. 22.* Illud quoque Sedi Moguntinæ multum honorem defert, quod ipſe Elector Trevirenſis Moguntini Archi-Cancellarii Vicarius per Germaniam ſuperioribus temporibus fuerit. Confer. PFEFFINGER. *ad Vitr. lib. 3. tit. 10. pag. m. 737.*

§. XXVII.

Similiter ſolus Moguntinus Cancellariam in Camera Imperiali regit, ejusque præfectum, quem vulgo Verwalter vocant, Protonotarios, ac alios officiales, quibus ſecreta Conſilii committuntur, pariter ſuo arbitrio eligit, ſibique juramento obſtringit. *Rec. Imp. de An. 1654. §. 104.* Hisque perſonis omnibus Moguntinus ſalaria exſolvit, & quidem ex taxis Cancellariæ, von den Cantzley-Gefällen, quæ ipſi ſoli competunt; Nec minus defectus & vitia miniſtrorum

rum Cancellariæ corrigi curat, & promeritis pœnis coercet, quem in finem etiam Ipſi hujus Cancellariæ viſitatio competit. *dict. Receſſ. Imp. cit. loc.* Cæterum judice Cameræ non præſente; & Præſidibus quoque abſentibus, Moguntinus Aſſeſſor judicis perſonam repræſentat, qui *Vice-Præſes* ideo appellari conſuevit.

§. XXVIII.

Solus quoque Moguntinus præeſt Judicio Reviſorio Cameræ, ad quod ii, qui per iniquitatem aut negligentiam Aſſeſſorum læſos ſe exiſtimant, provocare, & Reviſionem petere poſſunt; quapropter & Libelli, quibus Reviſiones hodie juxta *R. I. de An. 1654. §. 125.* Intra quadrimeſtre a die latæ ſententiæ ſub pœna deſertionis petuntur, quorum formulam vide apud BLUM. *in Suppl. Cam. T. 18. §. 1. & 2.* Ipſi Moguntino offerri debent. Nec minus Judicium Cameræ viſitandi jus habet, & licet non ſolus eam viſitationem Moguntinus peragat, ſed præter Imperatoris Commiſſarios alii ex Ordine Statuum deputati concurrant; *Receſſ. Imp. de An. 1654. §. 132.* In eo tamen aliquid ſingulare Moguntinus habet, quod in omnibus tam ordinariis, quam extraordinariis Cameræ viſitationibus ipſe perpetuus ſit, cum reliqui viſitatores mutentur. Quid vero a multis retro temporibus ad noſtram usque ætatem circa ordinarias & extraordinarias viſitationes judicii Cameralis contigerit, late refert PFEFFINGER. *ad Vitr. L. 3. tit. 10. pag. m. 708. ſeqq.*

§. XXIX.

Alia ſane ratio eſt Viſitationis judicii Cæſarei Aulici, utpote quæ ſoli Electori Moguntino toties, quoties opus fuerit, competit, uti expreſſe in INSTRUM. PAC. OSNABR. *Art. 5. §. 56. R. H. O. de An. 1654. Tit. 7. §. 25. Capitul. Caroli VI. Art. 24.* cautum. Addit quidem AUTOR der Grund-Veſt: Moguntinum debere aliquot Principes in Viſitatione hac adjungere; ſed cum Additio iſta ab illo tantum fiat privata authoritate, ideo etiam nullius eſt momenti. CRÜGER. *de Novemvir. part. ſpec. m. 2. Diſc. 4. §. 4.* Idcirco cum Eminentiſſ. Elector Moguntinus JOANN. PHILIPPUS *An. 1664.* hujus Judicii viſitationem inſtitueret, ac Principum nonnulli contra illam quædam tum apud Imperatorem, tum apud ipſum Moguntinum monerent, nullus hiſce monitis locus relictus, & illis non obſtantibus Viſitatio a prælaudato Electore *die 27. April* peracta fuit. PFEFFINGER. *d. l. pag. 722. in fin. ſeq.*

§. XXX.

Sed & illa inſignis præeminentiæ nota in Moguntino Archi-Præſule reſplendet, quæ merito primo loco referri debebat, quod Imperatore e vita exceden-

cedente, non ſolum reliquis Electoribus id ſignificet, verum omnes etiam intra menſem continuum, a die notitiæ numerandum, ſingillatim literis patentibus & majori ſigillo ſignatis, *A. B. C. 1. §. 18.* quarum formula *C. 18. A. B.* continetur, convocet, ut a die intimationis factæ intra tres menſes continuos Francofurti, ad eligendum novum Imperatorem conveniant; ubi vero ipſi, vel eorum Legati ibidem comparuerunt, omnibus ad Electionem neceſſariis aptatis, ſtatutus dies Electionis a Moguntino Directorio ſingulis Electoribus die præcedente indicitur, qui etiam ab ea civitate, in qua Electionis ſolennia celebrantur, juramentum ſecuritatis ſibi reliquorumque Electorum nomine præſtari curat, quibus omnibus aliisque præmiſſis Moguntinus juramentum, quod ipſe juxta tenorem *A. B. C. 2. §. 2. & 3.* Prior præſtat, a Co-Electoribus exigit, & tum in ipſo Electionis actu vota reliquorum percontatur, ultimoque loco a Co-Electoribus rogatus ſententiam ſuam dicit, juxta majora concludit, decretum Electionis pronunciat, nec non ex votorum pluralitate Capitulationem conficit, adeoque in hoc præcipuo eligendi negotio omnes præeminentias, partesque præcellentiores ſolus Moguntinus obtinet. Præterea tempore Interregni cum Vicariis præcipue Reipb. invigilat, & quæ exuſu ejus ſunt, deliberat *& ſtatuit*; vixque erit, ut majoris momenti rem aliquam ſuſcipiant Vicarii, quam ante cum Moguntino haud communicaverint.

§. XXXI.

Neque illud inter jura Archi-Præſulis Moguntini ſingularia omittendum eſt, quod *Director & Protector Poſtarum Imperialium ſit*; quam Prærogativam quidem cum ſupremo Archi-Cancellariatu per Germaniam connexam eſſe, auctoritas literarum ipſius Electoris Moguntini *An. 1627. d. 27. Maji.* ad Imperatorem datarum convincit, in verbis: Daß Sie und ihre Lobſeligſte Vorfahren mir und meinen Anteceſſoren, als Ertz-Canzlern in Deutſchland, das Regal und Protection über das Poſt-Weſen im Heil. Röm. Reich, und was demſelben anhängig, allergnädigſt anbefohlen, &c. Quod munus in eo verſatur, ut tutelam ac patrocinium poſtis præſtet, atque in id intendat, ne quicquam, quod detrimentum ipſis adferat, a quoquam ſuſcipiatur, ſed earum privilegia ſalva atque intacta ubique conſerventur: Ea de cauſa ſuas emittit dehortationes contra eos, qui quid iniqui vel detrimentoſi contra Poſtas moliri conantur, cujusmodi videre licet apud HÖRNICK *de Jur. Poſt. C. 6. Theo 2.* Hinc etiam Moguntini Solius Miniſtri Secretiores immunitate a ſolutione vectigalis literarum gaudent.

§. XXXII.

Quamquam autem copioſus aliorum præeminentium & ſingularium jurium, quæ S. Sedi Moguntinæ, Ejusque Archi-Præſuli competunt, ſeſe numerus

merus adhuc offerat, quo referri etiam meretur: Privilegium Maximiliani I. de *An. 1495.* Vi cujus ſubditi Moguntini in alterius Domini poteſtatem, ſine ſui Electoris conſenſu, diſcedere nequeunt: Ejusdem Privilegium de *An. 1498.* Per quod Moguntinis conceſſum, fugientes criminoſos in alieno etiam territorio apprehendere: Item Privilegium contra omnia Privilegia, quotquot illorum concedi fortaſſis in præjudicium Moguntini poſſent, de *An. 1486. 1495. 1507. 1516.* Privilegium Sigismundi a Carolo V. *An. 1521.* Confirmatum, quo cautum, ne Pactum Confraternitatis, inter Saxoniæ & Haſſiæ Principes initum, præjudicet Juribus Moguntinis, quatenus concernunt reluitionem Pignorum, & aperturam Feudorum, ad Archi-Epiſcopatum pertinentium: Jus redimendi oppignorata Imperii, die Reichß-Pfandſchafften einzulöſen: Si Imperator Electorum ſententias audire percupiat, quod ab Eo Solus Moguntinus literas accipiat, qui cum cæteris dein Collegis communicat, eorum vota colligit, & quorſum inclinent, ad Cæſarem reſponſo refert; attamen de hiſce, plurimisque reliquis a PFEFFINGER. *ad Vitr. L. 3. t. 10.* aliisque ab eodem laudatis Authoribus, exhibitis prærogativis quidquam ſuperaddere, anguſtæ hæ pagellæ non permittunt, quibus tam præeminentium jurium amplitudo minime comprehendi potuit.

§. XXXIII.

Illud tamen diſſimulare nequeo, ſicut commune rerum humanarum vitium eſt, ut invidia gloriæ comes ſit aut pediſſequa, & libenter alii detrahant iis, quos emergere vident altius, quia, ut AMM. MARCELL. *L. 17.* ait: *Solet ampliſſima gloria objecta eſſe ſemper invidiæ*; ita & non defuiſſe, qui ſupereminentes Archi Præſulis Moguntini Prærogativas lividis non ſemel aſpexerint oculis, ac poſt putatitias invidioſe prolatas querelas taliter ſuccinere auſi ſint: Auf ſolche Weiſe ſey Chur-Maynz über alles; ordinire, moderire und diſponire allein, alle actiones Imperii Electorum, Principum, Statuum, in Comitiis, extra Comitia, in Collegiis, extra Collegia, in Aula Imperatoris, extra Aulam, in Camera, extra Cameram, in publicis & privatis, in maximis & minimis, weil Er allenthalben mit bey wolle ſeyn, und præſidiren, oder dirigiren. Verum cum Eminentis: Archi-Præſul Mogunt. ſuis ubique præfulgentibus prærogativis ac juribus citra cujusvis injuriam merito utatur, & vix contingat, ut, qui cum multis agit, aliquos in debita officii executione non offendat, meminiſſe etiam oportebat, S. Sedem Moguntinam, tot præeminentiarum incrementis non mera Cæſarum liberalitate condecoratam, ſed pleraque jura præcipua, compenſandis eximiis & ſingularibus tum erga civilem Rempb. tum Chriſtianam præſertim Eccleſiam meritis Eidem fuiſſe debita, tituloque adeo congruo acquiſita, in quo juris quoque neceſſitas ſubeſt. Unicum ſaltem S. BONIFACIUM, Archi-Epiſcopum I. Moguntinum, ſi recordemur, qui primus univerſam prope

Germaniam, nominatim Francos, Saxones, Thuringos, Haſſos &c. ab inquinato idolorum cultu ad Sanctam Chriſti Doctrinam perduxit, & ob id *Germanorum Apoſtoli* elogium meruit; facile erit fontem cognoſcere maximorum illorum, & ſingularium jurium, quæ proinde S. Sedi Divinitus plantatæ, & ad finem mundi duraturæ, atque Ejusdem Archi-Præſuli Membro tam de Eccleſiæ, quam Reipb. corpore adeo eminenter promerito, atque ab ultimis inde temporibus præcipuo ſemper atque primo exiſtimato, nonniſi ab iniquiſſimo meritorum tam inſignium æſtimatore invidere poſſunt.

TANTUM.

Animadverſiones Editoris.

Ad *Cap. I. §. 3.* Quae hic de S. *Creſcente* refert Auctor, non adeo explorata certaque videntur Criticis: ita inter alios inquiunt HAGIOGRAPHI ANTWERPIENSES ad *diem 27. Jun. f. 251. Tom. 5. Jun. Equidem qualicunque traditioni haud aegre conceſſerim primum* (*Moguntiae*) *Epiſcopum Creſcentem: ſed ut hunc quoque tredam Pauli diſcipulum fuiſſe, quod de primo Viennenſi Epiſcopo creditum antiquitus fuit* (Viennenſes eundem ſibi *Creſcentem* vindicant, a quibus dicitur Moguntias perveniſſe) *multo difficilius Moguntini, quam Viennenſes perſuaſerint, utpote teſtes non ita antiquos proferentes. Nam ſi Viennenſes potuit in errorem inducere fortaſſis identitas nominis; multo facilius potuit id contigiſſe Moguntinis: et ſemper fortior ſtabit pro Galatis Aſiaticis opinio, quod ad illos a Paulo remiſſus vel ultro profectus apud eos conſeruerit, interque illos obierit in pace, et ideo minus celebris fuerit poſteritati, ab eaque minus cultus, quam ſi Martyr obiiſſet.* Huc faciunt quoque, quae habent iidem HAGIOGRAPHI *Tom. cit. f. 538. item Tom. 4. Septemb. f. 354.* HONTHEIM *Diſſ. de aera fundati Epiſcopat. Trevir. Tom. 1. Hiſtor. Diplom. et in Prodromo f.*

Ad ejusdem Cap. §. 5. WÜRDWEIN in den Maynzer Münzen des mittleren und jüngeren Zeitalters zum Behufe der Geſchichte des Vaterlan- des ꝛc. 1769. *f. 7.* ait, *in MScriptis genuinis ante annos jam quingentos exaratis occurrere hunc citulum: Moguntia Sanctae Romanae Eccleſiae ſpecialis vera Filia:* in ſummo item Altari Chori Eccleſiae Metropolitanae haec aureis literis inſcripta fuiſſe:

Aurea Moguncia ſancte Romane ſpecialis vera Filia
Aſſis nobis in agone venerande patrone
Tua benedictione Martine o bone,
Ut tue ſimus memorie conſortes et glorie.

Ad

Ad ejusdem Cap. §. 9. S. *Bonifacium* sine controversia primum Moguntiae Metropolitam agnoscit Auctor ex communi, ut ait, omnium voce: antiquius vero esse jus Metropoliticum Moguntiae jam statui *in Instit. meis Part. II. §. CIII.* Caeterum ita de hac re loquitur HONTHEIM *in Prodrom. f. 136.* Non Primatui solum Trevirensi, qui per Galliam universam diffusus fuerit, sed et juri ejusdem Trevirensis Metropolitico Moguntiam subjectam fuisse, ex eo potissimum, quod ab Ecclesia Trevirensi fidei lumen Moguntiam aliasque Rheno adsitas terras Argentinam usque disseminatum fuerit, pro qua re varios ibidem scriptores affert. Porro occasione *Can. Nicaeni VI. Sardicensis Can. VI. Taurin. Can. II* ubi Metropolis quoque Ecclesiastica designata fuit, quae ex divisione Imperii Provinciae Metropolis politica foret: Moguntiam tanquam Germaniae primae Metropolim jura Metropolitica sec. jam IV. nactam fuisse: rediisse subin, ob incursiones Barbarorum, a quibus atque adeo excisa fuerit, sub jura Trevirensia: Sane teste VEN. BEDA *Hist. Angl. L. 1. C. 21: Severum* Trevirensem Archi-Episcopum medio sec. V. *gentibus primae Germaniae verbum vitae praedicasse*: quanquam HONTHEIMIUS non omnino adstipulari vult SCHOEPFLINO, qui *Alsat. illust. Tom. 1. p. 347. seqq.* putat toto illo tempore usque ad *Pipinum* jura Metropolitica Trevirorum etiam in Moguntiam permansisse, eo quod *Numerianus* Trevirensis *in Diplom. de an. 664. Hist. Trev. Diplom. Tom. 1. p. 82.* suos Episcopos provinciales recensens eos ad *Metensem*, *Virdunensem & Tullensem* restringat. Haec compendio relata vide uberius l. cit. PÜTTERUS porro in dem Grundriß der Staats-Veränderungen des teutschen Reichs *f. 19. not. c.* Sec. IV. ita designat Statum Ecclesiast. Germaniae ad Rhenum: *Provincia Belgica prima*, *Metropolis Civitas Treverorum*, *Civitas Mediomatricorum*, *Mettis*, *Civitas Leucorum*, *Tullo*, *Civitas Verodunensium: Provincia Germania prima*, *Metropolis Civitas Moguntiacensium*, *Civitas Argentoratensium*, *Nemetum*, *Vangionum: Provincia Germania secunda*, *Metropolis Civitas Agrippinensium*, *Civitas Tungrorum.*

Ad Cap. II. §. 4. Probabile est Auctori sub *Ottone III.* jamdum institutum fuisse Augustum Collegium Electorum pro designando Imperatore: si id ad normam plane hodiernam intelligit, vix hodie quenquam assentientem habebit. Equidem in vetustissimis Imperatorum nostrorum electionibus praecipua quaedam pars fuit trium Archi-Episcoporum Moguntini, Trevirensis, Colonienſis, Francicae nempe terrae, in qua et electio peragenda, uti et jam tum Archi-Capellanorum sive Archi-Cancellariorum munus obeuntium; quatuor deinde magnorum illorum Germaniae Ducum, atque idcirco *praetaxationem* quandam aut *praeconsultationem* ipsis ejus aetatis scriptores tribuunt: ad ipsam tamen electionem aut potius, ut ita dicam, praetaxati solennem receptionem reliqui quoque Proceres Principes, Comites, Dynastae, immo et inferiores

adhuc nobiles concurrebant, qui ferme uti in electione Polonica, ſub Ducis ſui vexillo comparuere: exempla atque teſtimonia plura vide apud PFEFFING. *Tom. 1.* aliosque relatos ab HAEBERLIN *Tom. 2. p. 226* Poſt obitum *Wilhelmi* Hollandi electionem diſcordem *Richardi* et *Alphonſi* a ſolis Electoribus peractam fuiſſe, immo ab his ipſis Imperii Candidatis tanquam rem indubiam habitam, ab Electoribus ſolis electionem eſſe ſuſcipiendam, elucet ex epiſt. *Urban. IV. ad R. Richardum* §. 4. *in* LEIBNITII *Cod. I. G. diplomat.* p. 14. adde OLENSCHLAGER Erläuterung der G. *B.* p. 136. ex quibus apparet falli eos, qui originem Electorum unice ad *interregnum magnum* ita dictum referunt. Nomen quoque Electorum Principum jam occurrit, et quantum hactenus conſtare ait HAEBERLIN *l. cit. f. 289.* omnium primo in celeberrimo *diplomate Frider. I. 1156.* quo Marchionatum Auſtriae ad Ducatum evehit, ubi et *Palatini Archi-Duces* dicuntur: antea jam leguntur dicti *ſummi Principum*, *Imperii majores Principes*, *Principes Officiati*, *regni praecipui Principes*. *An. 1198.* nomen Electorum denuo occurrit uſurpatum *ab Innoc. III.* in literis *ad Bertholdum V. Zaeringenſem* et in *cap. Venerabilem 34. de Elect. et elect. pot.* An. 1256. *Alexand. IV.* in literis ad *Gerhardum Moguntin.* meminit Electorum et Coëlectorum in LEIBNIT. *Prodrom. I. G. Diplom n. 13. p. 12. Urban. vero IV.* in literis ad *Richardum* jam cit. haec habet: *Principes vocem in hujusmodi* (Regis Romanorum) *electione habentes, qui ſunt ſeptem numero.* Atque haec annotaſſe ſufficiat quoad materiam equidem celeberrimam, quae tamen noſtri fori in hoc opere non eſt. Plurima alia apud laudatum jam aliquoties HAEBERLINIUM ſolerter collecta reperies, fontesque, unde ea hauſta ſunt, ſimul erudite recenſitos. Id adhuc notandum, quod habet idem ſcriptor vix ante A. B. titulum Electoris in propriis Diplomatis ab his Archi-Principibus adhibitum Conf. *l. cit. Tom. VIII. f. 163. ſeqq.*

Ad ejusdem Cap. §. 9. ſeqq. Tempore *Ottonis I.* putat cum aliis MASCOV *de orig. offic. Aulic. §. 10.* fuiſſe adhuc in abſoluta Caeſarum poteſtate Archi-Cancellarium deſignare, ex eo praecipue capite, quod ſub *Ottone* adhuc uno eodemque tempore diverſi hoc officium geſſiſſe ex diplomatis videantur. Id equidem exinde repetere conatur Celeb. *Auctor Chronici Gottwic. L. II. p. 182.* quod *Otto* ſubin cum *Friderico Moguntino* inimicitias geſſerit, adeo ut et captivum eundem detineret; quare mirum non eſſe, ſi tempore eo intermedio alii occurrant Archi-Cancellarii: atenim id adhuc adverſari videtur, quod *Wilhelmus Moguntinus* ipſius *Ottonis* filius extra Matrimonium ſuſceptus, et *Bruno Colonienſis Ottonis* Frater, ſi Chronologiam Diplomatum inſpicias, eodem tempore munus Archi-Cancellariorum adminiſtraverint. Reſpondet cit. ſcriptor p. 183. eos quoad illud officium ſimul gerendum fors amice inter ſe conveniſſe: ſed haec reſponſio vix ultra conjecturam videtur aſſurgere. Ab eo tamen tempore certius eſt ampliſſimum hoc Archi-Officium non interrupta ſerie apud Mo-

Moguntinos Archi-Praeſules perduraſſe: quare ſi quando alii in Diplomatis ſubſcripti reperiuntur, magni jam nominis viri animadverterunt ex peculiaribus plane cauſſis repetendum omnino eſſe: ita, uti obſervat cit. *Chronic. Gottwic. L. II. p. 293.* dum *Sigefridus Moguntinus* ab *Henrico IV.* turbulentis illis temporibus deſciſceret, atque ad *Rudolphi* et *Hermanni* partes transiret, *Henrici* quoque Cancellariam alius adminiſtraſſe legitur: eo vero mortuo a *Rudhardo* ſucceſſore id officii illico iterum exercitum fuit. ECKARDUS *in Introd. in rem diplom. ſect. III. §. 55.* adducit diploma *Henrici V.*, ubi Archi-Epiſcopi Trevirenſis tanquam Archi-Cancellarii mentio fit; verum ex eo capite, quod Imperator eo tempore *Albertum Moguntinum* non ſolum inimicum haberet, ſed et captivum detineret. *Albertum I.* dato diplomate hoc officium Sedi Moguntinae roboraſſe Auctor jam animadvertit. An Italiam quoque aliasque extra Germaniam terras complexum ſaltem ante *Fridericum I.* fuerit, non convenitur. Conf. JOACHIM Einleitung zur teutſchen *Diplomatick Cap. XI. §. 10.* ECKARD *Introd. cit. ſect. III. §. 56.* STRUV. *Corp. Jur. Publ. C. XVIII. n. 9.* Sub *Friderico I.* in ſubſcriptione Diplomatum Caeſareorum paſſim occurrere diſtinctionem *Archi-Cancellarii per Italiam* aut *per Germaniam* intuitu Archi-Epiſcoporum Colonienſis et Moguntini obſervant MASCOV. *de origin. offic. Aulic. S. R. I. §. 14. Chron. Gottwic. T. I. L. II. C. 13.* et alii apud HAEBERLIN *Tom. 2. p. 218.* Peculiare eſt, quod ex *Ludewigio* notatur in eadem Hiſtor. *Tom. 1. f. 191.*, a *Leone IX. Hermanno Colonienſi* collatam dignitatem Archi-Cancellarii Sedis Apoſtolicae, atque exinde enatam videri praerogativam Archi-Cancellarii per Italiam, quae quidem conjectura mihi ſat probabilis non videtur. In propriis Diplomatis Moguntinis ſub *Sigefrido III.* praeter titulum Archi-Epiſcopi jungi illum Archi-Cancellarii caepiſſe inquit *L. B. de* GUDENUS *Cod. Diplom. Tom. 1. p. 550.*

Ad ejusdem Cap. §. 13. Quid circa Cancellariam Judicii Imperialis Aulici praecipue ab Anno 1711. a Moguntino adhuc deſideratum fuerit, vide apud MOSER *Tract.* Von dem Römiſchen Kayſer ꝛc. f. 522. Transactionem quoque eodem an. 1711. initam habet in ſeinem teutſchen Staats-Recht *Tom. 6. p. 388.*

XII.

HENRICI GRELL, Treviri
AUT POTIUS
GEORGII CHRISTOPHORI NELLER, U. J. D.
SS. Can. in Univ. Trevir. Prof. Publ. Ord. &c.

HERMENIA INAUGURALIS
IN MAGNI BALDUINI TREVIRENSIS DOCUMENTUM ANECDOTUM
DE
JURE SUCCEDANEO CORONANDI
ARCHI-EPISCOPO TREVIRENSI
QUA BELGII GERMANIAEQUE PRIMATI VINDICATO

Treviris 1751.

§. I.

Archiepiſcopos & Electores Trevirenſes concurriſſe olim, & etiamnum concurrere ad ritum Coronationis Regiæ Germanicæ, non *aſſiſtendo* nude, ſed *cooperando*, convincimur documentis, & experientia. *)

*) Coronatio OTTONIS M. teſte DITMARO *lib.* 2. *Annal. pag.* 331. peracta eſt *auxilio Trevirenſis*; OTTONIS III. teſte Ottone Friſingenſi *lib.* 7. *cap.* 22. cooperante Trevirenſi: MATHILDIS Regina, HENRICI V. conjux auguſta, conſecrabatur Moguntiæ ab Archi-Epiſcopo Colonienſi, *aſſiſtente præcipue Archiepiſcopo Trevirenſi, qui eam, dum conſecraretur, inter ſua brachia reverenter tenuit*, teſte WILHELMO GEMMETICENSI, *lib.* 7. *hiſtor. Normann. cap.* 11. *pag.* 297. WILHELMO Hollando Trevirenſis ſuperimpoſuit manus, referente JOAN. DE BECKA *in Chron. Ultraject. pag.* 78. Functiones Eminentiſſimi Domini noſtri FRANCISCI GEORGII exponunt Diarium Electionis, & MOSERUS im Chur-Trieriſchen Staats-Recht.

§. II.

§. II.

Altefatos Electores non esse a jure *Coronandi Regem* PRINCIPALITER, seu consecratorem agendi, ne hodie quidem, penitus exclusos, persuadere conatus est non ita pridem ANONYMUS scriptor, *) cui quidem impræsentiarum pro ea, quam Principi meo subditus debeo, devotione suffragabor, nullius autem alterius jura temerabo, pro cathedra solum & schola, non pro Imperio, loquens, gratia exercitii.

*) In Differt. edita Francofurti anno 1747. *Quis Archiepiscopo Electore, ad quem Regis nostri unctio de jure spectat, imparato, vel renitente, functionem obeat?*

§. III.

Non intendo autem repetere ejusdem sive asserta, sive argumenta: Sed, cum Author in fine dissertationis §. 31. adduxerit ex immortali BROWERO nostro casum observatione prorsus dignum, qui, dum Aquisgrani coronandus erat LUDOVICUS IV., contigit, atque aliter, quam ex tabulis Trevirensibus non constat; *) lectoris tamen fami non præstiterit satis, illud pro modulo meo, tremente licet calamo, ausim complere.

*) Ante BROWERUM neminem legi hactenus sive coævum, sive posteriorem LUDOVICO, qui rem sane singularem, & omni attentione dignam, memoriæ publicæ prodiderit: merebaturque instrumentum, ea de re conceptum, ut in publicum produceretur, quod ille facere prætermisit.

§. IV.

Manum conanti porrigit Illustrissimus & Reverendissimus D HONTHEMIUS noster in sua historia diplomatica Trevirensi, nuper, erudito applaudente orbe, post diutilam desideriorum impatientiam, denique feliciter visa, in cujus *Tom. II. pag. 95.* sub anno 1315. die 9. Maji, prostat instrumentum illud, quod BROWERO licuit usurpare. *)

*) Literam ejus instrumenti hic dabo integram; gratum utique facturus iis, qui volumen pretiosum non habent, tabulis tamen non inspectis æstimare nolent causam: Neque vero eam commentabor in partibus tantum substantialibus, sed hinc inde historico obelisco illustrabo etiam in obviis.

§. V.

Tabularum tenor est sequens. *Nos Gerardus Juliacensis* *) *Joannes de Spanheim, Dominus de Starckenburg,* **) *Comites,* ***) *Henricus de Spanheim, Præpositus Aquensis,* ****) *Theodoricus de Isenburg, Dominus de Arensels,* *****) *Egidius Dominus de Rodemachra,* ******) *Joannes de Brunsborn,* *******) *& Gyso Dominus de Molsberg,* ********)

* Frater

*) Frater Walrami Archiepiſcopi Colonienſis, Pater Wilhelmi Juliacenſis, confœderatus Balduino Trevirenſi, & Petro Moguntino jam ante electionem Ludovici contra Henricum Colonienſem, qui propterea acceſſum non tutum cauſatus, procuratorem misit Francofurtum. FUGGER *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 15.

**) De quo cive Trevirenſi facto occurrit charta d. d. 18. Novemb. 1305. Idem egit in conſtitutione feudi Dagſthul teſtem an. 1310. Ejus conjux Loretta, ipſo peregre abſente, ſeſe doloſa magni Balduini captivitate celebrem reddidit, de qua HONTH. *Tom. cit. pag.* 202. Caſtrum Starckenburg non eſt illud ipſum, quod ex prærupto monte incubat ſubſtrato oppido Trarbach, ad Moſellæ deſcendentis ripam dextram, anno 1734. a Gallo milite vaſtatum; Sed erat ſitum media quaſi hora infra Trarbacum in altioris jugo montis: hodie pagus hujus nominis tantum ſupereſt, cujus anteriores ædiculæ cernuntur a præternavigantibus. Dominium hoc Spanheimenſe pro indiviſo tenent, ac junctim regunt Sereniſſimi, Dux Birckenfeldius, & Marchio Baden-Badenſis.

***) Spanheim hodieque Comitatus eſt, Julia vero anno 1359. evaſit, augente Carolo IV. in comitiis Metenſibus, Ducatus: teſte HORNO *in orbe Polit, pag.* 72. In Honthemianis prima charta, in qua Juliacenſis vocatur Dux, adeſt ad an. 1372.

****) Videtur fuiſſe frater Joannis a Spanheim: legitur apud HONTHEMIUM miſſus a Comitiſſa Loretta, de qua ſuperius, ad Balduinum.

*****) Ramus iſte gentis Iſenburgicæ, quæ dominia hujus nominis inferiora poſſedit, exaruit anno 1664. plurimis feudis ad Carolum Caſparum Archiep. Trevir. reverſis. Caſtrum Arenfels una cum pago Hünningen, cui ex monte vicino advigilat, modo eſt Excellentiſſimi Domini Comitis de Petra, nexu clientelari, & ſalva Domino directo ſuperioritate territoriali. *Hiſtor. diplom. Tom.* 3. *pag.* 12.

******) Antiquiſſimæ ceræ proſapia, nomen ſortita a caſtro Rodemacheren, olim Ducatus Luxemburgici, nunc ditionis gallicæ. Honthemiana monumenta ſparſim meminerunt hujus familiæ ab an. 1194. usque ad an. 1406. Videtur interiiſſe an. 1417. rebellionis cauſa. *Allgemeines Lexicon* Tom. 1. lit. R.

*******) Vetuſtiſſimi pariter ſanguinis nobile ſuperſtes nomen, quod in Honthemianis ſeſe offert conſpectui ab anno 1158. usque ad an. 1333. ZANTFLIET men init ad an. 1312. Walteri de Brunshorn Can. Leodienſ. nobilis viri in ſeditione occiſi.

********) Iterum illuſtris militari cingulo familia. Caſtrum Molsberg fuit unum de inſignioribus in pago Loganæ, ſic, ut ejus poſſeſſores vocarentur gratioſi Domicellares: gnädige Jünckr, quod nomen inferiori nobilitati non dabatur. Vide HONTHEM. Tom. 3. pag. 1027. Modo pertinet ad Illuſtriſſimam familiam de Walderdorff.

§. VI.

Præſentibus profitemur, & conſtare volumus univerſis, quod nuper *) *imminentibus*

*tibus coronatione & unctione de Sereniſſimo Principe Domino Ludovico, Dei gratia in Regem Romanorum electo, **) in regali civitate Aquenſi, ***) abſente tunc Archiepiſcopo Colonienſi, ****) facienda.*

*) Nempe die 25. Novemb. an. 1314. in feſto S. Catharinæ Virg. STERO ad an. 1314. ADLZREITER *Annal. Boicor.* part. 1. lib. 1. num. 14. quem male correxit STRUV. *in Corp. hiſtor. German. Period.* 9. *ſect.* 5. §. 5. *not.* 26.

**) In gravi diſcordia: Nam Moguntinus, Trevirenſis, Joannes Bohemiæ Rex, Joannes Saxo, Woldemarus Brandenburgicus, Francofurti die 20. Octobris eligebant Ludovicum. Henricus Colonienſis, Rudolphus Palatinus Ludovici frater, Rudolphus Saxo, Henricus Carinthiæ Dux &c. Saxenhuſii creabant Fridericum Pulchrum Auſtriacum. Vide ALBERT. KRANTZ *Saxon. lib.* 9. *cap.* 8. ubi narrat, quam HAHNIUS part. 5. der Kayſer Hiſtorie fabellam dicit, de vindice legati. Nicolai Bock, fines mandati prævaricantis, Woldemaro.

***) Aquisgranum civitas Regalis dicitur a ſede regia, quam fixit ibi Carolus M., quare de ſtylo Cancellariæ & ſe inſcribit, & ab Imperatore ipſo inſcribitur des heil. Reichs Stuhl und Statt Aachen. Coronationi deſtinata eſt inde ab Ottone M., primum more, dein jure per auream bullam. Omnium poſtremus coronabatur Aquis Ferdinandus I. Urbs ſibi reverſalibus Collegii Electoralis de non præjudicando conſulere ſolet.

****) Erat is Henricus a Virnenburg, Caput adverſæ factionis, qui, cum Ludovicus anteoccupaſſet Aquisgranum, Bonnæ coronavit Fridericum, pari cæremonia, ſed diſpari celebritate, ut ait Gallia Chriſtiana *Tom.* 3. *pag.* 697. *Edit. nov.* Extitit ergo tunc caſus ſchismatis & renitentiæ.

§. VII.

Venientibus ſimul, prædicto Principe, ac Venerabilibus Patribus, Dominis, BALDEWINO *) *Sanctæ Trevirenſis Eccleſiæ,* **) *ac* PETRO ***) *Sedis Moguntinæ, Archiepiſcopis, ac eisdem Archiepiſcopis pro jure coronationis & unctionis, aliisque, quæ circa hoc exhiberi conſueta ſunt, invicem altricantibus,* ****)

*) Comite Lützelburgico, fratre Henrici VII. Imp., prærogativarum ac jurium ſuæ cathedræ acerrimo vindice, & annotatore in codicibus providentiſſimo. Primo loco hic a teſtibus nominatur Balduinus, non utique caſu, ſed ſtudio: ex quo arguo, proëdriam a Trevirenſi non fuiſſe ceſſam Moguntino, ut ut foret Archi-Cancellariorum in ordine primus. Equidem Aurea Bulla variis in locis ſuper ſeſſione, ac proceſſione Trevirenſis diſponit; verum, præclare advertit expertiſſimus rerum noſtrarum MOSERUS *lib. cit. cap.* 5. §. 3. *& ſeqq.* per hoc non eſſe deciſam inveteratam quæſtionem, ſed aliquale duntaxat inventum medium, ut ut mirabile & exoticum, ne lis perpetua conventus electorales aut impediret, aut occuparet.

**) Conſulto appoſitum videtur eſſe epitheton *Sanctæ*: cum ſit antiquiſſima vox & inſcriptio: *Sancta Treviris*: Videantur teſtimonia apud MOSERUM *loc. cit.* cap. 1. §. 15. ubi citat in ſpecie S. HILARIUM Pictav., qui floruit ſub Imp.

Conſtantio, nec non THOMAM CANTIPRATENSEM, qui fere 500. abhinc annis ſic ſcripſit: QUATUOR *Eccleſiæ inter Cathedrales* SANCTÆ *ſpeciali uſu dignitatis & ſcribi ſolent & dici, ut Sancta Romana Eccleſia, Sancta Hieroſolymitana*, SANCTA TREVIRENSIS, *& Sancta Colonienſis.* Atque hunc titulum attribuere Imperatores & Reges, ut docet diploma Ludovici IV. de anno 1332., Caroli IV. de anno 1376. nec non Joannis Bohemiæ Regis de anno 1313. Sæculo proxime ſuperiore PHILIPPUM CHRISTOPHORUM adhuc uſum fuiſſe titulis: *Sanctæ Eccleſiæ, & Sanctæ Sedis Trevericæ*, legitur in fronte Breviarii ab ipſo editi. Hodie vix adhibentur: Utitur vero conſtanter adhuc Moguntinus titulo: *Sanctæ Sedis*, quem jamjam Balduino coævum reperio in literis convocatoriis Petri Moguntini de anno 1314. apud Honthemium, ubi quoque adverto, Moguntinum ſimiliter ſuæ ſedi apponere τὸ *Sanctæ*, Trevirenſi autem non tribuere.

***) Prole Trevirenſi, in hac metropoli loco humili nata, cognomine Aichſpalter; hic medicus erat Henrici Lutzelburgici, qui poſtea Imperator: a Nicolao IV. P. M. denominatus anno 1288. Eccleſiæ Trevirenſis Præpoſitus, ignobilitatis obmoto repagulo poſſeſſionem adire non potuit: Baſileenſem tamen infulam eſt nactus, & denique Moguntinam mitram in proemium erepti a gravi morbo Pontificis. Epitaphium ejus lege apud BROWERUM *lib. XVII. Annal. Trev. num.* 60.

****) Diſceptatio antehac nulla legitur ſuper coronationis regiæ jure inter Moguntinum, & Trevirenſem. Cum Colonienſi contendit Trevirenſis, dum conſecrandus erat Otto M. Aquisgrani, narrante WITIKINDO lib. II. pag. 642. *Cum quæſtio eſſet Pontificum in conſecrando Rege, Trevirenſis videlicet, & Coloniæ Agrippinæ.* Tunc autem non fuit deciſa controverſia, ſed *ceſſit uterque Hildeberti Moguntini cunctis notæ Almitati*, id eſt, authoritati, ex fama ſanctimoniæ comparatæ; itaque de ſuo addidit BROWERUS lib. IX. num. 86. aliud motivum deferendi Moguntino hunc honorem in verbis: *qui jam inde a S. Bonifacii tempore primus Metropolitarum Germaniæ cenſebatur*: nam, ſi hæc ratio tunc ſubfuiſſet, lis ab initio non fuiſſet inter duos tantum, nempe Colonienſem & Trevirenſem, orta, ſed inter tres, & Trevirenſis multo minus ceſſiſſet Moguntino, ſi hic prætendiſſet coronationem ex jure primatus.

§. VIII.

Domino Moguntino SIMPLICITER*) *aſſerente, jus coronandi, inungendi, ac officium, & ea, quæ circa hæc exhiberi conſueta ſunt, exercendi, ſibi & Eccleſiæ ſuæ competere, ac OFFERENTE, SE PRÆMISSA PLENE PROBATURUM.* **

*) Adeoque contra quemcunque alium prætendentem, in omni caſu & loco, etiam in aliena provincia (veluti Aquisgrani, quod Diœceſis Leodienſis eſt, Provinciæ Colonienſis) ſive Archiepiſcopus Colonienſis abſens fuerit, ſive præſens. Magna ſane petitio, & regulis antiquiſſimis canonicis, quæ tunc in vigore ſuo erant, parum conſonans: Per has enim non licuit Pontificalia exercere in aliena Diœceſi. *Can.* 3. 6. 8. 9. *IX. q.* 2. Idipſum legitur Mogunti-

guntinus prætendiſſe in coronatione Henrici IV. apud LAMBERTUM SCHAFNABURGENSEM *ad A. C.* 1054. *pag.* 710. *Imperatoris filius conſecratus eſt in Regem Aquisgrani ab Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo, vix & ægre ſuper hoc impetrato conſenſu Luipoldi Archiepiſcopi, ad quem propter primatum Moguntinæ Sedis conſecratio Regis, & catera negotiorum Regni diſpoſitio potiſſimum pertinebat. Sed Imperator potius Herimanno Archiepiſcopo hoc privilegium vendicabat, propter claritatem generis ejus, & quia intra Diœceſin ipſius conſecratio hæc celebranda contigiſſet*: ex quibus ultimis apparet, triumphaſſe Colonienſem intuitu SS. Canonum; conſequenter hermeniam meam in decurſu non erraturam, ſi ex principiis canonicis jus ſuccedaneum Trevirenſe derivaverit.

**) Quod omnino fuerat neceſſarium, utpote anomalum quid & irregulare: Ex qua probationis obligatione colligo, neque retro-peractos a Moguntino coronationum actus, neque *Archi-Cancellariatus* tunc dictum *Primatum*, qui nunc *Decanatus* Collegii Electoralis audit, viſum fuiſſe probationem plenam, *in continenti paratam*, atque concludentem: nam hæc omnia erant notoria in Imperio. Ex altera parte, cum BALDUINUS neque ſe obtulerit ad probandum, neque probationis onus ei ſit adjudicatum, recte infertur, illius intentionem pro fundata habitam fuiſſe.

§. IX.

Domino autem Trevirenſi aſſerente, ſibi & Eccleſiæ ſuæ prædicta ita demum competere, SI COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM ABESSE CONTINGAT, *) *qui tunc aberat.*

*) Ergo tantum *jure quodam ſuccedaneo*, in locum Colonienſis impediti, vel renitentis. Quod ipſum argumento eſt, Archiepiſcopos Trevirenſes deſtitiſſe a prætenſione Ruotberti, olim formata in coronatione Ottonis M., ad ſimpliciter coronandum, etiam coram Colonienſi: Prima tunc erat in Germania coronatio peragenda, quare non mirum, quod inſurgeret quæſtio circa perſonam coronantis Pontificis: Trevirenſis obtendebat antiquitatem ſuæ Sedis: *illius, quia antiquior ſedes eſſet, & tanquam a B. Petro Apoſtolo fundata*, ait Witikindus: potius credit HAHNIUS, id factum eſſe, *jure Primatus*, quem Trevirenſis habuit per antiquum Lotharingiæ Regnum, quo pertinuit Aquisgranum, cujus primatus intuitu nemo diſputavit illi jus coronandi Reges Lotharingicos, uti colligitur aperte ex HINCMARO *Tom. I. oper. in deſcript. coronat. Caroli Calvi cap.* 1. & 3. Colonienſis econtra ſe fundavit in principiis juris canonici: *iſtius vero, quia ad ejus Diœceſin*, id eſt, provinciam, *pertineret locus*: Tunc temporis neuter conceſſit; ſed Moguntinus velut tertius gaudens, anguſtam functionem obiit. Ratio tamen canonica vicit pro Colonienſi Metropolita, & Trevirenſes abſtinuere prorſus a tali prætenſione, ſalvo duntaxat jure ſupplendi abſentiam Colonienſis.

§. X.

Tandem inter eos habita deliberatione diligenti, nobis ibidem præſentibus, *) *ad*

hoc ſpecialiter vocatis & togatis, iidem Archiepiſcopi ſuper hujuscemodi diſſenſione in prædictum Sereniſſimum Electum ſuo & Eccleſiarum ſuarum nomine compromiſerunt, **) *promittentes, ejus arbitrium ſe ſuper hoc inviolabiliter ſervaturos.*

*) Itaque deſcripti Comites & Nobiles erant meri teſtes, non arbitri compromiſſarii; ſed hic erat ſolus coronandus LUDOVICUS: proinde non prorſus exacte narravit facti ſpeciem noſter BROWERUS, dum ſic tradit: *delecti ex utroque ordine arbitri, Gerardus Juliacenſis &c. qui interpoſita fide rem Principis judicio permiſere.* Sicut illud quoque non ſatis correſpondet autographo, quod præmiſit: *Neque inauguratio diſceptatione caruit, utri coronandi munus Proceres deferendum putarent.* Sane Procerum Imperii non erat, deferre uni Archiepiſcoporum munus coronandi præ alio. Verum hæc in tanto ſole macula ſæpius, advertente HONTHEMIO, occurrit, quod originalia non ſatis aſſecutus ſit judicio, aut ſaltem premente non fuerit complexus oratione.

**) Inquit hic nonnemo: Qua juris ratione valere potuit compromiſſum utriuſque Prælati nomine Eccleſiarum ſuarum abſque ſolemnitatibus? ℟. Compromiſerunt, non temere, ſed *habita deliberatione diligenti*, ſuper re dubia, nec fixo jure Eccleſiis ſuis unquam adſcripta, in caſu, qui moram non patiebatur, in arbitrum, qui abſque eo judex fuiſſet, quibus ſaltem in circumſtantiis ſubſcribo Patri SCHMIER *Tract. de judic. Cap.* 8. *num.* 31. contra P. SCHMALTZGRUBER *ad tit. de arbit. num.* 8.

§. XI.

Prædictus autem Electus, habito conſilio diligenti ſuper diſſenſione ante dicta, arbitratus fuit in hunc modum: videlicet, quod Moguntinus Archiepiſcopus EA VICE INSTANTI ipſum Electum coronaret, & inungeret, ac officium, & ea, quæ circa hoc conſueta ſunt adhiberi, exerceret; *)

*) Quæ potuit eſſe ratio hujuſce laudi regalis? Si jus ſtetit pro Trevirenſi in tantum, ut relevaretur etiam ab onere probandi, eccur illi non fuit delata functio? Cur admittitur alius, qui nondum probavit, jus ſibi competere? ℟. Deciſio Regalis, quantum conjectura licet aſſequi, videtur nixa fuiſſe tum aliquali, ut ut imperfecta, Moguntini juris probatione, tum aliquot actibus conſecratoriis, ab eo extra & intra provinciam Colonienſem hactenus exercitis, quo factum, ut, cum Trevirenſis nullam adhuc coronationem principaliter peregiſſet, imo etiam a ſua prætenſione, quam Ruotbertus formaverat olim, ultro deceſſiſſet, potior extiterit cauſa poſſeſſionis, ſaltem inſtantaneæ, pro Moguntino. Fortaſſis ratio acceſſit politica, nimirum, ne, ſi Conſecrator alias inuſitatus adhiberetur, dica illegitimi Conſecratoris contentioſe injiceretur, quam diu poſt vivens KRANTZ. *lib.* 9. *Saxon. cap.* 8. ſcripſit Ludovico: *Ludovicus ſatis omnia pro Rege gerebat, etſi nullam ab Archiepiſcopo Colonienſi, qui primam Aquisgrani in ſua provincia coronam dare ſolet pro ſuo jure, ſuſcepiſſet conſecrationem, aut benedictionem.* Si talia obmovebantur Moguntino, qui tamen coronaverat olim Aquisgrani Ottones M. & III. alibi vero alios, quanto magis oppoſita fuiſſent Trevirenſi, qui nullum

lum Germanorum Regem hactenus unxerat? Pro ſua itaque prudentia Ludovicus ea vice inſtanti pronunciavit, Balduinus laudo ſapientiſſime acquievit. quanquam enim præcelleret hic jure, alter tamen Archiepiſcopus prævaluit poſſeſſione.

§. XII.

His pactis, modis, & conditionibus, quod idem Moguntinus infra menſem, feſtum Nativitatis Domini, tunc proxime venturum, nunc vero proxime præteritum, continuo ſequentem, vocato ad hoc ſpecialiter Domino Trevirenſi per eundem Dominum Moguntinum inter Bacharacum & Weſaliam, ſibi & Eccleſiæ ſuæ jus prædictum competere, PLENE PROBARE DEBERET. *)

*) Cur injungitur poſſeſſori vel quaſi probatio? Cur non injungitur ea ſaltem utrique competenti, ut, qui melius probaverit, ejus nomine cenſenda ſit peracta coronatio? R. Moguntinus non fuit ultimus poſſeſſor, neque conſtans ac perpetuus, ejus juris, quod tunc poſtulabat, ſcilicet, *ſimpliciter coronandi*: cum Colonienſis coronaſſet immediatum prædeceſſorem LUDOVICO HENRICUM VII. Balduini noſtri fratrem, & ante illum OTTONES II. & IV. HENRICI III. IV. & VI. MATHILDEM reginam, Henrici V. conjugem, idque in ipſa urbe Moguntina, LOTHARIUM II., FRIDERICUM I., GUILLELMUM Hollandum, RICHARDUM, RUDOLPHUM I., ADOLPHUM, & ALBERTUM I. Hinc illa Moguntini poſſeſſio non erat tanti momenti, ut liberaret eum a probatione aſſerti, cui repugnabant plures actus poſſeſſorii, & regulæ canonicæ, ne Metropolita extra ſuam provinciam exerceat Pontificalia. Conformis videtur hæc Ludovici deciſio decretali Gregorii IX. in *Cap.* 50. *de elect.* in quo Capeliani prætendebant una cum Canonicis eligere Epiſcopum: allegabant etiam nonnullos actus, ſed Papa reſcripſit: *Etſi Capellani duabus electionibus interfuerint, & inquiſita fuiſſent eorum vota, & ipſi aliquos elegiſſent, per hoc tamen non conſtitit, id eis de jure competere, vel ex conſuetudine jam præſcripta.* Quod vero nulla penitus probatio injuncta fuerit Trevirenſi, inde poterat eſſe: Trevirenſis ſolummodo & unice petiit ſupplere negligentiam Metropolitæ, ſub Primatu ſuo conſtituti, quod, cum ſacris canonibus eſſet prorſus conforme, non potuit Moguntinus negare intentionem Trevirenſis, nec prætendere, ut ipſe negligentiam Colonienſis ſuppleret: debuit itaque aſſertum aliud afferre, nimirum, ſibi, non quidem poſt Colonienſem, ſed *præ Colonienſi, & ſimpliciter* coronandi jus deberi. Talia vero affirmanti quis non videat incumbere onus probandi? cum non tam affirmaret contra Trevirenſem, quam contra Colonienſem, qui notorie fuerat in poſſeſſione noviſſima quieta.

§. XIII.

Quodſi in probatione præmiſſorum deficeret, *) *tunc coronationem, inunctionem, & officium, quæ facienda imminebant circa perſonam ejusdem Electi, NOMINE DOMINI TREVIRENSIS & Eccleſiæ ejus, & PRO IPSO FECISSET,* **) *& exhibuiſſet, ac idem Moguntinus jus prædictum competere domino Trevirenſi, &*

*ejus Eccleſia, PROUT AB EO PETITUM EXTITERAT, ***) recognoſcere debebat; ſuper quibus idem Electus & Moguntinus ſuas literas dare promiſerunt.*

*) Non poterat autem non deficere, qui allegavit nimium: prout defeciſſe illum arguit Aurea Bulla Caroli IV. ſubinſecuta, ubi prorſus nulla Moguntini facta mentione jus coronandi *ſimpliciter* tribuitur Colonienſi: *Cui competit dignitas, nec non officium. Romano Regi primum diadema regium imponendi.* A. B. cap. 4. §. 4.

**) Hæc ſequela eſt proniſſima in hypotheſi deficientis probationis Moguntinæ. Nam ſi Moguntinus non coronare debuit *jure ſuo, ſimpliciter & præ Colonienſi*, mox fluit: ergo nec in abſentia ejus præ Trevirenſi potuit ſupplere, cum nullus ei ad hoc titulus, nulla poſſeſſio ſuffragaretur: Econtra bene ſequitur: Colonienſis eſt coronare: Colonienſis abeſt: ergo alius loco ejus coronabit: quis ille? ſecundum ſacras regulas, qui ſupplet negligentiam: ſupplet vero reſpectu Metropolitarum ſuorum Primas. Moguntinus autem nunquam gaudebat Primatu, cujus ambitus complectebatur Aquisgranum, ſi tum in Diœceſi Leodienſi: bene vero ac notorie Trevirenſis, Primas Belgicæ Provinciæ, vel ipſo teſtante Gratiani decreto *Can.* 10. *XI. q.* 3. Hiſtoria hujus canonis legatur apud REGINONEM Prumienſem *in Chronico lib.* 2. ad *A. C.* 864. ubi infelix THEUTGAUDUS Trevirenſis contra Thietbergam Reginam habuit duas Synodos primatiales, aſſiſtente ſemper Archiepiſcopo Colonienſi GUNTHERIO, primam METIS, alteram AQUIS, manifeſto ſigno, Primatum Provinciæ Belgicæ comprehendiſſe Aquisgranum, quia Coloniam ipſam.

***) Acceptavit igitur Moguntinus hanc juſtam conditionem, ſicque laudum regium homologavit verbo, & facto, poſtea coronando: id quod ſtrenuus, & ſumma pollens authoritate Balduinus tuliſſet neutiquam, niſi conſenſiſſet Petrus Moguntinus, tunc demum ſe coronaturum nomine Trevirenſis, cum probando defecerit.

§. XIV.

*Probationes autem nullas *) infra menſem prædictum ſuper præmiſſis a præfato Archiepiſcopo fore exhibitas æſtimamus; cum nunquam ſcivimus, aut audivimus, præfatum dominum Trevirenſem ad hoc fuiſſe vocatum, **) nec aliquas probationes ſuper præmiſſis ab ipſo domino Moguntino productas extitiſſe. ***)*

*) Docuit hoc ſubſequens ætas cum aurea bulla: & unde jus probaſſet Moguntinus, excluſo Colonienſi, regem coronandi Aquisgrani? non militabat pro eo antiqua & approbata conſuetudo: non Primatus *Apoſtolicus*, ſeu *hierarchicus:* hunc enim alteri cuipiam, quam S. BONIFACIO, Moguntinorum Archiepiſcoporum datum eſſe, cum perſona non exſpiraſſe, ſed perpetuo Sanctæ Sedi Moguntinæ adhæſiſſe, nemo demonſtrabit, nemo deſignabit ullum in Germania Metropolitam, qui Primatui Moguntino ſubfuerit, nemo dicet, Colonienſem ei paruiſſe: non denique Primatus ille *nationalis & politicus*, quem priſci Scriptores per modum aliquem loquendi communem, ac minus proprie canonicum Moguntino Archipræſuli tribuunt, natum ex *Archi-*

chi-Cancellariatu generali totius Imperii, inde ab OTTONE M. per Moguntinos Archiepiſcopos ſerie non interrupta geſto, donec de pallio S. MARTINI primum Colonienſis acceperit avulſum Archi-Cancellariatum Italiæ, dein paulo ſerius Trevirenſis Archi-Cancellariatum Galliæ, Regnique Arelatenſis: iſte, inquam *politicus ex Archi-Cancellariatu Primatus*, ſicut tribuebat primas partes Moguntino in negotiis Imperii ſæcularibus, e. g. electionis, & collegii electoralis; ita non potuit tribuere munus conſecrandi Regem, quod ſpirituale ſemper habitum eſt, & ſecundum regulas Eccleſiaſticas ab extraneo Metropolita, cui locus coronationis haud erat ſubditus, peragi nequaquam potuit.

**) Teſtes hos, Brunshornium præcipue, Iſenburgium, Rodemacheranum, & Molsbergenſem, ne dicas, eſſe negativos negativa facti, proinde minus idoneos; nam fuerant Miniſtri, & de aula Trevirenſi, quibus non poterat non innoteſcere, ſiquam invitationem, modo condicto, Balduinus, aut ejus Cancellaria a Moguntino accepiſſet.

***) Poſtquam igitur a termino fatali, acceptato, & infructuoſe lapſo, alii tres menſes ipſi & integri abierant: concluſio per ſe reſultat: nempe, non modo actum illum coronationis Ludovicianæ, quem Moguntinus Aquisgrani abſente per ſchiſma Colonienſi peregit, Balduino Trevirenſi, ejuſque eminentiſſimis ſucceſſoribus nullo modo præjudicaſſe, ſed etiam prodeſſe, cum *vicario* ſeu *mandatario* Trevirenſis Electoris *nomine* Petrus Moguntinus conſecraverit, ſicque in ſenſu proprie juridico pro Trevirenſi hic inveniatur actus poſſeſſionis, adeo quidem, ut Chronicum Cornelii ZANTFLIET tradat: *Ludovicus Bavarus ab Archiepiſcopo TREVIRENSI in Urbe Aquenſi cuncta, quæ ad Alemanniæ Regnum ſuſcipiendum ſpectabant, nullo contradicente pro tunc ſuſcepit.* Apud Martene Tom. V. fol. 169. Conſentit ADLZREITTER Annal. Boic. Gent. lib. 1. part. 2. fol. 7. *Ludovicus ab Archiepiſcopo TREVIRENSI prima Cæſarum inſignia accepit.*

§. XV.

*Præmiſſis autem omnibus & ſingulis nos interfuiſſe recognoſcimus per præſentes. In quorum teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda. Datum Siberch *) Colonienſis Diœceſis die 9. Maji Anno Domini 1315.*

*) SIEGBERCH, oppidum Ducatus Montium, ubi celebre monaſterium Ord. S. Benedicti, nobiles duntaxat admittens. Abſente tunc belli cauſa Balduino, qui nihilominus curavit hoc documentum ſalvatorium erigi.

§. XVI.

Ex quibus deductis confido, nunc ſenſum inſtrumenti hujus Trevirenſis, quod per eruditam Germaniam celebrari merebatur, cuivis apertum, nemini vero, qui præcepta opinione alternativæ Colonienſis & Moguntinæ male intellectæ non laborat, dubium fore, quin Primas provinciæ Belgicæ, atque (ut loquar

loquar cum *can. 1. dist. 99.*) *in capite provinciarum, ubi dudum Primates legis saeculi erant*, constitutus Praesul Trevirensis, intra sui Primatus Apostolici & canonici fines *), quocunque consecratore Caesaris immediato absente vel deficiente, succedat in coronationis & unctionis honore.

*) Quinam sint illi, facem praeferente HONTHEMIO, disertius exponet A. R. & Clariss. Dom. a STEINHAUSEN, meus in hac pugna academica commilito, in bravio doctorali collega. Quid jure consimili extra provinciam Apostolatus sui exercere hoc in negotio possit, non est hujus meae indaginis, ut qui solummodo literae documenti nostri Trevirensis inservio.

§. XVII.

Unum nequeo pro coronide non rursus inculcare, me Trevirensis isthoc jus non derivare ex *Archi-Cancellariatu* Imperii *Gallo-Belgico*, *) (quae enim connexio Archi-Cancellariatus cum Sacerdotali functione?) sed ex *Primatu* Galliae Belgicae, liberum relinquendo, utrum quis Aquisgranum accensere velit Galliae Belgicae, an vero Germaniae secundae: in idem enim, quantum ad rem nostram recidet; cum utriusque Primatem, Bullae Apostolicae, & Imperatorum Diploma enuncient Trevirensem.

*) Bene monet Illustrissimus HONTHEMIUS in notis ad hoc documentum, hodiernos Publicistas dubitare, an Trevirensis Archi-Cancellariatus unquam complexus sit Aquisgranum? Vid. MALINCKROT *de Archi-Cancell. circa fin. primae partis edit. Wenckerianae pag. m.* 289. Unde vix est, ut Trevirensis opposuerit Archi-Cancellariatui Moguntino suum, cum ille hoc notorie extiterit multo antiquior, nec fuerit exercitio in urbe Aquisgranensi destitutus. *Diplom.* OTTONIS III. apud HONTHEIM. *Tom.* I. *pag.* 337. Et sic potius Trevirensis probare debuisset, quam Moguntinus: Ne dicam, si finium praecipua quaestio fuisset, illud disertius in documento significatum fore. Oportuisset praeterea plus peti a Balduino, quam reipsa petitum fuerat, & tantum, quantum petiit Moguntinus, videlicet, jus *simpliciter* coronandi, prae quovis alio Collega.

§. XVIII.

Alterum est, ut Anonymi dissertationi §. 7. succurram explicatione brevi: tradit nempe, in coronatione OTTONIS III., abstinente Colonienſi, non a Trevirensi, sed a Legato Pontificio, & WILLIGISO Moguntino peractam esse solemnitatem, salvat autem neglectum juris per hoc, quod EGBERTUS Trevirensis abesset: id quod data opera factum esse, eruit HONTHEMIUS appositе ex invectiva ADALBERONIS Rhemensis, quam exhibet Tom. I. pag. 324.

*) Hæc

*) Hæc inquit, invectiva indicat. EGBERTUM ſtetiſſe a partibus HENRICI Bavari, (cognomento *bellicoſi*) cui etiam favebant Waringus Colonienſis, & Poppo Trajectenſis; cum ex contrario pro Ottone adhuc puero eſſent Willegiſus Moguntinus, Notgerus Leodienſis, Adalbero Rhemenſis. Unde non mirum, quod neque Colonienſis, neque Trevirenſis actui voluerint cooperari.

§. XIX.

Tertio, ſcrupulum ciere poſſet Coronatio CONRADI III. cui Trevirenſis ADALBERO una cum Colonienſi, nondum palliato, *) cooperatus eſt, ungente THEODEVINO Cardinale, qua S. Sedis Apoſtolicæ Legato: ſed Primatus Trevirenſis ſic fuit datus a Ss. Pontificibus, ut Legatis horum cedere debuerit. **)

*) Quatenus pallii defectus Colonienſi obſiſtat, quo minus coronet Regem noſtrum, idem Anonymus examinavit in alia ſuccincta diſſertatione, Francofurti 1746. primum excuſa, paulo poſt litteris Helleri Jenæ recuſa; quocum tamen ſentire hæſito ex ratione forti, quod neque Papa, neque Metropolitæ Germani ſint unquam admiſſuri quemquam ad actum coronationis, niſi qui gerere ſe poſſit ſaltem pro Metropolita & Archiepiſcopo; is vero, qui pallio caret, licet aliunde haberet ordinem Epiſcopatus, per ſacros tamen canones nequidem nomen Archiepiſcopi aſſumere valeret. *Cap.* 3. *de auth. & uſu pallii.*

**) Legatur *Tom. I. Hiſtor. diplom. Trevir.* pag. 305. Bulla Joannis XIII. de anno 969. *Trevirenſis* poſt quemlibet ordinarium Legatum Apoſtolicæ Sedis *primum inter alios Pontifices locum obtineat, Et*, ſi Miſſus Romanæ Eccleſiæ defuerit, *ſimiliter poſt Imperatorem, ſive Regem ſedendi, ſententiam edicendi, & Synodale judicium canonice promulgandi primatum habeat; utpote in illis partibus* (Galliæ & Germaniæ) *Vicarius noſtræ Sedis Apoſtolicæ merito conſtitutus.* His ſtantibus non poterat prætendere Trevirenſis vigore primatus ſui, ut ipſe defectum Colonienſis Metropolitæ, ad coronandum imparati, præſente Legato, cujus poteſtas fortior eſt, ſuppleret.

§. XX.

Demum pro eo, quo Patriæ meæ Patrem, ejusque celſiſſima jura proſequor, zelo, non poſſum non ſolemniter, (quantum homini privato licet) proteſtari contra id, quod MOSERUS ſcribit perquam ſiniſtre: *) Nam neque jus coronandi adjudicavit Ludovicus IV Moguntino, nec Aurea Bulla Caroli IV. quidquam denegavit Trevirenſi, vel Moguntino plus aliquid juris hac in parte contulit, nec denique famoſa illa Transactio Eminentiſſimorum, Moguntini & Colonienſis, de anno 1657. ullo apice attingit caſum, quem tenui hac diſſertatiuncula, ſi non erudite ſatis, ſaltem modeſte, ac pro virium exilitate propoſui.

*) Staats-Recht des Churfürſtl. Ertzſtiffts Trier. Cap. II. §. 9. Ubi primum narrat, quod Ruotbertus noſter in coronatione Ottonis M. ceſſerit demum Moguntino, quin ſubjungat ex Witikindo Corbejenſi rationem cedendi. Dein vero addit: zu Kayſer Ludwigs IV. zeiten machte der Ertzbiſchoff zu Trier abermahlen Anſpruch auf die Kayſerliche Crönung, und zwar dieſesmahl darum, weil Aachen in Gallia bellica gelegen ſeye. (Non addit deciſivam circumſtantiam abſentis Colonienſis) allein der Kayſer ſprache vor Maynz (quam parum Ludovici laudnm faverit Moguntino, vidimus) und nachhero iſt die ſache ſowohl durch die guldene Bull, als den zwiſchen Cdur Maynz und Cölln getroffenen, und in der Kayſerlichen Wahl-Capitulation beſtättigten Vertrag alſo ausgemacht worden, das Chur-Trier ſich aller Anſprache auf ſolche Crönung, oder viel mehr und eigentlich auf die Conſecration dadurch begeben hat.

I. O. H. D.

Animadverſiones Editoris.

Ad §. VI. not. ** Mirum nonnemini videri poſſet, quod hic Auctor *inter* Electores mentionem faciat duplicis Saxoniae Ducis, uti et *Henrici* Ducis Carinthiae. Sed prius exinde eſt, quod ante A. B. jus vocis electoralis nondum uni Primogenito principis item lineae proprium fuerit; quare certum eſt olim plures ex eadem domo, diverſarum item linearum Principes, ad electionem admiſſos fuiſſe, aut vocem ſaltem in eadem praetendiſſe. Rem iſtam exemplis inde ab electione *Richardi* petitis usque ad *Carolum IV.* erudite in diverſis familiis electoralibus illuſtrat HAEBERLIN *Hiſt. Tom. VIII. f. 171. ſeqq.* Noſtro hic in caſu *Johannes* et *Ericus* faventes *Ludovico IV.* erant ex domo Saxo-Lauenburgica: *Rudolphus* vero adhaerens *Friderico Auſtriaco* ex domo Saxo-Wittebergenſi. De prioribus in electione *Henrici VII.* jamdum in Decreto electionis apud LEIBNIT. *Mant. C. I. G. D. P. II. n. 49.* dicitur, dum *Waldemara* Brandeburgica vocem ſuam deferrent: *et ego Waldemarus Marchio Brandenburgenſis.... pro me et.... Ottone Marchione Brandenburgenſi patruo meo..... nec non Johannis et Erici fratrum, Ducum Saxoniae ... ſi de jure vel de conſuetudine repertum fuerit, eos fore in ipſa electione admittendos, vice, et nomine.* Patet ex his verbis uti ex iis, quae uberius habet cit. HAEBERLIN, rem hanc ſubinde variis controverſiis anſam dediſſe. In ipſa electione *Ludovici Bavari* pars Electorum eidem addicta voluit, ut antequam ad electionem procederetur, tum *Lauenburgici*, tum *Henricus Dux Carinthiae* jus ad vocem in electione prius Collegio Electorum probarent. Eo ipſo jam aevo paulatim invaluiſſe, aut pro fundamento juris eligendi ſubin adhibitum fuiſſe, id certis terris tanquam annexum habendum eſſe, uti dein *A. B. Tit. VII §. 2. Tit. XX. et XXV.* ſtabilitum fuit, videtur colligi ex verbis *Alberti Argentinenſis* apud URSTISIUM *in Script.*

Script. Rer. German. Tom. II. p. 145. ubi ait: *Erico* (Duci Saxoniae Lauenburgico) *ex ſucceſſione patris ſui, ſenioris Rodolfo Duce, jus eligendi competere dicebatur: quamvis Rodolfus* (Dux Saxo-Wittenbergenſis) *quaedam dominia, quibus Principatum annexum aſſerit, habere praetendat.* Quod *Henricum* Carinthiae Ducem concernit, ex eo titulo inter Electores *Friderici Auſtriaci* contra *Ludovicum Bavarum* occurrit, quod olim ab pluribus ex Bohemiae Ordinibus Rex electus fuerit; regno vero ab *Alberto I. Imp.* et dein ab *Henrico VII.* aut potius ejus filiis *Rudolpho* et *Johanne* depulſus nihilominus poſt *Henrici* obitum tanquam Rex Bohemiae electioni *Friderici* Auſtriaci interfuerit. Cum a potiſſima parte Ordinum Bohemiae Rex non agnoſceretur, ad electionem *Henrici VII.* vocatus non fuerat.

*Ad §. VII. not.*** Petrus* Archi-Epiſcop. Moguntin. ſec. XIV. de quo hic Auctor ait eum Treviris humili loco natum fuiſſe, inſigne nobis eſt argumentum aſſerti, quod praeter alios a Celeb. STRUBEN *in Decad. Juris et Hiſtor. German. Obſ. I.* variis exemplis usque ad ſec. XVI. productis demonſtratum fuit, nec Eccleſias Cathedrales olim, nec ipſas Infulas Germaniae in ſua fundatione atque origine ſolis Nobilibus, aut, ſi ex Stylo aevi antiquioris loqui velis, *militari* ſaltem *Miniſterialique* genere ortis deſtinatas fuiſſe. Sec. XVI. apud cit. ſcriptorem in Eccleſia Hildeſienſi occurrit *Balthaſar Mercklin* Epiſcopus ac Princeps Hildeſienſis nobili genere non prognatus. Caeterum de *Petro* noſtro haec notat WÜRDWEIN in *Subſid. Diplomat. ad ſelecta Juris Eccleſiaſt. Germaniae et Hiſtoriarum capita elucidanda 1772. Tom. I. f. 376. Petrus cognomine Aichspalter, ſubinde Raichspalt, Achzpalt, ab Asphelt, ſive Aspelt Treviris oriundus a Browero* (quod idem videtur Auctori) in *Baſilea ſacra vero Tyrolenſis patria notatur p. 253. Is antequam ad Cathedram Moguntinam eveheretur, factus eſt Praepoſitus Eccleſiae Trevirenſis et Baſilienſium Epiſcopus etc ab anno MCCCV -- MCCCXX. Archi-Epiſcopatum tenuit.* Varia deinde, geſta ejusdem illuſtrantia, a WÜRDWEINIO proferuntur documenta, quae a L. B. de GUDENUS *Tom. 2. et 3.* allatis, ſupplemento eſſe queunt: eum fuiſſe Medicum, ut inquit, Auctor, elucet quoque ex *Bulla retentionis beneficiorum Petro Praep. Trev. conceſſa l. cit. f. 377.*, quae ita incipit: *Nicolaus Epiſcopus Servus ſervorum Dei dilecto filio Magiſtro Petro dicto de Aspelt prepoſito eccleſie Treverens. Phiſico et familiari cariſſimi in Chriſto filii noſtri R. Regis Romanorum ſalutem etc. Bulla translationis* ab Epiſcopatu Baſileenſi ad Sedem Moguntinam habetur ibid. *f. 397.* Notanda vero quam maxime eſt, quae *f. 431.* occurrit Confoederatio inter *Balduinum Trevirenſem, et Petrum*, qua ſe ſub variis conditionibus invicem obſtringunt ad electionem *Ludovici Bavari* contra quemcunque tuendam, *an. 1315.* Quid enim ſi foedus iſtud tanquam prima baſis atque origo celeberrimae illius et paſſim notae Unionis electoralis Rhenſenſis *an. 1338.* conſideretur: ego ſane id ita eſſe plane conjicio.

XIII.

ANONYMI QUAESTIO
AN ELECTORES ARCHI-EPISCOPI
MOGUNTINUS AUT COLONIENSIS
SACRO DUNTAXAT PALLIO CARENTES
RITE INUNGANT
GERMANORUM REGEM?

Francofurti ad Moenum 1746.

§. I.

Ratio ſcribendi.

Hæc juris publici eccleſiaſtici quæſtio nullibi pro dignitate ſua reperitur ſatis tractata. Canoniſtæ eam vix movent; Publiciſtæ vero nonniſi obiter tranſeunt, ac præprimis in celebri illa, qua Electores, Moguntinus & Colonienſis, de jure coronandi Imperatorem extra provinciam Colonienſem ſæculo proxime ſuperiore invicem decertarunt, controverſia negativam ſententiam quaſi pro certo poſtulato, atque irrefragabili Actuum ſibi inviſorum eliſione ſuppoſuerunt, quin rem iſtam omnem profundiori indagine examinaſſe videantur. *)

*) Quod equidem ignoſcendum, cum verſarentur in caſibus, quibus Anteceſſores ejus Archiepiſcopi, cujus advocati erant, non pallio duntaxat, ſed & infulis deſtituebantur eo, quo coronandus erat Imperator, tempore.

§. II.

Generalia de pallio præliban-da.

Ante vero, quam ad hypotheſin quæſtionis deſcendam, non abs re fuerit, generalia quædam præfari de Pallio, ejusque ad majores Germaniæ Præſules protenſo jure, ſic tamen, ut hi, quibus ad captum meliorem hujus controverſiæ nominis præambula idea, ornatusque iſtius hiſtoria opus eſt, utcunque tingantur, cæteri vero, qui talibus præcognitis haud indigent, exiſtimare non

non poſſint, me, quod viris in re litteraria minime poſtremis adeo infrequens non eſt, ſolius chartæ implendæ gratia, prolixiorisque diſſertationis faciendæ generali de Pallio argumento plus juſto indulſiſſe.

§. III.

Pallii deſcriptionem omni ævo quadrantem a me exigat nemo: nam hoc veſtimenti genus fuit *ſignum ad placitum*, ut dicunt logici, & *artefactum*, quod variat, atque inde a primæva ſui inventione ita mutatum eſt forma, ut nihil ferme in eo reperiatur hodie, quod palliis veterum aſſimiletur. *) Faſcia eſt lanea, alba, tres quaſi digitos lata, in modum torquis aut coronæ ambiens humeros, **) cujus pars aliqua longiuscula ante pectus & retro ſcapulas defluit, cruculis quatuor ſignata. Pallii deſcriptio.

*) Pallium proprie Græcus erat habitus, ut toga Romanus. Facile creditur, Pallium etiam illud, quod vulgare non erat, ſed ſoli Majeſtati, & quibus hæc honorem iſtum conceſſit, uſitatum, non fuiſſe faſciam, ſed integram caſulam, prout nulla fere ſacerdotalis veſtis priſcam figuram retinuit. Videatur *Papebroch in Conatu Critico-Hiſtorico.*

**) Unde græce dicitur Ωμοφορίον, id eſt, ſuperhumerale.

§. IV.

Sacrum veſtimentum principio non fuerat, niſi ſtolas imperiales, eo quod Majeſtatem decorent, ab hac velis nuncupare divinas & ſacras. Ipſis Petri diſcipulis, quod multi fabulantur, originem ſuam non debet, neque enim illi, dum frangebant panem, aut ſacros cætus habebant, aliis, quam apoſtoli, indumentis, nempe quotidianis, utebantur. Romanos Pontifices primis ſtatim naſcentis Chriſtianitatis temporibus pallio qui uſos fuiſſe aſſerunt, antiquiores profecto, quam ſit Polidorus Vergilius, author Sæculi XVI., qui hoc *lib. 4. de inventor. rer. c. 32.* affirmat, teſtes afferant, neceſſe eſt. Imperatorum eſſe munus ac donum, colligitur ex eo, quod ipſe Gregorius M. conſenſum Cæſareum requiſierit, ut poſſet pallium aliis conferre. *) Ab initio non fuit veſtis ſacra.

*) Epiſt. 11. Gregor. M. ad Brunechild. Reginam, quæ extat lib. IX.

§. V.

Ubi primum vero Pallium ad ſacerdotes pervenit, indita fuit illi ſignificatio quædam myſtica,*) ſucceſſerunt ritus, deſignandi agnellos in feſto S. Agnetis, qui lanam præberent, benedicendi hanc faſciam, deponendique ſuper altari & reliquiis S. Apoſtoli Petri, unde priſca illa phraſis, *Pallium ſumi de corpore* Refertur inter veſtes ſacras.

pore S. Petri. **) Et ſic indumentis Præſulum ſacratioribus adſcribebatur pallium. ***)

*) De qua videatur Abbas in rubrica *de author. & uſu Pall.* & Bilderbeck *teutſcher Reichs-Staat* Part. 4. Cap. 1. §. 24. in notis.

**) Cap. *Significaſti* 4. de Elect.

***) Ex hac conſecratione ornamenti primitus mere civilis deſcendit, quod Imperator illud deinceps conferre non potuerit, ſed ſola Sedes Romana. Cap. 4. cit. in verbo: *tantum.*

§. VI.

Palliati Præſules initio.

Sæculo IV. uſi ſunt Pallio Patriarchæ inſigniores *), atque inter hos præprimis Romanus, qui reſpectu totius Occidentis con-Patriarcham non habuit, cum econtra Oriens veneraretur Antiochenum, Alexandrinum, Hieroſolymitanum, & Conſtantinopolitanum.

*) Confer. Thomaſin. diſciplin. eccleſ. Part. 1. Lib. 2. C. 51.

§. VII.

Romanus id in occidente parcius diſtribuit.

Cum in Oriente Patriarchæ pallii honorem paſſim conferrent Metropolitis, in ſignum confirmationis, receptionis, & compertæ orthodoxiæ, parcius hac liberalitate utebatur Romanus, nec facile eundem impertivit aliis per Occidentem Prælatis, ne multitudo palliorum detraheret quidquam ſacro hujus torquis pretio. *)

*) Unde non *ſedibus* dabatur, ſed *perſonis*, & quidem bene meritis, atque inſtanter petentibus *can.* 4. *diſt.* 100. Hodie non petentes monentur, & inſtans pallii flagitatio res mera ſtyli curialis eſt.

§. VIII.

Quibus in Occidente primum dabatur?

In regno Francorum primus illud a Symmacho Papa Romæ obtinuiſſe legitur S. CÆSARIUS, Epiſcopus Arelatenſis: poſt hunc a Vigilio Papa, commendante Childeberto Rege, & annuente Imperatore Juſtiniano *) A. 544. AUXANIUS, itidemque A. 546 S. AURELIANUS, A. 557. a Pelagio SAPAUDUS & A. 595. a S. Gregorio M. S. VIRGILIUS, ipſi admodum familiaris, **) omnes Arelatenſes. Idem Gregorius præter morem hactenus conſuetum S. SYAGRIUM Auguſtodunenſem ſive Æduenſem Epiſcopum ob præclara in ſedem apoſtolicam merita, adjutorium præprimis Auguſtino Anglorum Apoſtolo pie exhibitum, pallii uſu condecoravit ad preces Brunechildis, ſalvo tamen Metropolitæ Lugdunenſis Jure. ***)

*) Videatur Epiſtola Vigilii Papæ ad Auxanium, ubi hunc admonet, ut pro tanto

tanto Principe (Juſtiniano) Deum oret, pacemque inter eum & Childebertum conſervare ſtudeat.

**) Videatur Can. 5. & 6. Diſt. 100.

***) Huc pertinet Canon. 9. Diſt. cit. deſumptus ex epiſt. 112. S. Greg. lib. 7. quam plenius exhibent Sammarthani in Syagrio.

§. IX.

Vicariatum Papæ deſignavit.

Dabatur autem primitus honos pallii iis duntaxat Præſulibus, quos Papa ſuos per nationem aliquam VICARIOS in negotiis Eccleſiæ conſtituit, ut ſic meminiſſent omnes, Palliatos Epiſcopos vice Romani Pontificis fungi, nec, quod agunt, ſuo nomine, ſive ex poteſtate ordinaria, reliquis Epiſcopis communi, gerere: Itaque primæva Pallii conceſſio in Eccleſia Franco-Germanica importabat VICARIATUM. *)

*) De Vicariatu, Arelatenſibus, Auxanio, Aureliano, Sapaudo, Virgilio, demandato vide Samarthanos *in Gallia Chriſtiana*. Non obtrudebatur iſte Vicariatus Præſulibus, uti maligne quidam ſcribunt, a Papa, ſed ad ipſorum etiam regum iteratas preces conferebatur, ut referunt Sammarthani iidem loco cit. Non fuit perpetuus, ſed temporalis, exſpirans cum Vicario, & quandoque ex nova liberrima conceſſione ejus in ſede ſucceſſori rurſum delegatus. Sane vices Romani Pontificis, S. Bonifacio Moguntino per omnem Galliam & Bajoariam a Gregoriis II. & III. commiſſæ, non tranſierunt ad ſucceſſores.

§. X.

Metropolitis Germaniæ paſſim datur.

Sæculo VIII. jam liberaliores erant Romani Pontifices in diſtribuendis palliis, neque exſpectabant, dum ſuffragantibus regibus atque reginis inſtanter hoc peteretur decus, ſed, cooperante S. Bonifacio S. Petri miſſo, Eccleſiam Francicam eo diſponebant, ut Synodo A. 742. habita concluderetur, *a Metropolitanis pallia eſſe quærenda a ſede Romana*. *) Scopus hujus liberalitatis fuerat is, ut Eccleſia Francica, quæ hactenus Romanæ quidem communicabat, ſuis tamen regulis potiſſimum vivebat, arctius ad majorem in fide unitatem concentraretur D. Petri Cathedræ.

*) S. Bonifac. Epiſt 105. ad Anglos.

§. XI.

Lucrum Papæ ex pallio.

Ab initio igitur Pontifex Romanus ex diſtributione palliorum aliud lucrum non cæpit, niſi quod luculentior foret Metropolitarum dependentiæ profeſſio, & abrogaretur conſuetudo, qua illorum æque ac ſuffraganeorum approbatio fiebat in ſynodis provincialibus, irrequiſito Papa, ſed deinceps juramentum fidelitatis & obedientiæ emitteretur in manus Papæ, *) atque extenderetur a canoni-

nonibus Conciliorum generalium etiam ad præcepta Sedis Romanæ. Atque, ut hæc tanto certius reſpicerentur, inhibitum eſt, nequis pro Archiepiſcopo ſe gereret ante receptionem Pallii, tametſi forte eſſet aliunde in Epiſcopum conſecratus. **)

*) Hoc juramentum, licet apprime conducens bono unitatis, tanquam res nova non arridebat ubivis. Vide *Cap. 4. de Elect.* Urgebat illud fervide Gregorius VII.

**) Inde ortum eſt illud juris canonici proverbium: pallio conferri *plenitudinem officii Pontificalis.* Cap. 3. h. t.

§. XII.

Incommodum Metropolitarum ex pallio.

Demum inciderunt propter pallium Metropolitæ noſtri in aliud incommodum ſatis oneroſum, cum iſte habitus multo ære fuerit redimendus, *) adeo, ut Papa id ipſum fere Archiepiſcopis fecerit, quod olim Dionyſius Jovi, cui laneum injecit pallium, aureum amiculum detraxit, ut loquitur Cicero *lib. 3. de natur. deor* **)

*) Contra reſcriptum Gregorii M. ad Joan. Corinth. Epiſcop. relatum in *palea* Diſt. 100.

**) Contra taxam palliorum declamare non eſt meum: Id Proteſtantes Germani ad nauſeam præſtiterunt. Videatur Bilderbeck loc. cit.

§. XIII.

Exercitium Archiepiſcopale ligatum.

Hæc ligatio exercitii Archiepiſcopalis cum ſit per ſe odioſa, & non raro, ſi pallium vel petere diu negligant Prælati, vel Papa illud concedere moretur, Eccleſiis damnoſa, *) æquitas canonica poſtulavit, ut minime extenderetur, ſed ex regula vulgata odioſorum ad eos præciſe actus reſtringeretur, quos peragit Metropolita *ut Archiepiſcopus.* **)

*) Pelagius Papa in Can. 1. Diſt. 100.

**) Cap. 3. h. t. ubi promoto prohibetur tantum nomen *Archiepiſcopi*, & plenitudo *Archiepiſcopalis* officii negatur ante receptionem pallii.

§. XIV.

Quæ functiones proprie ſint Archiepiſcopales.

Hujuscemodi functiones Archiepiſcopales ſunt, viſitare provinciam, convocare Synodum provincialem, approbare & ordinare ſuffraganeos, id eſt, ſuæ provinciæ Epiſcopos, audire cauſas a Comprovincialibus appellatas, procedere cum prælato ſibi crucis vexillo: Verbo, quidquid merus Epiſcopus exercere nequit. Hæc ſola prohibebantur ante receptionem pallii, reliqua licebant. *)

*) Du-

*) Durissimum quippe fuisset, Metropolitam, qui major est, *ne quidem ut Episcopum suæ particularis diœceseos*, quam intra provinciam habet, tantum posse post ordinationem, quantum inferiores Episcopi.

§. XV.

Exercitium ordinis episcopalis quatenus postea ligatum?

Verum enim vero, quo Metropolitæ instantius desiderare deberent pallium, introductum fuit, *) ut ipsius adeo potestatis, *quæ cæteroqui simpliciter esset episcopalis*, **) exercitium, quoad ea, *quæ sunt ordinis*, ***) fuerit ligatum, si pauca minoris momenti excipias. ****)

*) Cap. *Quod sicut* 28. §. super. *de Elect.* ex interpretatione, quod similia *non tanquam Archiepiscopus facere videatur.* Quod valde tortum est, cum nemo rerum prudens officium Archiepiscopale qua tale exerceri putet, dum ordinatur Acolythus (qui casus est Capituli) nam id potest etiam Abbas benedictus.

**) Cujus generis sunt conficere chrisma pro diœcesi, ordinare clericos diœcesanos, benedicere abbates & abbatissas, moniales velare, dedicare Basilicas.

***) Ea, *quæ sunt jurisdictionis* Episcopalis, libere exercet Archiepiscopus Germaniæ, etiam ante confirmationem, si fuerit pacifice electus; hinc causas Diœcesanas cognoscit, delegat jurisdictionem, imo & dimissoriales pro sacris ordinibus concedit.

****) Si Archiepiscopus fuerit consecratus, permittunt ei Canonistæ vulgo benedictionem paramentorum, & cæmeterii, consecrationem calicis, quas functiones obire potest, stola tantum indutus, nullum vero actum, qui fit *solemniter cum infula & pedo, & sub baldachino.*

§. XVI.

Status quæstionis.

Atque stante isthoc exercitii ordinis etiam episcopalis ligamine in eo, qui pallium non habet, Metropolita, Colonienſi vel Moguntino, exsurgit quæstio, an rite consecrare & inungere possit Regem Germanorum?

§. XVII.

Ex observantia Imperii requiritur consecratio Archiepiscopi.

Ut ordinate procedam, inficias non eo, Colonienſem aut Moguntinum, nisi fuerit consecratus & pontificali infula decoratus, non posse sacram Regis inaugurationem peragere, tametsi foret sacerdos: non, quasi ritus ille de jure divino esset ex eorum numero, qui characterem Episcopi ex se desideraret, *) sed, quia Imperii observantia, ad quam vel maxime hic respiciendum est, impeditur. **)

*) Cum enim unctio & benedictio Regum in Ecclesia Christi sit ritus mere humanus & arbitrarius, nullo Dei præcepto injunctus, sed libere ad exemplum Legis antiquæ a Principibus adoptatus, non video, cur ad eandem requiratur in Consecratore character episcopalis? Certe simplex sacerdos in adminiſtran-

niſtrando ritu baptismatis æque infantem ungit in pectore, inter ſcapulas, in vertice, eundemque conſecrat Deo magis, atque ille, qui Imperatorem inaugurat. Unde, ſi ex obſervantia Imperii hæc functio non obveniſſet alicui Archiepiſcopo, ſed v. g. Archi-Capellano Palatii, qui pro tempore hoc officio præfulgeret, etiamſi hic tantum eſſet ſacerdos, idoneitatem talis conſecratoris quis controvertere voluiſſet?

**) Ita actum coronationis Conradi III. Aquiſgrani non peregit Arnoldus, nec Maximiliani II. Fridericus a Weda Archiepiſcopi Colonienſes, qui tantum erant presbyteri recens inthronizati: Cooperatos tamen fuiſſe coronationi Epiſcopos nondum infulatos, paſſim legitur; quin & in poſtremis duabus coronationibus Caroli VII. & Stephani I. etiam Legati Eccleſiaſticorum Electorum cooperabantur coronationi, maxime quoad diadematis regii ſimultaneam impoſitionem, quæ, ut bene advertit Conringius *in aſſert. jur. Mogunt.*, non eſt aliquod munus ſacerdotale, eoque olim a Laicis, peracta eſt, prout teſte Thegano c. 6. Carolus M. pater coronavit ipſe Ludovicum Pium.

§. XVIII.

Archiepiſcopus conſecratus abſque pallio rite coronat extra provinciam.

Dubium præterea nullum fore exiſtimo ſuper idoneitate Conſecraturi, ſi hic reapſe in Epiſcopum ordinatus eſſet, & inunctio regis noſtri fieret *extra* Provinciam ejus: tunc enim pallio opus haud eſt, quo ſi gauderet ſane, juxta canones, ſecluſo privilegio, extra provinciam uti nequiret. *C. 1. & 5. h. t.* Unde Epiſcopo Colonienſi abſente, vel non qualificato Aquisgrani ungere poſſet Regem Moguntinus conſecratus, tametſi pallium non haberet. *)

*) Quamvis hic ex privilegio uti queat pallio in Rege conſecrando etiam extra Provinciam, non tenetur tamen eo ſemper uti, nec procurare propterea ſibi pallium, ut privilegio poſſit uti.

§. XIX.

Formatur caſus.

Caſus itaque meus eſt de Archiepiſcopo *quidem conſecrato, nondum vero palliato*, inungere volente Regem Germaniæ *in ſua provincia*; Qui equidem, ut ponitur, nunquam adhuc contigit, cum nemo illorum, queis defuit pallium, mitratus fuerit, *) nec facile quisquam ſimplex canonicus, in Archiepiſcopum electus, conſecrari ſe faciat, niſi prius impetrato pallio, quod ejusdem humeris in ipſo conſecrationis actu appenditur: nihilominus in Germania tunc occurrere poteſt, ſi electus in Archiepiſcopum aut fuerit prævie Epiſcopus *in partibus*, aut propter præhabitum Epiſcopatum verum jam conſecratus fuit, prout Elector IOANNES PHILIPPUS, jam Epiſcopus Wirceburgenſis, promotus eſt ad Archiepiſcopatum Moguntinum. Vel demum, ſi, quod de jure poteſt, ante redemptionem Pallii conſecrari ſe faciat Archiepiſcopus.

*) Colonienſis, de quo ſcribit Otto Friſingenſis *lib. 7. c. 22.* non ſolo carebat pallio,

lio, ſed ordine ipſo, erat enim *noviter inthronizatus.* Similiter Fridericus a Weda tempore Maximiliani II. deſtituebatur mitra; tempore Rudolphi II. Salentinus Iſenburgicus non erat conſecratus, imo poſtea diſpenſante ſummo Pontifice, eo quod ſtirps Iſenburgica prole maſcula deſtitueretur, uxorem duxit. Tempore Matthiæ, Ferdinandi II. & III. Ferdinandus Bavarus ex cauſis a Papa probatis infula non fuerat præditus. Pariter anno 1630. inunctio Eleonoræ Auguſtæ peracta fuit a Trevirenſi, neque Moguntino, neque Colonienſi tunc mitratis. Igitur caſus, de quo hæc diſſertatio, hactenus non extitit.

§. XX.

Negativam opinionem, utut vulgarem, nonniſi unico juris canonici bro- Fundamentum negativæ.
cardico fulciri invenio: Nempe *Archiepiſcopum, licet confirmatum & conſecratum, exercere non poſſe ea, quæ ſunt Ordinis*, Coronationis autem regiæ functionem eſſe actum Ordinis. En totum Achillem & Hectora.

§. XXI.

Verum, ſi deprehendi unquam ratiocinium leve ac proletariæ artis, hoc Coronatio Regis non eſt proprie actus ordinis.
certe eſt: Amabo enim! Ecquid eſt *actus Ordinis?* Ni fallor, quo Res vel Perſona habilitatur *ad miniſterium Altaris* remote vel proxime, aut quo ipſum Altaris miniſterium peragitur, aut Sacramentum confertur. Ejusmodi ſunt conficere chriſma, dedicare Baſilicas, confirmare, ordinare, ſacrificare &c. Jam vero, quis unquam ſomniavit, Regem noſtrum ideo coronari, inungi, benedici, ut habiliteur ad miniſterium Altaris, aut recipiat ſacramentum? Ritus eſt, ad conciliandam illi majorem a populo reverentiam humanitus excogitatus; ad actus ordinis proprie non pertinet. *)

*) Bene ſcripſit Conringius in aſſert. jur. Mog. pag. 19. *Nec enim conſecratio illa regia ſacrum characterem imprimit, aut vere meretur accenſeri numero conſecrationum aliarum; ſed potius externa quædam eſt ceremonia ad exemplum moris Hebræorum compoſita, idque ævo ſequiore tantum inter gentes Germanicas, atque Sarmaticas.*

§. XXII.

Demus autem, coronationem Regis eſſe actum ordinis: Itane omnis actus Saltem major.
ordinis prohibitus eſt Epiſcopo non palliato? Abſit, inquis, *actus minores* utique obire poterit: Bene habet: An vero tu credis, ritum coronationis regiæ eſſe actum ordinis *majorem*, ſi velis ut Canoniſta loqui? Magna quidem eſt ſolemnitas, ſed imperii eſt, non Eccleſiæ; Baptizare infantem ac ungere, Euchariſtiam conficere, extremæ unctionis Sacramentum impertiri, procul dubio, de jure canonico, ſunt actus longe majores & præcellentiores, atque ſit inunctio regis: Iſtos autem cur Archiepiſcopo non-palliato non denegas, denegas unctio-

ctionem Regis, quæ non eſt Sacramentum? Actus ordinis major debet fuiſſe inſtitutus a Chriſto vel Eccleſia primitiva, cujusmodi ſunt deputationes rerum ac perſonarum ad miniſterium aliquod hierarchicum, qualisque haud eſt coronatio regia, ad libitum poſt pridem fundatam Eccleſiam introducta, nullamque Altaris provinciam conferens.

§. XXIII.

Non obſtat uſus pontificalium ſub conſecratione Regis.

At Coronatio Regis Germanorum fit intra Miſſarum ſolemnia cum paramentis pontificalibus, infula, & pedo! R. Miſſarum ſolemnia non eſſe partem neceſſariam coronationis regiæ, invicte oſtendit Conringius *in aſſert. jur. Moguntini.* & *in caſtigatione Anti-Conringiana*, cum & coronationes fierent absque Miſſa, & ante Miſſam. Equidem a Sæculo XIII. conſtanter ac perpetuo coronationem comitabatur ſolemne Sacrum, ſed ejus partem eſſentialem nunquam fuiſſe creditam, vel ex eo elucet, quod in coronatione Annæ Auguſtæ Ioannes Schwicardus Moguntinus unctionem & reliqua perſolverit, celebrationem S. Miſſæ vere ſuo ſuffraganeo Stephano Webero propter debilitatem delegarit. *) Deinde, ubi ſcriptum eſt, Archi-Epiſcopum alias conſecratum, *ſi pallio caruerit*, non poſſe celebrare in Pontificalibus? Jura ſilent, loquuntur id ſoli canonum interpretes, nulla profecto ratione firma ſtipati: & propter opinionem ejusmodi hominum abdicabit a ſe Princeps Elector actum tam rarum, tam inſignem, ſuæ proſapiæ tam honorificum, qualis eſt coronare Imperatorem? Tam parum certe, quam ceſſurum fore credam hoc caſu quempiam Electorum Eccleſiaſticorum in benedictionibus ſolemnibus, intra vel poſt Miſſam coram Imperatore faciendis, de quibus A. B. c. 23. §. 2. ubi Carolus IV. declarat, *primum, vel ſecundum, vel tertium debere intelligi, ſecundum quod prius vel poſterius quilibet eorum conſecratus* (non palliatus) *exiſtit.* Ligatio poteſtatis revera habitæ eſt odioſa, atque ultra caſus expreſſos, ne quidem ex ſimilitudine rationis protendenda: ſed in *Cap. 28. §. Super eo. de elect.* inter actus expreſſos, qui non-palliato prohibentur, nullatenus eſt celebratio Miſſæ in Pontificalibus, multo minus inauguratio Cæſaris.

* Churmaynziſche Erklärung d. d. 8. Jul. 1653.

§. XXIV.

Jus coronandi Regem non eſt a Papa.

Audiamus vero, quibus momentis affirmativa ſententia porro innitatur. Ante pallium non eſt ligata *alia plenitudo* officii, quam *quæ per pallium a ſummo Pontifice conceditur:* Non conceditur autem ab iſto poteſtas Moguntino vel Colonienſi, conſecrandi Regem in Germania, cum nemo det, quod ipſe non habet; Romanus vero Pontifex jus primæ coronationis non habeat. Nempe Electores iſti *non jure vicario* Papæ, ſed *jure Regni teutonici* coronant. *)

*) Equidem Benedictus VII. P. M. in Bulla, qua pallium S. Williſiſo Moguntino con-

conceſſit, ſcribit: *quo* (pallio) *in tota Germania & Gallia poſt ſummi culmen Pontificis in omnibus Eccleſiaſticis negotiis, id eſt, in Regis conſecrando, & Synodo habenda, ceteris omnibus tam Archiepiſcopis quam & Epiſcopis Apoſtolica auctoritate, ſicut juſtum & rectum eſſe videtur, præemineas.* Bulla hæc videri poteſt per extenſum in *demonſtrat. Mogunt. inveter. circa coronat. uſus*, pag. 160. Non fuit exhibita ex authentico, ſed ſolum ex antiquis Regeſtis ſive collectionibus privilegiorum & donationum: Subſcriptio præter morem & Pontificatus & Imperii annum, diemque menſis reticet: *Scriptum per manum Stephani Notarii S. Sedis Apoſtolicæ in menſe Martio indictione tertia.* Illud etiam, quod Willigiſo dicitur competere privilegium, ut in tota Germania & *Gallia* in rege conſecrando emineat, admodum eſt ſuſpectum, cum jus Colonienſis ſaltem intra ejus provinciam ſit antiquiſſimum, & forte (ſi Mateneſio *lib.* 3. *de coronat. Ferdin. II.* fides haberi velit,) a Carolo M. profectum. Quidquid autem fuerit, non dicit Benedictus VII., Willigiſo dari a ſede Romana jus præ aliis coronandi Regem, ſed tantum, *utendi authoritate Apoſtolica pallio in Rege coronando per totam Germaniam & Galliam*, i. e. etiam extra ſuam provinciam.

§. XXV.

Jure antiquo canonico pallium, cum rarius dabatur, importavit ſedis A- ſtolicæ vicariatum; (§. 9.) Poſtquam vero omnibus Metropolitis commune :tum eſt, intendebatur ex parte conferentis Papæ unice arctior Epiſcoporum m ſuo Capite concentratio, (§. 10.) ex parte vero recipientium externus aracter, diſtinguens Metropolitas a ſuffraganeis. *) Non perſuadebant ſibi chiepiſcopi, accipi per pallium aliquid novæ poteſtatis antehac per electiom, confirmationem, & conſecrationem non obtentæ. **) Sinebant ſibi dunat ligari manus, quo minus actus *Archiepiſcopales* (§. 14.) ante redemptionem llii exercerent. Cum vero inter actus Archiepiſcopales, qua tales, nemo :ulerit Coronationem regiam, conſequitur, carentiam pallii eidem peragen- : functioni haud obſtitiſſe olim; cur ergo obſtaret hodie?

Coronatio non eſt actus Archiepiſcopalis.

*) Alcuinus, qui obiit A. 804., ſcribit in libro de divin. offic. *Pallium nihil eſt aliud, niſi diſcretio inter Archiepiſcopum & ejus Suffraganeos.*

**) Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis Papæ, ſibi beneficium pallii objectanti reſpondit, *ſe per hoc nihil plus accepiſſe poteſtatis, quam antea per ordinationem canonicam habuiſſet.*

§. XXVI.

Si cauſaris, poſtea Archiepiſcopis ante redemptionem pallii inhibitos iſſe actus ordinis, etiam *mere-Epiſcopales.* Id equidem verum eſt, at hiſtom prius accipe, dein juris applicationem. Adhuc ſedente Nicolao I., qui it A. 858, non erat lex canonica ſcripta, inhibens non-palliatis actus pure-Epi-

Abſtinentia a functionibus pure epiſcopalibus ſolo more introducta.

Epiſcopales: Mos tantum fuit apud Germanos & Gallos, his quoque functionibus interea ſuperſedendi, quem requendum reſcribit Bulgaris Nicolaus, *ad conjulta Bulgar.* c. 73. permittens quidem Comprovincialibus, ut Metropolitam inſtituant, ſed *ſine interim in throno non ſedentem, & præter Corpus Chriſti non conſecrantem, priusquam pallium a ſede Romana recipiat, ſicut Galliarum omnes & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiſcopi agere comprobantur.* Hunc ad morem provocavit etiam Paſchalis II. in reſponſo ad Hungaros apud Baron. ad A. 1102., unde ſumptum eſt cap. 4. de elect. *) Denique complures actus enumeravit Innoc. III. cap. 28. eod. prohibitos, antequam habeatur pallium, ex interpretatione juris dicta, §. 15. aſteriſc. 1.

*) Cujus ſupplementum lit. α hoc eſt: *In pallio conceditur plenitudo pontificalis officii, quia juxta Sedis Apoſtolicæ, & totius Europæ conſuetudinem ante acceptum pallium Metropolitanis minime licet aut conſecrare Epiſcopos, aut Synodum celebrare.*

§. XXVII.

Mos iſte non porrigitur ad actum coronationis.

Tota igitur vis hujus abſtinentiæ in moribus poſita eſt, cum, ut mox dictum, neque decreto concilii generalis, neque univerſali Papæ mandato id conſtitutum fuerit. Reſcripta Innocentii III. & aliorum vim juris publici non habuerunt, antequam in Corpus decretalium referrentur, imo poſtquam in hoc relata ſunt, in Germania vigore deſtituuntur, *niſi in quantum more ſtipantur & obſervantia:* Jam vero ubi unquam mos & obſervantia ſic tulit in Germania, ut Archiepiſcopus Regis Conſecrator defectu ſolius Pallii abſtinuerit, ſi cæteroquin infulis gaviſus fuerat? Caſus ejusmodi non extitit hactenus (§. 19.) igitur res adhucdum eſt integra: caſus hucusque exoticus eſt indeciſus, nullo proinde Archiepiſcopus non-palliatus impeditur præjudicio, quo minus diadema Regi imponat, utendo primæva libertate ſua, quæ ſaltem quoad hanc functionem per ſervitutem pallii non eſt deperdita.

§. XXVIII.

Ab actibus ordinis hierarchicis male concluditur ad coronationem.

Neque enim vero ex hoc, quod Archiepiſcopi Germaniæ ante collationem pallii diſſimulent actus illos etiam mere Epiſcopales, *qui proprie ſunt actus Eccleſiæ hierarchici, omnibusque Epiſcopis communes*, ſtatim inferre fas eſt, illos quoque abſtenturos eſſe a functione aliqua *mere domeſtica*, quæ non tam Eccleſiæ ſolemnitas eſt, quam Regni & nationis, non profecta ex conceſſione Papæ, neque hujus ordinationi ullo modo ſubjecta, cum ſolorum Germaniæ Ordinum ſit determinare, an Rex eorum, a quo, quando, ubi, & quo ritu, ſit coronandus? Præcipue cum hæc tanti honoris & gaudii abdicatio non tantum Archiepiſcopo Conſecratori gravior accideret, ſed ipſi adeo Regi ſumptus haud

temnen-

temnendos præter alia incommoda facere poſſet, ſi v. g. omnes tres Archiepiſcopi Electores pallio ſolo carerent, aut aliqui eorum alias impedirentur, & propter defectum qualitatis ejusmodi accidentariæ, quæ ad ſubſtantiam & valorem actus nihil facit, *) Papa fortaſſis deſtinato conſilio moram trahente, longiori tempore coronatio differri deberet, quam ſubinde protinus a finita electione ſuſcipi debere, Imperii ſuadet utilitas communis.

*) Neque enim exiſtimet quisquam coronationem iterandam eſſe, ſi ſolum defuiſſet pallium Coronanti, cum & Ordinationes Clericorum ipſæ hoc caſu valerent. *Arg. Cap. 28. ſæpe allegati.*

§. XXIX.

Accedit etiam, quod ſuo quoque loco judicioſe advertit Conringius, in ritu Coronationis noſtræ regiæ non attendi conſtitutiones Papales claras, diſertas, & expreſſas: *) quanto igitur minus ad eundem ritum accommodanda veniunt, quæ in functionibus vere hierarchicis decreverunt Papæ omittenda ante obtentum pallii honorem? cum quoad hunc paſſum obſcuræ ſint decretales. **) Neque in hoc negotio attenditur jus canonicum.

*) Sic canones vetant, ne quis Epiſcopus functionem ſacram obeat in alterius Diœceſi, idque innovavit Tridentinum *Seſſ. 6. c. 5.*, ut nulli liceat Epiſcopo cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius Diœceſi exercere; & tamen olim in coronatione Henrici III., quæ facta eſt in Diœceſi Colonienſi, ægre potuit impetrari conſenſus Luipoldi Moguntini, ut potius Colonienſis coronaret, quam Moguntinus, teſte Schaffnaburgenſi; & hodie, ſi contingeret fieri coronationem extra provinciam utriuſque Electoris, nemo illorum veniam exercendi pontificalia peteret ab Ordinario loci. Cap. 1. ℣. *Unde in veteri.* de ſacr. unct. prohibet, nequis Regum ungatur *in vertice*, eo quod hæc prærogativa ſoli Papæ debeatur, & tamen contra diſertam prohibitionem ſic ungitur Rex Germanorum. Ne dicam ritus, preceſque in hoc actu multum eſſe diverſas ab iis, quas præſcribit Pontificale Romanum.

**) Sic adeo ſcrupuloſe non obſervabitur Cap. 3. h. t. vi cujus nemo deberet ſe *appellare Archiepiſcopum* prius, quam pallium ſuſcepiſſet, cum ſine pallio maneret eadem juramenti formula, ante electionem Regis vi A. B. Cap. 2. §. 3. emittenda. *Ego* N. *Archiepiſcopus.*

§. XXX.

Cum itaque Unctio Regis Germanorum non ſit actus ordinis ſaltem canonice major, nec Archiepiſcopalis; cum ſit functio plane domeſtica, legibus Romanis ſoluta, aut ſaltem ſpeciali mentione digna, ſi exemplo aliorum actuum epiſcopalium ante ſuſceptionem pallii fuiſſet inhibita; cum ligatio poteſtatis Archiepiſcopalis quoad exercitium ſit odioſa, minimeque ad caſum extraordinarium, de quo altum in jure ſilentium eſt, extendenda; cum nullum adhuc exiſtat *Anacephalæoſis & concluſio.*

ſtat præjudicium, ex quo Archiepiſcopi, Moguntinus aut Colonienſis, arguantur conſenſiſſe in abſtinentiam ab hac functione, caſu, quo nondum forent palliati, cum denique jus canonicum de inhibitione coronationis nihil diſerte ſtatuerit, recte concludi a me patere, Lector patriota, & valide & licite peragi Coronationem Cæſaris ab Archiepiſcopo, modo conſecratus fuerit, etiam pallii experte.

Animadverſiones Editoris.

Ad §. III. et ſqq. Adoptavit hic Auctor de origine Pallii ſententiam inter alias communiorem hactenus, Pallium nimirum ex munificentia Imperatorum deſcendere, quam opinionem ex THOMASSINO *Part. I. L. 2. C. 45. et 46.* de MARCA *de Concord. L. 6. C. 6.* etiam mutuatus eſt, defenditque Cl. BARTHEL *in diſſ. de Pallio:* nemo autem ſolertius rem iſtam omnem examinavit, quam PERTSCHIUS *in Tract. de Origine, Uſu, et auctoritate Pallii Archi Epiſcopalis*, ubi perſpicue ſatis oſtendit Pallium Latinorum vetuſtiſſimum quoque, et ωμοφοριον Graecorum nequaquam fuiſſe integri cujusdam veſtimenti totum corpus contegentis genus, ſed faſcias potius ex lana confectas ferme inſtar hodierni: argumenta, quae potiſſimum pro ſua opinione adduxere citati ſcriptores, facile diluuntur. Uti quod Pallium a *Pelagio* I. *ep. XII.* apud COLETUM *CC. Tom. VI. p. 477. S. Gregorio M. L. VII. ep. 113.* videatur dici amictus quidam ſplendidus: quis enim neſcit hodie quoque elogia ferme ſimilia, immo vero majora adhuc eidem tribui, quin propterea ſplendor ejuscemodi ex pretio ipſius hujus ornamenti ſacri deſignetur, ſed ex alio longe capite, quod plenitudinem videlicet paſtoralis officii denotare videatur. Pallium dicunt porro legitur ab Epiſcopis Sede ſua cedere coactis redditum Imperatoribus, quod ex LIBERATO *in Breviar. C. XXI.* de *Anthimo* Conſtantinopolitano adducit *de* MARCA *l. cit. §. 10.* exinde ita arguens: *reddere rem ad illum referri, a quo accepta fuerit.* Verum non magis ex hoc ſequitur Pallium in ſua origine nonniſi ab Imperatoribus profectum, quam ipſum pedum Epiſcopale tanquam ſpeciale ornamentum Præſulum ipſa ſua initia Imperatoribus debere, eoquod notum ſit inveſtituris illis famoſiſſimis adhuc vigentibus mortuo Epiſcopo pedum paſtorale Imperatoribus transmiſſum fuiſſe, ab iis deinde in inveſtitura ſucceſſori traditum. Dum igitur Pallium hac ratione Imperatoribus redditum legitur, nil inde aliud conficitur, quam Epiſcopos ejusmodi aut ſponte aut invitos licet, ſe Epiſcopatu cedere Imperatoribus reddito pallio declarare voluiſſe. Potiſſimum demum eſt, quod in concedendo Pallio *Vigilius* et *Gregorius M.* Imperatorum conſenſum expetiiſſe legantur: verum id factum tantummodo, cum Pallium mittere vellent

vellent Praeſulibus extra fines Imperii Romani, tum jamdum varie diſcerpti; quare GARNERIUS *Diſſert. III. ad Librum Diurn. Rom. Pontif. n. 18.* recte animadvertit, non eſſe quaerendam generalem quandam quae ad omnes Pontifices pertineat rei hujus cauſſam: factum id legitur ſolum a duobus iſtis ex peculiari quadam cauſſa, ex ipſo ſitu rerum eo tempore repetenda, ne videlicet ſuſpicacibus Exarchis anſam praeberent neſcio quid ſiniſtri de iſtis Pontificibus ex affectato aliunde praeſidio, et amicitia cum Regibus Francis nimia augurandi; ſane nuper quoque aegre tulit *Franciſcus I. glor. mem.* ſe inſcio atque non conſentiente, Pallium Wirceburgenſi conceſſum fuiſſe; minime vero exinde, quod Pallium originem ſuam debere Imperatoribus crederet: ſed quod praetenderet nihil in ipſa Hierarchia praeſertim in Germania, ubi id in ipſum ſiſtema politicum Imperii influeret, inſcio Imperatore mutandum eſſe. Ad donationem *Conſtantini*, ubi hic Imperator pretioſam chlamydem *Sylveſtro* inter alia dediſſe legitur, provocatum nonnunquam fuit: ſed ejus donationis inſtrumentum ſpurium eſſe, hodie a Catholicis quibusvis facile conceditur, adeo ut nonniſi per inſignem aut malevolentiam aut ignorantiam ſcribat GOTTLOB AUG. BAUMGARTEN, aut quisquis eſt *auctor Elementorum Hiſtor. ſingularum Europae ac Germaniae inprimis Rerum-publicarum inſigniorum Lipſiae 1772. f. 160: Sylveſtrum NB. Pontificii perhibent a Conſtantino M. quem ſacro fonte tinxerit, accepiſſe terras eas, quas hodie Patrimonium Petri dicunt.* Poſtremo PIRTSCHIUM ipſum, poſtquam alios confutaverat, vix quidquam de Pallii origine afferre, quod ultra conjecturam aſſurgat, jam notavi in *Inſtit. meis Part. II. §. XCVIII*, ut itaque tota haec res nonniſi dubia obſcuraque maneat.

Ad §. X Cum in *Inſtitutionibus meis Part. II. §. C.* contra MOSHEMIUM ibidem citatum pro S. *Bonifacio* vindicando dixiſſem idem, quod hic inquit Auctor, Pallium Archi-Epiſcopale remedium eſſe, quo praecipua Hierarchiae membra Capiti ſuo arctius colligentur; et cum ea unio arctiſſima eſſe ex Chriſti inſtitutione eſſe debeat, nil ſane eſſe, eccur ob neceſſitatem Pallii petendi ſtabilitam S. *Bonifacius* carpatur: iniquam plane cenſuram tulit SCHOTTIUS in hunc locum *Inſtitutionum mearum*, dum in *Critica ſua 25.* Stück *f. 424.* inquit: *i me ſerio nec credi nec affirmari poſſe faſciam quandam laneam neceſſarium eſſe unionis conſervandae remedium:* inprimis parum bona fide verba mea refert *Criticus*, aliud eſt enim nil in re quapiam eſſe iniqui, quod ibidem contra Proteſtantes aſſerui: aliud id quoque tanquam remedium plane neceſſarium habendum, quod nullibi dixi: quemadmodum enim unio illa Pallio etiam necdum ad morem hodiernum introducto perſtitit, ita et ſine eo abſolute id fieri poſſe nemo ſanus negabit. Verum an illa ſolum retinenda ſuadet ratio, quae nonniſi neceſſaria ſunt? an non, quae ſaltem ex gravibus cauſſis opportuna videntur, adhibenda quoque eſſe conſulit? eſt vero perquam indignum, quod de faſcia lanea inquit

SCHOTTIUS: quid ſi enim aequo jure cum Critico noſtro de *faſciis ſericis* tot illuſtriſſimorum Ordinum equeſtrium dicerem, an remedium illae ſint aut aptum aut neceſſarium ad ſubjectos Principi arctius conciliandos? an SCHOTTIUS id ſerio credat probetque? Habent nimirum tum ſignificationem tum aeſtimationem moralem ſymbola iſthaec, quibus animus movetur; quaeque proin in iis, non materia, conſideranda ſunt. Quodſi haec quoad Pallium uberius noſſe cupit SCHOTTIUS, ipſum PERTSCHIUM adeat cit. *Tract. Cap. XII. §. VII. ſeqq.*

Ad §. XX. ſeqq. Quod ſcopum Auctoris primarium concernit, ab eo videlicet qui Pallium etiam necdum impetravit, Coronationem Imperatoris peragi poſſe; eum quidem non ſatis eviciſſe mihi quoque videtur, id quod jam animadverſum eſt in *Diſſ. N. XII. hoc Tomo* comprehenſa, *Hermenia in Balduini Trevirenſis documentum anecdotum* &c. §. XIX. ubi Auctor dicit, *neque Pontificem, neque Metropolitas Germanos unquam admiſſuros eſſe aliquem ad actum coronationis, niſi qui gerere ſe poſſit pro Metropolita et Archi-Epiſcopo, id autem ab eo, qui Pallio careat, fieri non poſſe*: ejusdem quoque ſententiae eſt BARTHEL *in Diſſ. de Pallio C. X. §. VI.* immo et PERTSCHIUS *cit. Tract. C XII. §. IV. not. f.* Ad id, quod praecipue urget Auctor, Coronationem Regum non eſſe adeo actum Ordini Epiſcopali proprium, ut non abſolute ab inferiore quoque peragi poſſit; ipſos quoque actus Epiſcopales carenti Pallio ademptos non eſſe, niſi de quibus expreſſam mentionem Canones faciant, id vero de Coronatione Regum nullibi dici; facile reſpondetur: eſto videlicet Coronatio et unctio Regum ex inſtitutione ipſa Chriſti non arcte adeo Ordini Epiſcopali ſit alligata; ſufficit tamen eam merito recenſeri inter actus ejusmodi, quos perpetuus conſtansque uſus nonniſi Epiſcopis proprios eſſe voluit: jam vero, etſi quoque coronatio ſpeciatim ante obtentum Pallium interdicta non eſſet; denuo ſatis eſt, actus Epiſcopales ante illud impetratum exerceri non poſſe, cum ut loquitur BARTHEL l. cit. cum *Innoc.* III *Cap. 28. de Elect. et elect. poteſt. eos non tanquam ſimplex Epiſcopus, ſed tanquam Archi-Epiſcopus facere videatur*, ex quo recte infert BOEHMER *in edit. nov. Jur. Can. ad cit. cap. n. 28. unde liquet plus poſſe Epiſcopum conſecratum, quam Archi-Epiſcopum poſt conſecrationem, qui nequidem Clericos ordinare poterit absque Pallio.* Celebrem illum caſum *Conradi* III. coronati a Legato Pontificio, cum Colonienſis Pallio careret; Auctor quidem ex iis *Ottonis Friſing. l. cit.* verbis *eum noviter inthronizatum fuiſſe*, vult potius referendum in defectum ipſius conſecrationis Epiſcopalis: atenim ipſemet *Otto*, dum dicit: *Colonienſis, qui id jure facere debuerat noviter inthronizatus Pallio carebat*, id potius videtur adſcribere Pallio nondum obtento, prout verba conſideranti patebit: certe alias expreſſam de Pallio mentionem facere neceſſe non fuiſſet, ſatisque fuiſſet noviter inthronizatum dicere.

XIV. ANO-

XIV.

ANONYMI QUAESTIO QUIS ARCHI-EPISCOPO ELECTORE AD QUEM REGIS NOSTRI UNCTIO DE JURE SPECTAT, IMPARATO VEL RENITENTE FUNCTIONEM OBEAT?

Francofurti ad Moenum 1747.

§. I.

Quanquam non quolibet biennio (quod avertant propitia Germaniæ Numina) ſed plurium annorum interpoſitis ſpatiis, coronationes Regum ſuorum ſpectet Allemannia; in hac tamen hujus ſolemnitatis infrequentia caſus, quem formavi, uterque, videlicet tum *non-accincti*, tum *renitentis* Conſecratoris ordinarii, in theatrum prodiit haud infrequenter. Prior equidem olim in CONRADO III. anno 1138. PHILIPPO SUEVO 1198. FRIDERICO II. 1215. Et ſequiore ævo in ELEONORA Auguſta 1630. Nec non (ſi Vitriarium & Lymnæum cum Advocatis Colonienſibus audias, nam Moguntini cum Arumnæo *locum* coronationis cauſantur) in MAXIMILIANO II. 1562. RUDOLPHO II. 1576. MATHIA 1612. FERDINANDO II. 1629. & FERDINANDO III. 1636. ſeſe exhibuit. Poſterior autem caſus in LUDOVICO IV. BAVARO anno 1314. evenit; Et, ſiquidem ſub renitentia complecti velis quamcunque omiſſionem, Anno 983. in Ottone III., nec non Anno 1298. in ELISABETHA Alberti Auſtriaci Conjuge Auguſta. Caſus utriusque frequentia.

§. II.

Elector renitens aut negligens.

Reniſus contingit, cum ſchiſmate laceratur Collegium Electorale, atque ordinarius Conſecrator vel alium eligit, vel ſaltem hunc electum Cæſarem non agnoſcit. *Neglectus* eſt, cum extra caſum ſchiſmatis Conſecrator legitimus, cæteroqui non impeditus, neque ipſe munere ſuo fungitur, nec vices alteri delegat. *)

*) Ejusmodi neglectus & conniventia præjudicat multum in modum, maxime, cum negligens juris ſui nec reverſalibus literis, nec proteſtatione publica ſibi conſulit. Quare in Actis, quæ Eminentiſſimi Moguntinus & Colonienſis ævo proxime ſuperiore circa jus coronandi vulgabant typis, invenio, a Colonienſibus ægre excuſatum fuiſſe caſum Ottonis III. quem VARINUS Ubiorum Archi-Epiſcopus Aquisgrani pace bona tulit ab aliis, quam ſe, conſecrari; Moguntinos autem non parum fuiſſe vexatos exemplo Eliſabethæ Auguſtæ, quam WICHBOLDUS Colonienſis, minime delegatus, Noribergæ coronavit, extante & patiente Moguntino.

§. III.

Elector imparatus ad conſecrandum.

Imparatus eſt ad conſecrandum Elector, ſi ſacerdotio magno non fuerit initiatus, ſecundum alios, a quibus diſcedo, ſi vel ſolo pallio caruerit, ſi forte cenſura eccleſiaſtica vel irregularitate innodatus, aut ictus anathemate Papali, ſi Banno imperiali ſuppoſitus, ſi peregre abſens, ſi morbo afflictus &c. *facti* proinde & *juris* impedimenta queunt Conſecratoris ordinarii exercitium ſufflaminare. *)

*) Quibus equidem caſibus reſervatione juris alias competentis opus non eſt, cum ipſa impedimenti fama ſatis excuſet omittentem, pro majori tamen cautela exhibetur ad Acta, præſertim cum adeſt, qui Electori, ut maxime paratus eſſet, jus coronandi diſputaret.

§. IV.

In neutro caſu admittitur extraneus, aut non-elector.

Sive autem renitatur ordinarius Conſecrator, ſive non ſit paratus, ſi alteruter ex reliquis Electoribus eccleſiaſticis accinctus reperiatur, hodie *Extraneus* non admittitur: eſt enim coronatio regia honos domeſticus, qui ſive ex jure devoluto, ſive ex delegatione æque parum obtingere debet homini *peregrino*, atque electio, ad quam Elector impeditus Legatum, quidem mittere poteſt ſuo nomine ſuffragatum, ſed nonniſi *indigenam*. Imo buccella hæc tam eſt exquiſita, ut vix ac ne vix quidem extra menſam Electoralem ad alium Germaniæ Prælatum, licet Imperii Princeps foret, ambulatura eſſe videatur: cum a dignitate Electorum eccleſiaſticorum alienum ſit, ipſis duntaxat cooperantibus, principalem coronationis ritum a non-Electore peragi.

§. V.

§. V.

Equidem Lunigius*) exhibet vetuſtum aliquod fragmentum Bullæ, in cujus *narrativa parte*, uti appellant, aſſeritur Abbati Cænobii S. Cornelii ad Indam fluvium ſiti**) ſingulare privilegium coronandi Regem in Germania, *Colonienſi Archiepiſcopo impedito*; ***) At prærogativa tam inſolens & invidioſa fragmentis tabulisque extraneorum haud vindicatur, quæ nunquam in Comitiis authentice productæ, nunquam agnitæ ab Imperio, nunquam, ſæpe licet exiſtente caſu, ad effectum perductæ fuerunt, adeo, ut ejuscemodi privilegium, tametſi genuinum eſſe paterer, non-uſu intercidiſſet. Nam vel maxime in jure publico non-uſus, cum ſeſe utendi offert occaſio, nocet abſtinenti. Examinatur privilegium Abbatis S. Cornelii.

*) Parte III. Spicileg. eccleſ. Cap. 6. tit. Corneli-Münſter. §. 13. pag. 730.

**) Nobilis hæc abbatia Ordinis S. Benedicti milliare unum diſtat Aquisgrano: Abbas ejusdem eſt Status Imperii, ſedetque inter Prælatos ſcamni Rhenani.

***) Tenor fragmenti eſt: *Joannes miſeratione divina presbyter Cardinalis, vulgariter dictus Cardinalis Nemauſenſis, Commiſſarius per Dn. Gregorium divina providentia Papam ſpecialiter deputatus. Eſt quoddam ſolemne & regale monaſterium, S. Cornelii Indenſe nuncupatum, Ordinis S. Benedicti, per divos Principes Romanorum Imperatores, excellenter & magnifice prædiis, poſſeſſionibus, jurisdictionibus, feudis, & homagiis Ducum, Comitum, Baronum, & militum præ cæteris fundatum & dotatum, cujus abbas pro tempore ex ſingulari privilegio*, Colonienſi impedito, *habet* Regem Romanorum *in Imperatorem promovendum* coronare, benedicere, & inthroniſare &c. *Datum & actum Avinione in hoſpitio habitationis noſtræ anno a Nat. Domini MCCCLXXXI. indict. IX. die IV. menſ. Jul. Pontif. dicti Dn. noſtri D. Gregorii Papæ XI. anno primo.*

§. VI.

Anno 983. legitur OTTO III. in civitate Aquenſi coronatus fuiſſe ab extraneo, videlicet JOANNE Archiepiſcopo Ravennatenſi, Sedis Apoſtolicæ Legato, ut refert Rubeus *Hiſtor. Ravenn. lib. 5.* his verbis: *Joannes XII. factus Archiepiſcopus, a Pontifice in Germaniam miſſus Aquisgrani coronam Auguſtalem Ottoni III. adhuc puero impoſuit:* Et habent Author vitæ S. Meinwerci, ac Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 984. *) Joannes Archiepiſcopus Ravennas conſecrator.

*) Cur ſuperſederit functione WARINUS Colonienſis, obſcurum eſt: certe imparatus non fuit defectu ordinis, cum apud Sammarthanos jam anno 980. legatur ſolemni ritu benedixiſſe Eccleſiam S. Pantaleonis. Senio morboque confectum abſtinuiſſe reponunt Colonienſes, quin id probent: Varinus idem Ottonem puerum in tutelam ac cuſtodiam recepit, & paulo poſt contra impuberem regem pro Henrico Duce illius æmulo res novas molitus eſt, quæ in decrepitum vix cadunt. Propius vero eſt, Varinum clam faviſſe dicto Henrico, atque jam tum, cum Otto coronaretur, animo conſtituiſſe, Hen-

ricum, ubi primum carcere liberaretur, coronare, proinde data opera a coronatione Ottonis abſtinuiſſe, ne exprobari ſibi potuiſſet, eundem a ſe deturbari ſolio, cui ipſe impoſuiſſet diadema.

§. VII.

Hoc factum non tribuit Legato jus.

Verum ex hoc facto non eruitur ulla Romani Pontificis poteſtas, defectum Conſecratoris ordinarii per Legatum ſupplendi: neque enim Joannes a Papa miſſus fuit, ut conſecraret Ottonem ſuperſedente Varino, cum, quid iſte facturus eſſet, ignoraretur Romæ: Sed S. WILLIGISUS Moguntinus (Trevirenſis aberat) ex ſingulari Sedis Romanæ cultu hujus ſolemnitatis non teſtem modo & aſſiſtentem, quod hodieque fit, verum inſuper Miniſtrum eſſe hunc Legatum pie volebat; a quo liberali facto ad jus quæſitum male concluditur. Certe ante auream Bullam aliquando fiebat electio ipſa regum noſtrorum *præſentibus Legatis Apoſtolicis*, & nominatim Conradi III. quin tamen hodie iisdem liceat vel urbem Francofurtenſem adire. Unde non procedit argumentum ab iis depromptum, quæ olim fiebant, dum electioni ac coronationi regulæ tam exactæ ſanctæque præſcriptæ non fuerant.

§. VIII.

Incertum, an Ravennas primario conſecraverit?

Ne diſſimulem, nondum clarere, quis primario unxerit Ottonem, ac conſecrarit, Joannes Papæ Legatus, an Willigiſus Moguntinus? Ditmarus Archiepiſcopus Magdeburgenſis illi rei geſtæ coævus *lib. 3. Chronic.* ordine narrandi præponit Willigiſum, dum ſcribit: *Otto III. die natalis Domini a* WILLIGISO *Archiepiſcopo & Joanne Archiepiſcopo Ravennate coronatur in Regem.*

§. IX.

Theodevinus Legatus cur unxerit Conradum III?

Conradum III. unxit Aquisgrani THEODEVINUS Cardinalis Epiſcopus, Sedis Apoſtolicæ Legatus, cooperantibus Colonienſi & Trevirenſi, ut ſcribit Otto Epiſcopus Friſingenſis hujus Conradi Frater: *) Colonienſi tum temporis ſacra infula deerat: Moguntinus in mundo non fuerat, nam poſt ferias Paſchales anni 1138. ſedem Moguntinam vacantem Adelberto per Clerum electo modo replevit Rex.**) Legatum id feciſſe jure proprio nemo Germanus audebit aſſerere: Cur vero Trevirenſis jure ſuo ceſſerit, ejus rei conjectura eſt, quod Theodevinus fuerit perſona valde Conrado grata, boniſque in Italia officiis idonea, cum promiſerit futuro Regi aſſiſtentiam Papæ, Cleri, populique Romani, nec non urbium Italiæ contra rivalem ejus Henricum.

*) Verba Ottonis lib. 7. c. 22. hæc ſunt: *Circa mediam quadrageſimam conſilio habito in oppido Galliæ Confluentia conventum celebrant, ibique Conradum Imperatoris ſororium præſente Theodoino Epiſcopo Cardinali Regem creant, qui*

eum

mox ad palatium Aquas veniens a prædicto Cardinali „(nam Colonienſis qui „id facere jure debebat, noviter inthronizatus pallio carebat) *cooperantibus Colonienſi & Trevirenſi Epiſcopis cum cæteris in Regem ungitur.*

***) Unde palmariter in hiſtoriam ejus temporis impegit Advocatus Moguntinus in Eliſione Moguntina num. 10. ita ſcribens: Ja es befindet ſich, als nach Abſterben Kayſers Lotharii II. Kayſer Conrad der dritte zum Kayſerthum erhoben worden, daß, ob zwar die Crönung zu Aachen, adeoque in Provincia Colonienſi vorgenommen worden, jedannoch ein Erzbiſchoff zu Maynz dem Erzbiſchoffen zu Cölln den Actum Coronationis nicht verſtatten wollen, ſondern, weilen er denſelben der Zeit ſelbſten nicht verrichten können, ſolch ſein Ambt dem Päbſtlichen Legato Theodevino überlaſſen.

§. X.

Philippus Suevus coronatus fuit Moguntiæ a Tarantaſienſi Archiepiſcopo,*) cum Conradus Moguntinus in Syria, jubente Cæleſtino III, legatione apoſtolica fungeretur, Colonienſis cum Trevirenſi adhærerent Ottoni IV. Philippi æmulo: Tantum abeſt, ut hoc geſtum fuerit authore Papa, ut hic potius improbarit tum electionem tum coronationem: **) Sed Philippus ipſe, a majore Procerum parte electus, cum nullus Archiepiſcoporum præſto eſſet, hanc ſpartam commiſit extraneo Conſecratori: Capitulum tamen Moguntinum jus abſentis Archiepiſcopi ſui provide ſalvavit. ***) Quid, quod compoſito demum ſchiſmate Philippus coronam poſuit, præviaque nova electione iterum per Colonienſem coronatus eſt. ****) Tarentinus Archiepiſcopus cur Philippum conſecrarit?

*) Archiepiſcopatus Tarantaſienſis, ſive Tarentinus, eſt in regno Neapolitano.

**) Cap. *Venerabilem.* 34. *de Elect.* & litteræ Innocentii III. ad Adolphum Colonienſem.

***) Audi Arnoldum abbatem Lubecenſem, qui vixit circa an. 1209. in Annalibus Sclavorum lib. 6. c. 2. *Philippus coadunata multitudine Prælatorum & Principum de Franconia, Saxonia, Suevia, Bavaria, Thuringia apud Moguntiam conſenſu & favore omnium in regem eſt electus, & a Tarantino Archiepiſcopo* „conſenſu Cleri & conniventia Capituli majoris (ſine præjudicio „Domini Moguntini Conradi, qui nondum e terra ſancta aderat) *cum magna ſolemnitate rex conſecratur Romanorum, Auguſtus ſalutatur: ibi quoque regina regio diademate, non tamen coronata, ſed circulata, proceſſit.*

****) Struvens Einleitung zu der teutſchen Reichs-Hiſtorie. Sect. 7. §. 69.

§. XI.

Itaque ut hactenus narrata compendio repetam: Conſecratorem extraneum dubium vidimus in Joanne Ravennate, in Tarantaſienſi & Theodovino certos, ſed primum ab Imperatore deſignatum abſentibus univerſis Electoribus eccleſiaſticis, qui more majorum ſoli coronabant, ſecundum vero in caſu, quo Status quæſtionis.

omnes

omnes Archiepiſcopi præſentes conſenſerunt; id quod extra controverſiam eſt; Hic enim quæritur, *An ſtet penes eum, qui Regem de jure conſecrare deberet, imparatus autem eſt, delegare functionem alteri, cuicunque lubet, praterito & invito Electore Archiepiſcopo, qui proximas a Conſecratore hic & nunc imparato partes in actu coronationis habet?* E. g. Si, cum Rex a Colonienſi coronandus eſſet, an poſſit is mitra carens, aut alias impeditus, provinciam ſuam committere alicui ex ſuis Epiſcopis Com-provincialibus, aut ſaltem de Collegio Electorali ſeligere, quem vult, præferendo v. g. Trevirenſem Moguntino, etſi hic proximus foret?

§. XII.

Certa ſupponuntur. De jure canonico (quod tamen decidendis negotiis Imperii ſe ſolo haud ſufficit) poteſt Epiſcopus in concordia electus, etſi nondum conſecratus, delegare alteri, cui vult, vices quarumcunque conſecrationum & ordinationum. Cap. 11. *de elect.* Jure etiam Germanico fas eſt Electori impedito, ad Comitia Imperii, imo & Regis electionem mittere cum mandatis Oratorem. Mos quoque fert, ut Elector abſens vel imparatus *cooperetur* coronationi per Subſtitutum, qui v. g. ſimul imponat coronam cum Conſecratore.* Sacrum, quod coronationem ſolet comitari, fieri poſſe per Prælatum extraneum a Conſecratore delegandum, Oſtendit exemplum Joannis Schwickardi Moguntini, qui principaliter conſecravit Annam Auguſtam, Stephano Webero ejus Suffraganeo S. Miſſam cantante. Rurſum, ſi ex parte Conſecratoris ordinarii non ſe teneat impedimentum, liberæ delegationi, (intra Collegium tamen) locum fore puto, prout Leopoldum I. & Carolum VII. Francofurti unxere Colonienſes delegantibus Moguntinis. Neque videtur Moguntinus jus ullum refragandi habiturus eſſe, ſi Colonienſis non-impeditus, illo præterito, coronationem aliquando libere committeret Trevirenſi:

*) Dum coronabatur Maximilianus II. Archiepiſcopi Colonienſis & Trevirenſis, eo quod nondum conſecrati eſſent, præſentes tamen conſtituerunt a latere ſuo Epiſcopos Wirceburgenſem & Spirenſem, qui duo ſubſtituti, & non eorum principales, Imperatorem ad valvas Templi exceptum, medium deducebant in Eccleſiam, teſte Lersnero *in Chronic. Francof. pag.* 170 Quod omnino ſuperfluum erat, cum cooperari coronationi poſſit etiam Legatus Archiepiſcopi, licet non ſit Epiſcopus, prout contigit nuper in coronationibus Caroli VII. & Franciſci. I.

§. XIII.

Sententia. Sed primarias coronationis regiæ partes, invitis reliquis Collegis Archiepiſcopis, a Conſecratore *impedito* delegari, & Archiepiſcopo in ordine proximo auferri non patitur Imperii obſervantia. Hujuſcemodi delegationem nunquam hactenus vidit Germania: impedito anteſtante peregit functionem

ſequens

ſequens jure devoluto. Cujus quidem moris videtur eſſe ratio, quod a tempore Carolingorum coronatio ſemper obtigerit uni ex tribus Electoribus, Moguntino, Colonienſi, aut Trevirenſi, veluti Primatus Germanici honorem, quoad is in Eccleſiæ noſtræ Syſtema cadit, ſalva procedria, ex æquo & in ſolidum poſſidentibus: Hinc factum, ut, quanquam pro avertenda confuſione in decidenda quæſtione, cui eorum potius deberetur coronatio, habita plerumque fuerit ratio Diœceſeos, Provinciæ, & terrarum Archicancellariatus, deficiente tamen Conſecratore ejus temporis ordinario, non hæſitaverit proximus, etiam in aliena Diœceſi, & Archicancellariatu non ſuo, coronare. In caſu renitentiæ locum fore devolutioni, nemo inficias ibit: at vero quid intereſt, nolit is, qui conſecrare deberet, aut non poſſit?

§. XIV.

Devolutionem iſtam publice profeſſus eſt Archiepiſcopus Colonienſis in der kurtzen information, warum Ihro Churfürſtl. Durchleucht zu Cölln den Actum coronationis Regis Romanorum vor ihro Churfürſtliche Gnaden zu Maynz gebühre: his verbis: Agnovit hoc Colonienſis.

> Mann kann ſonſten Ihr Churfürſtl Gnaden zu Maynz die anziehende Poſſeſſion ſo weit geſtatten, daß, wann die Coronation von Chur-Cölln ob defectum qualificationis nicht vollzogen werden kan, alsdann Höchſt-gedachter Ihro Churfürſtl. Gnaden zu Maynz ſolche vor Chur-Trier, oder, wer es ſonſten unterſtehen wolte, zu thun gebühre.

Et in alia quadam deductione Anti-Conringiana Vindex Colonienſis infit: *Libenter concedimus, quod impedito & abſente Colonienſi proximæ partes ſint Moguntini.*

§. XV.

Hanc ſereniſſimi antagoniſtæ ſui confeſſionem acceptavit utiliter Moguntinus in brevi Recapitulatione informationis Colonienſis ita reſpondens: Acceptavit Moguntinus

> Und man hierauf zu dem 12ten vor bekant annimt, daß, wann ein Ertz-Biſchoff zu Cölln die Crönung nicht verrichten kan, ſolche einen Ertz-Biſchoff von Maynz gebühre:

Et in iterata diſſertatione Moguntinæ cauſæ Patronus ſic habet: *Quodſi Colonienſis Archiepiſcopus ſacerdotio non fuerit initiatus &c., moris utique eſt, ut ad Moguntinum Archiepiſcopum redeat dignitas, quæ Colonienſi alias debebatur, neque ei licet vices ſuas alteri delegare, & per Legatum officio illo fungi.*

§. XVI.

Idipſum ergo Moguntino æquum.

Si vero æquitatis regula ſuadeat, ut, quod quiſque juris in alterum ſtatuit,

tuit, eodem utatur & ipſe, ſequitur, neque Moguntinum *imparatum* poſſe delegare vices ſuas alteri, ſed reliquendum eſſe locum devolutioni. Unde enim ampliore gauderet privilegio hac in parte Moguntinus, quam Colonienſis? Hinc cum Joannes Philippus Elector Moguntinus in der Chur-Maynziſchen Erklärung d. d. 8. Jul. 1653. prope fin. ſcripſiſſet:

> Da ſein nächſter am Ertzſtifft Vorfahrer 1630. bey Crönung der Kayſerin Eleonoræ mit den neceſſariis nicht verſehen geweſen, habe Er den Herrn Churfürſten zu Trier um Ubernehmung dieſes Actus ſolemnis erſucht, und ſein Officium übertragen, von ſeiner Liebden auch nicht jure proprio, ſed alieno, Moguntino ſcilicet, verrichtet worden;

repoſuit Colonienſis in der Chur-Cöllniſchen Antwort:

> Dieſes Recht ſeye dem Churfürſten Philipps Chriſtoffen zu Trier jure devolutionis, non vero delegationis Moguntinæ (da beyde Churfürſten Anſelmus Caſimirus zu Maynz, und Ferdinandus zu Cölln ob defectum infularum nicht qualificiret waren) anerwachſen, und ſeye dabey gar keiner reverſalen gedacht worden.

§. XVII.

Cardinalis Oſtienſis quando coronet Romæ Imperatorem?

Similis devolutio fertur obtinere in coronatione Romana Imperatoris: nam mortuo vel renitente Papa Oſtienſis Epiſcopus, qui inter Cardinales primo loco eminet, & ſacri purpurati Collegii Decanus eſt, atque iſta ratione proximus a Pontifice, Romæ coronat Cæſarem. *)

*) Vivo Papa Cæſarique favente, Oſtienſis non coronat, niſi a Papa delegatus, ita Carolus IV. anno 1355. Romæ unctus fuit a Petro Bertrando Cardinali Oſtienſi, qua Nuncio Innocentii VI. tunc Avenione reſidentis, adjuncto tamen collega Alburnozzio: Et licet proximitatis intuitu alius ab Oſtienſi facile ſubſtitui non debeat, non alligavit ſe tamen Pontifex uſque adeo huic Oſtienſis proëdriæ, quin alium præferre poſſit: atque ideo Henricus VII. anno 1312. a tribus aliis Cardinalibus Clementis V. Legatis coronam accepit. Cum Joannes XXII. recuſaret coronare Ludovicum IV, ambigebatur, a quo is diademate ornaretur? Cumque Senatus urbis crederet, abſente Papa ſibi competere hanc functionem, decrevit Imperator benedictionem & unctionem prius recipere ab Epiſcopo Veneto, deinde vero coronam a quatuor Baronibus per Senatum deſignatis, quorum primipilus erat Sciara Colonna, Præfectus urbis. *Vide lexicon hiſtoricum & Foreſti in Ludovico Bavaro.*

§. XVIII.

Pro Trevirenſi Carolum calvum coronavit Rhemenſis.

Obtinuit quoque hæc in officium coronationis Regum Auſtraſiæ ſucceſſio inter Archiepiſcopos Rhemenſem & Trevirenſem, quorum Eccleſiæ olim, ut Tillius homo Gallus ſcribit, æqua dignitate gaudebant: Nam vacante cathedra Trevirorum Hincmarus Rhemenſis etiam in Trevirenſi provincia, nimirum

Metis,

Metis, coronavit Carolum agnomine calvum. Deſcriptionem hujus ſolemnitatis, excuſationemque facti exhibet Hincmarus ipſo Tomo 1. operum ſuorum.

§. XIX.

Neque vero ipſa Regum noſtrorum inauguratio germanica deſtituitur exemplis: quippe Anno 1215. defectum Colonienſis ſupplevit Moguntinus coronando Fridericum II. *) Et idem rurſus anno 1314. cum Henricus Colonienſis ſchiſmate facto coronaſſet Bonnæ Fridericum Auſtriacum, Moguntinus Aquiſgrani conſecravit Ludovicum Bavarum. Reliqua exempla prætereo, cum ſit incertum, an tunc Moguntinus ex jure devoluto, an vero potius jure proprio ſuæ provinciæ & Archi-Cancellariatus loco Colonienſis hoc munere defunctus fuerit? Exempla domeſtica.

*) Caſum narrat Godefridus monachus apud Freherum pag. 282. his verbis: *In ipſa etiam vigilia Fridericus Rex Siciliæ cum quibusdam Principibus & Nobilibus totius Lotharingiæ Aquisgrani veniens, ſequenti die, ſcilicet in feſto S. Jacobi a Syfrido* (Moguntinus Archi-Præſul erat) *Legato Apoſtolicæ ſedis, Coloniæ Archiepiſcopo non exiſtente, in Regem ungitur, & in Regali ſede collocatur.*

§. XX.

Sic itaque ſtabilito ſucceſſivæ devolutionis jure inter eccleſiaſticos Electores quoad coronationem Regis, conſequitur, *impedito, renitente, aut negligente Electore, qui jus coronandi pro hac vice haberet, ſuccedere Electorem proximum*, nempe illum, qui primas poſt conſecratorem ordinarium in hac functione partes ſibi vendicat. *) Hæc enim eſt indoles ac natura devolutionis, *ut gradatim fiat*, ſive aſcendatur, quod jure canonico accidit in ſupplenda negligentia Prælatorum, ſive deſcendatur, uti in caſu, quo primus Elector impediretur. Devolutionis regula.

*) Clarius: Qui in actu Conſecrationis a dextero latere Conſecratoris ſtat, & cum proëdria coronam una capiti imponit, is deficiente Conſecratore principaliter coronaret.

§. XXI.

Si hæc devolutionis regula ſubſiſtit, inquis, ergo imparato vel renitente Moguntino coronatio, quæ fieret in partibus Archi-Cancellariatus Moguntini, non pertineret ad Colonienſem, ſed Trevirenſem: Recte infers: nam (quidquid ſit in petitorio) Trevirenſis poſſeſſionem ſuæ præcedentiæ & proximioritatis in ſolemniis coronationis regiæ hactenus invicte tuitus eſt, Moguntinoque a dextris ſtetit, ſiniſtram tenente Colonienſi.*) Imparato Moguntino ſuccedit ergo Trevirenſis.

*) Exiſtente hoc caſu, reviviſceret inter Trevirenſem & Colonienſem tota illa contentio, quæ ſuperiori ſæculo huic cum Moguntino interceſſerat: Colonienſis,

ſis equidem rurſus provocaret ad verba aureæ Bullæ, Trevirenſis autem opponere poſſet, quod Moguntinus conſtanter oppoſuit, nullius unquam Regis coronationem a Colonienſi in diſtrictu Archi-Cancellariatus Moguntini fuiſſe celebratam, Aquisgranenſes autem inaugurationes intuitu ſolius provinciæ, intra quam non Trevirenſem modo ſed & Moguntinum in ſolemnitatibus regiis vi aureæ Bullæ præcedit, extra illam vero ab utroque vincitur.

§. XXII.

Tranſactio de anno 1657. non obeſt Trevirenſi.

Neque Tranſactio illa, quam durante Comitio electionis Leopoldinæ inter ſe inierunt Moguntinus & Colonienſis, quidquam præjudicat Trevirenſi, quo minus in caſu impediti Moguntini aut non accincti jure devoluto gaudeat: nam 1. hæc conventio res eſt inter alios acta, proinde, licet Capitulationibus inſerta, perſonas Imperatoris & tranſigentium non egreditur, ſicut multi alii Capitulationis articuli, ſignanter dicente Joſephina art. 36. was zwiſchen beyden Churfürſten zu Maynz und Cölln, wegen der unter ihnen der Crönung halber entſtandenen Irrungen ꝛc. 2. Tranſactio iſta procedit de caſu, quo Moguntinus neceſſariis inſtructus eſt, quoque conſequenter Trevirenſis fruſtra certaret cum Colonienſi, cum hoc etiam victo præpediretur tamen a Moguntino. Quod autem conventio hæc nequeat intelligi pro alio caſu, quam quo Moguntinus foret accinctus, atque ipſe præ Colonienſi conſecratus, elucet ex eo, quod tranſigendo fruſtra cedatur illud, ad quod gerendum quis, cum maxime vellet, non admitteretur.

§. XXIII.

Non-uſus Trevirenſi haud obeſt.

Neque Em. Trevirenſi nocet, quod nullum actum poſſeſſorium coronationis jure ſucceſſivo ad ſe devolutæ contra Colonienſem allegare poſſit: nam pari ſorte laborat Colonienſis, neque enim hic unquam deficiente Moguntino extra provinciam Colonienſem Regem præ Trevirenſi coronavit: Nempe caſus iſte nondum extitit: facultas autem, quæ defectu occaſionis in actum non exit, lapſu temporis aut non-uſu haud perimitur. Ut regulæ meæ de jure devoluto ſit locus, non requiritur actus poſſeſſorius *ipſius coronationis*, ſed *proximioritatis*, quos omnes Trevirenſi patrocinari compertum eſt. Sic enim ad judicem, qui in poſſeſſione proximioritatis eſt, pertinet appellatio, etiamſi nulla de præterito, acquieſcentibus fortaſſe partibus, ad ejus tribunal veniſſet provocatio. Dicis equidem, A. 1630. tunc demum coronaſſe Eleonoram Trevirenſem Archiepiſcopum, cum non ſolus Moguntinus, ſed etiam Colonienſis careret infulis: at tu, quid prætendiſſet Trevirenſis, impedito Moguntino, & parato Colonienſi, mecum ignoras: Caſus iſte ſic erat comparatus, ut neceſſe non fuerit, tunc Colonienſi declarare, quid Trevirenſi acturus fuiſſet, accincto etiam

iam Colonienſi. Exſpectetur caſus, & videbitur, quid ſibi juris vendicaturus ſit Trevirenſis.

§. XXIV.

Aurea Bulla, inquis, fundat intentionem Colonienſis per verba indefinita & generalia cap. 4 §. 4. *Deinde a Colonienſi Archiepiſcopo, cui competit dignitas, nec non officium, Romano Regi primum diadema regium imponendi.* Ad petitorium delaberis: ego actus proximioritatis poſſeſſivos hic deſidero: hos ad mentem Aureæ bullæ, quæ ibidem Trevirenſem in voce danda præfert, ex perpetua obſervantia in coronatione pro ſe derivat Trevirenſis. Indefinitam ac generalem aureæ Bullæ loquelam ſuo tempore non intellexit Moguntinus, ſed verba Caroli IV. ad provinciam Colonienſem reſtrinxit: non intelliget fortaſſe Trevirenſis ad exemplum Moguntini, ſi caſus emergat. Accedit, quod Colonienſis ipſe hanc, (ut ipſe quidem interpretatur) indefinitam reſtringi paſſus ſit, dum omne jus, quodcunque ſibi univerſaliter competere judicabat, pro Diœceſi Moguntina abdicavit, extra hanc & ſuam ſola alternativa contentus, idque non Trevirenſi (qui diſſimulare potuit, poteritque deinceps, dum caſus devolutionis comparebit) ſed Moguntino ſolo ſtipulante. Neque in pacto ſæpe dicto reſervavit ſibi Colonienſis coronationem in Diœceſi Moguntina caſu, quo Moguntinus neceſſariis careret.

Aurea Bulla nequicquam allegatur pro Colonienſi.

§. XXV.

Nemini hæc videantur nimia, qui ex vetuſtiſſimo Witekindo infra §. 29. allegando meminerit, olim Archi-Epiſcopum Trevirorum prætendiſſe jus coronandi præ utroque, Moguntino & Colonienſi, etiam in hujus diœceſi propria; Ceſſit utique poſtea Moguntino *qualificato* in partibus Archicancellariatus Germanici, ceſſit Colonienſi parato in ejus provincia: At Colonienſi nunquam deceſſit extra provinciam ejus caſu, quo Moguntinus conſecrare debuiſſet, & propter impedimentum juris aut facti non potuit: quemadmodum nec renunciavit unquam juri coronationis, ſi hæc perageretur ob novas temporis circumſtantias intra fines Archicancellariatus Trevirenſis, (ſola provincia Colonienſi excepta) v. g. Treviris, Confluentiæ, aut Metis, nec a ſe abdicavit exercitium Archicancellariatus ſui, ſiquando dictis in urbibus aulam haberet Imperator *)

Confirmatur jus Trevirenſe.

*) Præter coronationem regiam extant alia multa, quæ Trevirenſis deficiente Moguntino exercere poſſe videtur jure proximioritatis præ Colonienſi, v. g. Directorium & Dictaturam in Comitiis, convocationem Collegarum ad electionem novi Regis, receptionem juramenti ſecuritatis a Francofurtenſibus, collectionem votorum, ultimamque vocem, prout hæc omnia exercet Moguntinus.

§. XXVI.

Aquisgrani quis defectum Colonienſis ſuppleat?

At, quis præferendus eſſet Aquisgrani, imparato vel renitente Colonienſi, Moguntinus an Trevirenſis? Aquisgrani, inquam, quippe ſi Colonienſis alibi in vim ſolius alternativæ coronare deberet, utique præferretur Trevirenſi Moguntinus, qui jus prætenſum ſoli Colonienſi per amicabilem compoſitionem ceſſit: Hanc difficultatem levi brachio expedient, qui antecepto ſuppoſito laborant, Trevirenſem a jure coronandi penitus excluſum eſſe, atque hunc honorem inter Moguntinum & Colonienſem ſolos dividi ad normam famoſæ tranſactionis de anno 1657.

§. XXVII.

Ratio pro Moguntino.

Pro Electore Moguntino militat data regula de gradatim inſtituenda devolutione, cum, quoties coronavit Aquisgrani Colonienſis, proximas ab hoc partes cum proëdria habuiſſe legatur Moguntinus, proinde merito in locum deficientis Colonienſis præ Trevirenſi videatur eſſe ſucceſſurus.

§. XXVIII.

Pro Trevirenſi ratio prima.

Trevirenſi autem patrocinatur, quod is per Galliam ſaltem Belgicam, in qua Aquisgranum eſt, & Primas & Archicancellarius ſit: quo titulo ſibi per Germaniam competente Moguntinus ipſe contra Colonienſem vendicavit jus coronandi per terras ſui Archi-Cancellariatus & Primatus. *)

*) Videatur Churs Maynziſche Erklärung d. d. 8. Jul. 1653. pag. 21. ubi ait Moguntinus, competere ſibi coronationem *ex vi & efficacia Primatus & Archi-Cancellariatus per Germaniam.* Et rurſus in brevi recapitulatione num. 6. dicit, a Cancellariatu legitimum duci argumentum.

§. XXIX.

Ratio ſecunda.

Adſtipulatur teſtimonium Witekindi lib. 2. de geſtis Saxonum ſcribentis: *Cum quæſtio eſſet Pontificum in conſecrando Rege* (Ottone M.) *Trevirenſis videlicet & Coloniæ Agrippinæ, illius, quia antiquior ſedes eſſet, & tanquam a D. Petro Apoſtolo fundata, hujus vero, quia ad Diœceſin pertineret locus, & ob id ſibi convenire arbitrati ſunt hujus conſecrationis honorem, ceſſit tamen uterque eorum Adelberti Moguntini cunctis notæ ſanctitati, atque Moguntinus ipſe more majorum ipſum Ottonem conſecravit, & coronavit.* Eviſceremus hanc narrationem: Ecqui tunc contenderunt de rege coronando? Non Moguntinus, ſed Trevirenſis & Colonienſis ſoli, atque inter ſe tantum: Ecqui produxerunt momenta ſuæ intentionis? Non Moguntinus, ſed Trevirenſis & Colonienſis ſoli. Quæ ratio, cur denique ambo ceſſerint Moguntino? nota Adelberti ſanctitas: hæc nullum

coro-

coronandi jus tribuit, movit tamen diſſidentes, ut pro illa vice tantisper ſuſpenſam relinquerent litem, ac neutro coronante mutuo arbitrio ſurrogarent Tertium, nempe Moguntinum, qui cum Aquisgrani nihil juris hujus prætenderit, neutri corrivali præjudicabat. Certarunt itaque inter ſe ſoli Trevirenſis & Colonienſis: vicit ſuccedentibus annis poſterior, cedente Trevirenſi: hic autem Moguntino nequaquam ceſſit perpetuo, ſed, ut Gobelinus Perſona *in Coſmodromio* ſcribit, *pro illa vice.* Igitur, quo minus de jure coronaret Ottonem Trevirenſis, ſolus obſtitit Colonienſis: jam vero, ſi is, qui ſolus obſtat, per mortem, impedimentum, aut ſchiſma removeatur, quid naturalius eſt, quam activitate donari jus ejus, cui obſtitit?

§. XXX.

Fridericum II. a Syfrido Moguntino, non exiſtente Colonienſi, unctum fuiſſe Aquisgrani, ſcribit Godefridus monachus (§. *19.*) Verum, cum, referente eodem, Syfridus tunc egerit Pontificis Romani Legatum, hæc Trevirenſis ceſſio nihil probat: nam quoque, dum coronabatur Aquiſgrani Conradus III. non exiſtente Moguntino, & imparato Colonienſi (§. *9.*) indubie ad Trevirenſem pertinebat functio, & tamen Theodevino Legato Apoſtolico pro illa vice libere & citra præjudicium detulit hunc honorem. Adde, quod veriſimile non ſit, Trevirenſem adfuiſſe: nam Godefridus hiſtoricus, cum totum coronationis actum, ſignationemque Crucigerorum, *Rege mox conſecrato* factam narraſſet, multoſque Præſules enumeraſſet, Trevirenſem, quem præprimis nominari oportuerat, omnino tacuit. Non obeſt Trevirenſi coronatio Friderici II.

§. XXXI.

Ludovicum IV. renitente Colonienſi, atque in ſchiſma ſecedente pariter conſecravit Aquiſgrani Moguntinus: Sed cape, quid hanc in rem, memoret P. Chriſtophorus Browerus in Annalibus Trevirenſibus: *Porro*, inquit, *Ludovicus a Balduino Trevirenſi & Moguntino Archiepiſcopo Aquas deductus, vel invito Henrico Colonienſi Novembri menſe illic inſigne Regis obtinuit.* Neque inauguratio diſceptatione caruit, utri coronandi munus proceres deferendum putarent? *delecti ex utroque ordine arbitri, Gerardus Juliacenſis, Joannes Sponheimius, Henricus Sponheimius Præpoſitus Aquenſis, Henricus Iſenburgicus, Arinveltius dynaſta, Ægidius de Rodemacra Joannes Brunshornius, & Giſo Molsbergius, qui interpoſita fide rem Principis judicio permiſere: Is autem* in præſens *Moguntinenſi Archiepiſcopo primas detulit*, hac tamen lege, ut intra proximum menſem jus præjudicatum teſtimoniis & tabulis exhibitis ab antiquitate repetitum doceret: id ni faceret, tum pro Balduino Trevirenſi conſecraſſe videretur, adeoque judicaturum ſe, abſente Colonienſi id munus Trevirenſis Archiepiſcopi proprium & Neque Ludovici Bavari.

per-

perpetuum esse, ac in posterum etiam solemne fore. *At vero cum elapso praestituto mense nihil eorum a Moguntino, Regis arbitrio fideque sponsorum, factum fuisset, hujus rei postea testes eosdem, qui supra nominati, Balduinus esse voluit, idque ipsum rogati ita fecerunt omnes, uti data testantur ab illo littera in oppido Sigebergo.* Hæc Browerus: Sammarthani cum recentioribus, imo & illius ætatis historici Lewoldus, Northoff, & Hocsenius inaugurationem Ludovici adscribunt simpliciter Balduino Trevirorum Archiepiscopo, quod verum esse potest, quatenus Elector Moguntinus, conditione destituta, non suo, sed Trevirensis nomine coronasse visus sit.

§. XXXII.

Conclusio.

Atque hæc in utramque partem argumenta modeste produxi, ut electio tanto facilior sit penes lectorem, nam, ut Herodotus lib. 7 scribit, *nisi diversa inter se sententia dissentur, non poterit quis eligere veriorem.* „Sed requiret for„san aliquis, quis author sit? Potest hoc quidem quæri, & recte quæritur, „si inquisitio valet ad fructum aliquem pervenire; Cæterum, si infructuosa „est, quid necesse est, ut laboret curiositas, cum profectum curiositatis non „sit habitura cognitio: in omni enim volumine profectus magis quæritur le„ctoris, quam nomen authoris. *Præfatio Salviani in lib. 1. de avarit.*

Animadversiones Editoris.

Ad §. VIII. Ex testimoniis relatis ab HAHNIO *Hist. Part II. C. V. §. VIII. not. a.* patet scriptores de coronatione *Ottonis III.* diversa ratione loqui. WOLFHERUS *in vita S. Godehardi C. 1.* ait: *Otto tertius puer coronam regni a praenominato Metropolitano (Willigiso* Moguntino) *honorifice percepit. Auctor vitae Meinwerci §. V. Otto unctione Joannis, Ravennatis Archi-Episcopi Aquisgrani Rex consecratur. Annalista Hildesheimens. ad an. 984. Filiolus Imperatoris tertius videlicet Otto per unctionem Joannis Ravennatis Archi-Episcopi Aquisgrani unctus est in Regem:* denique DITMARUS ab Auctore citatus utriusque mentionem facit.

Ad §. XIII. Auctor hic putat quoad jus coronandi quoque Archi-Cancellariatus rationem habitam fuisse; sed rectius id negatur in cit. jam *Hermen. in anecdotum Trev. §. XIV.* cum Archi-Cancellariatus solum spectaret ad negotia Imperii politica; munus autem consecrandi ungendique Regem semper habitum fuerit spirituale, atque ad actus Pontificales relatum: quare potius quoad illud considerationem habitam Primatus Ecclesiastici, regulaeque illius Canoni-

nonicæ, ne Metropolita extra ſuam provinciam actus Pontificales exerceret; eo vero impedito ex principiis Juris Canonici jus ſupplendi ad Primatem devolvendum eſſe ſtatuit.

Ad §. XVII. HAEBERLIN *Hiſt. Tom. VIII. p. 96. in not.* vult ab *Oſtienſi* jam ſub *Clemente V.* cum ab eo ad coronandum Romae *Henricum VII.* praecipue Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis deſignaretur, de ea re controverſiam motam fuiſſe; eidem in abſentia Pontificis Imperatorem coronandi praerogativam vindicare recens conatus eſt FAUST. ANT. MORONO *in Comment. de Eccleſiis & Epiſcopis Oſtienſibus & Veliternis Romae. 1766.* Quod vero coronationem *Ludovici IV. Romanam* ab Auctore allatam concernit, ea plane extra regulam eſt: quis enim ante eundem unquam audivit tale quid a Senatu Populoque Romano praetendi, penes eum eſſe jus coronationem Imperatoris moderandi, immo deſignandi, qui eandem Senatus populique nomine peragerent, quemadmodum ſub Ludovico factum? Epiſcopis quoque quos ad unctionem ſacram adhibuit *Ludovicus* nullo uſquam ex capite tale quid competere potuit.

Ad §. XIX. Coronationem *Ludovici IV. Germanicam a Moguntino* peractam fuiſſe jure devoluto indubium eſt Auctori: ſed nequidem quid BROWERUS de ejus rei difficultate jam meminerit, vidiſſe videtur: nunc vero non hæc ſolum coronatio qua ratione a Moguntino peracta fuerit, ſed & alia quae de hoc jure devolutionis habet Auctor, ex nominata jam aliquoties *Hermenia in Anecdotum monumentum Trevirenſe* illuſtrantur; hoc ſane conſilio utrumque hoc opuſculum Anonymi eidem ſubjungere volui, ut materia haec illuſtris quaſi ſub uno obtutu lucem majorem caperet, quanquam alias ex ſcopo mihi praeſtituto lucubrationes iſtae Anonymi mihi potius omittendae fuiſſent.

XV.

NICOLAI IGNATII KALES

Doct. Theol. Cand. Reverend. et Celſiſſ. Epiſcopi Principis Wirceb. Vicariatus et Conſiſtorii Aſſeſſoris, nunc Conſiliarii Eccleſiaſtici &c.

DISSERTATIO

DE

POTESTATE EPISCOPORUM PRIMIGENIA ET SOLIDA SUAS REGENDI DIOECESES.

Wirceb. 1760.

PRAEFATIO.

Illuſtre de primigenia & ſolida Epiſcoporum poteſtate, ſalvo tamen ſummoque ſemper in honore habito Primatu ſedis Apoſtolicæ, ejuſque Reſervatis Argumentum tractaturo mihi variæ ſeſe Auctorum & Canoniſtarum ſiſtunt opiniones: mentione haud digna videtur nonnullorum ſententia, qua minus recta Epiſcopalis poteſtatis idea, quæ in Hierarchia Eccleſiæ divinitus inſtituta ſemper maxima in veneratione fuerat, imbuti, plus æquo ab ejus præſtantia deflexerunt, Vicarios duntaxat Romani Pontificis Epiſcopos eſſe incongrua prorſus ratione ſibi perſuadentes, quorum paucorum opinamento ſepoſito plures comperire eſt, qui, utut Epiſcoporum dignitatem tam alieno non deforment conceptu, nihilominus eos primigeniam, ſolidamque in regendis ſuis quemque diœceſibus ad earum ſpirituale bonum agendi, ſtatuendique poteſtatem, quanta quanta illa demum ſit, aliam non habere palam enuntiant, niſi quatenus ex ſede Apoſtolica immediate & unice illis conceſſa eſſe dignoſcatur: Quibus alii magnæ exiſtimationis Viri ſeſe confidenter opponunt libere aſſerentes Epiſcopali dignitati ejuſcemodi poteſtatem jure prorſus divino competere, ipſamque ex primordiali ſua natura ad omnia ſe extendere, quæ ſubſtantialia primatus non

afficiunt,

afficiunt, & quamdiu exercitium illius ſpeciali Reſervatione; ſive hæc a Canone ſive a conſuetudine ortum habeat, a ſede Apoſtolica fuiſſe ligatum oſtendi nequit. Hæc poſtrema ſentiendi ratio, cum prævalidis innitatur argumentis, mihi de hac ſolida poteſtate differenti præplacet, eoquod cum primigeniis Epiſcoporum juribus, tum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ac praxi antiquiorum ſæculorum maxime conſentaneam eſſe dignoſcam. Ut vero in hujus eximii Argumenti dilucidatione rite incedam, certa in capita præſentem diſſertationem diſpeſcere juvabit, ac in primo Capite ſub obtutu collocabitur generale quoddam poteſtatis Epiſcopalis ſyſtema, ejuſque Exercitium, quomodo ſemper viguerit in Eccleſia: quo declarato in ſecundo capite Epiſcoporum poteſtatem regiminis immediate a Deo & Chriſto Domino provenire evincam, licet eam ſummæ Sedi divinitus ſubordinatam haud diffitear; in tertio contrariæ fundamenta opinionis ex ſolidioribus Juris Canonici principiis moderatione tamen ſtyli in omnibus ſervata confutabo. In quarto dein poteſtatem Epiſcoporum primigeniam ſuis pro diœceſibus plenariam ſolidamque, ſalvo tamen primatu ſedis Apoſtolicæ ejusque reſervatis deducam; ac demum in quinto nonnullas, quæ huic aſſertioni obſtare videntur, difficultates ita reſolvere mihi pronum promptumque erit, ut veritas a me propoſita, indeque Epiſcopalis poteſtatis eminentia ac ſacra libertas in iis, quæ nec jura primæ Sedi pro bono unitatis a Chriſto Domino privative appropriata tangunt, nec ſpecialis cujuſdam reſervationis vinculo conſtricta reperiuntur, magis perſpicua ſit reddenda. Interea dum hæc præſtare allaboro, æqui bonique B. L. quidquid huc attulero, conſulas, enixe te rogatum volo.

CAPUT I.

Generale quoddam poteſtatis Epiſcopalis Syſtema, ejuſque Exercitium quommodo ad noſtra uſque tempora viguerit in Eccleſia, exponit.

I.

Condignam Pereximiæ poteſtatis Epiſcopalis, quæ poſt ſupremam Pontificiam in Hierarchia Eccleſiæ prima & prorſus divina audit, ideam, eamque genuinam efformare ſibi quiſquis deſiderat, ad antiquiſſima N. L. fundamenta, ipſaque ſacri Animarum regiminis primordia eundem recurrere veritas jubet; ſiquidem tanto plenius atque perfectius ex ſuis illam fontibus delineare contendat. Enim vero excelſum Epiſcopatus Ordinem, cujus dignitatis æque ac po-

teſtatis inexhauſta plenitudo in ipſo Chriſto Domino ſummo Epiſcoporum Epiſcopo & Paſtorum Paſtore primum emicuit, a cujus dein munificentiſſima auctoritate plenitudo hæc exundavit in Petrum, cæteroſque Apoſtolos, & horum ſucceſſores Epiſcopos, ipſi Eccleſiæ coævum eſſe, & primævæ hujus fundationi initia referre ſua ſacris ex paginis nemo eſt, qui non intelligit. Nimirum Redemptor generis humani ſempiternus Dei filius e ſinu Patris cœleſtis huc adveniens carne indutus humana, ut novæ Legis, novæque Eccleſiæ fundamenta in terris jaceret, perfectumque in ea Regimen inſtitueret, quo ſub uno ſupremo capite & paſtore plures alii ſubordinati Duces & Paſtores inferiores electo fidelium cœtui præeſſent, gregemque Dominicum paſcerent, & docerent ad perfectionem veræ juſtitiæ, ſanctitatem vitæ & diſciplinæ, & felicitatem æternam ultimate in cœlis obtinendam, ipſe primus ejusdem Pontifex numeris omnibus abſolutus, & *Epiſcopus animarum noſtrarum*, ut loquitur Apoſtolus 1. Petr. 2. v. 25. fieri jam, & nominari dignatus eſt, quo ſeſe, qualis decebat, ut eſſet auctor, & fons omnis gratiæ & poteſtatis ſpiritualis, præbuit tanquam vivum exemplum, quatenus Pater æternus *ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt Corpus ipſius, & plenitudo ejus.* ad Eph. 1. Quidquid proinde virtutis & Auctoritatis in potioribus Eccleſiæ membris reperitur, illius totum eſt, qui primum eſt eorum principium, ex quo in aliis divina eadem vis operandi exiſtit.

II.

Ut autem idem Salvator mundi, quamvis nunquam deſinat eſſe uſque ad conſummationem ſæculi principale & primarium Eccleſiæ caput, non tantum quoad interiorem influxum gratiæ, & donorum ſpiritualium in ſingula membra, ſed & per ſpecialem aſſiſtentiam quoad rectum ordinatumque Regimen totius Reipublicæ Chriſtianæ, cui Spiritu ſuo conſtanter ſe adfuturum eſſe promiſit, brevi tamen ad Patrem reverſurus, & intraturus in Regnum gloriæ ſuæ eidem de ſtabili & externo quoque regimine optime provideret, cui ipſe viſibiliter amplius non præeſſet, in conſortium miniſteriale ſuæ poteſtatis a Patre acceptæ vocavit duodecim Apoſtolos, quos tanquam viſibilia capita Auctoritate delegata cum Generali mandato inſtruxit vices illius in terris adimplendi, & quæcunque ad incrementum boni ſpiritualis animarum & ædificationem ſuæ Eccleſiæ conducunt, quam acquiſivit ſanguine ſuo, ſedulo procurandi, ac uſque ad diſpendium vitæ & profuſionem ſanguinis ad exemplum ſui Magiſtri conſtanter perficiendi: ita enim dixit ad illos Joh. 20. *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* & Matth. 28. *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & ſpiritus ſancti: docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Inſuper ne per glorioſam Apoſtolo-

ſtolorum mortem novum hoc regimen Eccleſiæ per quatuor mundi plagas dilatandæ in primis adhuc incunabulis jamjam deficeret, plebsque Chriſtiana ubique terrarum diffuſa neceſſariis ſuis paſtoribus, & legitimis rectoribus deſtitueretur, conſtituti ſunt Epiſcopi ſecundum illud ad Epheſ. 4. *Aſcendens in altum... & ipſe (Chriſtus ſcilicet) dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores* (ſub quibus ex communi interpretum ſenſu indigitantur Epiſcopi) *ad Conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti:* quem in finem facta etiam fuit Apoſtolis poteſtas alios, nimirum Epiſcopos loco ſui ad idem munus eligendi & aſſumendi, ita ut ſimili poteſtate & Authoritate, quanta pro ſtabilis ac perpetui hujus regiminis adminiſtratione neceſſaria nullo non tempore fuit, inſignirentur, ſicque continuata ſucceſſione uſque ad finem mundi penes eosdem regimen Eccleſiæ haud interrupta ſerie perſeveraret.

III.

Cum vero ex aucto Epiſcoporum numero ob excreſcentem fidelium multitudinem prævideretur augendum quoque periculum confuſionis, & perturbationis in Eccleſia Dei, neve alter alterum impediret in functionibus Apoſtolicis, ex debito divinæ inſtitutionis cuique ſua portio gregis aſſignanda fuit juxta vulgatam D. AUGUSTINI regulam: *quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id credas feciſſe Deum:* fueruntque jam ab Apoſtolis cœptæ determinari, & diſtinqui diœceſes, ſive diſtrictus, intra quos ſpectata diſciplina Eccleſiæ a primis ſæculis accepta & hactenus conſervata Epiſcopis tanquam primariis paſtoribus omnis ſollicitudo incumbebat, ſive ſolida plenaque ordinandi & judicandi, regendi & paſcendi poteſtas concredita fuit, cujus rei exemplum jam habetur in Epiſtola D. Pauli ad Titum, ubi Apoſtolus C. 1. v. 5. ita: *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi:* itaque ex Apoſtolis, & pluribus per diverſas provincias conſtitutis eorum ſucceſſoribus Epiſcopis unum a Chriſto regimen Eccleſiæ eſt conflatum, quod, ut perfectiſſimam obtineret formam, velut acies caſtrorum bene ordinata, ejuſque compago nulla ætate aut machinatione poſſet diſſolvi, unum debuit obtinere caput viſibile, unumque ſummum paſtorem, qui ſollicitudinem gereret totius, & cui regimen univerſale committeretur omnium Eccleſiarum particularium, adeoque totus mundus velut diœceſis eſſet ad ſervandam unitatem in corpore Eccleſiæ & ſingulis membris; cum enim inquit D. THOMAS *add. ad 3. p. q. 40. ar. 6. multa Dominus ordinaverit ad unum, opportuit ſupra poteſtatem regitivam plurium eſſe poteſtatem univerſalem, quæ colligaret ad unum:* atque hujus unitatis primum fundamentum conſtituit in S. Petro, dum illi dixit Matth. 16 v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc*

Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum &c. item Joh. 21. *paſce agnos meos, paſce oves meas.* Quæ verba ſingularem ſane prærogativam non tantum honoris, ſed & jurisdictionis a Chriſto Domino Petro, ejusque in primatu ſucceſſori Romano Pontifici collatæ clariſſime ſignificant, prout neceſſe fuit ad ſtabiliendum hoc unitatis Eccleſiaſticæ caput, ut cum ſupereminente quadam authoritate reliquis in officio & concordia continendis præficeretur.

IV.

Hæc tamen unitas & Excellentia capitis nequaquam poteſtati & authoritati Epiſcoporum quid præjudicare cenſenda eſt, uti præclare diſſerit Gelaſius I. in hæc verba: *tu es Petrus &c.* & rurſus: *Ego rogavi pro te Petre:* & illud: *paſce oves meas. Quare ergo ad Petrum tam frequens Domini ſermo dirigitur? nunquidnam reliqui ſancti & beati Apoſtoli non erant ſimili virtute ſuccincti? Quis hoc audeat affirmare? ſed ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio, & una monſtraretur compago Corporis Chriſti, quæ ad unum caput glorioſiſſima dilectionis ſocietate concurreret:* item S. CYPRIANUS M. *de unitate Eccleſiæ: hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit & Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur.* Ampliſſima igitur quidem ex natura ſua & inſtitutione divina eſt Epiſcopalis poteſtas, ea tamen nonniſi ſecundum unitatem & communionem tum ad Epiſcopos inter ſeſe, tum vel maxime ad Petrum ejusque ſucceſſores exercenda, certoſque intra limites ab Eccleſia præfixos, ſicut doctiſſimus GERSON *de poteſt. Eccleſ. conſid. 9.* ſcribit; „& forte quoad uſum vel exercitium poteſtatis Eccleſiaſticæ ſic evenit ipſis „etiam Apoſtolis & Diſcipulis, quod poſt immediatam conceſſionem utriusque „ſcilicet poteſtatis & uſus factam a Chriſto poſtmodum creſcente numero fide„lium fuit ad tollendum ſchiſma, & ad exemplum dandum poſteris limitatio „facta talis poteſtatis quoad uſum: & hoc per Petrum ſummum Pontificem, ut „non quilibet poſſet in quemlibet uti poteſtate ſua attenta Chriſti ordinatione „primaria, qua voluit Eccleſiam ſuam regi principaliter ſub uno & ab uno Mo„narcha, ſicut eſt una fides, unum baptiſma, & una Eccleſia unitate Capitis „tam primarii, quam Vicarii. Quoniam iſte eſt optimus principatus præſer„tim in ſpiritualibus ad conſervationem unitatis fidei, ad quam obligantur „omnes.

V.

Ex quibus hucuſque breviter delineatis optime præ cæteris concludendum eſſe facili negotio quilibet deprehendet: Summo Pontifici quidem de Jure divino, & ex inſtitutione Chriſti competere Regimen Monarchicum; ſed ex eodem jure Ariſtocratia temperatum, utpote ſaluberrimam conſiderata præcipue

pue naturæ humanæ poſt lapſum Adami corruptione regiminis formam complectens, in quo conveniunt omnes DD. Catholici, ut obſervat ipſe Cardinalis BELLARMINUS *L. 1. de Rom. Pont. C. 3. & 5.* & D. THOMAS *in 4 contra gentes cap. 76.* atque hoc ſenſu recte inſcripſit Paulus Germanus Mildeburgius Sempronienſis Epiſcopus ſuos libros *de recta Paſchæ celebratione* Leoni X. Pontifici Maximo dicatos: *Ad ſummum Chriſtianæ Ariſtocratiæ Principem, Maximumque ſacrorum Antiſtitem Leonem.* Quamvis nimirum in Eccleſia Chriſti ſit unum viſibile caput & unus ſupremus Princeps, cujus imperio & voluntate ſecundum menſuram ſervandæ unitatis ſumma rerum definitur, ſub ſe tamen neceſſario habet plures, qui tanquam ſingularium capita plebium in ſuis ſinguli diœceſibus proprio nomine & auctoritate datum ſibi a Chriſto regimen fideliter exercent cum dependentia, & ſubordinatione ad unum, quæ utique non eſt Famuli ad Dominum aut Vicarii & officialis ad Monarcham, ſed Hierarchæ ad ſuum caput, cujus poteſtatem, & corregimen idem in univerſum tollere, aut abdicare omnino nequit; ſicuti S. BASILIUS *M. ep. 77.* ad Romanum Pontificem & Epiſcopos occidentis ſcribit: *Sive caput vos ipſos Univerſalis Eccleſiæ reputatis, ſive in reliquum vos Eccleſiaſticorum membrorum ordinem locatis, non poteſtis nobis dicere, qui in eodem vobiſcum corpore conſtituti ſumus: Non eſtis nobis neceſſarii.*

VI.

Quomodo nunc autem idem poteſtatis Epiſcopalis exercitium hactenus viguerit in Eccleſia, ut rite intelligatur, bene diſtinquenda ſunt tempora, cum non uno eodemque ſemper modo Epiſcopi poteſtate in regendis ſuis Eccleſiis uſi, potitique fuerint, primis namque Eccleſiæ ſæculis multo liberior ejusdem exercendæ ratio obtinuit, quanta videlicet ad propagationem novellæ hujus fundationis & pro implantanda ubique vera Chriſti religione tum opus erat. Apoſtoli ceu primi Eccleſiæ naſcentis Epiſcopi, quibus a Chriſto Domino præcelſa regiminis ſacri jura in ædificationem ſuæ Eccleſiæ ſingulari providentia verbis ampliſſimis collata fuerunt: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo* Math. 18. hanc ſacræ poteſtatis amplitudinem tum in doctrina Evangelii prædicanda, cum in regulis vitæ pro omnium fidelium ordine & gradu ſtatuendis plena cum libertate per totum terrarum orbem exercuere, teſtantibus id undique eorum Actis & Epiſtolis. Pari libertate & auctoritate Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopi in ſua quisque Eccleſia cum debita tamen ſemper ſubordinatione ad ſupremum caput univerſalis Eccleſiæ, illorum veſtigia ſectantes ſancte utebantur limitum quorumcunque impatientes, niſi quos charitas, & prudentia paſtoralis ſibi poſuiſſent; probe enim norant, ſuisque animis inſculptum retinebant illud Act. c. 20. v. 28. *Attendite vobis & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcos,*

Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Sane introſpecta trium primorum Eccleſiæ ſæculorum politia ſacra maxima in veneratione Regimen Epiſcoporum eſt habitum, atque ſolida in efformando, Clero & populo eorum veneranda undique elucebat authoritas, cujus teſtimonia irrefragabilia paſſim apud PP. illorum ſæculorum proſtant. Nihil tum audiebatur de diſpenſationibus, aut abſolutionibus aliunde, quam ab Epiſcopis impetrandis: Lites tum Cleri, cum populi ſuæ curæ commiſſi, quibus tamen charitas primorum Chriſtianorum rarius locum fecit, ubi ſufflaminatæ fuerant, ſua authoritate adeo componebant, ut fideles de juſtitia & veritate plene perſuaſi in eorum ſententiis tuto conquieſcerent, majori ſibi gloriæ ducentes obtemperare, quam recedere, aut pro arbitrio ulterius provocare: Romani Pontifices tum ſanctimonia atque eruditione S. Scripturæ conſpicui, nec non diro ſæpius perſecutionum turbine exagitati de faciendis reſervationibus ne cogitabant, quæ modo poſterioribus ſæculis introductæ fidelium tum eximiæ ſimplicitati, Epiſcoporum zelo non niſi utilitati Eccleſiarum inſervienti, cæterisque primitivæ Eccleſiæ inſtitutis minus conſentaneæ fuiſſent.

VII.

Porro ſæculis quarto & quinto, ubi dono Imperatorum Chriſtianorum pax exoptata Eccleſiæ affulſit, atque inde Religionis propagatæ libertas efflоruit, Epiſcoporum ſacer Principatus in adminiſtrandis Diœceſibus ſeſe magis explicuit, ita ut eorum recta & provida regendi ratio Cæſares induceret ad concedendam etiam facultatem, qua lites Laicorum ex arbitrio æqui & boni decidere poſſent. Ubi bona Eccleſiarum ex liberali fidelium manu aucta fuere, plena ad eos ſpectabat illorum adminiſtratio, & diſpenſatio, alia quoque & ſingula indiſcriminatim intra Epiſcopatuum ſuorum limites ordinandi libera facultas penes eos reſederat; Ignota tum plane erant vincula, queis ſuccedaneis temporibus primigenia Epiſcoporum jura tam fuere coarctata, neque in mentem cujusquam venire poterat reclamante continua & conſtanti alia praxi, illorum regimen divinitus inſtitutum ad meras delegatorum functiones deprimendum eſſe, atque arctis permiſſionis duntaxat vel conceſſionis a ſede Apoſtolica factæ terminis concludendum; præterea in Eccleſiaſticis horum temporum monumentis reperire eſt, appellationum uſum ad eandem ſummam ſedem hiſce ſæculis admodum rarum extitiſſe, ac vix non unice ab Epiſcopis de ſede ſua dejectis eo recurſum inſtitutum, ut ſeſe contra ambitionem atque injuſtiſſimam Præſulum aliorum hæretica pravitate infectorum perfidiam fortiter defenderent. Igitur in aliis materiis, & caſibus Clerici, aut fideles laici toti quanti a regimine ſuorum Epiſcoporum dependebant, prout Concilium *Antiochenum* habitum *an.* 341. cujus canones, qui ad Diſciplinam ſpectant, laudat ſynodus *Chalcedonenſis tom. 2. Concil. act. 4. & 11.* & recepit univerſa Eccleſia, *Can. 9.*

hæc

hæc habet: *Unusquisque Episcopus habeat suæ parochiæ* (id est Diœceseos) *potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, & providentiam gerat omnis regionis, quæ sub ejus est civitate: ita ut Presbyteros & Diaconos ordinet, & singula suo judicio dirimat.*

VIII.

Quodsi ulterius progrediamur, ejusdem itidem Sæculo 6to & 7mo præclara reperimus documenta in gestis operibusque S. Gregorii M. Pontificis Romani, qui sæculo sexto exeunte Ecclesiam sanctitate ac eruditione summa rexit, illustravitque: sic *Epistola 70. Libri 7.* defensores a se varias in regiones missos Episcoporum jura sarta, tectaque semper servare jussit, quam ob causam Romanum Siciliæ defensorem graviter increpuit, quod Clericorum causas despectis eorum Episcopis suum ad tribunal pertraheret; *sed siquis*, inquit, *contra quemlibet Clericum causam habuerit, Episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certe ab eo judices deputentur: aut si forte ad arbitros eundum est, partes ad eligendum judicem ab ipso executio deputata compellat, nam si* (aurea sane verba) *sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per vos, per quos Ecclesiasticus custodiri debet ordo, confundatur.* Ubi vero aliqua Monasteria privilegiis donavit, Episcoporum jurisdictionem in eadem non suspendit, sed in pleno vigore permanere decrevit, quippe ejuscemodi privilegia plerumque in eo posita fuere, ut Abbatem vel Abbatissam ex propria congregatione possent eligere, nec invito Abbate monachi ad Ecclesiasticos ordines & officia promoverentur. Vid Nat. Alex. *tom. V. histor. Eccl. pag.* 384. & 385. Quanto ulterius in honore idem sanctissimus Pontifex Episcoporum dignitatem habuerit, quantæque curæ eidem fuerit tuitio Episcopalis auctoritatis vel etiam nomine duntaxat violatæ, perspicue diluceseit ex Epistola ad Eulogium Alexandrinum data, ubi quod ab eo Episcopus sive Papa universalis nominatus sit, hæc edisserit, *quod peto, dulcissima mihi sanctitas vestra ultro non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus, quam ratio exigit, præbetur, Ego enim non verbis quæro prosperari sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor universalis Ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc enim vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur, si enim universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum: sed absit hoc, recedant verba, quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant.*

IX.

His præclaris S. Gregorii exemplis & doctrinis successores ejus Pontifices sæculi septimi constanter inhæsere, neque animum induxere suum, ut *Episcopalis Eminentiæ divinam Authoritatem* (taliter eandem compellat Synodus *VIII.*

Toletana An. 653. celebrata *can.* 7.) ulla ratione imminuerent; & quamvis hoc ævo plures ad conſultationes Epiſcoporum darent Epiſtolas decretales, in nulla tamen harum poteſtati Hierarchicæ, juribusque illorum ſuis in Diœceſibus decedere quidquam paſſi ſunt. Pariter ſæculò octavo eadem Epiſcoporum poteſtas, &, ut ait Alex. Nat. *hiſt. Eccl. tom. V. cap. V. art. II. num. XIII.* „Non „minor hoc quam præcedentibus ſæculis extitit.„ Concilium *Vernenſe Can. 3.* generatim ita ſtatuit, *ut unusquisque Epiſcoporum poteſtatem habeat in ſua Parochia tam de Clero, quam de regularibus vel ſæcularibus ad corrigendum & emendandum ſecundum ordinem Canonicum ſpiritalem, ut ſic vivant, qualiter Deo placere poſſint.* Profecto parum adhuc de privilegiis plenæ exemptionis absque conſenſu Epiſcoporum concedendæ cogitatum, nec in ulla tum ſynodo legitur Epiſcoporum poteſtatem antiquam canone aliquo ita reſtrictam eſſe, ut vel quoad poteſtatem diſpenſandi pro neceſſitate, & utilitate ſuarum Eccleſiarum, vel quoad abſolutionem certorum criminum ſedi Apoſtolicæ reſervatio facta fuerit; id ſolum compertum habemus, Epiſcopos hiſce temporibus, utut ſolida liberaque Eccleſias ſuas poteſtate gubernarent, in omnibus tamen ſtatutis, aut *functionibus* Hierarchicis, præſertim iis, ex quibus ſalus publica dependebat, *nonniſi* maturo prius examine de utilitate & neceſſitate ſuarum Diœceſeon inſtituto progreſſos eſſe, imo ubi cauſæ gravitas, dignitasque materiæ id expoſcebat, vel ipſi ad ſynodos provinciales, aut etiam ad Romanos Pontifices confugere, inde conſulta atque opportunas rerum, cauſarumque maximi momenti deciſiones repetentes; ex quo conſpicere licet, quanta circumſpectione, quantaque paſtorali prudentia canones in iis Conciliis ad puritatem diſciplinæ validius roborandam & Epiſcoporum jura intemerata ſervanda conditi fuerint, juxta quos vigilantiſſimi præſules ſuas Diœceſes regere ſancte ſalubriterque adniſi ſunt.

X.

Verum quemadmodum ſæculo nono diverſa prorſus ab antiqua, novaque in Eccleſiam publicatis, vulgatisque a Pſeudo-Iſidoro decretalibus veterum Pontificum commentitiis introduci cœpit diſciplina ac politia, ita pariter exinde jurisdictio Epiſcoporum varias magnasque pedetentim ſubire debuit mutationes, quibus magis firmandis mamum ignorantia antiquorum canonum, ſanæ Critices, conciliorum provincialium, & functionum Epiſcopalium neglectus deinceps porrexerunt. Exploratum eſt apud omnes Hiſtoricos, & Criticos ex illis falſis decretalibus præjudicia plurima juribus Ordinariorum illata fuiſſe. Audiamus inter alios Claudium FLEURY *Inſtit Juris Eccleſ. p. I. c. I. n. IX.* circa finem, ubi ita: „ſed quoniam per plura ſæcula pro genuinis ha„bitæ fuere, dici non poteſt, quantam diſciplinæ Eccleſiaſticæ mutationem in„duxerint, præſertim in argumento appellationum ad Pontificem, quæ in iis

„pro

„pro ordinariis venditantur, & Epiſcopalis jurisdictionis, quæ in his mire im„peditur: cui fini has epiſtolas a ſe editas nec ipſe diffitetur ISIDORUS„; porro ſæculo decimo uſque ad medium undecimi, quod ferreum audit, cum ignorantia paſſim dominaretur, ac non raro vitiis conjuncta peſſimis ad ſedes etiam primarias qua violentia ambitionis plena, qua aliis artibus Pſeudo-Chriſtianis adreperet, non potuit non inde lugendus hic eventus conſequi, quo jurisdictio ordinariorum concuſſa admodum, ac poſtremo nimium quantum labefactata graviter concidit. Non quidem uno quaſi ictu, ſed gradatim eo deventum eſt, hoc quippe ævo id agebatur, ut principia, ac doctrinæ in falſarum decretalium illarum codice diſperſæ altiores agerent radices; initia quorundam ponebantur uſuum, ex quibus demum conſuetudines, aut nova jura coaluere. Exeunte ſæculo decimo gravis inter Epiſcopos, & Abbates nonnullos ob ſubjectionis profeſſionem controverſia oborta eſt, quam Epiſcopi ab eis, cum ordinandi eſſent Abbates, exigebant, uti hujus rei ſeriem Mabillonius *præfat I.* in ſæculum ſextum Ordinis S. Benedicti §. III. fuſe tradidit. Exinde inſequentibus ſæculis privilegia plenæ exemptionis ab Abbatibus expetita, atque a ſede Romana impetrata fuere.

XI.

Inficias quidem non eo nonnullos Epiſcoporum ipſosmet ſuæ tum authoritati diminuendæ anſam dediſſe ut Thomaſſinus *de V. & N. Eccl. Diſc p. II. L. III cap. 101. n. 7.* Scite animadvertit hiſce verbis: „tam diu effuſiſſima „hæc jurisdictio ſtetit, quamdiu illam Epiſcopi, qua nata, alta, & propagata „fuerat, adminiſtrarunt charitate, innocentia, humanarum rerum omnium „contemptione & deſpicientia.. eo animo, eo pectore, quo olim AUGUSTI„NUS, quo AMBROSIUS, quo cæteri olim Epiſcopi horum veſtigiis hæren„tes, aut eam ante ingreſſi viam, in quam poſtea hi ſecuti ſunt, Imperatoribus, „fidelibus, infidelibus ipſis admirationi erat & amori tantum ſapientiæ culmen & „religionis, ſummamque eis authoritatem & jurisdictionem plauſu & judicio ſuo „confirmabant. Ab ea tum illi exiſtimatione & reverentia deſcivere, cum in „has easdem functiones irrepſit ſæculi faſtus, dominandi amor, quo ſacræ di„gnitates æquabantur quodammodo ſæcularibus, illis quenon raro collideban„tur; „ huc paucis in memoriam revocare par eſt, quanta ſæculo undecimo & duodecimo legatorum ſedis Apoſtolicæ ad diverſas provincias orbis Chriſtiani tum miſſorum ſive in Conciliis, ſive extra hæc auctoritas viguerit, quantumque hæc eadem antiqua Epiſcoporum jura contriverit; id, quod præter alios FLEURY *in diſcurſu ſuo tom. XIX. hiſtor. Eccleſ præfixo* ſpecialiter adnotavit. Sæculum quidem XI. quod præprimis concernit, illud ſpeciale eſt Romanos Pontifices ſanctitate & eruditione ſacra ubique refulgentes ad facultates legato-

rum ſuorum ampliandas Zelo Apoſtolico inductos unice fuiſſe, ut Diſciplinam Eccleſiæ ſæculo decimo & undecimo ad medium ferme producto nimiopere collapſam ſancte redintegrarent, exſcinderentque forti manu ſimoniam & incontinentiam in Clero graſſantem; atque ideo pluſculum poteſtatis legatis ſuis indulſiſſe etiam contra jura Ordinariorum antehac uſitata, utpote quorum non pauci ſuo hac in re muneri deerant, aut iidem uſque adeo iisdem nefandis infecti vitiis deprehendebantur; quamvis ex hiſtoria illius ævi edoceamur tum complures Antiſtitum ſanctitate morum & præclara eruditione ſuas rexiſſe Eccleſias, nec non magnam ſolidæ ſuæ poteſtatis juriumque partem ſibi adhuc dum aſſeruiſſe.

XII.

Quantis interea ſæculo duodecimo limitibus amplius circumſcripta fuerit primigenia Epiſcoporum poteſtas invaleſcente tum magis praxi Curiæ, S. BERNARDUS maxima libertate in ſua Epiſtola, quæ 178. eſt, ad INNOCENTIUM II. Pontificem data expoſuit, ubi querimonias non prorſus injuſtas multorum adverſus eandem recenſet. Idem eadem libertate Zeloque incredibili datis literis ad Henricum Senonenſem Epiſcopum invectus eſt in Abbates ſui ſæculi, quod privilegia impetrarent, non obtemperandi Epiſcopis, *ita, ut, cum ne unum quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditos prætergredi patiantur, ipſi propriis obedire contemnant Epiſcopis.* Plura in iiſdem literis ſat prolixis videre eſt. Cæterum compertum habemus præter largiſſimas has exemptiones a jurisdictione Epiſcoporum cœpiſſe jam reſervationes quorundam criminum atrociorum a ſede duntaxat Romana abſolvendorum, namque in Concilio Remenſi de anno 1131. prohibuit INNOCENTIUS II. ne Epiſcopi vincula laxarent anathematis, quo conſtringuntur Clericorum Monachorumque percuſſores, donec rei ipſius Papæ ſe conſpectui obtuliſſent, mandatumque ab eo eſſet Epiſcopis, qua ſe ratione erga eos gerere deberent. can. 13. ita ſtatuitur: *nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat*; qui canon novo robore ſub eodem Pontifice in Concilio Lateranenſi II. firmatus fuit; ſicut & alius, quo prohibetur, ne incendiarii ab Epiſcopis, vel Archi-Epiſcopis abſolvantur, donec eo facinore inquinati, qui eſſent, ad bellum ſacrum profecti eſſent, & militaſſent uno ſaltem anno ſive Hieroſolymæ, ſive in Hiſpania: quamvis, ne inconſultis omnino Epiſcopis id fieret, jam anno 1022. Concilium Salingeſtadienſe ſevere prohibuerit, ac præceperit, *ut ſcelerum primum pœnitentiam in Eccleſia propria peragerent, tum Epiſcopi ſui literis ad Romanam peregrinationem munirentur.* Paſſim jam tum quoque poteſtas, aut potius uſus poteſtatis diſpenſandi exeunte Sæculo XI. rarius exercitæ ferme ad ſedem Apoſtolicam devolvebatur, vid. THOMASS. de V. & N. Eccl. Diſc. p. II L. III. cap XXVII. Cujus præclaram obſervationem huc adducere convenit, nam eodem capite N.

X.

X. præmittens B. ANSELMUM Cantuarienſem Archi Epiſcopum ab URBANO II. primum, dein a Paſchali II. poteſtatem diſpenſandi expetiiſſe, ubi neceſſitas ingrueret, nec poſſent reſcripta Romana exſpectari; hæc N XI.; & NII. ſubjungit; „remittebant Epiſcopi Papæ, quas ſuum erat largiri diſpen„ſationes: permittebant Epiſcopis Papa, quas revocare ad ſe potuiſſet, dum „totus ejus poteſtatis uſus ad ædificationem Eccleſiæ ſeſe explicaret, non ad „ſacræ diſciplinæ diſſipationem. . . Interea vero uſus diſpenſandi in dies ſem„per frequentior apud ſedem Apoſtolicam, rarior apud Epiſcopos, cum tam „raro interpellarint Epiſcopi Pontificem, ut ſua illos poteſtate impertiret, & „tam frequenter ad eum rejecerint, quæ ſuæ ipſorum erant poteſtatis. Eo „forſan tempore ſerpere & invaleſcere latius cœpit illud axioma; ab Epiſcopis „& a Conciliis provincialibus relaxari non poſſe Canones Conciliorum genera„lium & decreta Apoſtolicæ ſedis.„

XIII.

Porro ſæculo decimo tertio exortis in Eccleſia diverſis ordinibus privilegia in dies creſcebant decreſcente Epiſcoporum Authoritate. plura etiam ſedi Apoſtolicæ jamjam reſervata ceu cauſæ majores deprehenduntur, quæ olim Epiſcopis vel ſejunctis, vel in Conciliis provincialibus congregatis competierant. Summa cum modeſtia denique hic prætereo, quas ſæculo decimo quarto poſtea, quo ſusque, deque omnia ſunt habita, poteſtas, dignitasque Epiſcopalis paſſa eſt calamitates, ut pene ad incitas redactam ſe lugeret, præſertim quando ſchiſma illud fatale Avennionenſium Pontificum in magnam Eccleſiæ perniciem conflatum fuit, nam ut FLEURY Inſt. Jur Eccl. C. I. §. XVIII. ſcribit: „In iſta Pontificum æmulatione uterque diſpenſationibus & indulgen„tiis ſectatorum ſuorum numerum augere ſategit„; tum collationes beneficiorum, quæ Epiſcopis tanquam ordinariis jure primævo & quaſi naturali ſuis in Eccleſiis per undecim priora ſæcula, & ultra libere competebant, reſervationibus etiam generalibus ademptæ. Epiſcopi vix non meri delegari habiti ſunt, illorumque jura priſtina tot ſæculis, iisque antiquioribus ſacroſancta parvi penſa; qua de re monumenta illius ſæculi adeo luculenta proſtant, ut probatione haud egere videantur, Legatur Chriſtianiſſimus GERSONIUS Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius in opere de modo reformandi Eccleſiam in Concilio Univerſali ad Petrum de Alliaco proxime ante Concilium Conſtantienſe ſcripto, in quo cap X teſtimonium labefactatæ tum jurisdictionis Epiſcoporum clariſſimum fuſius deponit. Equidem in Concilio Conſtantienſi & Baſileenſe ſæculo decimo quinto quædam remedia a Zelantibus decorem Domus Dei earum ſynodorum Patribus parabantur, ut FLEURY loc cit § XIX. advertit. Ex integro tamen tot tantaque præjudicia ſimul ac ſemel aboleri non poterant, quæ

funeſtis hiſce temporibus adhuc plurima extitiſſe ſatis indicavit præſtantiſſimus ille cœtus, qui ad morum emendationem & Romanæ curiæ reformationem ex Cardinalibus & Prælatis omnium expertiſſimis, & doctiſſimis a PAULO III. inſtitutus fuit an. 1538., dum inter alia hoc in ſcriptis reſponſum dedit: *Alius abuſus magnus, & minime tolerandus.. eſt ex impedimentis, quæ inferuntur Epiſcopis in gubernatione ſuarum ovium.* Donec tandem ſæculo decimo ſexto propitiante Deo ſacra Epiſcopalis poteſtas decretis ſanctiſſimis Concilii Tridentini innovantis antiquos canones, qui ſolidam plenamque Epiſcopis ſuarum diœceſeon gubernationem vendicant, magna ex parte priſtinæ quaſi vitæ, ac decori Hierarchicæ dignitatis poſtliminio reſtitueretur; quemadmodum Cardinalis Pallavicinus in apparatu ſuæ hiſtoriæ hujus Concilii cap. IX. N. 4. aſſerere non dubitat; „effectum enim eſt, ut Epiſcopi ne minima quidem ſubjectione erga Pon„tificem ſibi adjecta, quæ ſane opus non erat, eam poteſtatis acceſſionem eo„dem aſſentiente obtinuerint, qua permotus prudentiſſimus Hiſpaniæ Rex PHI„LIPPUS II. dixiſſe memoratur: hi homines (Epiſcopi) Concilium tanquam „tot parochi adiere; iidem ceu tot ſummi Pontifices rediere. Imo nec univerſa „quidem ſeries Conciliorum reperietur ſimul tot ſanxiſſe decreta tam conducentia jurisdictioni Epiſcoporum; uti ſolum Tridentinum: & cap X Num. 3. rem hanc pluribus illuſtrat allegando reſtrictionem in eo factam privilegiorum, gratiarum & immunitatum, quæ nimis exceſſivæ videbantur, revocationem cauſarum eccleſiaſticarum quoad primam inſtantiam ad forum Epiſcopi, pertractationem plurimorum negotiorum quibus a concilio datum eſt Epiſcopo, ut præſit tanquam a ſede Apoſtolica deputatus, quod ſane ad poteſtatis Epiſcopalis incrementum quantum attinet, perinde ſe habet, ac ſi proprio nomine præeſſet.

XIV.

Ex his itaque ſtrictim allegatis perſpicuum redditur primigeniam Epiſcoporum ſolidamque regendi, ſtatuendique pro ſuis diœceſibus poteſtatem in hoc Sacroſancto Concilio Generali, quoad fieri tum potuit, juſtiſſime æque, ac ſaluberrime redintegratam fuiſſe; neque tamen de ſummi Pontificis poteſtate quam Chriſtus Dominus S. Petro, ejusque ſucceſſoribus contulit, quoad eſſentialia & intrinſeca Primatus quidquam decerptum, aut ſuprema ejus Authoritas imminuta in aliquo fuit, a quo Patres hujus Concilii tantum abhorruere, ut potius ſingulari cura & induſtria eandem ubique præſervare, ſummaque Apoſtolatus jura debite, ac decenter revereri tuerique ſtuduerint appoſita hunc in finem ſanctionibus ſuis ſpeciali hac clauſula proviſoria, quæ prioribus in Conciliis toties æque expreſſa vix legitur; *Salva ſemper & in omnibus Authoritate ſedis Apoſtolicæ* ut *Seſſ. 7. in decreto de Reform. & Seſſ. 25. c 21. de Reform.* per totum. Atque hæc de priſtina, reſtauratoque quodammodo poteſtatis Epiſcopalis

palis amplitudine, quæ eodem in vigore ſuo & exercitio poſt Concilium Tridentinum ad noſtra uſque tempora integra & illibata permanſit, generaliter dicta ſufficiant.

CAPUT II.

Epiſcopis tanquam veris ſucceſſoribus Apoſtolorum poteſtatem Regiminis immediate a Deo conceſſam eſſe oſtendit.

I.

Præcognita nunc brevi quodam ſyſtemate vera propriaque poteſtatis Epiſcopalis natura, atque prælibata pauliſper ſana & genuina alternantis pro varietate temporum, ac ſæculorum circa ejusdem uſum, & actuale exercitium Eccleſiaſticæ diſciplinæ hiſtoria, duce & Magiſtra Veritatis præſertim in indagandis ejuscemodi poſitivis, ad propoſiti rationem propius accedendum eſt, quoque faciliori methodo via præparetur ad metam diſſertationis ordinate ac feliciter attingendam, antequam de ipſa poteſtatis Epiſcopalis plenitudine amplius quid diſſerere auſim, quæſtionem illam prælıminarem, & vel maxime præjudicialem, ex qua fundamentum pro eadem ſtabilienda ſolidum ac principale deſumitur, elucubra neceſſarium omnino duxi, utrum nempe poteſtas regiminis & jurisdictionis, qua indubie pollent Epiſcopi in oves ſibi concreditas, immediate a Deo derivetur, ita ut quantum quidem ad limitationem & aſſignationem diœceſeon, ſive miniſterium aliter ſit a ſummo Pontifice, cui univerſalis Eccleſiæ cura eſt commiſſa; quantum vero ad inſtitutionem, & collationem primariam proxime ſit ab ipſo Chriſto Domino vi ordinationis & Conſecrationis Epiſcopalis, qualiter conſiderata ſola virtute Spiritus S. ex alto ſupervenientis & infuſione gratiæ plenitudinis Sacerdotii ab Epiſcopis principaliter acquiritur.

II.

Quæſtio hæc inter Doctores magno partium ſtudio controvertitur, & jamdudum amplam diſputandi materiam præbuit Patribus in S. Synodo Tridentina congregatis, quibus nihil magis curæ cordique fuit, quam priſtinam Epiſcopis Auctoritatem & nativum ſplendorem ſuperiori huic ordini Hierarchico reſtituere, attamen haud quidquam teſte PALLAVICINO *in hiſtoria Cc. Trid.* in terminis definitum fuit; tum quod ea res hæterodoxos parum tangeret, nec inter illos & Catholicos, ſed inter hos ſolos diſceptaretur, tum quod multi ſedi Pontificiæ addictiores cum LAINIO S. J. gallis & Hiſpanis definitionem ejus-

ejusdem urgentibus omni conatu ſeſe opponerent, relinquendam eſſe cuique, quod vellet, liberam ſentiendi facultatem rati: porro indubitata fide certi ſunt omnes Catholici Epiſcopos jure Divino ſuperiores eſſe presbyteris, & eminentem in hierarchia Eccleſiæ tenere gradum, ex definitione ejusdem Cc. *Seſſ. 23. de Sacrament. ord. Can. 6. & 7.* pariter jurisdictionem quamcunque Eccleſiaſticam ſive ſupremam, ſive ſubalternam ex divina ordinatione remote ſaltem ſuam trahere originem minime licet ambigere, cum enim Chriſtus Dominus verum in Eccleſia Regimen inſtituerit, utique & Authoritas Prælatorum Eccleſiæ, & Poteſtas ſacra quæcunque ab eodem tanquam ſuo Principio proficiſci, & ad eundem ultimato referri debet. Neque lis hic movetur, num in collatione poteſtatis Epiſcopalis quidquam interveniat per modum conditionis, aut inſtrumenti, omnes namque Epiſcopi non niſi mediante ſacra actione externa conſecrationis tanquam cauſa vera inſtrumentali a Chriſto Domino inſtituta ſuam poteſtatem obtinent, velut ipſe ſummus Pontifex mediante licet ſui electione a Cardinalibus facta creatus, nihilominus verus Chriſti in terris eſt Vicarius, & immediate a Deo accepta gaudet prærogativa primatus in Eccleſia, aliud enim eſt, quo Miniſtro aut inſtrumento, aliud quo Auctore, & cauſa principali res conficitur, quod magis a ſimili in ipſa etiam poteſtate ordinis eluceſcit.

III.

Igitur pro Authoritate divina Epiſcoporum tanquam principum Eccleſiæ a Chriſto Domino immediate conſtitutorum tot validiſſima pugnant argumenta, ut non ſolummodo favorem illuſtriſſimæ totius ſcholæ Sorbonæ, & facultatis Pariſienſis, quæ ſicut merito tanquam S. Scripturæ, & DD. ab Eccleſia approbatorum ſanæ doctrinæ directe contrariam pronunciavit, & ſtigmatizavit propoſitionem hanc: *Apoſtoli alii non acceperunt immediate a Chriſto poteſtatem Epiſcopalem, ſed a Petro mediate*; ita & cum tota Eccleſia gallicana eandem veritatem unanimi ſententia ſemper amplexa eſt contrarium docentes ad palinodiam, ſive ſolennem retractationem nullo non tempore compellens. Uti teſte Nat. Alex. *in hiſtoria Eccleſ. ſæc. XI. & XII diſſert. VIII.* inter alios compulit JOANNEM SARRAZIN an. 1429. propugnare auſum propoſitiones ſequentes. *I. Omnes poteſtates jurisdictionis Eccleſiæ aliæ a Papali poteſtate ſunt ab ipſo Papa quantum ad inſtitutionem, & collationem. II. Hujusmodi poteſtates non ſunt de jure divino, nec immediate inſtitutæ a Deo.* Verum etiam aliorum complurium eruditiſſimorum, omnisque præjudicii expertium virorum aſſenſum merito evincant, quos inter PETRUS DE SOTO inſignis Theologus ex Ordine S. Dominici, qui Cc. Tridentino etiam interfuit, lectulo ſuo mortuali affixus in epiſtola adhuc data ad Pium V. Sum. Pont. pro hujus veritate ſententiæ mortem ſubire ſe velle, ſi neceſſe foret, libere conteſtabatur, humillime rogans,

rogans, ut eándem pontificia ſua authoritate definiret: quamobrem, ut ſcribit Alex. Nat. *loc. cit. Schol. VIII.* hanc ſententiam ſummum Pontificem improbaſſe ac rejeciſſe falſo ſcripſit Petrus Suavis Polanus; quid? quod contrarium conſtat ex tractatu quodam Romæ anno 1726. Benedicto XIII. dedicato, quo eadem egregie propugnabatur, & cujus Author Carolus Antonius *de Manentibus* in dedicatione præfixa opus hoc ſuum *tanquam ab ipſo ſummo Pontifice conceptum, ac totum penitus genitum ejus præferens mentem* vel ideo eidem ſummopere commendabat.

IV.

Et recte quidem: quid enim in iis, quæ non ab ore, vel opinione hominum, aſt unice a voluntate Dei & inſtitutione Chriſti dependent, & quorum veritas nobis aliter non innoteſcit, revera potius eſt tenendum, quam quod vel ipſæ ſacræ paginæ clariſſime teſtantur, & cui conſtans, & antiquiſſima Ss. PP. traditio irrefragabili teſtimonio ſuffragatur; ſane quid præter illos ſupra recenſitos textus Math. 18. Joh. 20. ad Eph 4. Math. ult. aliosque plures, quibus divina prorſus Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum inſtitutio, miſſio, poteſtatis clavium conceſſio, ligandi ſolvendique facultas, docendi & præcipiendi authoritas absque ulla mentione interpoſitæ alicujus perſonæ facta exprimuntur, diſertius proferre potuiſſet Apoſtolus, quam illud Act. 20. v. 28. ubi a Mileto mittens Epheſum, vocansque Majores natu Eccleſiæ, puta Epiſcopos, quos ordinaſſent Apoſtoli, hiſce verbis eosdem alloquitur: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* D. Paulum hic advocaſſe plures revera Epiſcopos, illos ſcilicet, qui conſtituti fuerant in civitatibus provinciæ Epheſinæ, namque Metropolis erat Epheſus, nulla ratione dubitandum eſt, hoc enim eſt, quod ait v. 28. *Amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſivi prædicans regnum Dei.* Ita inter complures ſanctos PP. apud Cornel a lap. cit. in hoc loco intellexit S. Irenæus *l. 3. c. 14.* ibi: *Paulus in Mileto convocatis Epiſcopis & Presbyteris, qui erant ab Epheſo & reliquis proximis civitatibus multa teſtificans adjecit.* Ita & intellexit Cc. Tridentinum, ut infra. Hiſce itaque verbis tam prægnantibus Apoſtolus ſerio commendat iisdem Epiſcopis Regimen Eccleſiæ, ſimul inculcando illud conſideratione digniſſimum, quod non ab homine, non a ſe ipſo, Apoſtolo ſcilicet Paulo, vel alio, ſed a Spiritu ſancto poſiti ſint, proinde immediate a Deo hanc poteſtatem acceperint regendi Eccleſiam Dei, ſicuti enim hæc, dum appellatur Eccleſia Dei, a nemine alio quam a Deo proxime noſcitur eſſe fundata, & erecta, ita quoque illi, dum leguntur poſiti a Spiritu S. rectores & principes ejusdem, tales ab eodem divino Spiritu proxime conſtituti cenſeri debent, ad eundem fere modum, quo per verba illa: *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.*

meam. Math. 16. v. 18. Authoritas ſuprema Petri, ejusque primatus in univerſalem Eccleſiam jure divino immediate niti comprobatur.

V.

Certe ipſiſſima ratio, præclariſſimumque jus ſucceſſionis, quo gaudent Epiſcopi reſpectu Apoſtolorum, unice ſufficere videtur, ut hanc ipſis prærogativam, & pariformem ſaltem ordinariæ poteſtatis, & Regiminis Eccleſiaſtici derivationem adjudicare debeamus, ab eodem enim habet ſucceſſor jus ſuum, a quo habuit prædeceſſor, alias, inquit ipſe Bellarminus, non vere ſuccedit, ſed novo ordine inſtituitur; quis autem adhuc poſt agnitam Evangelicæ hiſtoriæ veritatem amplius hæſitabit de Apoſtolorum immediate, & indiſcriminatim a Chriſto D. facta vocatione ad Apoſtolatum, & huic intrinſece annexam ſacræ poteſtatis plenitudinem? *Nonne ego*, inquit ad eos, Joh. 6. *vos duodecim elegi.* Imo Paulus Apoſtolus dicit de ſemetipſo ad Galat. 1. v. 1. *Non ab hominibus, neque per hominem, ſed per JEſum Chriſtum & Deum Patrem.* Ibidem ut probet ſe non accepiſſe a Petro vel aliis Apoſtolis, ſubjungit: *cum autem placuit, qui me ſegregavit ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, continuo non acquievi, carni & ſanguini, neque veni Jeroſolymam ad Anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abii in Arabiam, & iterum reverſus ſum Damaſcum, deinde poſt annos tres veni Jeroſolymam videre Petrum.* Et cap. 2. v. 6. ſcribit in eundem ſcopum: *Mihi enim, qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt.* Idem repetit 1. ad Timoth. 2. v. 5. & 7. *Unus enim Deus . . . in quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus: Veritatem dico, non mentior.* Et 2. Cor. 5. v. 20. de omnibus Apoſtolis ſtatuit. *PRO CHRISTO ergo legatione fungimur tanquam DEO EXHORTANTE per nos.* Unde reliquos Apoſtolos ſuam jurisdictionem accepiſſe a Petro defendi vix poteſt, & hæc ſententia a DD. paſſim hodie relinquitur.

VI.

Cæterum Epiſcopos veros eſſe, propriosque ſucceſſores Apoſtolorum, & Legitimos quaſi hæredes omnis Auctoritatis & poteſtatis Apoſtolicæ, quanta videlicet pro gubernatione ſuarum Eccleſiarum illos decet tanquam paſtores & Doctores a Chriſto datos, ſatis innuit unanimis ſanctorum Patrum ſententia, & perpetua Eccleſiæ doctrina, quam paulo copioſius in lucem hic protrahere, & clare ante oculos ponere juvat; ita enim, ut ab antiquitate ducam exordium, S. CYPRIANUS M. *ad Cornelium Papam epiſt. 42. hoc vel maxime frater & laboramus, & laborare debemus, ut unitatem a Domino & per Apoſtolos NOBIS SUCCESSORIBUS traditam, quantum poſſumus, obtinere curemus: & Epiſt. 69. Chriſtus dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Epiſcopos, QUI APOSTOLIS VICARIA*

RIA ORDINATIONE SUCCEDUNT: qui audit vos, me audit, & qui me audit, audit eum, qui miſit me, inde enim ſchiſmata & hæreſes ortæ ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui unus eſt & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, & homo DIGNATIONE DEI honoratus indignus hominibus judicatur. Idipſum etiam diſerte docent & pronuntiant tria præclariſſima Eccleſiæ ſanctæ Lumina. Divus HIERONYMUS *Ep. 54. de Montaniſtis*: *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent. & Ep. ad Evagrium 85. cæterum omnes* (Epiſcopi) *APOSTOLORUM SUCCESSORES ſunt.* S. AUGUSTINUS Præſul Hipponenſis *in Pſal. 44.* eleganter explicans verſum illum: *pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram; quid eſt? inquit, pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi... non ergo te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, per quos nata es: de plebe tua tibi crevit paternitas; pro patribus tuis nati ſunt tibi filii.* Denique *Magnus* Cognomine Doctor Eccleſiæ GREGORIUS, qui, ubi de Apoſtolis locutus eſt *hom. 26. in Evangel.* ſubjungit: *horum profecto nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent, ligandi & ſolvendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur.* His conſentiunt NICOLAUS I. *ep. 47.* & EUGENIUS IV. *in decreto pro Armenis.* prolixius quodammodo S. THOMAS Cantuarienſis *epiſtola 97.* ad omnes Epiſcopos Angliæ data: *ſi curamus*, inquit, *eſſe, quod dicimur, & noſtri nominis, qui appellamur Epiſcopi, & Pontifices, noſſe volumus ſignificationem, oportet nos jugi ſollicitudine conſiderare, & imitari veſtigia illius, qui Pontifex in æternum a Deo conſtitutus ſe ipſum pro nobis Patri obtulit in ara crucis: vices enim illius in terris gerendas ſuſcepimus, adepti ſumus gloriam Nominis, honorum fructusque laborum ſpiritualium temporaliter poſſidemus Apoſtolis, & Apoſtolicis viris in Eccleſiarum faſtigiis ſuccedentes.* Plura adhuc colligare teſtimonia in re adeo liquida eſt ſuperfluum.

VII.

Conſtantis hujus, & antiquiſſimæ traditionis Eccleſiæ, ſanctorumque Patrum veſtigiis firmiter inſiſtebat celeberrima illa ultima ætate Eccleſiæ celebrata Tridenti ſacroſancta Oecumenica ſynodus, cui Patres omnium Ordinum, & Doctores unanimi calculo ſubſcripſere, ſiquidem *ſeſſ. 23. cap. 4. de Sacram. Ord.* dum Hierarchiam, Eccleſiaſticam divina ordinatione inſtitutam determinavit ſpeciali poſtea canone contrarium damnando, hæc formalia exprimat: *Proinde ſacroſancta ſynodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & poſitos ſicut idem Apoſtolus ait, a Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei.* Quid clarius? & quid amplius deſiderari poteſt? utitur præterea Concilium verbis ipſiſmet Apoſtoli, nequis illum textum ſiniſtre, & de aliis, quam veris Epiſcopis

pis poſſet interpretari, quo inſuper mentem ſuam, maximámque propenſionem in doctrinam hoc in capite propoſitam manifeſte patefecit. Quare ſicuti certa veritas eſt, Apoſtolos immediate a Chriſto poteſtate ſua ac jurisdictione fuiſſe inſignitos, ſic pariter eandem in Epiſcopis vera & propria ſucceſſione in locum Apoſtolorum ſurrogatis, juris divini, & immediate a Chriſto eſſe ex hactenus deductis abunde oſtenſum eſt. Unde non absque ratione S. IGNATIUS M. *ep. 6. ad philadelphios* ita ſcripſit: *conſpecto veſtro Epiſcopo cognovi, quod non a ſe ipſo, neque per homines ad dignitatem evectus eſt, ut ſuſciperet miniſterium hoc communis Eccleſiæ.* & S. BERNARDUS *l. 3. de conſid. c. 3.* ad Eugenium Sum. Pont. *erras, ſi ut ſummam, ita & ut ſolam inſtitutam a Deo veſtram Apoſtolicam auctoritatem exiſtimas.*

VIII.

Quod autem ad confirmationem hujus tanquam fortiſſimum inſtitutæ divinitus dignitatis & poteſtatis Epiſcopalis argumentum facere ut plurimum videtur, eſt ipſa primorum naſcentis Eccleſiæ Sæculorum praxis, utique a Chriſto Domino & Apoſtolis derivata, perque plura ſæcula inſequentia continuata, qua nonniſi per ſacram conſecrationem, quæ paſſim a ſcriptura, & PP. impoſitio manuum appellatur, ſolida & ſubſtantialis poteſtas Epiſcopalis ſive ordinis, ſive jurisdictionis conferri veriſſime credebatur, quo ſpectat illud Apoſtoli ad Timotheum Epiſcopum *ep. 2da c. 1. v. 6. admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem mearum.* Cum enim Epiſcoporum officium ſit adeo eminens ſublime ac divinum, cujus nemo ſibi ſumat honorem, *niſi qui vocatur a Deo tanquam Aaron. ad hebr. 5.* omnino præſumendum eſt voluiſſe Chriſtum, ad pleniorem illius Majeſtatem, dignamque ab hominibus æſtimationem comparandam, ut actione ſacramentali, & modo quodam ſpeciali atque ſupernaturali illud conferretur, nec per meram deſignationem perſonæ, aut injunctionem ab homine, etiam quoad ea, quæ ſunt jurisdictionis & regimen Eccleſiaſticum concernunt, quippe quæ nobiliſſimam partem ſacri hujus principatus conſtituunt, nam ut THOMASSINUS *de Vet. N Eccl. diſc. p. 1. L. 1. c. 1. n. 8.* ſcribit: „Manus illis (ſcilicet Epiſcopis imponebantur non tantum, „ut ſacrificia peragerent, & ſacramenta, ſed ad id vel maxime, ut diſſemi„nando Evangelio operam darent, Chriſto plebem gignerent, ut Chriſti impe„rio ſubjugarent, & ſubjugatas regerent maximas quasque provinciarum ur„bes ac civitates, unde fides ad proxima quæque loca diffluëret„; ſicut etiam priſtina diſciplina, quæ facile per decem ſæcula inconcuſſa permanſit, confirmationem Epiſcoporum ab eorum conſecratione vix ſejunxit; ita VAN ESPEN *P. I. J. Eccl. tit XIV. c. IV. n. I.* ſed Epiſcopus electus a Metropolitano & comprovinçialibus examinatus uno eodemque quaſi actu & tempore conſecrabatur,

batur, & confirmatur, ſive potius conſecrando confirmabatur, neque ante ordinationem Prælatus aut Epiſcopus dicebatur niſi ad ſummum cum addito electus; ſic etiam ab antiquis ſacris canonibus *diſt. 75. can. 2. & diſt. 100. c. quoniam.* Dicitur Eccleſia uſque ad *conſecrationem* Epiſcopi adhucdum ſuo *viduata* paſtore; quin ex ſtylo decretalium, ut obſervat cum aliis Fagnanus *ad cap. Eam te. de reſcriptis.* „ante conſecrationem non dicitur Epiſcopus ſimpliciter, ſed „electus, quod locum habet non modo in canonice electis & confirmatis, ſed „etiam in illis, quos Papa pronuntiavit Epiſcopos.„ hæ ſunt nimirum reſtantes reliquiæ veteris diſciplinæ, & quidquid habent hodie electio & confirmatio juris in Epiſcopis, totum id ſtylo recentiori, vel a Pontificum & Conciliorum conceſſione, vel ab Eccleſiæ diſciplina, & ſequioris ævi praxi mutuarunt, nec amplius quid, quam modum proviſoriæ adminiſtrationis præſeferunt: ſola ergo conſecratio & ordinatio proprie, & per ſe dat eſſe Epiſcopo tam quoad poteſtatem jurisdictionis, quam Ordinis, cum utraque ex Tridentino ad gradum hierarchicum pertineat, & ſpectato fine inſtitutionis Epiſcopatus, æque eſſentialis ſit Epiſcopis poteſtas animarum gubernativa, quam poteſtas ad ordinandum, conſecrandum & confirmandum, imo ipſa hæc poteſtas collata eſt tota ad regimen animarum, cum nihil addat ſacerdotali poteſtati ſupra Corpus Chriſti verum: de hac poteſtate muneri Epiſcopali inſeparabiliter annexa ſcribit Doctor ANGELICUS *in 4. diſt. 25. q. 1. ar. 2. ad 2.* ibi: *dicendum, quod in promotione Epiſcopi datur ſibi poteſtas, quæ perpetuo manet in eo, quamvis dici non poſſit Character, quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum, ſed ad Corpus Chriſti myſticum; & tamen indelebiliter manet ſicut character, quia per CONSECRATIONEM datur.*

IX.

Unde & illud indubie conſequitur, quod ſacer Epiſcopatus ordo auctoritate ſibi congenita & poteſtate jurisdictionis connaturali haud precario accepta polleat jure & nomine proprio in fideles ſubditos exercenda, quamvis cum ſubordinatione, & dependentiæ reſpectu ad ſupremam dignitatem Pontificiam, cui propterea de conceſſa ſibi a Chriſto Domino ampliſſima primatus prærogativa, & poteſtatis plenitudine ſuper omnes Eccleſias tam parum decedit, ut eximium potius ſplendorem atque decus eidem conciliet, quod tot honoratiſſimos principes ab ipſo Deo & Chriſto Domino plusquam humana, ac præſtantiſſima virtute, & poteſtate immediate exornatos, adeoque tam inſignia in Corpore univerſalis Eccleſiæ membra tanto excellentius caput, & gubernator, ſummi Principis Chriſti in terris Vicarius ſub ſe comprehendat, cum de Eccleſia Romana ſemper verum id maneat, quod S. BONAVENTURA *ſerm. 24. in Hexame:* de illa deprædicat. *ſola Roma univerſaliter ſicut ſol ſuper planetas habet plenitudinem poteſtatis ſuper omnes Eccleſias.* Obſervatu digna ſunt, quæ S. LEO

Papa vere *Magnus* hac de re ſentit. *epiſt. 84* ubi mirabili quodam fœdere conjungit principatum capitis in Univerſa Eccleſia cum principatu Epiſcoporum, qui & ipſi capita ſunt ſuorum quisque gregum, ex quibus mutuo inter ſe conjunctis unum Eccleſiæ Corpus conſtituitur. *Connexio*, inquit, *totius corporis unam Sanitatem, unam pulchritudinem facit, & hac quidem unanimitatem requirit, ſed præcipue exigit concordiam ſacerdotum, quibus etſi dignitas non ſit communis, eſt tamen ordo generalis, quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut cæteris præemineret, de qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna diſpoſitione proviſum eſt, ne omnes omnia ſibi vendicarent, ſed eſſent in ſingulis provinciis ſinguli, quorum inter fratres prima haberetur ſententia; & rurſus quidam in majoribus urbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri ſedem univerſalis Eccleſiæ cura confluëret, & nihil uſquam a ſuo capite diſſideret.* in quæ verba THOMASS. *de Vet. & N. Eccl. diſc.* p. 1. l. 1. c. 50. n 2. hæc ſcribit: „manifeſte declarat S. Leo ſucceſſiſſe Epiſcopos Apoſto„lis, quos nemo neſcit inſtitutione prorſus divina hunc apicem conſecutos; or„dinem, & collegium Epiſcopatus unum prorſus eſſe; Epiſcopos denique *alios* „ab aliis diſtare, quod latius horum, quam illorum pateat authoritas; non „eo differre eos inter ſe, quod hi ab illis, quidquid habent poteſtatis, men„dicarint quaſi ex delegatione quadam: cum ex adverſo omnes immediate a „Chriſto vocati ſint ad Apoſtolatum ſive ad Epiſcopatum: *omnium par electio,* „*ordo generalis*, ſed quod alii aliis ſubjiciuntur, alii aliis latius dominantur, „largius parciusve ſua munera diſpenſante Chriſto, ut ſibi collibitum eſt ad „principatus ſui ſacri ſocietatem Epiſcopos prorſus omnes vocanti. *Uni datum* „*eſt, ut cæteris præemineret.* Longe aliud eſt quempiam delegare, & ei præeſſe, „Petrus a Chriſto ſuper alios Apoſtolos evectus eſt: & illi tamen a Petro nec „miſſionem ſeu delegationem, nec authoritatem obtinuerunt ſuam, ſed ab uno „immediate Chriſto ut a fonte totius ſacerdotii primario.

X.

Quemadmodum itaque Chriſtus Dominus volens optime conſulere ſuæ Eccleſiæ ſacrum illius principatum atque regimen non ita diviſit inter plures, ut non unum ſummum caput omnibus præficeret, ut ſtaret unitas, nec degeneraret in diſcordias, ſchiſmata & hæreſes, ita & noluit illud fundare pure in uno, ut ab hoc omnes alii ſuam poteſtatem accipiant, & ejus ſolius nomine omnia Vicario modo adminiſtrarentur, tum ut ſit remotum ab omni dominatu & deſpotiſmo, quo teſte experientia ejuſcemodi forma regiminis facile deflectit, tum pro auctoritate, manſuetudine & charitate imperantium erga ſuos agnos & oves retinenda, tum demum pro utilitate & felicitate ſingularum Eccleſia-

cleſiarum particularium, quibus inde magis eſt proſpectum: quapropter Monarchia Eccleſiæ perfectiſſima quidem, & ſapientiſſime inſtituta, tamen in charitate & humilitate fundata ad præſentem ſtatum naturæ humanæ innumeris infirmitatibus circumdatæ, ob circumſtantias ſecuturi majoris boni tam provide fuit attemperata, ut, tametſi unus in ea omnibus præſit, cæteri tamen ſub eo non minus gregi ſuo paſtores invigilent, & quod unus in Eccleſia, cujus principatus non in parvo mundi angulo incluſus, nec ad unam gentem & nationem, ſed ad innumerabilem pene moribus, genio, vitæque conſuetudine diverſiſſimam populorum multitudinem per omnes orbis partes extenditur, adeoque ſe ſolo, cui non omnia ita perſpecta eſſe poſſunt, perfecte obtinere nequit, id per plures paulo inferiores eo melius perficiatur, quo diligentius, & fidelius gregem quisque proprium curat, ac alienum. Illuſtre hujus exemplum nobis jam a principio mundi dedit conditor univerſi, dum in creatione Angelorum novem diſtinctos choros efformavit, uti GREG. *L. 32. moral. &* in Ezech. c. 28. *novem diſtinxit genera lapidum, quia nimirum novem ſunt ordines Angelorum;* præfecitque cuicunque choro unum principem ſui generis, qui ſuavi Imperio omnes illius chori dirigeret. ut HIERON. *in lib. adverſus Heluid. & in C. 3.* epiſt. ad eph. *ita puto Angelos, cæterasque virtutes habere principes ſui generis in cæleſtibus, quos Patres gaudeant appellare.* Illiſque novem choris, ac novem principibus ſupremum Monarcham conſtituit poſt lapſum Luciferi S. Michaëlem, ut colligitur ex *c. 12. v. 7. Apocalypſ.* quo in hac enarrabili Angelorum multitudine perfectiſſimum eſſet regimen, & ſub uno ſummo gubernatore plures in Hierarchia illa cœleſti duces ac principes reliquis præeſſent, quatenus in pulcherrimo ordine atque nexu ad obſequium divini Numinis, & miniſterium humanæ ſalutis ſuas ſinguli functiones debitas peragerent.

XI.

Conformiter ad cœleſtem Hierarchiam Eccleſiaſtica in terris teſte Dionyſio cap. 6. Eccleſ. hier. fuit efformata; quandoquidem jam in Eccleſia antiqua V. T. perhibetur, quod Dominus Deus præter ſummum Sacerdotem, & Antiſtitem populi electi ipſemet plures ſelegerit ſibi Sacerdotes de ſtirpe Levitica, quocirca expreſſum dedit mandatum Moyſi Exodi 28. *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſrael, ut ſacerdotio fungantur mihi.* Erat hoc ſacerdotium legale & imperfectum, verique ſacerdotii figura, cui data eſt in parte, vel in totum poteſtas judiciaria, nam pertinebat ad ipſum judicare de rebus ſpiritualibus inter lepram & lepram, mundum & immundum Levit 13. & 14. Item judicare difficiliora hebræorum populo contingentia, & unusquisque præcepto ſacerdotis parere etiam ſub pœna mortis tenebatur. Exodi 17. & Paralip. 19. propterea Exodi ſupra cit. Deus tam amplis

amplis & magnificis cerimoniis inaugurari eosdem juſſit, de quibus D. THOMAS I. 2dæ q. CII. art V. *Quidquid porro* inquit *fiebat in inſtitutione vel conſecratione ſacerdotum, ad hoc pertinebat, ut oſtenderetur eos habere prærogativam & veritatis & dignitatis.* Quodſi hæc in umbra & figura ſub ſervitute legis per Moyſen promulgatæ contigerint, quomodo non eſſam, imo amplius in luce & veritate ſub gratia Redemptoris tempore filiorum Dei? ne minor eſſet Eccleſiæ Chriſti, quam ſynagogæ gloria, neve authoritas & dignitas Miniſtrorum Veteris Teſtamenti tanto perfectior, atque novi cenſeretur, quanto illuſtrioribus orti natalibus excellentius illi præ iſtis nomen hæreditaſſent. Hinc merito S. HIERONYMUS Tom. 2. Epiſt. ad Evagrium ſcribit: *Ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de Veteri Teſtamento; quod Aaron & filii ejus in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi vendicent in Eccleſia.*

XII.

Deniqûe ſi a ſimili velimus argumentum depromere quid obſtat, quo minus in exercitu rite formando Rex vel princeps bella gerens æque per ſe & immediate belliducem ſupremum ſuæ militiæ ac reliquos ſubalternos, & inferiores præpoſitos tribunos, ac centuriones poſſit ipſe inſtituere, ac copiis ſuis armiſque præficere: certe quid uſitatius? quid conducentius? aut quid impedit in Imperio noſtro Germanico, a cujus forma haud multum abludit inſtitutio, & Regimen Chriſti Eccleſiæ, ne Imperator ſit verus Monarcha, licet ſub ſe numeret plures principes, qui proprio nomine, & auctoritate ſubditos ſibi populos in ſuis ſinguli provinciis, & ditionibus regunt, & in generalibus conventibus, ſive Comitiis Imperii ut Judices aſſident, & ſub præſidio quidem Imperatoris ſuffragio deciſivo gaudent: ita propemodum contingit in Hierarchia Eccleſiaſtica, in qua ſub Pontifice Romano tanquam capite & ſupremo Monarcha ſinguli Epiſcopi a Chriſto ſunt inſtituti tanquam veri Principes & Hierarchæ, qui ſuas Diœceſes non vicaria, ſed propria auctoritate gubernant, & in Conciliis œcumenicis ſub præſidio ſedis Apoſtolicæ ſedent ut veri judices, & Collegislatores pro Eccleſiæ, fideliumque neceſſitate & utilitate decernentes: *propter quod ego judico*, inquit S. Jacobus Apoſtolus Act. 15. v. 19. & v. 28. legitur de Apoſtolis & Senioribus: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Quomodocunque ergo Eccleſiam militantem ſpectes, ſive ut aciem caſtorum bene ordinatam, ſive ut rempublicam optimo rectam regimine, ſive ut electam Chriſti ſponſam in Lege Veteri adumbratam, ſive ut æmulam Eccleſiæ triumphantis præſertim Angelorum, & tanquam Civitatem ſanctam Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo a Deo; ſemper, & ubique ſacra & eximia Epiſcoporum, tanquam illuſtriſſimorum Eccleſiæ Principum & gubernatorum poteſtas ſingulari providentia & ordinatione Chriſti divina prorſus & immediate origine atque inſtitutione conſpicua eluceſcit.

CAPUT

CAPUT III.

Expendit Argumenta in contrarium.

I.

Ex capite præcedente allatis ſatis, ſuperque diluxit ſententiam de Epiſcoporum poteſtate & jurisdictione proxime a Deo derivata ſuis minime deſtitutam eſſe fundamentis; ut autem veritas ex contrariis magis innoteſcat, rite examinare præſtat argumenta, quibus ab alterius ſententiæ patronis ſolet impugnari: eaque præcipua ſolummodo, quæ difficultate magis eminent, ne moleſta nimis prolixitate plus obruant, quam edoceant. Ac primo quidem illi ſic diſcurrunt: ſententia quæ poteſtatem jurisdictionis Epiſcopis immediate a Deo datam ſtatuit, nullo nititur ſolido fundamento ex ſacra Scriptura, aut teſtimonio ſanctorum Patrum, quod nihilominus ad adſtruendam rem hujuscemodi poſitivam apprime neceſſarium eſt; enim vero textus quod attinet ſacros, omnes illi debent, vel ſaltem commode poſſunt explicari de poteſtate jurisdictionis generatim, & hoc modo omnis auctoritas & poteſtas cujuscunque Prælati in Eccleſia eſt a Chriſto ſecundum illud ad Romanos 13. *Omnis poteſtas eſt a Deo*; quocirca bene Concilium Tridentinum, ne hoc inſtitutum Apoſtolici ordinis humanis excogitatum conſiliis putemus, *Seſſ. 23. Can. 6.* definivit eſſe in Eccleſia Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtet Epiſcopis, presbyteris, & miniſtris, quin tamen poſtremis duobus gradibus jurisdictionem quandam a Deo proxime deſcendentem voluerit attribuere; videtur igitur, quod Chriſtus Dominus Petro ejusque Succeſſoribus in commiſſis reliquerit, ut ordinem Epiſcopalem a ſe inſtitutum aliis pluribus, ſecundum quod ipſis videtur, dignis perſonis conferrent, & inſuper partem ſuæ jurisdictionis pro bono Eccleſiæ delegarent. Vel denique ſacras interpretari paginas convenit de poteſtate quadam jurisdictionis pro foro poli ad conficienda Sacramenta, adminiſtrandos ſacros ordines, remittenda peccata: ſecus vero de illa in foro exteriori ad regendum populum Dei & gubernandam publica Authoritate Eccleſiam, quæ quidem in Petro Chriſti in terris Vicario immediate a Deo, in cæteris vero Apoſtolis a Petro, vel ſi quidem immediate quoque a Chriſto, tamen non niſi extraordinaria, & ſpeciali privilegio in ſucceſſores neutiquam tranſituro, in aliis autem Epiſcopis particularibus per interpoſitam a Deo perſonam, nempe Romanum Pontificem Petri ſucceſſorem cenſeri debet dimanare.

II.

Porro tametsi a similitudine veri alienum non sit, ipsos Apostolos sua fuisse potestate a Christo D. immediate donatos, inde tamen non sequitur idem procedere in Episcopis, esto etiam, illorum successores dicantur, alioqui enim dono quoque linguarum, & miraculorum, auctoritate scribendi libros canonicos, potestate prædicandi, ac fundandi Ecclesias in toto orbe, quibus excelluisse constat Apostolos, & nunc Episcopos instructos esse opporteret; adde, quod ex paritate rationis etiam quicunque Presbyteri, qui a Ss. Patribus & *can. in novo 2. d. 21. §. 2.* dicuntur persæpe successores septuaginta Discipulorum Christi, quos proxime ab eodem Christo Domino vocatos esse innuit sacer textus Lucæ 10., de eodem gloriari jure poterint. Succedunt itaque Episcopi in locum Apostolorum tum ratione ordinis, tum etiam per quandam similitudinem, & proportionem ratione sui officii, ut quemadmodum olim sub Christo adhuc vivente primi fuerunt Apostoli, ita nunc primi sub Romano Pontifice in Hierarchia Ecclesiæ sint Episcopi; atque ita intelligendi sunt Ss. Patres & Concilium Tridentinum, dum adstruunt Episcopos esse successores Apostolorum: nec obstat, quod legitur Actor. 20. *In quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:* nam hoc ipsum pariformiter intelligi debet mediante jurisdictione illis tribuenda, & determinanda a Romano Pontifice; vel enim verbum illud *Ecclesiam* volumus intelligere de Ecclesia universali, sed hæc potestas data est soli Petro ejusque successoribus, secus tot essent Papæ, quot Episcopi contra Ecclesiæ Unitatem & Catholicam veritatem. Aut volumus intelligere de singularibus Ecclesiis, ita ut quilibet Episcopus positus sit a Spiritu S. ad regendam suam Ecclesiam particularem, & ita concurrant omnes collective ad Regimen Universalis Ecclesiæ; sed Christus ipse populos Apostolis non divisit, multo minus Episcopis illorum successoribus, sed dixit omnibus & singulis: *Docete omnes gentes* Math. ult. *& prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. ult. supereſt igitur, ut hæc potestas Episcoporum suis pro Diœcesibus præfinita modo fuerit a Petro, & deinde a Romanis Pontificibus, & sic his mediantibus constituti sint Episcopi a Spiritu S., ne ipsa esset vaga, & incerta, quod esset inconveniens. FAGNAN. *in l. 1. decret. de off. jud. Ord. c. 1.*

III.

Verum hic discursus utut speciosus, totus tamen quantus violentis solummodo detorsionibus, & sinistræ interpretationi innititur, imo argumentum, si quod inde desumitur, in se ipso infringitur, & suo se pondere supprimit. Fundamentum in re solummodo liberam Christi institutoris dispositionem concernente ex Scripturæ sacræ & traditionis oraculis repetendum jubet, & ipsos sat claros, & summe venerandos textus absque omni fundamento ratione

parum

parum honorifica pervertit: primo enim distinquit inter potestatem ordinis & jurisdictionis, sed anne hoc textus? minime: Scriptura & Patres loquuntur generaliter & indiscriminatim, neque utuntur præcise tantum verbo ordinis, sed Regiminis, curæ pastoralis, potestatis clavium ligandi, & solvendi, quid autem aliud hæc designant, quam potestatem jurisdictionis, quæ quidem, quantum ad essentiam cum potestate ordinis Episcopalis necessario est connexa, & per consecrationem utraque simul indivulse, & inseparabiliter proxime a Deo confertur, de connexis enim idem est judicium. secundo jurisdictionis Ecclesiasticæ in genere quidem immediatum statuit Authorem Deum, at Episcopalis in specie neutiquam, qua autem ratione, non addit: quid? si hæterodoxi pariter primatum quidem in genere institutum jure divino penes Ecclesiam, nullatenus autem in specie penes Romanum Pontificem residere inde concludant, nunquid eodem telo confodiendi sunt: certe Christus Dominus non est locutus in genere, vel in abstracto, dum suos Apostolos & in his successores Episcopos eodem modo, quo Petrum, scilicet in persona allocutus est, toties verbis potestatem clavium immediate collatam diserte significantibus: neque illud Apostoli, *quod non sit potestas, nisi a Deo;* huc referri potest, loquitur enim aperte ibi de potestate profana, sæculari, quam nonnisi translatione mediante populi penes Reges, & Principes residere constat, quod quantum a Potestate sacra discrepet, Catholica veritas satis edocet, non commemorando, quam cum hac illam comparare demisse nimis de ea sit sentire. Verum equidem est Christum Dominum, qui non ad diem aut vitam unius, alteriusve hominis, sed usque ad consummationem sæculi Ecclesiæ suæ firmitatem promisit, & super inconcussam petræ soliditatem eandem fundavit, contra quam portæ inferi nunquam essent prævalituræ, eadem de causa sapientissime ordinasse, ut alter alterius in locum succederet, & quem D. Petrus, & Apostoli, eorumque successores designarent, iisdem ad Exemplum S. Apostoli Mathiæ annumerarentur; sed quibus nonnisi Spiritus sanctus per impositionem manuum, ministerio Apostolorum & aliorum Episcoporum collatus immediate potestatem conferret, non ut ipsi hanc suam eisdem delegarent: alioquin sicut morte delegantis, ita obitu summi Pontificis eadem exspiraret, per quod Ecclesiis denuo minime provisum foret.

IV.

Secundo quod hæc potestas jurisdictionis Episcopalis ex institutione immediate divina non spectet forum solummodo interius conscientiæ, ast vel maxime & necessario etiam se extendat ad politiam externam, & gubernationem publicam Ecclesiæ, populique fidelis, satis innuunt verba ipsa salvatoris, quibus pro incolumitate totius Reipublicæ Christianæ eandem Apostolis, & eo-

rum ſucceſſoribus Epiſcopis conceſſit, quæ, cum ampliſſima ſint, nec inter forum fori, & poli diſtinguant, nec nos diſtinguere debemus: quam ob rem nihil hic valent quæcunque luſiones in verbis, ac diſtinctionibus ſcholæ, ſed ponderanda ſunt verba ſalvatoris, penetranda intentio, ſcopus & finis probe conſiderandus; nunquid enim divinus ille Author Eccleſiam inviſibilem, aut in occultiſſimis conſcientiæ latebris reconditam fundavit, eique rectores præpoſuit? nequaquam: viſibilem, externum ſcilicet cœtum fidelium profeſſione ejuſdem doctrinæ fidei & morum, & eorundem ſacramentorum participatione conjunctum ſub regimine legitimorum paſtorum, & ſub uno ſupremo Capite inſtituit; muneris ergo Epiſcopalis eſſe voluit intendere ſuper gregem, pacem etiam externam, & unitatem in fide & diſciplina recta legum publicarum ſanctionibus inter oves ſuas conſervare, de rebus controverſis judicare, iniquos pœnis Eccleſiaſticis ad meliora revocare, cenſuris contumaces coërcere, & ſimilia, quæ forum externum præcipue concernunt, quæ inſuper Epiſcopos ab Apoſtolis ad noſtra usque tempora pro bono ſuarum Eccleſiarum conſtanter exercuiſſe experientia ipſa teſte locupletiſſima comprobatum eſt. quis autem hæc eosdem feciſſe auctoritate propria & divinitus conceſſa inficiabitur, cum eodem jure Apoſtolis in regimine ſuæ diœceſeos, quo ſummi Pontifices Divo Petro in primatu totius Eccleſiæ continuo ſucceſſerint.

V.

Tertio etiam plane non diffiteor ſucceſſionem iſtam admitti haud poſſe in omnibus, etenim circa Apoſtolos quædam extraordinaria mere perſonalia, & pro ratione circumſtantiarum per modum ſpecialis privilegii ad tempus vitæ iisdem conceſſa, & alia ordinaria in ſucceſſores transmittenda probe ſunt diſcernenda; ad illa primi generis referre oportet ea, quæ tum ad propriam ſanctificationem, & perfectionem Apoſtolis fuerunt impertita, tum in gratiam & converſionem aliorum, & ad bonum commune & incrementum totius Eccleſiæ a primis ejusdem incunabulis erant apprime neceſſaria; ad hæc vero revocantur reliqua, quæ quovis tempore ad felicitatem reipublicæ Chriſtianæ & bene ordinatum regimen animarum pro ædificatione totius Corporis Eccleſiæ æque, ac ſingulorum membrorum conducentia deſiderari poſſunt; quemadmodum ita Romanus Pontifex, licet non ſit in gratia ſanctificante confirmatus, ut Petrus, licet non ſuſcitet mortuos, vel umbra ſua infirmis ſalutem Corporis non reſtituat, aut claudum ad portam templi exilire & ambulare non faciat, ut Petrus, eidem tamen principi Apoſtolorum in primatu legitime ſuccedit, cum ſine eo ſtare nequeat Eccleſiæ perfecta unitas, & integritas: ita & Epiſcopi, quamvis illa ſpecialia dona & privilegia non poſſideant, in aliis tamen proprie & pleniſſime ſuccedunt Apoſtolis, quia id pariter exigit Eccleſiarum particularium neceſſitas, ſalus & incolumitas. Quod autem ad presbyterorum collegium

gium attinet, num & his tam præclara ſucceſſio obveniat, nolo hic decidere, eo quod tot gravia ſacræ Scripturæ, ſanctorumque Patrum teſtimonia, & ſimilia invicta præſidia pro hac doctrina non ſuppetant. quidquid enim de Diſcipulis illis ſeptuaginta duobus, quos deſignavit Dominus in Evangelio, ſentiendum ſit, an miſſi cum poteſtate clavium ligandi atque ſolvendi, an ſolo prædicationis officio inſtructi, utrum a Chriſto reipſa ordinati fuerint, & quali poteſtate inſigniti, vel an ad certa tantum miniſteria deputati, qualesque fuerint, ex ſacro textu non ita exploratum habetur, & utut formam quandam, & ſimilitudinem eorundem presbyteri in Eccleſia dicantur referre, horum tamen officium videtur ad ſummum divinæ nonniſi in tantum originis & inſtitutionis eſſe, in quantum in Epiſcopatu includitur, ut in plenitudine ſacerdotii, & poteſtatum ſpiritualium primigenio fonte, a quo rivulorum inſtar dignitates omnes hierarchicæ, & facultates ſacræ Epiſcopali apice inferiores dimanarunt; ita THOMASS. prælaud. *p. 1. l. 1. c. 1.*; ubi *n. XII.* de prima Eccleſiæ ætate ſic diſcurrit; „illius enim felicis, & vere aurei ævi Concilia, & reliqua ſcriptorum „monumenta teſtatum faciunt, tunc presbyteros nec prædicaſſe, nec baptizaſſe, „nec reconciliaſſe pœnitentes, nec rem divinam peregiſſe, niſi abſente, vel „jubente Epiſcopo, qui tum ſacra hæc munera plerumque unus exequebatur.„ ubi vero creſcente fidelium numero Apoſtoli, horumque ſucceſſores Epiſcopi omnes omnino functiones peragere amplius ſoli non potuerunt, aliquas communicarunt presbyteris veluti adjutoribus, quorum nomina tunc temporis cum ipſis communia ſubin fecerunt, tametſi communia non eſſent, nec eadem omnino cum iis officia: eorundem itaque presbyterorum munus, quatenus ſaltem cum poteſtate actuali jurisdictionis, & cura præcipue externa populi fidelis eſt conjunctum, ſiquidem S. IGNATIUS M. *ep. ad Smyr.* TERTULL. *l. de baptismo c. 17.* & S. HIERONYMUS *dial. adverſus Luciferianos*, totaque vetus Eccleſiæ diſciplina, quod, ut inquit Petrus AUREL. *tom. 2. pag. 109.* perſpicue docuerunt Concilia & Patres, nihil a Presbyteris, aut Diaconis absque juſſione, vel nutu Epiſcopi agendum eſſe declarent, tanquam partem a plenitudine eccleſiaſticæ, & hierarchicæ poteſtatis deciduam, & a ſupremo Epiſcopatus ordine ex delegatione quadam cum integra ad eundem ſubjectione immediate deſcendentem conſiderare convenit.

VI.

Reliquum eſt, ut exponatur adhuc, quomodo ſecundum effatum Apoſtoli Spiritus S poſuerit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. atque id quidem partim de univerſali Eccleſia ſano ſenſu intelligendum; hujus quippe curam ſuſtinent tum ratione Charitatis, qua eandem proſequi, & ſubſidium illi ferre tenentur, de qua obligatione indubie perſuaſi olim erant ſanctiſſimi, zeloſiſſimique Epi-

ſcopi ATHANASIUS, BASILIUS, EPIPHANIUS, HILARIUS, EUSEBIUS SAMOSATENUS, aliique, quos univerſis Eccleſiis, ubi eas periclitari cernebant, confeſtim ſuccurriſſe, ſuumque paſtorale officium, quantum id eadem charitas juxta leges chriſtianæ prudentiæ exigeret, utiliter impendiſſe novimus; quemadmodum de S. EUSTATHIO Epiſcopo Antiocheno ſcribit S. CHRYSOSTOMUS in laudibus hujus Epiſcopi: *hic edoctus probe fuerat a ſancti Spiritus gratia Eccleſiæ Antiſtitem non de illa ſolum, quæ ipſi a ſancto Spiritu ſit commiſſa, curam debere gerere; verum etiam de univerſa, quæ per orbem terrarum degit.* tum ratione auctoritatis in ejusdem neceſſitatibus publicis, & periculis communibus exercendæ, quatenus in Conciliis generalibus ſententiam ferunt ut judices, controverſias fidei, ſchiſmata & contentiones dirimunt, Canones ſaluberrimos condunt, quibus Eccleſiæ totius ſaluti, & communi bono diſciplinæ proſpiciunt, ſalva tamen in omnibus ſuprema Auctoritate ſummæ ſedis Apoſtolicæ, quæ Epiſcopos non dedignatur vocare fratres ſuos & collegas, ut legitur *in Clement. prim. §. nec ſuper.* de pœnis; ubi ipſe S. P. CLEMENS V. ita „*Epiſcopi enim dicuntur ſanctiſſimi, Chriſti legati exiſtunt, ſpirituales ſunt patres, NOSTRIQUE FRATRES ET COEPISCOPI, columnæ comprobantur Eccleſiæ:* quin tamen inde colligi poſſit eundem tot ſtatuere ſummos Pontifices, quot Epiſcopos. partim vero & potiſſimum de quibuſvis aſſignata portione quadam univerſalis Eccleſiæ, quam proinde integram univerſi procurant, non ſinguli; ut enim mutuæ paci ac populorum ſaluti conſuleretur, neque inter unum & alterum confuſio exoriretur, ut, quod unus ædificaret, alter deſtrueret, & quod unus condemnaret, alter abſolveret, ſapientiſſime factum eſt, ut illa divinæ poteſtatis amplitudo ad limites certæ diœceſeos a ſummo Pontifice determinandos fuerit coarctata: Ipſi ſiquidem Apoſtoli ut ut abundantiori pro naſcentis Eccleſiæ primordiis congrua poteſtate in mundum univerſum a Chriſto miſſi, & quia pauci erant, ut tanquam teſtes oculati vitæ & doctrinæ Chriſti, ejusque Reſurrectionis Evangelium per omnem terram diſſeminarent, latas admodum & diffuſas orbis partes ſinguli ſortiti, ex divina tamen ordinatione novello gregi, quem certo in diſtrictu per Evangelium Chriſto genuerant, proprium paſtorem, ſicque ſingulis Eccleſiis a ſe fundatis & erectis ſingulos Epiſcopos præficere jamjam conſueverunt. ut in Act. Apoſt. ep. D. Pauli, & Apocalyp. Joh. nec non Annalibus Eccleſiaſticis perhibetur; Atque ita de privato quoque grege ibi locutum eſſe Paulum ſequentia verba indicant: *Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* ſimilia habentur prima Petri 5. c. v. 2. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei.* Nimirum ex voluntate Chriſti mundus fuit dividendus Epiſcopis, in quo ſuum paſtoris officium explerent, uti S. IGNAT. M. *in ep. ad Epheſ. Epiſcopi per terminos terræ definiti ex JEſu Chriſti ſunt ſententia,* ſed ipſam hanc diviſionem ac gregis aſſignationem tum non ſtatim generalem fuiſſe recte autumamus, ſed executioni demandatam juxta temporum indigentiam, quo-

quotiescunque ſcilicet populus fidelis ita creverat in hac vel illa regione, ut plures paſtores ei præficere neceſſe fuerit, & conſecutive cuique ſuam gregis portionem aſſignare; quamquam, ſicuti hodie facta hac diviſione rationi & inſtitutioni Chriſti conſentaneum eſt Epiſcopum unum non debere ſe ingerere quoad oves alterius, ut in ſynodo Antioch. *an. 341. can. 22.* jam fuit decretum: *Epiſcopus in aliam civitatem, quæ ei ſubjecta non eſt, non aſcendat*, ita jure optimo in primævis Eccleſiæ ſæculis plane non inconveniens fuerit quosdam ſtatuere & conſecrare Epiſcopos cum vaga quadam & illimitata poteſtate, tum quia incertum erat, an & quæ pars regionis, ad quam mittebantur, eſſet Evangelium acceptura, tum ne remoraretur eo Evangelicæ victoriæ curſus, ut ſi Eccleſiis eſſet opportunum, etiam ad remotiſſima loca properarent; ut de his viris Apoſtolicis docet Euſebius *l. 3. c. 37. Munus obibant Evangeliſtarum... bi poſtquam in remotis ac barbaris regionibus fidei fundamenta jecerant, aliosque paſtores conſtituerant, ad alias gentes properabant*; quomodo etiam quidam Epiſcopi Regionarii dicti, qui non uni modo civitati, ſed univerſæ nationi ordinabantur, ut legimus etiam in ſæculo 6to adhuc, & 8vo de Auguſtino pro Anglia', de Bonifacio pro Germania, toti Regno vel Regioni Evangelium annuntiaturi absque ulla determinatione certæ ſedis, vel Eccleſiæ aut civitatis, cum perſæpe ne nota quidem erant illarum nomina. poteſtas nempe Epiſcopalis, quod notandum eſt, de ſui natura ad omnes animas, quæ illi ſubjiciuntur, ſe extendit, verum uſu ab Eccleſia a tempore Apoſtolorum jam recepto, & *jam pridem* (verba ſunt S. CYPRIANI, *ep. 52.*) *per omnes provincias, & per urbes ſingulas ordinati ſunt Epiſcopi:* ut propterea minime vaga poſſit, & incerta eorundem poteſtas hodie appellari.

VII.

Alterum quod adornant argumentum adverſarii, in eo reponunt, quod hæc ſententia videatur e diametro pugnare cum primatu ſedis Apoſtolicæ; quem tamen fides divina omnes, quotquot vere Catholici audiunt, firmiter tenendum, & profitendum edocet; quodſi enim poteſtas regiminis, & jurisdictionis Epiſcoporum eſt immediate a Deo, eſt æqua Pontificiæ, & ab ea independens, nec poterit amplius limitari, aut omnino adimi, quin ſaltem valide exerceatur ad inſtar poteſtatis ordinis; imo quod ſine manifeſto, graviſſimoque Hierarchiæ Eccleſiaſticæ detrimento aſſeri nequit, Epiſcopi & inter ſeſe omnes erunt æquales, & pari cum illa Archiepiſcoporum, primatum, aliorumque primorum poſt Romanum pontificem Eccleſiæ Antiſtitum poteſtate & amplitudine jurisdictionis ſusque deque verſo ordine perfruentur; quis autem hoc admittet? adde, quod tanta inter ipſosmet varietas quotidie conſpiciatur, ut modo in Italia v. g. unius, vel alterius oppidi, in Germania ampliſſimi diſtrictus tot civitatum, & mille pagorum ad plures ſubin provincias ſe protendentis jurisdictione gaudeat Epiſco-

Epiſcopus, non igitur a Deo, vel Chriſto Domino, de quo hæc diviſio aut quoad ſubditos, aut quoad diœceſes immediate facta nuſquam legitur, ſed ab ipſo Petro cujus in manus traditæ ſunt a Deo claves cum munere paſcendi oves & agnos, cuique placuit ſic jurisdictionem dare aut delegare, id immediate deſcendit. quare merito INNOCENTIUS Imus *in Epiſt.* ad Cc. Milevit. ait: *arbitror omnes fratres & Coepiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris Authorem deferre debere*; & S. LEO *ep. 89. hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium voluit pertinere, ut in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſumme principaliter collocaret, ut ab eo ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet*; idem *ſerm. 3. de aſſumpt. ſi quid Chriſtus commune cum eo* (Petro) *voluit aliis eſſe Principibus* (Apoſtolis) *nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit*. item Optatus MILEVITANUS *L. 7.* „*Cæteris omnibus Apoſtolis præferri meruit* (Petrus) *& claves regni cælorum cæteris communicandas ſolus accepit.*

VIII.

Sed & hæc in contrarium adducta curſum non morantur, tantum enim abeſt, ut ſtante hac doctrina de jurisdictione Epiſcoporum immediate a Deo derivata conſectarium reapſe ſit ſupremam Romani Pontificis Auctoritatem quodammodo labefactari, & jura primatus imminui, ut vel ex eadem potius ſummopere firmetur, & contra hæterodoxos magnifice comprobetur. Quandoquidem ubi par eſt ratio, par eſt ferenda ſententia; & merito modus ille divinus ſuccedendi in locum Apoſtolorum, quem veneramur in Epiſcopis, eandem æquo jure arguit ſucceſſionem ſummi Pontificis in ſede Petri Apoſtolorum Principis tanquam opus non hominis, ſed Dei omnipotentis firma fide adorandum; iisdem enim aut ſimilibus verbis ſalva Petri præeminentia Chriſtus Dominus miſit Apoſtolos, quibus Petrum ſuum conſtituit in terris Vicarium. cum igitur illi tam ſupremam Pontificiam, quam divinam Epiſcoporum ſuperioritatem acerrime impugnent, ordinemque Eccleſiæ hierarchicum ut commentum, vel inventum mere humanum peſſime traducant, quis non videt, ſi a nobis ipſis Epiſcopos non tanquam divinos Hierarchas, & veros Apoſtolorum ſucceſſores æſtimari, adeoque in tanto pretio non haberi intelligant, facile occaſionem inde ſumpturos eſſe, dignitatem Epiſcopalem non tantum liberius ſpernendi, ſed & eodem argumento ad primatum divinæ inſtitutionis evertendum contra nos uſuros. Neque tamen ex eo præciſe, quod proxime ab eodem fonte utraque poteſtas ſcaturiat, recte quoque fluit, quod ſit æqualis, ſicut nec in Republica Civili, in qua Princeps per ſe immediate conſtituit judices, & præfectos primarios æque ac ſubalternos; ſalva enim ſemper manere debet ſubordinatio, & dependentia, ut conſervetur perfecta unitas & ordo: cujus rei gratia Chriſtus Dominus pereximiam illam, & prorſus divinam Epiſcoporum

rum poteſtatem in corpus ſuum myſticum, quantum ad uſum, & exercitium ſaluberrimæ ſimul ac rationabili ſedis Apoſtolicæ diſpoſitioni provide ſubmiſit, adeo quidem, ut actus contra geſti non tantum non liciti, ſed & ſuo valore ſint deſtituti; aliter enim longe, quam poteſtas ordinis eadem ſe habet, illa eſt quid abſolutum, & ob characterem ſacramentalem a Deo impreſſum inimpedibilis, quominus ſaltem valide exerceri poſſit, præſertim ex eo capite, quod nullius alterius ſubjectionem ad id ipſum requirat: hæc vero ſcilicet poteſtas jurisdictionis, oves & Subditos, & Gregem ſibi commiſſum eſſentialiter reſpicit, in quem exerere ſeſe poſſit, cujus proinde aſſignatio & determinatio, uti & diœceſeon, quibus præſunt Epiſcopi, amplitudo aut coarctatio, veluti & abundantior illa Archi-Epiſcoporum, Primatum, Patriarcharum, atque adeo Eminentiſſimorum ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium. qua talium poteſtas, ſiquidem Concilium Tridentinum Hierarchiam Eccleſiæ divina ordinatione inſtitutam definiens, ejusque gradus ſubnectens prædictorum omnium nullam mentionem faciat, proxime plus quam humani juris eſſe non videntur. quod quidem, ubi ſaluti populorum & ædificationi fidelium, quæ in omnibus ſuprema lex eſt, expedierit, viciſſitudini obnoxium eſt, & diſpoſitioni Eccleſiæ, ejusque ſupremi Capitis Romani Pontificis, cui omnes Eccleſiæ particulares, & prælati inferiores ex voluntate Dei perfecte ſubordinantur, omnino ſubjacet, quo ſenſu etiam quaſi per ſubtractionem termini poteſtas Epiſcoporum utut divinitus immediate obtenta limitationem tamen patitur, ut Doct. Angel. *in 4. Diſt. 19. q. 1. ar. 2. ad 2. de ſchiſmaticis* ait: „*in omnibus prædictis manet clavium* „*poteſtas, quantum ad eſſentiam, ſed uſus impeditur ex defectu materiæ*„ porro etiamſi apud quosdam cura Epiſcopalis ad puſillum ſe gregem extendat, ſalva tamen ſtat eorundem dignitas, & poteſtas cœterorum prærogativæ & jurisdictioni Primævæ in ſubſtantia haud impar: uti JULIUS P. 1. epiſt. ad Orientales apud Athanaſ. apolog. 2. ut Epiſcoporum translationes proſcriberet: „*ſi igitur*, inquit, *vere parem eundemque honorem in omnibus Epiſcopis cenſetis eſſe, neque in magnitudine civitatum (ut vos ſcribitis) honorem hujus rei creſcere arbitramini. opportuit eum, cui concredita eſt parva civitas, in ea, quæ credita eſt, permanere, & nequaquam rejecta concredita, ad eam quæ concredita non eſt. transvolare. ne eam. quæ a Deo data eſt, aſpernari, illam vero quæ hominum ambitu conceſſa eſt, magnifacere videatur.* „

IX.

Ex his nunc pronum eſt colligere, quod ea non fuerit mens laudatorum Ss Patrum aſſerere, quaſi Apoſtoli auctoritatem ſuam, & claves a Petro obtinuiſſent, cum evidentiſſime & diſertis Evangelicæ veritatis verbis contrarium conſtet; ſed quod *bono unitatis*, ut Optatus MILEVIT. *cit. loc.* inquit: *Pe-*

trum præferri meruiſſe ſignificatum velint, atque ideo ab omnibus illis adminiſtrandas non eſſe cœleſtes has claves, niſi conſenſione & charitate indivulſa cum capite ſuo, in quo comprehenſi omnes erant, quando Chriſtus Petrum nominatim alloquens divina & ſtupenda illa poteſtate clavium eundem præ cæteris cumulavit. ita PACIANUS *ep. 3. ad Petrum locutus eſt Dominus, ad unum, ut unitatem fundaret in uno, mox idipſum in commune præcipiens.* Audiatur & HIERONYMUS *l. 1.* adverſus JOVINIANUM. *At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licet id ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo inter eos fortitudo Eccleſiæ ſolidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* quoniam igitur Epiſcopi absque hoc vinculo cohærentiæ cum Romano Pontifice, a quo in exercitio ſuæ jurisdictionis cum debita ſubordinatione dependent, nihil omnino agere permittuntur, merito ſecundum mentem INNOC. I. cit. ad eundem virtutem & dignitatem ſuam referre quodammodo debent, cujus quoque mandato & licentia in Occidentis præſertim partibus Epiſcopi conſecrantur; certe plus etiam non prætendit S. LEO P. qui Ep. 89. *ad Vviennenſis Provinciæ Epiſcopos* ſe ipſum explicat ita ſcribens: *ſollicitudo noſtra non ſua quærens, ſed quæ ſunt Chriſti, DIGNITATEM DIVINITUS DATAM nec Eccleſiis nec Eccleſiarum ſacerdotibus* (Epiſcopis) *abrogabat*, unde *ſerm. 3. cit. de aſſumpt.* non dixit *a Petro* reliquos Apoſtolos quidpiam accepiſſe, ſed *per Petrum*, quod ita interpretandum eſt, ut ad Petrum a Chriſto Domino clavibus Eccleſiæ expreſſis verbis donatum tanquam ad apicem, & commune exordium dignitatis Apoſtolicæ, & Epiſcopalis cæteri omnes concurrere intelligantur; quemadmodum enim Petrus pro omnibus præclariſſimam divinitatis Chriſti profeſſionem palam emiſit, omnesque in illo, & per illum Chriſto interroganti reſponderunt, ita & omnes in illo ac per illum, qui omnium perſonam gerebat, ſuam poteſtatem clavium accepere, Petro veruntamen tanquam primo, & præcipuo exemplari cum ſpeciali prærogativa dignitatis, æque ac jurisdictionis iisdem prælucente: atque hæc S. Leonem ſic explicandi ratio perſpicue loc. cit. fundatur in ipſo contextu, aliisque locis ſupra adductis.

X.

Tertio contra hanc doctrinam opponunt, illi urgentque varia juris loca, & ſanctiones Canonicas; ut c. *qui ſcit.* cauſa 2. q. 6. c. *decreto* ibidem. c. *multum.* cauſa 3. q. 6. in quibus legitur ipſam Romanam Eccleſiam ita vices ſuas aliis largiendas impertiviſſe Eccleſiis, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis; qua expreſſione ſpeciatim utitur INNOC. III. cap. *ad honorem:* de Author. & uſu pallii. ad comprobandam plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis in ſolo Romano Pontifice reſidentem. His accedunt plurimæ conſtitu-

ſtitutiones aliæ, quibus probatur omnes ſive patriarchii cujuslibet apices, ſive Metropoleon primatus, aut Epiſcopatuum Cathedras Romanam inſtituiſſe Eccleſiam. can. *omnes.* diſt. 22. *c. fin.* d. 11. c. *Urbes 1.* d. 80. hujus ſolius authoritate uniones, vel diviſiones, Epiſcopatuum, translationes Epiſcoporum de ſede in ſedem, ſuſpenſiones, depoſitiones, privationes fieri & factas eſſe. Porro in ipſa Epiſcoporum creatione Papa pronuntiat in Conſiſtorio „*Auctoritate Omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ac Noſtra providemus Eccleſiæ N. de perſona N. & præficimus eum in Patrem, & paſtorem ac Epiſcopum ejusdem Eccleſiæ, committentes ei adminiſtrationem in temporalibus, & ſpiritualibus in Nomine Patris &c.* denique Romana & Apoſtolica ſedes in ſacris Canonibus toties vocatur prima & ſuprema, cardo, caput & Princeps aliarum Eccleſiarum, & ſicut oſtium a cardine, a capite membra, a principe ſubditæ poteſtates, ita cæteræ Eccleſiæ ab ipſa Domino diſponente dependeant, ac regantur, poteſtatem accipiant & authoritatem. c. *ſacroſancta.* d. 22. c. *nolite.* 3. d. 11. & c. *loquitur cauſ.* 24. q. 1. ad ipſam comparantur ſicut radii ad ſolem, ſicut rivuli ad fontem, ſicut rami ad radicem: quibus omnibus evidenter inſinuatur illud, quod Cardinalis TURRECREMÀTA in cap. *omnes* diſt. 22. n. 3. *verſ.* Quinto. ſcribit ſequentibus verbis „nullus credentium dubitare debet, quin poteſtas juris„dictionis omnium prælatorum non modo quoad executionem, ſive uſus ampli„tudinem, ut quidam fingere voluerunt, ſed etiam quantum ad ſubſtantiam po„teſtatis dependeat a Romana Eccleſia, a qua etiam omnes principium ſum„pſiſſe dicuntur„; quam veritatem ipſimet Epiſcopi perſuaſiſſimam ſibi habere videntur, dum in literis ſuis publicis Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopos ſeſe ſcribunt, quo ſe gratia quidem divini Numinis remote, aſt beneficio Papæ proxime eximia ſua poteſtate inſignitos eſſe palam profitentur.

XI.

Attamen omnibus iſtis quantumcunque exaggeratis ad ſubſcribendum contrariæ opinioni minime compellor; qui enim ſine fuco rem pertractant, & memoratorum Canonum accuratiori indagine fontes perluſtrant, partim etiam vim argumentorum inde deſumptorum æqua lance ponderant, parum vel nihil præſidii in iisdem reperiunt. nam quantum duos primos concernit textus ex decreto Gratiani citatos, quorum alter adſcribitur Vigilio, alter Gregorio ſummis Pontificibus, reſpondet ESPEN in Supplem. *in Jus univerſum Eccleſ. p. 1. t. 19. c. 5.* & in ſuo commentario *ad II. partem Gratiani cauſ. 2.* eosdem de plenitudine poteſtatis, & parte ſollicitudinis haud genuinos eſſe aut legitimos, quod fuſe probat tum ex diverſitate Authorum, quibus tribuuntur, tum ex varia inſcriptione, tum aliis pluribus ex ſignis & rationibus, quas inter alios adfert Clariſſimus Stephanus BALUZIUS *in notis* ibidem, & *in additioni-*

bus ad L. 5. Petri de Marca c. 26. n. 9. in cujus confirmationem apponit hæc notatu digna, „eam enim, inquit loc. cit Romanos Pontifices ſibi plenitudi„nem poteſtatis, aut paſtoralis ſollicitudinis aſſeruiſſe primis ut minus ſeptem „ſæculis non legimus. . . interim certum eſt plura tum per pſeudo Iſidorum „in ſuam collectionem eſſe relata, tum poſtmodum per Gratianum aſſumpta, „quæ hanc in Pontifice Romano plenitudinem poteſtatis & paſtoralis officii ſup„ponunt, & iisdem pene verbis proponunt, quibus eam INNOC. III. expreſ„ſit„ porro c. *multum.* relato, quo hæc plenitudo poteſtatis ſimiliter adducitur, manifeſtum eſt ex ipſo textu, & contextu ſanctum Leonem haud loqui de illa, quam Chriſtus dederit Petro, & ſucceſſoribus ejus pro univerſali Eccleſia; ſed de poteſtate patriarchali, quam eo tempore, id eſt, ætate Leonis, Romanus Pontifex per totum Illyricum obtinebat; ſcribit enim ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem non qua Epiſcopum, ſed qua conſtitutum ſuum Vicarium, cui per totum Illyricum vices ſuas commiſit ſub ea moderatione, ut arduis in negotiis, quæ in provinciis non poſſent facile decidi, deberet conſulere Pontificem, ejusque ſuper eis ſententiam exſpectare; hinc dum ille officii ſui fines exceſſiſſet, & in Epiſcopos illius regionis vehementius animadvertiſſet, quam *ipſi datum* eſſet a Pontifice, merito reprehendebatur tanquam Vicarius, qui non omnia poteſt, quæ ille, cujus vices gerit, & qui tantum in partem ſollicitudinis eſt vocatus: *vices enim noſtras*, ſunt verba LEONIS ibidem, *tua credidimus charitati &c.* quare ſedulo diſtinquenda eſt in Romano Pontifice multiplex qualitas ac perſona, nimirum alia Epiſcopi ſpecialis Romani, alia Metropolitani, alia Patriarchæ, & alia demum ſummi Pontificis totius Eccleſiæ Capitis & Chriſti in terris Vicarii, ne geſta ſub una earum qualitatum credantur ſub alia ac ſignanter titulo primatus Romani Pontifices ſibi etiam primis Eccleſiæ ſæculis vindicaſſe: interea tamen monet BALUZIUS *in append. ad L. 5. Petri de Marca de concord. ſacerd. & Imp. c. 26.* quod tam occaſione falſarum illarum decretalium primorum Pontificum, quam hujus epiſtolæ S. LEONIS ab ejus ſucceſſoribus in alio ſenſu intellectæ ſequentes Pontifices eo inducti fuerint, ut effatum illud exortum fuerit ultimorum temporum cæteros Epiſcopos vocatos eſſe in partem ſollicitudinis, ſed ſolum Romanum habere plenitudinem poteſtatis; quamobrem in Concilio Lateranenſi V. ſub LEONE X. cum ſummus Pontifex in bulla privilegia Regularium continente *Epiſcopos in partem ſuæ ſollicitudinis aſſumptos* dixiſſet, Epiſcopus SIGNINUS reclamavit, & dixit, loco iſtorum verborum ſcribendum eſſe in narrativa, *quod Epiſcopi aſſumpti fuerint a Chriſto.* quanquam & ille, qui partem ſollicitudinis de portione gregis, & plenitudinem poteſtatis de ipſa vi primatus Sedi Romanæ divinitus annexi ad omnes urbis, & orbis Eccleſias, ad agnos & oves ſe porrigente generali & ſupereminente poteſtate intelligit, rectiſſime habeat, dummodo nec cæteris Epiſcopis per varias regiones & Eccleſias conſtitutis auctoritatem ſuam diminuat, & humanam

manam aut omnino precario acceptam velit; merentur hic ſubjungi verba Cardinalis Petra eminentiſſimo Turrecremata eruditione haud ſupparis certe, ſin Superioris, qui *ad conſtit. Pontif. unic. Pelag. II. tom. 1. fol. 145. num. 45.* ita differit „ſicut falſa eſt ſententia illorum, qui Patriarchæ Univerſalis titulum „tribuere volunt inferiori ſummo Pontifice, ita erronea eſt ſententia oppoſita, „quod ordo Epiſcopalis ſit adinſtar Vicarii ſummi Pontificis, a quo totam ju„risdictionem recipiat, ita Epiſcopi gerentes vices Miniſtrorum ejus tantum, „ut per obitum illius exſpiret jurisdictio, ut dixerat Marc. ANTON. de Domin. „Spalat. Epiſcop. ſatis indignus dignitate, cujus ignoravit præſtantiam, & „comprobare id conatus fuit ex *can. decreto & ſeq. cap. ad honorem. de auth. & „uſu pall.* ubi in partem ſollicitudinis vocatos eos nominat Papa, nam Epiſcopi „vere fratres dicuntur aſſumpti in partem ſollicitudinis, quatenus habent juris„dictionem limitatam in certa Diœceſi excluſis cauſis majoribus papæ reſerva„tis, uti ſuper eminenti in toto orbe: cæterum ipſi conſtituunt ordinem Epiſ„copalem cum ſummo Pontifice. „

XII.

Nec quidquam omnino parti adverſæ ſuffragantur alii, quotquot extant in jure textus de inſtitutione Epiſcopatuum, extenſione, limitatione, unione, diviſione, translatione, depoſitione, & reliquis, quæ olim in ſynodis potiſſimum provincialibus fieri ut plurimum conſueviſſe ex ſana hiſtoria prorſus compertum habemus, hodie vero, & jure novo inter cauſas majores relata ab auctoritate Romanæ Eccleſiæ primario dependent; etenim hæc & ſimilia plus non denotant, quam conceſſionem, & determinationem diœceſeon, aſſignationem gregis & ſubditorum, augmentationem vel diminutionem ovium, aut earum penitus omnium ſubtractionem, & conſequenter terminum, aut objectum, ſive materiam circa quam poteſtatis & jurisdictionis Epiſcopalis ſita eſſe in poteſtate ſedis Apoſtolicæ, ſecus ipſam poteſtatem primariam in ſua ſubſtantia ſpectatam, quaque per ſacram ordinationem a ſolo ſpiritu ſancto virtute ex alto ſuperveniente Epiſcopi donantur, una propterea in omnibus eademque conſtanter permanente: quemadmodum itaque in naturalibus elementum ignis vim ſuam combuſtivam non accipit a materia combuſtibili, tametſi abſque ipſa appoſita eandem nequeat actualiter exercere, pari fere modo de ſupernaturali virtute, & poteſtate Epiſcopali differendum videtur. Cæterum eſto Divum Petrum, ejusque ſucceſſores Romanos Pontifices omnes & ſingulos inſtituiſſe Epiſcopos, qua deſignando Perſonas ſibi bene viſas de Eccleſia meritas, dignasque, quas ad Epiſcopale ſolium eveherent, qua confirmando electos, & de legitimis paſtoribus quocunque modo Eccleſiis providendo, hæc tamen inſtitutio, aut proviſio conſideranda eſt haud aliter, atque conditio, vel colla-

tio ſolum miniſterialis, qua interveniente principaliter Deus ipſe tali poſtmodum impertitur, & quidem immediate & primario ipſam poteſtatis Epiſcopalis ſubſtantiam & amplitudinem.

XIII.

Quod autem de præconizatione Epiſcoporum Romæ fieri ſolita, & de confirmatione eorundem huc adducitur, contrarium potius probat, eoquod ibidem Epiſcopis non poteſtas ipſa, ſed adminiſtratio ſola conferatur, eum in finem, ut Eccleſiarum neceſſitatibus modo proviſorio interim ſuccurratur, nam *committentes ei adminiſtrationem*: ſonat Bulla confirmatoria; aliud videlicet eſt modo commiſſorio, aliud nomine proprio, aliud poteſtatem obtinere ut ſuam, aliud in adminiſtrationem tantum, quod precarium, & non proprietatem præfefert; quæ praxis ab eo tempore invaluit, quo Pontifex ſibi reſervavit proviſiones Epiſcopatuum, iiſdem nimirum concedi adminiſtrationem, quouſque conſecrentur, ut patet ex jure decretalium: ad reliqua reſponderur Romanam utique Eccleſiam eſſe venerandam omnium Eccleſiarum primam, & *Magiſtram*, quoniam Divus Petrus Apoſtolorum princeps ibi ſedem ſuam fixit. & glorioſiſſima morte ſua eandem fundavit, eximiam illam honoris æque, ac jurisdictionis prærogativam relinquendo, ut eſſet omnium caput non quidem principale & primarium, quod eſt Chriſtus Dominus in ſe omnia dona, & gratiarum chariſmata continens, & propria virtute & auctoritate membra vivificans, ac motum & ſenſus ſpirituales influens, ſed Vicarium & Miniſteriale cum excellentiſſima, & ſuprema poteſtate, qua eam diſponente Domino ita donatam novimus, ut cœteræ Eccleſiæ ejus Authoritate ſicut oſtium a cardine regantur, ut canon cit *ſacroſancta:* qui tamen an ſit genuinus, utpote Anacleto P. diu ante tempora Siricii P. adſcriptus, examinare modo non vacat: ulterius quæcunque ſimilitudines in medium allatæ, quibus jura videntur poteſtatem Epiſcoporum ex conſpicuo Eccleſiæ capite derivare, cum nos a ſummo & immortali capite Chriſto hauſtam vindicemus, ſerviunt magis ad illuſtrationem hujus ſententiæ: quemadmodum enim palmes niſi manſerit in vite fructum afferre nullum poteſt, ex ſententia ſancti CYPRIANI *Can. loquitur.* cit cujus rubrica eſt *de unitate Eccleſiæ:* ubi, *avelle*, inquit, *radium ſolis a Corpore, diviſionem lucis unitas non capit, ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; a fonte præcide rivum, præciſus areſcet.* Ita & in Eccleſia Catholica una & immaculata Chriſti Sponſa, quiſquis a ſana ejus doctrina & communione ſeparari ſe ſinit, tanquam membrum præciſum, & ſpiritualiter emortuum priſtina Vitalitate animæ, & virtute bene operandi omnino deſtituitur: & quicunque Epiſcopus in adminiſtratione regiminis ſuæ particularis Eccleſiæ cum corpore totius non concordat, aut conſenſionem cum uno & ſummo capite univerſalis Eccleſiæ, & ſubordinationem con-

contumaciter reſpuit, uſum & exercitium ſuæ poteſtatis, & jurisdictionis a Deo acceptæ denique deperdit, quia ab unitate recedit, quia cum Romana Eccleſia non conjungitur, in qua eſt cardo, fons & origo, principium & centrum unitatis, quia, ut idem CYPRIANUS, *non poteſt Deum habere patrem, qui Eccleſiam non habet matrem.*

XIV.

Mirum tandem videri non debet Epiſcopos his verbis uti ſolere; *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia*, Dei quidem ut inſtitutoris & collatoris principalis, Apoſtolicæ vero ſedis ut diſpenſatoris miniſterialis, quam formulam non omni ſæculo uſitatam fuiſſe conſtat, nam THOMASSINUS de V. & N. Eccl. diſc. p. 1. l. 1. c. 60. n. 9.: ſcribit hoc titulo primos ſingularis in ſedem Romanam vel Clientelæ ſuæ, vel obſervantiæ, vel conjunctionis cauſa inſignitos fuiſſe Epiſcopos Latinos Inſulæ Cypri. eo enim uſus eſt Archi-Epiſcopus Nicoſienſis in conſtitutionibus a ſe editis jam inde ab anno 1251. tanquam Vicarius Papæ, cujus poteſtas erat quaſi portio aliqua primatus Pontificis ab eodem participata. Eodem titulo non multo poſt tempore etiam gloriabantur Epiſcopi Italiæ, Archi-Epiſcopi Ravennates: quos imitati ſunt Archi-Epiſcopi Narbonenſes, Turonenſis, Salisburgenſis, aliique plures poſterioribus ſæculis poſt confirmationem præſertim Epiſcoporum translatam ad ſedem Pontificiam: a quo demum igitur tempore repetatur hic mos, qui nec apud orientales, nec apud omnes occidentales Epiſcopos ſemper fuit in uſu, imo & hodie ab Epiſcopis extra Italiam non niſi literis ſuis Romam mittendis inſeritur, plus inde non evincitur quam hoc unum, quod Epiſcopi per hanc formulam teſtatam velint ſuam in ſedem Romanam pietatem, obſervantiam, perfectamque cum ea communionem, cui ex integro devotos, plurimisque beneficiis ad obſequia obſtrictiſſimos ſeſe profitentur.

CAPUT IV.

Poteſtatem Epiſcoporum primigeniam ſuis pro Diœceſibus plenariam, ſolidamque eſſe ſalvo tamen primatu ſedis Apoſtolicæ, ejusque reſervatis determinat.

I.

Poſt indagatam prævie ac ſtudioſe divinam prorſus Originem, exploratosque illuſtriſſimos revera Natales, quibus ſemper in Eccleſia vera Chriſti præfulſit

ſacer Epiſcopatus ordo ſimul, atque dignitas ipſius Hierarchica, & ſpiritualis poteſtas, cum ipſis ſacris ex paginis, tum ex probatiſſimis antiquorum Ss. Patrum ſententiis, præmiſſis in primo capite hiſtoricis omnium ſæculorum animadverſionibus, in quibus ob varias rerum temporumque viciſſitudines varia quoque ſubiiſſe fata, vel ideo prætermiſſum non eſt, ut eo melius agnoſcant nonnulli, quantum aberrent, dum ex coarctatione uſus, & actualis exercitii inſufficientiam primigeniæ poteſtatis, atque defectum intrinſecæ virtutis arguere contendunt; ad rem igitur ipſam, & primordialem poteſtatis Epiſcopalis naturam, ſubſtantiam & plenitudinem deveniendum eſt, nec primo in limine diutius perſiſtere, ſed ulterius progredi, ampliſſimumque ſub intrare campum inſtituti ratio poſcit. ne tamen, quod præmonere volo, quisquam hoc in capite fruſtra a me exſpectet quævis ſumma jura Epiſcopalia ſpeciatim recenſenda fore, atque ſtabilienda, tum quod prolixa nimis foret commendatio, & diſputationis limites excederet, ſi hæc omnia exiguo nimis paginarum præſentium ambitu vellem comprehendere; tum quod unice in generali poteſtate, quantum de ſe & in theſi conſideratur, cardo inſtituti mei verſetur, illa vero circa particularia in ſpecie, & hypotheſi maxime ſeſe exerant; partium proinde mearum ſolummodo eſſe volui, poteſtatem Epiſcoporum primigeniam plenariam, ſolidamque ſtatuere, & ex nativa ſui conſtitutione ſeſe extendentem ad cuncta, quæ neceſſaria ſunt aut conducibilia ad bonum Regimen Eccleſiaſticum communitatis ſibi ſubjectæ, absque præjudicio tamen in univerſalem Eccleſiam redundante, ſalvaque ſubordinatione ad ſupremum ejusdem caput, quod ipſum partim ex præcedentibus, partim ex modo ſequentibus evincere in me ſuſcepi.

II.

Demonſtrata nimirum veritate illa ceu fundamentali, & velut hujus doctrinæ baſi, quod excelſa Epiſcoporum poteſtas in regimine ſuarum diœceſium ex alio haud fonte, quam ipſius Chriſti Domini immediata conceſſione, & ſumma gratiæ Spiritus ſancti ubertate in eorundem ſacra conſecratione participata originaliter promanet, prono inde alveo fluit, nulla menſura melius ejusdem amplitudinem, exactiusque dimetiendam eſſe, quam ex larga divini ejusdem inſtitutoris diſpoſitione, & liberali munificentia, qua Apoſtolos eorunque ſucceſſores Epiſcopos pro ſuſcipiendo felici regimine animarum, & recta gubernatione Eccleſiæ copioſe ac decenter locupletare voluit; cum igitur ſacerdos hic ſummus eadem ſua poteſtate a Patre accepta, utique plena & omnimoda pariter donaverit Apoſtolos, & ita inſtructos miſerit, Joh. 20. quis amplius dubitabit illos, quos reverſurus in cœlum ſibi ſubſtituit, eos ditatos eſſe plenitudine ſacerdotii, quod hic per mortalem vitam ipſe geſſiſſet, prout Eccleſiæ ſuæ decor, ordo & guber-

gubernatio poſtularet. præclare hanc in rem Clarus de Muſcula Epiſcoporum unus, qui Concilio Carthaginenſi ſub CYPRIANO jam interfuere, apud Auguſtinum *L. 7. de bapt. contra donatiſt. C. 43. manifeſtæ eſt*, inquit, *ſententia Domini noſtri Jeſu Chriſti Apoſtolos ſuos mittentis, & ipſis ſolis poteſtatem a Patre ſibi datam permittentis, quibus nos ſuccedimus eadem poteſtate Eccleſiam Domini gubernantes*, „digna ſane verba, ſubjungit Thomaſſ. quæ obſervantur, quippe quæ optime eam plenitudinem poteſtatis exuberantem exprimunt, quam Chriſtus acce„pit a Patre, quamque in Apoſtolos transfudit, transfundendam & in Epiſco„pos, qui proinde Eccleſiam eadem cum poteſtatis exuberantia adminiſtrant, qua „Apoſtoli Chriſti, qua Chriſtus ipſe, qua Pater, eadem poteſtate Eccleſiam „Domini gubernantes.„

III.

Solidam proinde rerum ſacrarum poteſtatem, & regiminis Eccleſiaſtici plenitudinem per ſe penes Epiſcopos in ſua quemque Diœceſi perfecte reſidere veritas eſt, quæ tum ex S. Scriptura, tum ex traditione, & perpetua Eccleſiæ diſciplina clare demonſtratur; Epiſcopi enim ſuis in Eccleſiis vicem gerunt ipſius Chriſti Domini, ſuntque veri ſucceſſores Apoſtolorum, ſuper quibus ceu firmiſſimis columnis ipſe Salvator mundi ſuperædificavit, & conſolidavit Eccleſiam ſuam ad eph. 2. *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum.* Et quibus in Apoſtolis absque omni limitatione dixit Matth. 18. *quæcunque alligaveritis... quæcunque ſolveritis.* Epiſcopi ſunt, quorum imperio omnes ſubjecti, & obtemperare juſſi, & qui nomine Eccleſiæ deſignantur, dum Chriſtus præcepit. Matth. 18. *dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus, & publicanus*; ut interpretatur CHRYSOST. *hom. 16. in Matth. dic præſulibus*, inquit, *& præſidentibus.* & S. CYPRIANUS *ep. 60. ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe & Eccleſiam in Epiſcopo.* Epiſcopi denique ſunt, quos tanquam primarios Paſtores, & Doctores ipſe dedit Eccleſiæ, ut eidem præſint, & proſint, oves ſibi concreditas verbo vitæ in cibum æternæ ſalutis paſcant, exemplo bonæ converſationis conjuncto cum ſuavi & charitativo Imperio in via ad perfectionem Chriſtianam, & cœleſtem beatitudinem rite dirigant, omniaque peragant, quæ ad ſpirituale bonum animarum, ſuæque Diœceſeos ædificationem præcipue conducunt poteſtate plenaria a Spiritu S. accepta regendi Eccleſiam Dei. atque hanc ipſam poteſtatem & authoritatem muneri Epiſcopali omnino eſſentialem, & intrinſecam tam pro communi Eccleſiæ, quam privata fidelium ſalute oppido quam neceſſariam, & a Chriſto Domino, qui in neceſſariis non deeſt, Apoſtolorum ſucceſſoribus conceſſam itidem perpetuæ praxeos Eccleſiæ monumenta, quibus eandem Epiſcopos pleniſſima libertate Apoſtolica exercuiſſe conſtat, indubitanter evincunt. jam inde enim ab initio naſcentis Eccleſiæ, quos per totum mundum diffuſi ordinarunt Apoſtoli, & poſt ſe reliquerunt,

primos Episcopos non quidem ut dominantes in Cleris, sed formam factos gregis ex animo ministerium suum rite impleviſſe rectiſſime creditur, nec non constanter & fideliter obſervaſſe monitum illud Apoſtoli ad Tit. 2. *exhortare & argue cum omni Imperio.* id, quod toties iterato inculcatum legitur ad Tit. 1. & ad Timot. *ep. 1. C. 2. & C. 5.* ubi agitur de poteſtate judicandi, corrigendi & ordinandi, curam habendi totius diœceſeos, quæ omnia ibi monentur Episcopi, utque paterna, & paſtorali ſolicitudine invigilent bono ſpirituali gregis ſui *tanquam rationem pro animabus reddituri.* heb. 13. quo etiam in munere ſuo optime perfungendo omnem operam impendebant authoritatem ſuam, ubi exigebat, continuo interponentes; cujus rei exempla prope infinita proſtant adeo, ut ſemper conſtans fuerit traditio conſpirante tota veneranda Patrum antiquitate *absque voluntate Epiſcopi* ut Canon. 38. Apoſtolorum indicat, *nihil poſſe peragi, ipſius enim fidei populus Domini eſt commiſſus, & pro eorum animabus ab ipſo repetetur ratio;* unus pro omnibus præter lumen illud eximium Eccleſiæ Carthaginenſis, patremque tertii ſæculi commendatiſſimum S. CYPRIANUM, qui inter cæterà *ep. 27.* ſcribit Dominum noſtrum pro Epiſcoporum honore, & Eccleſiæ ſuæ ratione ita diſpoſuiſſe, *ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eosdem præpoſitos gubernetur*, ſufficit hac in re teſtis locupletiſſimus, & ab antiquitate celeberrimus Antiochenus Antiſtes, qui non in epiſtola tantum ad Trallenſes dignitatem, atque poteſtatem Epiſcopalem ſuper omnia extollit; *quid enim*, ait, *eſt Epiſcopus, niſi qui omni principatu, & poteſtate ſuperior eſt, & cunctis dominatur, quantum quidem homo dominari poteſt factus pro virili ſua Dei imitator*, ubi præcipit ſimiliter, ne quid agatur absque mandato Epiſcopi; *ſine Epiſcopo nihil operari* „ſed etiam *Epiſt. ad Smyr.* divinæ poteſtati aſſimilat, *neque enim Deo quisquam major, aut ſimilis in omnibus rebus creatis, neque item in Eccleſia major quisquam Epiſcopo.* & in ep. ad Epheſ. „*feſtinemus igitur non reſiſtere Epiſcopo, ut ſimus Deo ſubjecti, manifeſtum eſt ergo, quod Epiſcopum ipſum reſpicere opporteat ut ipſum dominum.* Plura qui teſtimonia cupit, diſſertationem doctiſſimam de Jure Reformandi Antiquo conſulat Opus vere aureum plurimum Reverendi ac Magnifici D. Doctoris BARTHEL mei quondam per quinquennium Profeſſoris nunquam ſatis deprædicandi, cujus genuinis de principiis, ſanaque Doctrina huc relata diſſertatio mea ut plurimum gloriatur.

IV.

Porro in ipſa conſecratione Episcopi certa ſymbola inſignis illius poteſtatis expreſſiva hunc in finem ab Eccleſia adhibentur, nam ut D. THOM. *in 4. q. 1. ar. 2. q. 2. ad 2.* dicit; *in qualibet poteſtate exterius datur aliquod ſignum viſibile illius poteſtatis, ſicuti regi in ſignum regiæ poteſtatis datur corona, & ſceptrum; & Pontifici* (videlicet Episcopo) *mitra & baculus & annulus.* Mitra quidem in *ſignum ſanctitatis, & gloriam bo-*

neris

noris tanquam *opus virtutis:* uti exprimitur *eccleſ. 45.* Baculus vero, ſive pedum paſtorale quid aliud demonſtrat, quam poteſtatem regiminis & jurisdictionis paſtoralis, ut inquit BEDA, „*baculum habet Epiſcopus, ut ſubditos regat, infirmos ſuſtineat*, & ut HUGO a S. Victore, *ut hæreticos velut lupos ab Ovili Chriſti poteſtative exterreat;* curvatio autem iſtius ex D. THOM. *in 4. diſt. 14.* denotat poteſtatem, quam habent Epiſcopi *ad proprias Eccleſias limitatam, cujus fines egredi non valent;* hinc per annuli ſubarrhationem ſpecialiter deſponſatur Epiſcopus certæ Eccleſiæ, nam conſecrator porrigendo annulum conſecrato antiquitus dicebat: ut in MORIN. *de ſacr. ordin. part. 2.* legitur: *accipe annulum diſcretionis & honoris, fidei ſignum, ut quæ ſignanda ſunt ſignes, & quæ aperienda ſunt pandas, quæ liganda ſunt, liges, quæ ſolvenda ſunt, ſolvas.*„ Et ideo inquit S. Doctor prælaud. *in 4. d. 20. ar. 4. q. 1.* „*ſolus ipſe habet plenam poteſtatem in diſpenſatione ſacramentorum, & jurisdictionem in foro cauſarum quaſi perſona publica, alii autem ſecundum quod ab eo eis committitur; nullaque* ex DIONYSIO *C. 5. Eccleſ. hierarch. ſupereſt in Eccleſia Dei hierarchica functio Epiſcopo a Chriſto non commiſſa.* idem D. THOM. *22. quæſt. 184. ar. 6. ad 2. circa med.* ita: *ſicut univerſalem hierarchiam videmus in Jeſu terminatam, ita unamquamque functionem in proprio divino hierarcha, id eſt, Epiſcopo.* imo nec diverſam eſſe quoad ea, quæ Epiſcopatui ſunt intrinſeca, & eſſentialia, pro ſua diœceſi Epiſcopi poteſtatem, ac papalem pro toto orbe, quamvis hæc illam excedat, teſtatur denuo *add ad 3. part. q. 40. ar. 6. poteſtas Epiſcopi exceditur a poteſtate Papæ, quaſi a poteſtate ejusdem generis.*

V.

Inde quoque id eveniſſe non miror, quod toties in Conciliis, & ſanctorum Patrum, imo ipſorum ſummorum Pontificum Epiſtolis vocentur principes & Hierarchæ Eccleſiæ, capita ſuæ Diœceſeos, ſponſi, Patres & Paſtores primarii gregi ſuo plenaria authoritate Superintendentes, quod ipſum præfefert Nomen Epiſcopus, *Ideo enim in Eccleſia* inquit S. AUGUSTINUS *enarr. in Pſalm. 126. locus altior*, (thronus) *poſitus eſt Epiſcopis, ut ipſi ſuperintendant, & tanquam cuſtodiant populum.* Quid? quod etiam ſummi ſacerdotis & Papæ nomen ipſis commune fuiſſe teſtatur HIERONYMUS *in epiſt. 98. ad Auguſt.* quo etiam Evagrium Epiſcopum Antiochenum donabat; & AMBROS. *ad felic. Comen. Epiſcop. ſuſcepiſti gubernacula ſummi ſacerdotii:* qui & alii adhuc honorificentiores tituli, & ſummæ præcellentiæ nomina olim epiſcopis omnibus tribui uſitatiſſima pereximiam eorundem dignitatem ſumma cum poteſtate conjunctam inſigniter manifeſtant: Etenim quis Principi in ſubditos, capiti in membra, ſponſo in ſponſam, Patri in filios, & Paſtori in oves ſibi commiſſas plenum jus, & imperium, poteſtatem & auctoritatem quaſi congenitam, & naturaliter inſitam competere non affirmabit.

VI.

Neque etiam ſacræ huic, & ſublimi nimis poteſtati ipſi Reges ac Principes Chriſtiani, & Imperatores Deo & Eccleſiæ devoti ſe ſubducere unquam audebant, quin ſuam erga Epiſcopos, ceu ſuos Ordinarios ſubjectionem in ſpiritualibus optime agnoſcentes, propterea quoque ſummo in honore tales habuerint, & filialem ubique reverentiam eis exhibuerint, & exhibere juſſerint; uti legitur de Conſtantino M. in ejus vita, Item de Valentiniano Imperatore, qui Epiſcopos alloquens Epiſcopum ad Mediolanenſem Eccleſiam vacantem promoturos, poſtquam breviter, qualem eſſe oporteat Epiſcopum, deſcripſit, ſic colligit *apud Theodoret. hiſt. eccleſ. l. 4. c. 5.* „quare hominem ita inſtructum in ſe„de & gradu Epiſcopali jam collocate, ut & nos, a quibus hoc gubernatur im„perium, ei vere & ex animo capita inclinemus, & illius reprehenſionem (nam „cum ſimus homines, errore labi neceſſe eſt) veluti medicinam animorum cu„pide amplexemur;„ & inter alios conſtat de Magno Principe Theodoſio, quem D. AMBROSIUS Epiſcopus Mediolanenſis ob cædem Theſſalonicæ factam ab Eccleſiæ liminibus ejecit, eique Theodoſius caput omni cum Veneratione ſubmiſit impoſitam ſibi pœnitentiam publicam humiliter peragendo, quod equidem non feciſſet, niſi ſciviſſet poteſtati & Auctoritati Epiſcopi ſupra unumquemque de ſua diœceſi in ordine ad finem ſupernaturalem faſtigium quoque Imperiale ſubjacere; unde ipſe AMBROSIUS circa principium ſui paſtoralis hiſce verbis, quæ allegantur can. 10. diſt. 96. ita ſcribit: *Honor fratres & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari, ſi Regum fulgori compares, & principum diademati, longe erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas regum colla, & Principum ſubmitti genibus ſacerdotum, & oſculata eorum dextra orationibus eorum credant ſe communiri,* miſſum facio exemplum CAROLI Magni Monarchæ occidentis glorioſiſſimi, nec minus religionis & obſervantiæ erga Epiſcopos ſtudioſiſſimi, qui *L. 5. Capitularium c. 163.* ita ſtatuit: „præcipimus, ne forte quod abſit, aliquis circa Epiſcopos leviter „aut graviter agat, quod ad periculum totius Imperii noſtri pertinet, & ut „omnes cognoſcant nomen, poteſtatem, vigorem & dignitatem Epiſcopalem„: huc pertinet illud, quod noviſſimis temporibus S. Synodus Tridentina ſeſſ. 25. C. 17. de Reform. mandat Epiſcopis, ut *tam in Eccleſia, quam foris ſuum gradum & ordinem pra oculis habentes, ubique ſe Patres & Paſtores eſſe meminerint; reliquis vero tam Principibus, quam cæteris omnibus, ut eos paterno honore ac debita reverentia proſequantur.*

VII.

Perſpectis nunc itaque hiſce omnibus, quæ absque ulla mentione indulti, privilegii, conceſſionis ſive delegationis cujusdam primigeniam, divinamque Epiſcoporum authoritatem, & poteſtatem mirifice commendant, nemo non intelligit

telligit evidenter id confici, quod ex propoſito demonſtrandum erat, Epiſcopos ſcilicet per ſe & in theſi pro ſuis diœceſibus pleno uti ſacerdotio, & authoritate Apoſtolica qua ipſius Chriſti Vicarios incumbentem ſuis humeris geſtare integram ſolidamque ſuarum Eccleſiarum adminiſtrationem, & in iisdem velut principes in ſuis territoriis perfectum tenere regimen, cumque mero valeant Imperio, jure divino poſſe omnia, quæ Papæ vel in vim primatus, vel aliunde ſpecialiter reſervata non dignoſcuntur. etſi vero hoc ipſum proportionem quandam, & comparationem inter ſeſe utriusque poteſtatis Pontificiæ, & Epiſcopalis ſapere videatur, cum tamen ſalva fide primatus ex divino pariter inſtituto ſedi Romanæ competentis id ſemper intelligatur, nihil profecto illi, qui in caſtris hujus ſententiæ militant, propterea de obſervantia erga ſedem Apoſtolicam & S. Petri in ea ſucceſſores remittere cenſendi ſunt, aut ejusdem ſacræ ſedis imminuere Majeſtatem; nunquid enim ex eo, quod in uno corpore humano partes principaliores, pluraque membra eadem anima ſpirituali vegetata proprio, plenoque vigore ſuas ad vitalitatem, & Sanitatem individui functiones exerceant, caput ſuo exuitur imperio? Eccleſia perhibetur ab Apoſtolo ad Coloſſ. 1. unum Corpus Chriſti myſticum conſtans pluribus partibus, atque membris perfecte inter ſe unitis, & eodem Spiritu Dei animatis, quæ ab Epiſcopis pleno jure poſſidentur, & ſub uno ſupremo capite Romano Pontifice in actibus ſuis ad perfectionem vitæ æternæ tendentibus nomine & auctoritate Chriſti reguntur; *Epiſcopatus unus eſt*, inquit S. CYPRIANUS in tract. de unit. Eccl. *cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur, Eccleſia quoque una eſt, quæ in multitudine latius incremento fœcunditatis oſtenditur*; nonne tanto glorioſior eſt primatus capitis, quanto eminentiores, & ſolidiores ſunt vires ſingularum partium corporis? quamobrem S. GREGORIUS Pontifex Maximus poteſtatis Epiſcopalis non minus, ac ſuæ ipſius tuendæ Zeloſiſſimus tam egregie, ac prudenter ſcripſit ad Epiſcopos, uti refertur cauſa 25. *q.* 2. *can.* 8. & *can.* 10. hiſce verbis: *ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibusque Eccleſiis ſua jura ſervemus . . . nec ulli hoc, quod ſui juris eſt, ambitu ſtimulante derogabo, ſed fratres meos* (Epiſcopos) *per omnia honorare cupio.* item: *abſit hoc a me, ut ſtatuta Majorum conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam, quia mihi injuriam facio, ſi fratrum meorum* (Epiſcoporum) *jura perturbo;*

VIII.

Gaudeant igitur Epiſcopi plenaria, ſolidaque in gerendis ſuis diœceſibus poteſtate ac jurisdictione, id tamen primæ ſedis auctoritati tantum non officit, ut ſupremus iſte ſuper omnes Epiſcopos Apoſtolico culmine ſublimatus totius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Præſul divina ſua & ampliſſima ſuper cunctas Chriſtiani populi nationes protenſa poteſtate in minimo ſe abdicare, aut impediri ea-

propter valeat. Atque hinc a regula excipi conſtanter aſſevero ea, quæ Romano Pontifici qua capiti totius Eccleſiæ, & Divi Petri in Univerſali Apoſtolatu ſucceſſori pro conſervanda unitate ſpecialiſſima prærogativa a Chriſto Domino conceſſa dignoſcuntur, & inter reſervata numerari ſolent, qualia ſunt vel primaria & eſſentialia, vel ſecundaria, & acceſſoria; illa quæ in argumentum ſummæ Auctoritatis, & vim plenitudinis poteſtatis Apoſtolicæ ſupra aliorum Epiſcoporum facultates tanquam ſubſtantialia divinitus conceſſi primatus ſoli Papæ, & generali Chriſti in terris Vicario propria ab Orthodoxorum nemine in dubium vocantur, ut præ cæteris: generalem habere curam, ſuperintendentiam & ſollicitudinem omnium Eccleſiarum totius Chriſtiani orbis, quem in finem dicitur generalis excubitor, communis omnium Pater, & Chriſti in terris Vicarius. paſcere agnos & oves, puta, non tantum gregem fidelium, ſed etiam regere Epiſcopos & Paſtores inferiores, horumque jura tueri, defectus ſupplere, corrigere devios, & infirmos adjuvare, unde vocatur Epiſcopus Epiſcoporum, Ordinarius Ordinariorum, Summus Pontifex. Auctoritate Apoſtolica omnes continere ſuo in officio, & debita ſubordinatione, in pace & concordia in rebus tum fidei, tum rectæ diſciplinæ, & urgere *obſervantiam canonum*, unde appellatur caput totius Eccleſiæ, centrum unitatis, cuſtos & vindex canonum. dubia ſuper quæſtionibus fidei, aut dogmatibus morum principaliter diſſolvere, & determinare, atque definientem ex cathedra vi aſſiſtentiæ Spiritus S. a Chriſto Eccleſiæ promiſſæ eſſe infallibilem, unde deprædicatur columna & firmamentum veritatis, confirmator fratrum ſuorum, judex ſupremus controverſiarum, in quibus tanquam Chriſtianæ Religionis oraculum conſulitur, ejusdemque ſuprema definitio acceptatur; ad quem quoque ſpectat convocare Concilia generalia, in iiſdem præſidere, & aſſenſu ſuo, ſive confirmatione reddere œcumenica, ferre leges, & canones pro univerſo cœtu fidelium, & inobedientes, ſive refractarios coërcere cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, appellationes ex toto orbe Chriſtiano ad ſedem Apoſtolicam ſecundum canones devolvendas, & devolutas recipere, ſuo judicio & arbitrio, prout e re Eccleſiæ id eſſe contigerit, quædam poſſe reſervare, item univerſim ex poteſtate clavium ſupremo Miniſterio poſſe ſolvere, aut ligare, quin vel a conditione perſonarum vel a noxarum gravitate prohibeatur &c. denique dignum digniſſima ſua perſona honorem, juſtumque obſequium a ſingulis Eccleſiæ membris ſibi præſtandum exigere, adeo ut nemo eidem dignitate comparari, minus anteferri queat, nec quiſquam ullibi locorum ab ejus imperio ſubtrahi. Hæc vero, quæ haud æque principalia, & primatui indiſpenſabiliter annexa, ſed per extenſionem quandam ſupremæ illius poteſtatis, aut modo volventibus ſæculis noviter ſuper inducta fuere reſervata, ut confirmatio, translatio, ceſſio, aut depoſitio Epiſcoporum, unio, & diviſio Epiſcopatuum, erectio novæ Eccleſiæ Cathedralis, collatio certorum beneficiorum, acceptatio reſignationum

in

in favorem, Canonizatio ſanctorum, Approbatio Religionum, Conceſſio indulgentiarum plenariarum, introductio impedimentorum dirimentium Matrimonii, diſpenſatio in certis ejuſdem gradibus prohibitis, Relaxatio quorundam votorum, aliaque complura his ſimilia, in quantum videlicet ſoli privative Romano Pontifici hodie competunt, quæque inter Majores Eccleſiæ cauſas ad ſedem Apoſtolicam perferendas fuſius pertractat FAGNANUS *in L. 1. decret. de offic. ordin. c. Cum Eccleſiarum*; ubi tamen *n. 62.* ad hoc, quia Papa eſt Succeſſor Petri, & Vicarius Jeſu Chriſti vicem non puri hominis, ſed veri Dei gerens in terris, ſic addit ex ſententia Petri de Anchar „unde omnia regit, or„dinat & diſponit, prout ſibi placet, & generaliter, dummodo non faciat con„tra fidem, poteſt omnia, nec quisquam poteſt ei dicere, cur ita facis? quod equidem, in quantum poteſtatem omnino arbitrariam, qua Reges gentium dominantur eorum, ubi pro ratione ſtat ipſa voluntas, referre videtur, parum concordat cum verbis, & mente ipſius Chriſti Domini, qui ſuos in terris Vicarios meros miniſtros, & diſpenſatores Myſteriorum Dei exiſtimari voluit, omnemque poteſtatem Eccleſiaſticam datam eſſe non in deſtructionem, ſed ædificationem per Apoſtolum nobis intimavit. Romanus Pontifex quidem Dei Vicarius eſt, & a nemine judicandus, can. *ſi Papa* diſt. 40. Principatum quoque tenet, in univerſum orbem ex definit. Florent. at non niſi ſecundum menſuram donationis Chriſti, hinc magnifice quidem de ejusdem plenitudine poteſtatis, ſed tamen ſobrie, ac vere ſentire, atque loqui opportet, ne falſos honores & prærogativas tribuamus ſedi Apoſtolicæ tot veris a Chriſto inſignitæ. Porro hæc eſt haud minima ſupremæ Authoritatis Pontificiæ perfectio ſingularem præbens materiam laudis ac gloriæ, quod terminos veritatis, juſtitiæ, & æquitatis non dedignetur: ſuum cuique Epiſcopo tribuere expoſcit juſtitia, fratrum honorem, & vigorem ſervare æquitas, ordinem hierarchicum non confundere, ſed cuſtodire veritas; quam ob rem Sanct. BERNARDUS ad Eugenium S. P. L. 4. *conſideres ante omnia S. Romanam Eccleſiam, cui Deo auctore præes, Eccleſiarum Matrem eſſe non Dominam, te vero non Dominum Epiſcoporum, ſed unum ex ipſis, porro fratrem diligentium Deum.* „

IX.

Prædictis itaque reſervatis, & impedimentis canonicis ſecluſis, quæ vel tanquam ſubſtantialia primatus poteſtatem Epiſcopalem excedunt, vel ut acceſſoria expreſſa lege aut canone, ſive de conſuetudine & obſervantia illius uſum, & exercitium conſtringunt, profecto prudenter neſcio, qua adhuc ratione in dubium vocari poſſit, vel arctioribus circumſcribi cancellis poteſtas illa hierarchica Epiſcoporum pro ſuis diœceſibus, quin ſaltem in ſuo genere plenaria & libera audiat, nam exceptio firmat regulam, & cohibitio ſupponit ante

ſe

ſe liberam facultatem in cohibendo, fruſtra enim prohibemur eo, quod in noſtra poteſtate non eſt. Quapropter ratum fixumque manet poteſtatem Epiſcopalem de ſui natura peramplam, ſolidamque eſſe, quamvis ſubordinatam, & prout rectum regulatumque Eccleſiæ Regimen, commune bonum totius Reipublicæ Chriſtianæ, & ſalus omnium diœceſium id efflagitat, a Divi Petri in primatu ſucceſſoribus quoad actum ipſum, & exercitium limitandam, certisque terminis definiendam; ex quo primo deducitur, quod intra conſtitutos hos fines non tantum cura generalis, & ſuperintendentia, ſed & poteſtas coactiva, & propria jurisdictio Epiſcopi pro foro tam in- quam externo ad omnia ſuæ diœceſeos membra, & ad quosvis caſus, & cauſas ſpirituale regimen animarum concernentes indiſcriminatim ſe porrigat, & ita quidem, ut ſecundum VAN ESPEN p. 1. Jur. Eccl. tit. 16. c. 4. „nulla quantumvis generalis cuicunque „ſeu perſonæ ſeu corpori, aut congregationi indulta exemptio eximat a depen„dentia, & ſubjectione Epiſcopali in his, quæ curam populi, & regimen Ec„cleſiæ concernunt, hæc enim nemo in ejus diœceſi exercere poteſt, niſi autho„ritate & facultate ab Epiſcopo accepta; quare Archi-Diaconum Elienſem re„prehendit ALEXANDER III. in c. 4. de officio Archi-Diac. quod *obtentu „conſuetudinis* ſine licentia & mandato Epiſcopi *curam animarum* committere præ„ſumat, *cum ſatis ſit abſurdum*, ait, *& a Ss. Patrum inſtitutionibus alienum, ut Archi-Diaconus autheritate propria debeat cuilibet Eccleſiarum curam committere.*

X.

Inde ſequitur ſecundo, quod cum jurisdictio quaſi Epiſcopalis ſit mera creatura humana & partus recentioris diſciplinæ, nomine ordinariorum locorum, quando in jure præſertim antiquo horum fit mentio, ſoli intelligantur veri Epiſcopi, & nomine tribunalis ordinarii tribunal proprie Epiſcopale; Epiſcopo enim ſoli tanquam particularis Hierarchiæ, ſive Eccleſiæ, & Diœceſeos ſuæ capiti primario, & quaſi eſſentialiter competit jurisdictio ſpiritualis, & Eccleſiaſtica totius Diœceſeos: uti jam pridem BONIFACIUS *VIII. cap. 7. de privilegiis in 6.* ſtatuit *cum de jure communi ordinariorum intentio ſit fundata, ſua jurisdictione uti poſſint in eosdem libere. & cap. 7. de officio ordinarii in 6.* quod Epiſcopus *in tota ſua Diœceſi* jurisdictionem *ordinariam* noſcatur habere; ad quæ verba Bonifacii Canoniſtæ cum Authore modo laudato tradunt, quod Epiſcopus de jure communi habeat intentionem fundatam ſuper exercitio jurisdictionis per totam ſuam diœceſin, & in omnes perſonas ejuſdem, quod qui ſe dicit exceptum, habeat hoc probare; imo Epiſcopum ex aſſe ſua poſſe ea uti, donec exemptio plene probata fuerit; ulterius concludunt, quod jurisdictio inferioribus conceſſa duntaxat cumulative, non autem primative cum excluſione Epiſcopi cenſeatur, niſi clare & plene probetur: denique recte inferunt delegatam jurisdi-

risdictionem, quam Concilium Tridentinum, & Apoſtolicæ conſtitutiones frequenter tribuunt locorum ordinariis ſupra regulares, aliosque exemptos, nihil derogare authoritati ordinariæ Epiſcoporum, ſiquæ antè hanc delegationem iis competierit in exemptos, verum etiam ſalva Authoritate Pontificia eandem omnino æquipollere ordinariæ, latamque, & favorabilem naturam habere, quoniam, inquiunt, in effectu eſt reſtituere, quod erat proprium, ac removere obſtaculum exemptionis, quod iidem vulgari exemplo hominis habentis membra valida, ſed vinculis impedita declarant, quoniam, ſi ſuperveniat, vinculorum ſolutio, iſta non importat conceſſionem novæ facultatis ambulandi, cum id ſequatur jure proprio, ac naturali: Cæterum eminentem Epiſcopi Authoritatem circa capitula etiam exempta ſuæ Diœceſeos eadem Ss. Synodus Tridentina notanter inſinuat, dum ſeſſ. 25. c. 6. *de Reform.* poſt modum viſitationis præſcriptum ſubjungit inter alia; *Epiſcopis præterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par eſt; eisque in choro, & in Capitulo, in proceſſionibus, & aliis actibus publicis ſit prima ſedes & locus, quem ipſi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum Auctoritas*„

XI.

Tertio eodem ex principio profluit Epiſcopum eorum omnium, quæ ad religionem, cultum Dei & ſanctorum, adminiſtrationem Sacramentorum, diſpenſationem bonorum eccleſiaſticorum, conſervationem piarum fundationum, obſervantiam præceptorum Dei, & Eccleſiæ, correctionem ac reformationem abuſuum, extirpationem vitiorum & ſublationem ſcandalorum publicorum, ædificationem fidelium ſubditorum, aliasque res ſacras & Eccleſiaſticas pertinent, verum eſſe, & ordinarium in, & pro ſua diœceſi plenipotentem arbitrum. „Ejus eſt, ut annotat FLEURY in inſtitut. Jur. Eccl. 13. §. II. quæſtiones do„ctrinales & morales ex interpretatione ſcripturæ, & Patrum traditione fideli„ter relata decidere; (quod de decreto proviſionali, & interimiſtico haud du„bie intelligit.) hinc omnes libros, qui in diœceſi evulgantur, examinandi po„teſtatem habet. Ipſius Epiſcopi eſt Synodum diœceſanam convocare, huicque præſidere, ſtatuta condere, mandata edere, & varias conſtitutiones promulgationi, & executioni dare neceſſarias pro bono diſciplinæ, & politiæ Eccleſiaſticæ, modo juri publico, & ſanctionibus univerſalis Eccleſiæ non contrarientur: Eccleſias ſibi ſubjectas annuis vicibus viſitare, rationes adminiſtrationum rerum Eccleſiaſticarum exigere, jura & immunitates ſacras protegere „Epiſcopi quoque eſt diſpenſare in ſacris Canonibus, ubi præſens Eccleſiæ, aut ſubditorum utilitas ſuadet, vel poſtulat, item abſolvere in omnibus caſibus a ſede Apoſtolica ſpecialiter non reſervatis, inſuper peculiari ſuo judicio reſervare crimina quædam atrociora; *neque enim* verba ſunt Tridentini ſeſſ. 14. c. 7. *de pœnitent. Dubitandum eſt, quando omnia, quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, quin*

II.

Sed operoſiore calamo hujus partis adverſæ ratiocinii refutatio non indiget: quantum enim poteſtatem Epiſcopalem, & ſuperiorem gradum hierarchiæ Eccleſiaſticæ divina ordinatione inſtitutæ ab arbitrio ſolum humano ex integro dependere, & velut officium per injunctionem a Papa commiſſum conſiderandum eſſe, Scripturæ ſacræ, traditioni Eccleſiæ, & SS. PP. ſententiis contrarium, & ab omni veritate, imo decentia ſtatus, & dignitatis Epiſcopalis prorſus alienum ſit, invictiſſimis jam ſupra præſidiis confirmatum eſt. quapropter nullatenus exiſtimandum eſt, ſi quando jura humana Eccleſiaſtica, vel ſummi Pontifices circa eandem quidquam diſpoſuerint, ſive adhuc diſponant, id de poteſtate Epiſcopali quoad ſubſtantiam intelligi, ſed quoad uſum & exercitium, ratione cujus per ſaluberrimas conſtitutiones Eccleſiæ & Pontificum, quibus merito, ſancteque ſubjacet, & ſubordinatur, lubentiſſime moderari ſe ſinit, & limitari, ita tamen, ut hiſce velut vinculis, & impedimentis poſtea ſublatis jure quaſi poſtliminii ad primævum ſuæ libertatis ſtatum, & plenum vigorem quamprimum redeat, omnemque denuo vim atque executionem absque nova alterius interventione, niſi ſolius removentis prohibens obtineat. Adhæc compertum non raro habemus, verba, mentemque legum, & ſanctionum canonicarum ſimplicis alicujus declarationis ſpeciem ſolummodo præ ſe ferre in hac nimirum, vel illa re poteſtati Epiſcoporum & Authoritati ordinariæ nihil eſſe derogatum, cum quibus in eundem cenſum veniunt canones allati; in primo enim non dicitur, *habeant ab Eccleſia Romana*; ſed ſimpliciter *habeant*; quod re ipſa idem eſt, ac *non ſit adempta* iis a ſede Romana, nec *limitata*, aut per reſervationem *impedita*, quod denotat verbum *liberam*, & ſubditur: ſecundum quod canones *cenſent*, non autem *tribuunt*. Ex quo, ſicut & ex altero Canone *omnes baſilicæ*. nec minus ex plurimis aliis conſtitutionibus Eccleſiaſticis id demum fas eſt colligere, quod Epiſcopi ſuam poteſtatem, atque jurisdictionem nec extra ſuam diœceſin, nec aliter, quam ſecundum normam & regulam ſacrorum Canonum, & uſum, atque praxin approbatam ab Eccleſia debeant exercere. Quantum attinet Concilium Tridentinum *loc. cit.*, ubi tam amplam Epiſcopis poteſtatem diſpenſandi, & abſolvendi permittit, vel maxime firmat hanc doctrinam, cum nemini non ad oculum inde pateat hanc ipſammet licentiam prærequirere ad obtinendum ſuum effectum ſolidam jam poteſtatem clavium pro quibuscunque caſibus penes Epiſcopos vi ordinationis ſuæ reſidentem, & proin eandem contra nimias reſervationes priſtinæ ſuæ nativæ amplitudini per Concilium Tridentinum quodammodo reſtitutam iri, perinde ac ſi Epiſcopi nunquam illa caruiſſent. Præterea quemadmodum fere in ſimili per hoc, quod in eadem Synodo cit. capite immediate præcedente ſtatuitur, ut videlicet cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos ab ipſo tantum ſummo Romano Pontifice

fice cognoſcantur, & terminentur, nihil novæ poteſtatis, & Auctoritatis S. Synodus attribuit Pontifici, ſed tantum declarat, quid actu ipſo inpoſterum obſervandum ſit, & quo ordine res, & cauſæ in Eccleſia bene, & ſalubriter pertractentur; ita & perſæpe res ſe habet, dum circa Epiſcopos, eorumque poteſtatem quidquam decernit, ideo tantum, ut inſinuet, quid iisdem juxta conſtitutiones Apoſtolicas, aliasque ſanctiones Eccleſiaſticas, vel ex recepto, approbatoque uſu agere omnino permiſſum ſit, aut quid econtra ſummo Pontifici reſervatum ſit, vel non.

III.

Æque parum, vel minus relevantia ſunt, quæ a FAGNANO ſupra cit. aliisque authoribus in magna copia huc adducuntur, quæ non poſſunt Epiſcopi in ſuis diœceſibus, bene vero Romanus Pontifex in Univerſali Eccleſia, quin legatur, vel ſciatur aliqua interceſſiſſe reſervatio, ac conſequenter Epiſcopos non tam in vim reſervationis Apoſtolicæ, quam ex divina inſtitutione eſſe in partem tantum ſollicitudinis non in plenitudinem poteſtatis vocatos, ut docet S. THOMAS *in 4. diſt 20. q. 1. ar. 4. q. 3.* de indulgentiis. „ *Papa habet plenitudinem pontificalis poteſtatis quaſi judices ſingulis civitatibus præpoſiti, propter quod etiam eos ſolos in litteris ſuis fratres vocat, reliquos autem vocat filios, & ideo poteſtas faciendi indulgentias plene reſidet in Papa, ſed in Epiſcopis eſt taxata ſecundum ordinationem Papæ, & ideo poſſunt dare, ſecundum quod eis taxatum eſt, & non amplius.* „ Idipſum urgent iidem per varios canones, & textus juris communis Eccleſiaſtici, quibus nulla reſervationis mentione facta ſola Authoritas ſedis Apoſtolicæ ſalva eſſe intelligitur, ut Clementina *quia contingit.* De religioſis domibus. Cap. *Venientes.* de jurejurando. cap. *inter corporalia.* de translatione Epiſcopi. c. *in memoriam* diſt. 19.

IV.

Namque ut actum non agam, neque ea repetam, quæ in præcedentibus expoſita ſunt tum de plenitudine poteſtatis Pontificiæ, & parte ſollicitudinis Epiſcopalis, tum de reſervatis principalioribus, quæ in primatu ſummæ ſedis Pontificiæ tanquam notæ illius characteriſticæ eſſentialiter includuntur, cujusmodi ſunt generaliter omnia, quæ commune bonum & felicitatem univerſalis Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ, vinculum mutuæ pacis, unitatis & concordiæ tum membrorum inter ſeſe, tum cum ſuo viſibili capite, cum eoque conſenſionem totius corporis quoad dogmata præcipue fidei, & morum concernunt, adeoque ratione ſalutis publicæ, & ſpiritualis omnium fidelium in univerſo orbe ſupereminentem quandam poteſtatem denotant, & illam Epiſcoporum ſubordinatam ad ſingularem ſuæ diœceſeos curam ſpectantem jure di-

vino transcendunt, qua de cauſa tanquam a ſede Apoſtolica incommunicabilia, nec ullatenus Epiſcopis unquam indulgeri ſolita ſpeciali reſervatione non indigent: id ſolum adhuc commemorare volo, quod ex ipſo hoc ſingulari privilegio Primatus a Chriſto Domino D. Petro, ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus conceſſo cum ampliſſima poteſtate, & ſuprema cura ac regimine totius Eccleſiæ ortum duxerint plurimæ reſervationes ſubſequentium temporum, quibus Pontifices illud magis ſemper extendebant, & quod ſub hac ratione in radice quodammodo, & principio fundamentali ipſa etiam reſervata ſecundaria, & libera ad Primatum D. Petri, & divinam inſtitutionem tanquam acceſſoria ad ſuum principale in ſacris canonibus frequenter referantur, ut diſertis verbis in *Cap. 1.* de translatione Epiſcopi legitur, in quo INNOC. III. ita: *cum ex illo generali privilegio, quod Beato Petro, & per eum Eccleſiæ Romanæ Dominus noſter indulſit, canonica poſtmodum manaverint inſtituta continentia majores Eccleſiæ cauſas ad Apoſtolicam ſedem perferendas*; quid igitur mirum, quod Doctor Angelicus illuc quoque poteſtatem concedendi indulgentias, quæ ex publico theſauro Eccleſiæ deſumuntur, in quo ſuperabundantia Chriſti, & Sanctorum merita ſunt recondita, eidem ſoli cum plenitudine adjudicarit, cujus *fidei claves Eccleſiæ* præ cæteris ſingulariter ſunt demandatæ, & diſpenſatio ejusdem theſauri pro cunctis fidelibus a Chriſto eſt concredita? quanquam non ignoraverit Apoſtolum *2da. ad Corinth. 2do.* jam Corinthio illi inceſtuoſo in perſona Chriſti quoque donaſſe, & indulſiſſe.

V.

Porro Canones citati in terminis formalibus quidem reſervationem Pontificiam non allegant, tacite tamen ſatis eandem innuunt per hoc, quod ſalvam velint Authoritatem ſedis Apoſtolicæ, ſive quod idem eſt, poteſtatem reſervandi ſedi Apoſtolicæ integram, ſartamque tectam relinquant, quod in Clementina *quia contingit:* Quæ non tam Epiſcopos quam alios inferiores rectores domuum, & fundationum tangit, manifeſte inde patet, quod Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. de reform. cap. 6. & ſeſſ. 25. c. 4.* poteſtatem commutandi fundationes pias & ultimas voluntates Epiſcopis tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatis denuo reſtituerit. Ad capitulum *venientes*, Reſpondetur id non eſſe ad rem, nec contrarium huic aſſerto, in eo enim Pontifex tantum improbat ejusmodi conſuetudinem, quæ jus ſuperioris violat; debebant nimirum judices, quotquot aſſumebantur ad judicium, jurare ſe ſententiam intra viginti octo dies exequi velle, ubi igitur tale ſtatutum fuit, judices non detulerunt appellationi a partibus ad ſedem Apoſtolicam interpoſitæ; reſcripſit INNOCENTIUS III., quod non obſtante hoc juramento debeant appellationi deferre „*cum*, inquit, *prædictum juramentum vos excuſare non poſſit, in quo debet intelligi jus ſuperioris exceptum*, en tenor capituli; ulterius *cap. 2.* de translat. Epiſc. & cap. *in memoriam*: unice reſpici-

reſpiciunt cauſas majores vel primario, & proxime vi primatus, vel acceſſorie & conſequenter ob gravitatem ſuam, & altiorem indaginem Sedi Romanæ de jure, aut conſuetudine reſervatas.

VI.

Denique ut nihil diſſimulem, quod hoc in capite inſtar objectionis poſſet occurrere, in cap. *dilectus* de temporibus ordinationum. Haud minima ſe prodit difficultas circa poteſtatem diſpenſandi, ubi improbatur diſpenſatio Archi-Epiſcopi circa interſtitia in conferendis uno eodemque die tribus ſacris ordinibus, ex ratione, non quia ſit prohibita, ſed quia ejusmodi diſpenſatio a Canone minime ſit permiſſa, ex quo clare quidam volunt debere colligi, quod etiam ſecluſa prohibitione ſive reſervatione nequeant Epiſcopi citra privilegium, aut conceſſionem Pontificiam diſpenſare in ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis; niſi in quantum a Canone, vel de conſuetudine hæc poteſtas tacite vel expreſſe ipſis communicata probatur, fruſtra enim, addit P. ENGEL tit. de M. & O. §. *V. n* 49. „Canones expreſſe illam in certis caſibus concederent, „ſi alias de jure Epiſcopo competeret. Inſuper graviſſime videtur obſtare illud ab omnibus tam Canoniſtis, quam Legiſtis communiter receptum, quod inferior non poſſit tollere legem ſuperioris; ex quo neceſſario conſequitur, quod nec poſſit Epiſcopus diſpenſare etiam pro ſua diœceſi in lege ſuperioris, hæc enim poteſtas utpote altioris ordinis ſoli data eſt ſummo Pontifici, qui ſolus eſt moderator canonum, & inſtitutionum Eccleſiaſticarum; & qui poſuit legem, ipſius etiam eſt revocare legem: nam nihil tam naturale, eſt, quam eo genere quidquid diſſolvere, quo colligatum eſt. *L.* 35. ff. de Reg. J. nec congruit, ut, qui obedire tenetur legi, pro ſuo arbitrio in lege diſpenſet. Cap. *cum inferior* 16. de Maj. & obed. & Clementina *ne Romani* 2. de Electione. ecce nodum, ut adverſarii putant, inextricabilem!

VII.

Sed & hic tam difficilis non eſt, ut omnino ſolvi nequeat, ſicut etiam, quæ in confirmationem ejus adduntur, tanti non ſunt momenti, ut animum a concepta ſemel ſententia abſterreant, & a ſanioribus principiis tam cito revocent; enim vero cap. *dilectus*: ſe fundat in antiqua conſuetudine vel ſtatuto, vi cujus illam diſpenſationem circa ordines ſacros uno die plures ſimul conferendos, eoquod ad cauſas majores pertinere viſa fuerit, ſummi Pontifices ſibi reſervarunt, poſt quam reſervationem, quia a nullo canone ſubſequente illa poteſtas diſpenſandi Epiſcopis conceſſa iterum legebatur, merito in dicto capitulo hæc diſpenſatio Archi-Epiſcopi tanquam a Canone minime permiſſa improbata fuit. inde eluceſcit ex adverſo, quando Canones expreſſe in aliis caſibus hanc pote-

poteſtatem diſpenſandi Epiſcopis indulſerunt, id fruſtra factum non eſſe, nam reſervationem vel a Canone priori, vel ab antiqua obſervantia introductam præceſſiſſe ſupponunt. Quod autem in multis modo Epiſcoporum manus ſint ligatæ, quin ad diſpenſandum poſſint eas porrigere, neque etiam conſtet de expreſſa reſervatione pontificia, id non eſt tam ex defectu poteſtatis intrinſecæ, & ſubſtantialis divinitus conceſſæ cum poteſtate clavium: *Quæcunque ſolveritis.* Quam ex conſuetudine, & quaſi præſcriptione Pontificis, & non uſu Epiſcoporum orto inde jure quodam devolutionis: nam ſciendum eſt per duodecim fere prima ſæcula, quibus primus etiamnum rigor diſciplinæ, & obſervantia Conſtitutionum Apoſtolicarum in Eccleſia vigebat, rariſſimas fuiſſe diſpenſationes; Pontifex & Epiſcopi meros Cuſtodes & executores ſeſe profitebantur ſacrorum Canonum, quibus antiquitas conciliabat reverentiam, & quos tanquam *Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos* (ut phraſi utar ſanctorum Patrum) habebant, & ægre admodum ab iisdem recedi permittebant, & ſi quando etiam hoc per eos licebat, nonniſi poſt factam transgreſſionem in ordine ad liberationem pœnæ, atque errati veniam id indulgebatur, ut cum eo, qui contraxit cum impedimento juris Eccleſiaſtici dirimente *matrimonium*, qui incurrit irregularitatem, cenſuras, &c. ut evitarentur ſcandala, & majora mala præverterentur imminentia; quæ diſpenſatio etiam nullatenus erat approbativa, ſed tolerativa ſolum, & diſſimulativa actus præpoſtere geſti; aſt, ut quis permitteretur, legem primum transgredi, & antecedenter ad actum modo futurum licite & valide perficiendum ſumma cum difficultate fuit diſpenſatum, nam ut bene animadvertit Trident. *ſeſſ. 25. C. 18. de Reform.* „*frequentius legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum, rerumque delectu petentibus indulgere nil aliud eſt, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum dare.*

VIII.

Cum igitur in primitiva Eccleſia diſpenſationes tanquam actus magni ponderis, & gravia vulnera ſeverioris illorum temporum diſciplinæ æſtimarentur, (quæ per ſæculorum lapſus frigeſcente primo illo, & antiquo in animis fidelium ſacratiſſimo Zelo, vehementique pietatis, & obſervantiæ canonum ardore nimis laxata fuit,) factum eſt, ut Epiſcopi Conſcientiæ ſibi ducerent, nec auſi fuerint diſpenſare, ſed remiſerint ſuos etiam Diœceſanos Oratores ad ſedem Romanam ſive ad exonerandas ſuas conſcientias, ſive ut hac ratione difficilior eſſet veniam canonum obtinendi occaſio, atque hac difficultate a petenda plurimi retraherentur; ſive demum ut privilegium Divi Petri honorarent, primatui Apoſtolico, & divinitus inſtituto ultro aſſurgentes, fidenterque ſibi perſuaſum habentes vigorem diſciplinæ non tam facile relaxatum iri, ſi ſolus diſpenſet Pontifex; ex qua frequenti remiſſione, & recurſu ad judicium primæ

ſedis

ſedis non quaſi poteſtas Epiſcoporum eſſet ambigua, ſed quia res credebatur nimis ardua, & cauſa altius ponderanda, anſam ſumpſere Pontifices præſertim, a quo tempore liberius eam concedendo Curiæ cepere proſpicere, hujus poteſtatis uſum, & exercitium privative ſibi vendicandi ita, ut hodiedum haud pauca ſolius primæ ſedis ſummæ diſpoſitioni ex antiqua jam conſuetudine unice relicta deprehendantur, de quorum expreſſa reſervatione facta in ſacris Canonibus veſtigium nullum extat: inde venit, quod, ſi prægnans ſit cauſa, & una ex parte difficilis, aut moraliter impoſſibilis recurſus ad ſedem Apoſtolicam, ex altera vero parte periculum in mora, & urgens neceſſitas, (quomodo enim his præſertim in circumſtantiis Pontifex Romæ Sedens Eccleſiis, fidelibusque in extremas mundi plagas ſemotis opportunum intra tempus ſingulas quasque librare, & largiri diſpenſationes poterit?) quod tunc ob evidentem Eccleſiæ utilitatem, urgentemque fidelium neceſſitatem ipſi etiam Epiſcopi ſoleant diſpenſare, & ex caſu Papali dicatur fieri Epiſcopalis, quod admitti non poſſet, ſi ipſi ex inſtitutione ſua unquam aut omnibus retro ætatibus hac facultate diſpenſandi fuiſſent deſtituti; atque hoc modo res redit ad primævum ſtatum & naturam, cujus partes ſemper favorabiliores ſunt & ampliandæ: quam ob rem, ne Epiſcopi hac occaſione in ſuum commodum uterentur, & in priſtinam poſſeſſionem liberi ſuæ poteſtatis exercitii jure poſtliminii ſe reſtituerent, de ſtylo Curiæ in pluribus ad quinquennium reſtringitur permiſſa Epiſcopis poteſtas diſpenſandi in certis caſibus, aut abſolvendi a peccatis Papæ reſervatis, quo elapſo renovari debet facultas, ne demum poteſtate ordinaria, & antiqua ipſis propria hanc exercere aliquando incipiant.

IX.

Quantum vero ad illud vulgare axioma: quod inferior nequeat tollere legem ſuperioris, ſin nimium probat, certe parum huc facit; probat enim Epiſcopum nec poſſe diſpenſare in votis, & juramentis a ſede Apoſtolica etiam ſpecialiter non reſervatis, quia hæc omnino ſunt juris divini, & ſtrictius obligant, cui adverſatur unanimis D. D. ſententia, & quotidiana praxis: probat nec in Epiſcopum cadere facultatem abſolvendi a ſententia Excommunicationis, aliisque cenſuris jure communi Pontificio, vel Conciliari latis, quod eſt contra cap. 29. de ſent. Excomm. ubi hæc eadem facultas illimitate competere Epiſcopis aſſeritur eo ipſo, ut habet textus, „*quia conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit*„ probat denique in illa ſententia, quæ Authoritatem Concilii generalis extollit ſupra Pontificem, ne iſtum quidem diſpenſare ſe ſolo poſſe in Canone a Concilio generali ſancito, tanquam lege ſuperioris, quod eſt nimium; aut ſi ſalvam dicis ubique ſubintelligi ſedis Apoſtolicæ authoritatem, quando etiam hæc clauſula adjecta non reperitur, quidni etiam ſalva ſub-

audiat Epiſcoporum ſaltem pro bono animarum, & neceſſitatibus ſuorum ſubditorum exigentibus id circumſtantiis ex rationabili cauſa hinc inde diſpenſandi poteſtas? parum etiam huc facit ideo, quoniam Epiſcopi conſiderandi non ſunt pure & ſimpliciter tanquam inferiores, & ſubditi, ſed ceu reſpective Capita, & Superiores ſuarum Diœceſium, judices & Collegislatores in Conciliis generalibus, Hierarchæ & Principes Ordinis Eccleſiaſtici, utpote qui eximia prorſus, & infinita quodammodo poteſtate clavium divinitus ſibi conceſſa, & ab ipſo ſupremo legislatore Chriſto D. proxime communicata ad perfectam, gubernationem, & incolumitatem plebis ſuæ curæ commiſſi plene perfruuntur, nec non in perſona, & Nomine omnipotentis Dei remittunt, & retinent, ligant & ſolvunt, prout viſum fuerit expediens, aut plane neceſſarium; unde cap. *cùm inferior* & Clement. *ne Romani.* non obſtant, in hac enim agitur duntaxat de cætu Cardinalium Romanæ Eccleſiæ, qui eſt inſtitutionis mere Eccleſiaſticæ, de non immutanda Conſtitutione GREGORII. Papæ X. circa electionem Romani Pontificis in Concilio Lugdunenſi præſcripta, ſed indiſpenſabiliter obſervanda nec exercenda jurisdictione Papali ſede vacante amplius, quam ibi permittitur, quod cum ſubſtrata materia exiguam connexionem habet. In illo autem edocemur quidem inferiorem haud poſſe ſolvere, vel ligare Superiorem, aſt minime legimus Epiſcopum nec poſſe diſpenſare in ſacris Canonibus aut conſtitutionibus Apoſtolicis reſervatione ſpecialiter non impeditum, exinde namque male arguitur eundem hoc modo auctoritatem quandam exercere poſſe in primam Sedem, aut ſumma ipſius jura infringere, quod abſit, & nunquam in mentem venit; præterquam enim, quod nequaquam de vaga quadam, & arbitraria poteſtate hoc aſſeratur paſſim contra mentem Eccleſiæ, ac veritatis, & ſanctimoniæ leges cum ruina diſciplinæ, & periculo ſalutis animarum ſacratiſſimos Canones effuſa in omnes prodigalitate relaxandi, de qua poteſtate non habet, cur glorietur vel ipſa prima ſedes, cum quidquid poteſtatis unicuique a Deo datum eſt, bonum publicum eccleſiæ & ſalutem animarum unice reſpiciat, quæ in omnibus ſuprema lex eſt, & ut ſcribit Doct. Angel. 2. 2dæ q. 88. art. 12. *omnis diſpenſatio debet fieri ad honorem Chriſti, & ad utilitatem Eccleſiæ.* eo etiam id haud intelligas velim, quaſi Epiſcopus poſſit tollere ſimpliciter, & totaliter caſſare legem, aut Canonem vinculo ejusdem pro omibus in perpetuum ſoluto etiam pro ſua diœceſi, ſive diſpenſare pro ſubditis diœceſeos alterius, vel plane pro toto orbe, quod eſt opus ſolius ſupremi Eccleſiæ Præſulis Romani Pontificis, qui quemadmodum pro ſummo ſuo Imperio ob plenitudinem poteſtatis generaliter toti Chriſtianorum cœtui leges præſcribere, cunctisque fidelibus æqualiter ſub incurſu reatus gravis peccati, & pœnæ damnationis æternæ præcipere poteſt, ita & Canones priores utut univerſales qui ſunt de genere præceptionum mobilium, per totum antiquare, vel ex parte relaxare, eadem auctoritate omne id, qua quidquid colligatum

eſt,

eſt, diſſolvere, in caſu neceſſitatis ſive publicæ, ſive privatæ, aliisque rationabilibus ex cauſis pro univerſis, & ſingulis communiter diſpenſare, imo & ipſis Epiſcopis tanquam ſibi in officio & munere Epiſcopali perfecte ſubordinatis ex cauſis canonicis facultatem diſpenſandi limitare, ſibique ſoli reſervare illius exercitium; ſed absque hoc, cum etiam Epiſcopi jure divino ſint Ordinarii ſuarum diœceſium, & virtute Spiritus S. deſtinati ad regimen Eccleſiæ, ut ſufficienter ejusdem valeant proſpicere ſaluti, & infirmitatibus ovium ſuarum, quæ pro ratione circumſtantiarum perſonæ, loci, ac temporis cum omnibus cauſis optime ipſis cognitæ ſunt, atque perſpectæ, eo citius remederi, vel caute condeſcendere, nam ut Trident. *Seſſ. 25. C. 18.* ait: *publice expedit legis vincula quandoque relaxare, ut plenius evenientibus caſibus, & neceſſitatibus pro communi utilitate ſatisfiat.* eosdem ſecluſa reſervatione Apoſtolica cum quibusdam inſacris canonibus poſſe diſpenſare, cum hoc pertineat ad plenum Regimen Eccleſiæ, quid repugnet? non quidem pro libitu & arbitrio, cum tot ſæpe, tantisque conſiliis, ſanctiſſimisque intentionibus ſint conditi, ſed cauſa cognita, & ſumma maturitate, atque obſervando ea, quæ modo laudata ſynodus rectiſſime circa idipſum obſervari præcepit.

X.

Ex hiſce tandem deductis, ne præfixos in initio brevitatis limites transgrediar, qua demonſtratis, qua refutatis diſſertationem concludo mihi penitus perſuaſum habens plenariam ſolidamque per ſe, & in regula Epiſcopis jure divino competere poteſtatem agendi, ſtatuendique omnia in, & pro ſuis diœceſibus, quæ ſedi Pontificiæ in vim primatus vel aliunde jure vel conſuetudine ſpecialiter reſervata non dignoſcuntur: „omnis jurisdictio inquit FLEURY p. III. „Inſtit. Jur. Eccl. C. II. n. II. proprie eſt penes Epiſcopos, Chriſtus „eam Apoſtolis, Apoſtoli ſuis Diſcipulis per manuum impoſitionem, hi rurſus „aliis continua ſerie usque ad nos tradiderunt, tradentque ad finem ſæculi, cum „Chriſtus promiſerit ſe ſemper futurum cum Diſcipulis ſuis.„ Intelligis etiam nunc, opinor, B. L quo ſenſu ſecundum ſana omnino principia tutum ſit affirmare, quod Epiſcopus quoad ordinaria poſſit in ſua Diœceſi, quæ Pontifex in toto orbe, niſi quid reperiatur ſpecialiter exceptum, quæ propoſitio, cum non involet in jura ſingularia, & extraordinaria Primatus, quem indubitata fide divina conſtanter tueri & retinere cupio, nec aliter, quam ſalva debita ſubordinatione Epiſcoporum erga ſummum Pontificem tanquam generalem Chriſti in terris Vicarium, Supremumque totius Eccleſiæ caput eandem accipiendam velim; inſuper primævam illam, plenamque poteſtatem Epiſcopalem, prout eſt in ſe, & ex inſtitutione ſua ſumma amplitudine, & magnificentia ab omnipotente Deo exornata conſideranda venit, clare ſolideque ita explicet, ut ultra

veri fines eam minime protendat, certe nec fidei, aut bonis moribus contrariis, nec ſummis Eccleſiæ Romanæ juribus præjudicans, minus veritati abſona, aut Eccleſiis particularibus damnoſa a nemine, niſi ſacrarum Scripturarum, veræ traditionis, ac diſciplinæ Eccleſiæ ſaltem primitivæ, ſanæque politiæ prorſus experte exiſtimetur, oportet.

XI.

Sane quantacunque etiam nullo non tempore ſit, vel fuerit penes Epiſcopalem Ordinem poteſtas, atque jurisdictio, tantundem pariter eſt, & ſemper erit ſubjectionis & modeſtiæ, ut non aliter quam cum Romani Pontificis aſſenſione authoritate ſua utantur: Eſt enim Epiſcoporum præſertim Germaniæ, terræ obedientiæ propterea antonomaſtice dictæ in ſedem Apoſtolicam ea reverentia, ea devotio, & charitas in caput ſibi divinitus præſtitutum, ut ſanctiſſimis, ſapientiſſimisque ordinationibus Apoſtolicis ſumma, qua par eſt, promptitudine, & humilitate nequaquam ſe vereantur ſubmittere, ne dicam de uſu receptis facultatibus, & reſervationibus ſat multis minimum conqueri. Principatus a Chriſto Domino Divo Petro, & ejus ſucceſſoribus collatus ejusmodi fundamentum eſt, cui tuto committitur poteſtas omnis, vel poteſtatis uſus, qui vel Epiſcopis ipſis toto orbe ſparſis viſus fuerit Eccleſiæ ædificationi conducibilis, & conſentaneus eſſe, ſicut & charitas ſummi Paſtoris præſto ſemper eſt, & parata, ubi judicaverit expedire ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ pacem, & ſanctimoniam ſubordinatis ſibi paſtoribus tantum indulgere, ut publica eorum authoritas, & divinitus collata regiminis poteſtas ſalva ſemper, & incolumis, nec minus quoad exercitium omnino integra & irreſtricta relinquatur.

XII.

Quæ cum ita ſe habeant, non eſt, cur huic ſententiæ, quæ tribuit cuique ſuum, plus æquo ſuccenſeant quidam Eccleſiæ Romanæ, aut ſi mavis, Curiæ ſupra modum, & neceſſitatem velificantes, eo usque, ut etiam omnis modeſtiæ limites transgreſſi eandem palam erroneam, falſam, imo principiis veræ & orthodoxæ Chriſti Eccleſiæ adverſam cenſurare auſint, quod tamen nec ipſa prima ſedes, cujus omnino eſt judicare de ſana doctrina, & veritate catholica, unquam facere aut approbare ſimile quidquam decrevit, ut ex ſuperius memoratis ſat liquido conſtat. Cæterum pro aurea mediocritate differens, & plus veritatis, quam aſſentationis amans, quæ de hac materia pro dignitate, excellentia, & amplitudine ſua pluribus adhuc illuſtranda, limitatiusque pertractanda humili nimis, jejunoque calamo delineavi, ea non plane improbanda ab omnibus eſſe confido: quodſi vero quid minus congrue a me ſcriptum, aut, quod tamen penitus ignoro, cum offenſione juſtitiæ, vel charitatis, aut debitæ veneratio-

rationis, & severiori censura dignum irrepserit, id facta demonstratione protinus emendabo, qui totum meliori, atque sublimiori judicio omni cum reverentia, sincerissimoque pietatis, & observantiæ affectu erga sedem Apostolicam, Ecclesiamque Romanam lubentissime submitto.

TANTUM.

Animadversiones Editoris.

Ad *Cap. I. §. IV.* Insigne hoc est testimonium GERSONIS quod Auctor adducit, adversus FEBRONIUM ejusque systema, cujusmodi plura ex GERSONE habet *Anti-Febron. Vindicat.* jam alias in animadversionibus meis recitatus *Tom. 1. p. 343.* Constat quantum alias FEBRONIUS GERSONIS auctoritati tribuat: quid vero inquiet, dum eundem pluribus in locis quasi e diametro sibi repugnantem videt? *Tom. 2. p. 282.* ita se extricare conatur: prudenter dici posse GERSONEM in ejusmodi scriptorum suorum locis non loqui ex fonte Juris Ecclesiastici, sed animo quodammodo praeoccupato ex usu et digli, qua, quam ipse per plura jam secula durare adverterat, quodammodo ignarus fa[illegible] originis, quam illi potissimum dederant spuriae epistolae primorum Pontificu[illegible]. Jam vero nemo non videt, quam miserum sit hocce FEBRONII effugiu[illegible] pari in primis jure testimoniis FEBRONIO faventibus reponere licet a[illegible]RSONE infelicis illius diuturnique schismatis tempore adversus legitimam [illegible]tificis potestatem praeoccupato ea scripta fuisse: adeo deinde insolens est, [illegible]*rianas* hasce epistolas perpetuo in ore habere, atque, ubi alia nescias, continuo pro ratione obtrudere, ut vix non tribuere illis queas, quod de famosa *L. Non omnium 20. ff. de LL.* dici notum est; quantum enimvero cum FEBRONIO non est dolendum de scelere spuriarum harum epistolarum, quod ne magno illi quidem Constantiensis Concilii Oraculo GERSONI pepercerint?

Ad ejusdem Cap. §. VI. seqq. Id equidem vere inquit Auctor seculis primis tot uti hodie, reservationes non obtinuisse, quibus potestas Episcoporum restringeretur. Atenim non a Conciliis solum tum Oecumenicis tum Provincialibus, sed et a solis summis Pontificibus, ante Isidorianas etiam Decretales, eidem potestati justis de caussis limites jam hinc inde positos fuisse luculenta plane exempla demonstrant; de qua re Conf. *Anti-Febron. Vindicat. Part. I. p. 478. seqq.* BALLERIN. *de potest. Eccles. contra opus Justini Febronii. p. 20. seqq.* Ita *Siricius ad Himerium Tarraconensem* constituit post pœnitentiam publicam semel susceptam iterum lapsis sacram Eucharistiam nonnisi sub finem vitae dandam:

dam: *Innoc. I.* ad *Exuperium Toloſanum* iis quoque, qui pōſt Baptiſmum toto vitae tempore in obſcoenis voluptatibus haeſiſſent, dum ſub exitum poenitentiam et communionem poſcerent, eisdem myſteria iſthaec reconciliationis noſtrae non denegari: *Coeleſtin. ep. 3. Tom. 1. Epiſt. Rom. Pontif. apud Conſt. col.* 1065. in Illyrico et Galliis Synodos absque Vicarii Apoſtolici aſſenſu haberi vetuit: PP. Africani ſub exitum ſec. IV. etiam ob penuriam aliorum non auſi ſunt reverſos a Donatiſtis in gradibus Ordinum antea ſuſceptis relinquere, aut infantes Donatiſtarum ad Eccleſiam redeuntium ordinare, eoquod utrique obſtaret interdictum Romani Pontificis in Concilio transmarino (quod quale fuerit, l. cit. explicat BALLERINUS) niſi prius miſſa Legatione ad *Venerium Mediolanenſem et NB. maxime ad Sedem Apoſtolicam* hujusce aſſenſum et relaxationem obtinuiſſent. Haec aliaque uberius vide apud AA. cit.

Ad ejusdem Cap. §. X. Auctor hic potiſſimam denuo cauſſam poteſtatis Epiſcoporum plenae et ſolidae, quam ipſis ex origine ſua (ſalva tamen debita erga Summum Pontificem ſubjectione) tribuit, multis dein in caſibus reſtrictae in Decretales *Iſidorianas* refundit. Quare tandem generatim aliqua *mihi* de re iſta toties hodie occini ſolita obſervanda ſunt. Nimium *inprimis Iſidoro* huic impingitur a pluribus, dum quae minus genuina in Codice ſuo habet, omnia nonniſi ex genio ſuo confinxiſſe dicitur: certum enim eſt plura, utut fors ſint, ria, ea tamen ratione, qua ab ipſo referuntur, jamjam ante eundem [illegible], quod invicte oſtendit IACCARIA in *Anti-Febronio edit. ſecund. 1770. Tom. 2. Diſſ 3. Cap. 4.* Unicum hic exemplum ſatis eſto: Epiſtolam *S Gregorii M.* ad *Secundinum*, *jamdum interpolatam* ab *Iſidoro* Codici ſuo inſertam, minus recte ejus vel incuriae vel fraudi unice tribueres: prout enim ab eo refertur, jam legitur teſte cit. ſcriptore in collectione ſcripta a *Paulo Diacono*, quem an. 801. mortuum fuiſſe conſtat. *Secundo* deinde recte notat Cl. BALLERINIUS in *Vindic. cont. opus Febron. Cap. 5. §. 1.* falli quoque eos, qui aſſerunt ab hoc *Iſidoro* collectionem ſuam unice adornatam fuiſſe ad augendam amplificandamque Romani Pontificis poteſtatem: ipſe *Iſidorus* jam occupavit id, quod hodierni ejus Adverſarii tanto conatu in illum conjiciunt. In praefatione operis ſui, poſtquam documenta eidem inſerenda indicaſſet, de fine ſibi praeſtituto ait: *quatenus Eccleſiaſtici Ordinis diſciplina in unum a nobis coacta, atque digeſta, et ſancti Praeſules paternis inſtituantur regulis, et obedientes Eccleſiae miniſtri vel populi ſpiritualibus imbuantur exemplis, et non malorum hominum pravitatibus decipiantur: multi enim pravitate et cupiditate depreſſi NB. accuſantes ſacerdotes oppreſſerunt.* Ubicunque deinde accuſatorum Epiſcoporum curam habet atque ſollicitudinem: ubi Sedis etiam Apoſtolicae auctoritatem extollit, eo ſemper omnia refert, ut Epiſcopi accuſationibus impetiti et condemnati, quodſi ſe gravatos putent, ad illam confugiant, quae Synodorum ſententias retractare poſſit.

Tertio

Tertio id quoque quam maxime hic animadverſione dignum; etſi *Iſidorus* plurimas ex ipſis epiſtolis ſuis falſo adſcribat ſeculorum primorum Pontificibus; propterea tamen minime ab uno eo conficta eſſe illa, quae, licet perperam, iis tribuit. Sane teſtem hujus rei tam luculentum habeo, qui ipſi adeo Febronio reverentiam incutere debet, PETRUM DE MARCA, videlicet *de Concord. L. III. Cap. V. n. 1.* contra *Blondellum* id obſervantem his verbis: *cui tamen in eo ſuffragari non poſſum, quod atrocibus verbis epiſtolas dilacerat: quas e ſententiis et verbis Legum, canonum antiquiorum, et ſanctorum Patrum, qui quarto et quinto ſeculo floruerunt, ſi pauca demas, concinnatas eſſe conſtat. Demum*, etſi verum ſit, diſciplinam per *Iſidorianas* Decretales uſu receptas quandam mutationem ſubiiſſe; perquam tamen falſum eſſe, ea, quæ de auctoritate Pontificis habet *Iſidorus*, omnia ante eum inaudita fuiſſe, atque nonniſi poſt eundem invecta, contra *Febronium* ab ejus Adverſariis luculente demonſtratum fuit.

Additamentum. Dum haec ſcripſeram, ab amico transmiſſum modo accepi recens Exercitium Juridicum *20. Jul. 1772. Treviris Praeſide* NELLERO *editum: f. 36.* mentio injicitur falſarum Decretalium. Quae de iis ſint Viri hujus ſenſa, ejusdem verbis hic addere non ingratum duxi. Sic autem ibidem inquit N. X. *Dum vero tot Epiſtolae RR. PP. Decretales, ut nothae aut de ſuppoſitione ſuſpectae reſpuuntur, an non inciditur in propoſitionem 83. I. Wicleffi Angli, quam Concilium generale Conſtantienſe damnavit iſtam: Decretales epiſtolae ſunt apocryphae, et ſeducunt a fide Chriſti; et Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eas? R. Nequaquam: utique enim indefinita haec propoſitio erat falſa, cum praeter ſuppoſititias dentur plurimae et genuinae, et authoritatem habentes: nulla vero earum, quibus bona fide uſa fuit per ſex retro ſecula Eccleſia Latina, ſeduxit a fide Chriſti, quamvis earum aliae fabulas, aliae novitates in quaeſtionibus diſciplinae ſeminaverint. Wicleffus etiam veris RR. PP. decretalibus, his nominatim, quibus diu in Academiis juxta Corpus Juris Canonici ſtudebatur, detraxit authoritatem, apocryphas et ſeductivas vocando. Non ſic Catholici Critici.*

Additio (NELLERI) „*Non placet mihi.* 1) A. PAGIUS, *dum in* „*Critica C. Baronii* ad *an. 100. num. 5. ſic diſcurrit: hac in opinione (veras eſſe* „*epiſtolas Clementis et ſequentium Pontificum usque ad Siricium Papam)* Fideles fue„re usque ad Conſtantienſis Concilii tempora; tunc enim eorum authoritatem „infringere conatus eſt *Joannes Wicleffus*, qui palam profeſſus eſt, decretales „epiſtolas eſſe apocryphas: quod adeo graviter tulit *Concilium Conſtantienſe*, ut „damnarit propoſitionem 83. Quaſi vero *Wicleffi* error ſtetiſſet in ſola explo„ſione Iſidorianarum decretalium, quas propoſitio ejus damnata nequidem no„minat. Neque placet 2) quod porro ſcribit PAGIUS: aliud porro eſt inqui„rere, an erroneis diſciplinae et fidei dogmatibus repletae ſint decretales epi„ſtolae, an tantum ex aliorum teſtimoniis interpolatae: poſtremum duntaxat

„am-

„amplexi ſunt eruditiores Catholici; qui, cum de iis graviſſima noſtro ſeculo orta „eſſet difficultas, num genuinae ſint, num ſuppoſititiae, eas ſuppoſitionis arguendas „ingenue judicarunt. *Sane epiſtolarum inculpatio apud Catholicos non ſubſtitit in ſolo in-*„*terpolationum Ss. Pontificibus, Ss. Patribus, et Legibus plagio, ſed accuſavit inductionem de-*„*ceptae ab Iſidoro Occidentalis Eccleſiae in falſorum Canonum fidem et uſum cum immuta-*„*tione veterum hierarchicorum Canonum. Plusquam A.* PAGIUS *loquitur* P. COUSTAN-„TIUS *praefationis ſuae §. 157. Porro hac fraude quam ſit pernicioſe de Eccleſia me-*„*ritus* (PSEUDO-ISIDORUS) *dici vix poteſt. Hinc debilitati penitus fracti-*„*que diſciplinae nervi, perturbata Epiſcoporum jura, ſublatae judiciorum leges, aut* „*miſerum ſaltem in modum afflictae; hinc diſcordiarum, ſeditionum ac litium ſeges im-*„*menſa, quae tot ſeculis ad Eccleſiae dedecus, fideliumque offenſionem fructificavit.* „*Neque id ſolum, ſed alienae etiam communionis hominibus aperta ingens ad calumniam* „*feneſtra: cum enim putida tot ſcripta mendacii inſimulare promptum eſſet, ac re qui-*„*dem vera inſimularent ipſi convincerentque, gradum inde ad genuina in dubium vo-*„*canda fecerunt. Errorem, ut par erat, refellere parum contenti, in veritatem ipſam* „*involarunt: exprobrata Catholicis nimia credulitas, fuco falſi aſperſa ſanctiſſima de-*„*creta, ſanctiores ritus expoſi, rejecta ſine pudore ac modo fundatiſſima quaeque ſum-*„*morum Pontificum jura, aut certe ad tenuem exilemque umbram redacta. Utinam* „*nec eſſent apud Catholicos, qui ob adulterinarum epiſtolarum admixtionem de genui-*„*nis non ſatis aeque ſentirent! ſpurios quidem hos foetus in ipſo ſtatim ortu extingui* „*ad Eccleſiae utilitatem pertinebat. Non dixero per hoc eſſe in Iſidorianis errores* „*dogmaticos contra fidem et bonos mores: dantur praeterea alia dogmata et regulae,* „*quae Eccleſiae poſſunt nocere: hinc* PAGIUS *non aſſumpſit in ſuorum diſparatorum* „*propoſitione totum, quod erat aſſumendum, nempe etiam Viros Catholicos acceſſiſſe* „*ad partes Proteſtantium, quatenus hi mala in diſciplinam et negotia publica Eccleſiae* „*per illos falſos Canones invecta eſſe monſtrarunt.* Hucusque NELLERUS. Quoad propoſitionem *Wicleffi* recte reſpondet. Alia tamen Couſtantius nimium exaggerat. Quanquam quod inquit de juribus Pontificis, FEBRONIUM quaſi digito demonſtrare, maximeque percellere videtur.

Ad ejusdem Cap. §. XII. Famoſus eſt hic Canon *C. Salegunſtad.* ad quem provocat Auctor: cui jungendus alter *Concilii Lemovicenſis an. 1034.* ubi dicitur: *nam inconſulto Epiſcopo ſuo ab Apoſtolico poenitentiam et abſolutionem nemini accipere licet: uterque etiam appellatus fuit a Febronio Cap. VII. §. 3.* Ita autem in utrumque ait THOMASSIN. *Part. I. L. I. C. VI. f. m. 20.*, poſtquam verba Concilii *Salegunſtad.* retuliſſet: *poenitentium aut impoenitentium potius fraudibus obviam ibant tum Epiſcopi, non Papae poteſtati eximiae: nihilo enim plus quam Lemovicenſis ſupra Synodi Praeſules, qui in culpa ſe eſſe ipſos confeſſi ſunt, ubi non Romano Pontifici nomina et cauſas eorum deferrent, quos a ſe ligatos Romae ſolvi nollent: potius nos culpabiles ſumus, niſi litteris noſtris ei notum facimus, de quibus nolumus*

lumus ut absolvantur. Cassas et inutiles haec Synodus pronuntiabat absolutiones ejus modi, non quod tantae potestatis expers esset is, a quo extortae fuerant, sed quod eas vere extorsissent ii, qui obrepserant Pontifici nulla facinorum suorum poenitudine ducti, et Episcoporum imperio contumaciter immorigeri: cum ergo tales deceperint Apostolicum, ut fraudulenter absolvantur ab eo, irrita est eis illa absolutio, ideoque nec ab eo, nec a nobis confirmanda. Plura huc spectantia vide apud eundem; cum FEBRONIO enim circa potestatem Pontificis, quosdam sibi casus reservandi, data opera controversiam suscipere meum hic non est: id unum adhuc observare liceat circa id, quod inquit NELLER *in Exercit. jurid. 2. Decemb. 1771. f. 10. Quibus autem accedentibus requisitis potestas haec sese exerat, Tridentinum non expressit: si suprema illa potestas sit monarchica, non desiderabit Episcoporum consensum, secus, si non sit.* Prius consequeretur utique ex potestate Monarchica absoluta: posterius vero, si ad consensum hunc nulla ratione adstringuntur Episcopi vi potestatis Pontificiae, *Febronianum* est. Quare NELLERUS videtur praetermisisse, id quod statuunt RR. alii, qui Monarchiam limitatam tuentur: Episcopis quidem juxta hosce quoddam jus examinis competit, uti an Reservationes istae casuum novorum sint e bono Dioecesium suarum ob rationes peculiares, quae Pontificem latere possunt, an secus: quodsi nulla justa causa in adversum subsit, consensum et receptionem praecepti Pontificii denegare non licebit. Sane ex ipsa sua notione potestas, ut loquitur *Tridentinum*, concipi non poterit, quin ex altera parte aliqua obsequendi necessitas respondeat, prout illa potestas dein aut est incircumscripta, aut plus minusve limitata. Hanc potestatem a *Tridentino* agnitam fuisse exinde, quod tum necdum cognita fuerit fraus *Pseudo-decretalium*, uti hic denuo ait *Febronius*, adeo absonum esse debet Catholico cuivis, ut ne mentione quidem dignum sit. Caetera epocham certam, qua tum Romanus Pontifex, tum Episcopi peccata quaedam graviora reservare sibi coeperint, statuere non audet l. c. Neller; non enim ei placet, quod VAN ESPEN *Part. 2. Tit. 6. Cap. 7.* Episcoporum reservationes deducere velit a poenitentia olim publica, ob crimina ita dicta *canonica* peragenda, propterea quod praeceptum ejusmodi crimina, si nonnisi occulta fuerint, poenitentiae publicae subjiciendi dubium sit, et multae adhuc controversiae obnoxium. Constat porro ab Episcopis ipsis persaepe graviorum criminum reos Romam ad absolutionem petendam missos fuisse. Id non factum esse ante Sec. XI. putat VAN ESPEN *l. cit.* Sed BENED. XIV. *de Syn. L. 5. C. 4. n. 3. prope fin.* labi hac in re *Espenium* asserit, siquidem ex *Lib. 3. de gestis Ss. Rotonensium cap. 1. Sec. IV. Benedictino* constet, ante annos circiter nongentos (proinde Sec. jam IX.) homicidas ad Pontificem fuisse remissos. In collectione novissima CC. Germaniae Sec. XIII. omnium primo in *C. Trevir. an. 1227.* sub Archi-Episcopo *Theodorico*, et *Frizlariensi an. 1246.* sub *Sigefrido III.* Archi-Episcopo Moguntino casus Pontifici reservati occurrunt. Quod deinde in-

fert NELLER ex eo, quoniam Concilia tum iſthæc, tum etiam poſteriora quoad numerum caſuum Pontifici reſervatorum variant, Epiſcopis libcrum fuiſſe reſervationes Pontificias acceptare, vel non; credo, ipſemet nolet intelligi de libertate plane *Febroniana*; ſed tali, quam paulo ante innuimus: neque major quoque exinde colligi poteſt; quemadmodum etiam ex eo, quod ex Bullis recentioribus quædam in his illisve Dioeceſibus receptae ſint aut Eccleſiis, non vero item in aliis.

Ad ejusdem Cap. §. XIII. Injicit hic mentionem Auctor celebris illius Conſilii reddıti ſub *Paulo III.* a Cardinalibus et Praelatis ad id deſignatis de *Reformatione Eccleſiae.* De hoc Conſilio ait FEBRONIUS *Cap. IX. §. 3. n. 13.* illud a *Paulo IV.* dein in indicem librorum prohibitorum relatum fuiſſe, etſi ipſe ſub nomine *Cardinalis Theatini* fuiſſet unus ex hujus Conſilii auctoribus et ſubſcriptoribus: ipſum quoque hoc Conſilium (non vero explicationes eidem ſive a STURMIO ſive ab aliis additas) deinde a *Paulo IV.* damnatum fuiſſe, adverſus *Eminent. Angelum Mariam Quirinum* in epiſtola ad eundem Cardin. 15. Septemb. an. 1747. ſcripta, et anno ſequenti *Tiguri* impreſſa, *invicte probari* a Viro Cl. *Georgio Schellhornio* Civitatis Memmingenſis Bibliothecario. Fallitur inſigniter aut fallit cum ſuo *Schellhornio* FEBRONIUS. Conſilium iſtud inter alios Catholicos *Natalis Alexander* inſeruit hiſtoriae ſuae ſec. XVI., ubi de *Paulo III.* ipſi ſermo eſt, quin propterea ab ipſis cenſoribus Romanis notam incurreret. In indice porro edito a *Benedicto XIV. an. 1758. Romae. in 8. p. 65.* diſerte ita legitur de hoc Conſilio: *Conſilium de emendanda Eccleſia NB. cum notis vel praefationibus Haereticorum.* Cur itaque hodie ſaltem tale quid affirmare non erubeſcit FEBRONIUS?

Ad Cap. III. §. VI. Intelligere hic poteſt ex Auctore FEBRONIUS qua ratione ſubin Epiſcopi, atque ii ipſi, quorum exempla appellat, alienarum Dioeceſium curam geſſerint. Sane dolendum eſt huic viro, Magnum *Auguſtinum* de ejusmodi jurisdictione, quam in alienis Eccleſiis adſcribit Epiſcopis, tam parum quid cognitum habuiſſe, ut potius luculentiſſimis verbis contrarium teſtaretur *Ep. XXXIV. Maur. edit.* *Nam illud*, inquit, *quod rurſus eum dixiſſe nonnulli ad me pertulerunt, cur non ierim Conſtantinam, quando ibi plures ipſi erant, vel me debere ire Milevim, quod illic, ſicut perhibent, Concilium proxime habituri ſunt* (Manichaei) *ridiculum eſt dicere, quaſi ad me pertineat cura propria, niſi Hipponenſis Eccleſia. Mihi tota hujus quaeſtionis ratio maxime cum Proculejano eſt, ſed ſi forte imparem ſe putat, cujus voluerit Collegae ſui imploret auxilium. In aliis NB. civitatibus, tantum agimus, quod ad Eccleſiam pertinet, quantum vel nos permittunt, vel nobis imponunt earundem civitatum Epiſcopi Fratres, et Conſacerdotes noſtri.* Equidem queritur FEBRONIUS a P. ZACCARIA

RIA in ſuo *Anti-Febronio* nonniſi paucis grave hoc argumentum expeditum fuiſſe, quanquam id mala ſatis fide *in Flor. ſpars. p. 383.* agat circa locum ZACCARIAE, quem ibidem recitat, diſſimulato eo, ubi id uberius praeſtitum fuerat: jam vero in *Anti-Febronio Vindicato Diſſ. III. Cap. V.* data opera omnia FEBRONII circa rem hanc dicta, factaque ab eo allata excuſſa ſunt. Quare quid nunc aut reſponſurus ſit, aut conqueſturus, exſpectandum erit.

Ad ejusdem Cap. §. XI. Epiſtolam *Vigilii*, de qua Auctor hic loquitur, ſpuriam idem exiſtimat cum VAN ESPEN. Sed argumenta hujus ſcriptoris id non omnino evincere videntur. Sane *Conc. Braccarenſe I. an. 561.*, atque adeo vicinum aetati *Vigilii* pluribus in locis Capitulorum a ſe editorum, apertis verbis provocat ad inſtructionem a Sede Apoſtolica ad *Profuturum* ad ejus interrogationem data, quae nulla alia eſſe poteſt, quam epiſtola *Vigilii*, de qua hic ſermo eſt. At inſcriptio, ut inquit Auctor, variat, cum in pluribus Codicibus legatur *Eutherius* loco *Profuturi*: eſto autem conjecturam quandam ex hac varietate capi poſſe; quodſi ex hoc tanquam praecipuo quodam argumento epiſtolas Pontificum tanquam ſpurias rejicere velis, nemo neſcit, quot in ipſo Corpore Juris Canonici decretales vacillare neceſſe foret, quarum inſcriptiones ne hodie quidem adhuc poſt tam eruditam variorum criſin ſatis ſunt emendatae. Aliud dubium exinde movetur, quod verba de *plenitudine poteſtatis Apoſtolicae*, quemadmodum *a Gratiano Can. 12. Cauſ. 11. Q. 6. referuntur*, non in omnibus denuo Codicibus legantur; in iis praecipue, qui *Profuturi* non vero *Eutherii* nomen praeferunt. Quam vero lubricum denuo eſt hocce argumentum? plures alii Codices, quibus ex ſeverioris Criticae legibus opponere nihil queas, verba memorata habent integra: aliunde autem conſtat monumenta calculo omnium genuina ita in diverſis Codicibus deſcripta haberi, ut nonnunquam quaedam ab aliquibus brevius, quibusdam omiſſis, referantur. Nil tamen porro auctoritatis epiſtolae huic *Vigilii* ineſſe exinde contendit BERARDI in *Canones Gratiani T. I. Part. II p. 483.* eoquod edita ſit a *Vigilio* eo tempore, quo nullo adhuc jure Eccleſiae Romanae praefuit, anno videlicet 538. Ad hanc objectionem ita reſpondet erudite *Anti-Febron. Vindicat. Part. I. Diſſ. III. cap IV. p. 469. in not. 8.* „Ea quaeſtio ab „obitu potiſſimum *Sylverii*, in cujus locum intruſus fuit *Vigilius*, potiſſimum „pendet. Mortuum autem *Sylverium* eo ipſo anno 538., contra, quam *Baro*„*nius* et *Papebrochius* ſenſerat (quorum ille in an. 540 hic in an. 539. ejus Pon„tificis obitum confert) apud doctos viros poſt *Pagium* obtinuit opinio: de „menſe autem quo *Sylverius* obiit, nulla eſſe dubitatio poteſt, ... conſtat „enim *Sylverium* obiiſſe die 20. Junii. Ut igitur compertum ſit epiſtolam, qua „de agimus, ſcriptam fuiſſe *Vigilio* nondum legitimo Romanae Eccleſiae Pon„tifice, ante diem 20. Jun. mitti debuiſſet. Atqui id in controverſiam vocari „non injuria poteſt: in Codice enim *Colbertino* data dicitur Romae III. *Kal. Ju*„*lias*

„lias *Flavio Johanne V. E. Conſule*, non *Kalendis Martii* quod alii Codices ha„bent: hujus autem Codicis potiorem habendam eſſe rationem duo ſuadent. „Alterum eſt Conſulis annotatio, quae in aliis, ubi vel *Voluſianus* vel *Wilſia„rius Johanni* adjunguntur Conſules, vitiata eſt: in *Colbertino* ad ea, quae de „unius *Johannis* Conſulatu ex aliis monumentis explorata ſunt, accuratiſſime „exacta. Alterum eſt, idque, uti ego puto, ſatis invictum, quod, uti ante „jam dixi, *Patres Braccarenſes* ei aevo ferme aequales, eam epiſtolam agnove„rint profectam a Sedis Apoſtolicae auctoritate; quis autem credat eos Patres „aut ignoraſſe, quo tempore *Vigilius* fuerit legitimus Pontifex, aut epiſtolae „illegitimi Pontificis eam auctoritatem tribuere voluiſſe?" Difficile porro eſt ſuſtinere, quod hic Auctor, de epiſtola *S. Leonis* ad *Anaſtaſium Theſſalonicenſem* videtur innuere, eam non tam referendam ad auctoritatem Primatis in univerſam Eccleſiam, quam Patriarchalem in Illyricum; quod idem uberius habet FEBRONIUS *Tom. 1. Cap. 3. §. V. n. 3.* repetitque *Tom. 2. p. 301.*, diſſimulatis licet, quae ipſi circa rem hanc objecta jamdum fuerant. Sane *Leo* in exordio epiſtolae ſuae inquit: *ita ſe Anaſtaſio vices ſui moderaminis delegare, ut curam, quam NB. univerſis Eccleſiis principaliter ex divina inſtitutione debeat, adjuvaret.* Quis autem neſcit, Patriarchatum neque extendi ad univerſas Eccleſias, neque divinae, ſed humanae inſtitutiones eſſe? Idem Pontifex in epiſtola, quam ad Metropolitas Illyrici de hac ipſa *Anaſtaſii* electione dedit ita ait: *et quia NB. per omnes Eccleſias cura noſtra diſtenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui Apoſtolicae dignitatis beatiſſimo Apoſtolo Petro primatum fidei ſuae remuneratione commiſit, univerſalem Eccleſiam in fundamenti ipſius ſoliditate conſtituens, neceſſitatem ſollicitudinis, quam habemus, cum his, qui nobis collegii charitate junctiſunt, ſociamus. Vicem itaque noſtram Fratri et Coepiſcopo noſtro Anaſtaſio . . . . commiſimus*, Luculentius nihil eſt ex his verbis, quam curam, de qua loquitur *S. Leo*, non eſſe curam Patriarchae, ſed Primatis Eccleſiae univerſae.

Ad ejusdem Cap. §. XIV. Titulum Epiſcoporum: *Dei et Apoſtolicae Sedis gratia* ſec. XIII. jam uſitatum fatetur Auctor. Perquam falſo dixerat FEBRONIUS *Tom. 1. Cap. 4. §. 9. n. 1.* eum morem ſec. XIV. necdum obtinuiſſe: etenim in Germania quoque ſec. XIV. eundem titulum jam invaluiſſe, exemplis pluribus ex GERCKENIO et aliis oſtendit HOFFMANN *de Titulo Epiſcopali Sedis Apoſtolicae gratia Witebergae 1768. f. 12.* Nolim hic ea aliaque, quod facile eſſet, hic addere, cum ipſe FEBRONIUS negligentiam hac in re ſuam agnoſcere aliqua ratione videatur *Tom. 3. f. 158. ubi* inquit: *Sec. XIV. aut ſerius etiam hanc formulam ante fere incognitam in uſum deductam fuiſſe:* dubium ſe fingit adhuc FEBRONIUS; ſed dubium ſiquod adhuc habet, ei eximet HOFFMANNUS ante citatus. Ante Sec. XIV. eam formulam fere adhuc incognitam dicit: ne enim audacia conſueta, prout *Tomo 1. l. cit.* feceras,

rat, *plane* incognitam denuo affirmare auderet, effecere procul dubio exempla complura eaque luculentiſſima, quae ipſi oppoſuit ZACCARIA in *Anti-Febronio Tom. 3. Part. 2. Lib. 1. Cap. 4. edit. ſecund. 1770. p. 177.*, quibus, cum nihil haberet, quid opponeret, diſſimulare ea conſultius exiſtimavit. Quodſi locum citatum inſpexiſſent *Goettingenſes*, fors non adeo confidenter probaſſent in FEBRONIO, dum Tomum ejus tertium recenſent *119. Stück. 3. Oct. 1772.* titulum, de quo hic agitur, Sec. demum XIV. invectum fuiſſe. Anno 1093. jamdum *Amatus Epiſcopus Nuſcitanus* apud UGHELL. *Ital. Sacr. Tom. VII. col 533.* ſe dixit *Apoſtolicae Sedis gratia* Epiſcopum, Anno 1174. de *Epiſcopo Fulginii* occurrit in charta donationis haec formula: *Dei gratia non meis meritis Fulginatis et Nucerinae Eccleſiae ex conceſſione D. Papae et totius Romanae Eccleſiae conſenſu ibidem toto tempore vitae ordinatus.* In Annalibus *Camaldulenſibus* ad ann. 1180. S. *Benvenutus* dicitur *Dei et Apoſtolica gratia Auximanus* Epiſcopus. Apud *Peterſyum* ad ann. 1299. legitur: *Jacobus Dei et Apoſtolicae Sedis gratia Epiſcopus Scepuſienſis.* Haec quidem exempla habentur l. cit. Alia quoque plura adhuc occurrunt, uti apud LÜNIG *ſpicil. Part. 2. Cap. 4.* ſcribit *Eberhardus Bambergenſis: Eberhardus Babbebergenſis divina et apoſtolica miſeratione*; &c. *Aureae Bullae Friderici II.* de *libertate Eccleſiaſtica* ſatis celebri, ad an. 1213. apud GOLDASTUM *Tom. 1. Conſtit. imper.* ſubſcripſit *Conradus Dei et Apoſtolicae Sedis gratia Metenſis et Spirenſis Epiſcopus.* In Sigillo *Arnoldi Bambergenſis* appenſo literis indulgentiarum conceſſarum Eccleſiae SS. *Simonis et Judae Goslariae* ad ann. 1287. inſcriptio haec eſt apud HEINECC. *de veteribus Germanorum Sigillis Part. I. Cap. VIII. Arnoldus Dei et Aplice (Apoſtolice) Sed. Gra. Babengen. Eps.*

XVI.

CHRISTOPHORI MÜLLER
SS. Theol. Baccal. Bibl. et Format. Reverendiſſ. et Celſiſſ. Princ. Epiſc. Bamb.
Tit. Presbyt. Seminar. Aufffeeſſiani Regentis

DISSERTATIO
DE

PEDI ET GLADII

SIVE

JURISDICTIONIS SPIRITUALIS ET TEMPORALIS IN EPISCOPATIBUS GERMANIAE CONNUBIO PRIMAEVO EPISCOPATUS INSTITUTO IMPERIIQUE UTILITATI NEUTIQUAM ADVERSANTE.

Bambergae 1764.

Sectio I. Prooemialis.

Quo Pacto Gladius Pedo advenerit?

§. I.

Epiſcopatus Origo.

Epiſcopatus bonum opus: parœmia eſt tam Paulo ſacra, (*a*) quam omnibus ſancta. *Originem* ille ſuam e cælo ducit, unde omne bonum deſcendit (*b*) cum ſummo bono, quod VERBUM eſt DEI FILIUS, per quem ſicut DEUS, quæ fecit, refecit omnia; ita EUNDEM ſupremum Paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum *c*) conſtituit, qui melioris teſtamenti Conditor *d*) totius gregi

a) 1. Tim. 3. 1.
b) Jacob. 1. 17.
c) 1. Petr. 2. 25.
d) ad Hebr. 7. 22.

gregi ſuo Vicarios creavit deſtinavitque Paſtores, quot Epiſcopos. *e*) In his ſpirat ILLE etiam poſt diſceſſum ſuperſtes, *f*) & iſti in EO lucet, qui dedit illis, ut LUX eſſent mundi *g*).

POTESTATIS & OFFICII amplitudo penes illos auguſtiſſima reſidet, eaque tota *divina*, quia ex ore ALTISSIMI inſufflante prodiit *h*). Tota *ſpiritualis*, quia a SPIRITU SANCTO in Ordine ad regendam Eccleſiam DEI *i*) emanavit: Tota *ſtupenda*, quia ad poteſtatis cum CHRISTO conſortium aſſurgit *k*) Poteſtas & amplitudo.

Quod igitur Regno Optimates, quod Militiæ Duces, quod Reipublicæ Magiſtratus, hoc Eccleſiæ præſtant EPISCOPI. *l*) Diſtinguunt illi Hierarchicum Eccleſiæ firmamentum ceu primæ magnitudinis luminaria, radiantia ſibi, irradiantia populos; *Norma*, *formaque* gregis *facti* ex animo *m*) bonis abundant domi, exundant foras, non minus divites pro aliis, quam propriis divitiis opulenti. utilitas.

§. II.

Ac prorſus ſicut *Bonum* nativis ſuis lineamentis *ſpectabile* non poteſt non hominum animos ad ſe pellicere; ita fieri nec poterat, quominus ſub naſcentis Eccleſiæ diluculo, ubi in venis *fidelium* fides & purior & ſimplicior ebulliit, Epiſcopalis dignitas & ſanctiſſima Majeſtas apud *eosdem* ſummam ſibi venerationem conciliaret. Noverant tum temporis *fideles* diligere Patres tam amabiles & pretioſos, quorum beneficio regenerati, & in novam in Chriſto creaturam educati erant. Noverant his paſtoribus, ducibuſque pro gregis incolumitate vitam & ſanguinem intrepide objicientibus vita & ſanguine litare, *illisque* debere omnia, quorum opera & protectione omnis Eccleſiæ ſalus ſalva ſteterat, & inter ſanguineas perſecutionum procellas ſine naufragio victorioſa. Reverentia tempore primorum Fidelium.

Quæ quidem eminentiæ Epiſcopalis veneratio & honos proficiente demum ſub longævis etiam lanienis Eccleſiæ pubertate adeo non defecit, ut cum ipſis Eccleſiæ incrementis nova quotidie incrementa capeſſeret. Adeo illi, qui gla- Dein Chriſtianorum Imperatorum.

e) Joann. 20. 22.

f) Matth. 28. 20.

g) Matth. 5. 14.

h) Joann. 20. 22. & 23.

i) Actor 20. 28.

k) Joann. 17. 18. & 19.

l) ad Epheſ. 4. 11. & ſeqq.

m) 1. Petri 5. 3.

gladium antea gerere videbantur eo duntaxat pacto, ut Eccleſiaſtici Magiſtratus petito jugulo ſacros Præſules ſuo ſanguine ſuffocarent, Chriſtianorum principiis imbuti, eorumque fortitudine ſenſim cicurati, exuta morum barbarie eos, quos prius oderant, adorabant, priſtinas clades ſacris Primatibus machinatas mira beneficentiæ metamorphoſi compenſantes. Et tunc demum *Epocha illa auſpicatiſſima* Eccleſiæ affulgere cœperat, *n*) qua ſicut Sacerdotium & Imperium paulatim una colligaverat religionis Chriſtianæ profeſſio, ita primum inter utrumque eadem intercederet pietas actionum, & unitas mentium, ac mirifico commercio, fiducialique amicitiæ vinculo ſeſe conſtringerent.

§. III.

Sacerdotii & Imperii amiciſſima harmonia.

Inde etiam amicam illam harmoniam enaſci conſectaneum erat, qua Eccleſiæ Patres primos Chriſtianos Imperatores, ceu *primarios Eccleſiæ filios*, in ipſius Sanctuarii adyta ſecum introducerent, & conſiliorum negotiorumque ſuorum rationes cum illis partirentur. Inde placidus ille & magnificus Conſtantini Magni in Concilio Nicæno I., Theodoſii ſenioris in Conſtantinopolitano I., Theodoſii junioris in Epheſino, Juſtiniani ſenioris in Conſtantinopolitano II., Conſtantini Pogonati in Conſtantinopolitano III., aliorumque Imperatorum in aliis Oecumenicis congregationibus conſeſſus, ut illorum, quæ inter Patres agerentur, teſtes eſſent, & ſpectatores, qui non minus Eccleſiaſticos conventus illuſtrarent, quam ex Eccleſiæ in Spiritu Sancto adunatæ uberibus doctrinæ ſpiritualis recentia etiamnum fluenta ſapidius biberent, Conciliorumque placita ac decreta religioſe ſuis ſubditis obſervanda inculcarent.

præcipue apud Germanos.

Neque deſtiterant Imperatores, *Chriſtianique Principes præſertim in Germania o*) officioſitati Eccleſiæ, amiciſſimoque Epiſcoporum ſtudio per mutuas vices reſpondere. Dum enim illi Religionis & pietatis zelo ducti, regionum ſuarum Statuumque negotia ad pondus Sanctuarii diſcutere ſolebant impenſius, ab omni ſeſe præcipitantiæ aut hallucinationis diſcrimine remotiores autumabant, ſi, quos religionis Magiſtros & Antiſtites in Epiſcopis venerabantur, eos

n) Epocham illam ipſe Zieglerus recte affixit Temporibus Conſtantini M. De Epiſcopis lib. 3. cap. 30. §. 34. & ſeq.

o) Epiſcopi & *Sacerdotes* omni Tempore in magno honore Germanis fuerunt, referente TACITO de M. G. c. XI. & VII. Imo nullum bellum ſuſceptum, vel prœlium commiſſum, cui Epiſcopi non interfuerint. *FRODOARD. in Chron. ad an.* 925. Und bey denen Fränkiſchen Kayſern haben die *Eccleſiaſtici* in denen allgemeinen Reichs-Verſammlungen ..... mit und neben den Reichs-Officialen und Ständen, Seſsion auch die oberſte Stell, Stimm und Sitz nach dem König gehabt, ſeynd auch unter dem *Complexu Verbi* (Principum Regni) begriffen geweſen. HEIDER. in Act. Lindav. Lit. R. R. Plura de his *Vitriarius* L. I. Tit. XV. de Princip. Imp. pag. 233. & 234.

eos ad privatos æque, ac publicos Conventus, & Comitiales Imperii Congreſſus invitarent, ut Epiſcópali præſentia & ſuffragio ſæcularium Principum placitis & conſultationibus quoddam quaſi ſanctitatis condimentum aſpergerent.

Ex quo demum ſacra Præſulum authoritas, & integerrima in Imperium Imperatoresque Fides tantum prævaluit, ut ſeſſionem & Votum cum ſæcularibus Imperii Statibus commune ſenſim & perpetuum obtinerent, *p*) & ſucceſſu temporum ad ſublimiora etiam Imperii officia admoti, *Archicancellariorum*, *Principum*, *Ducum*, *Comitumve* juribus ac privilegiis inclareſcerent, Feudis inſuper Imperii, *Principatibus*, *Ducatibusque* ad utramque poteſtatem, *ſacram* ſcilicet & *politicam*, cum majore dignitate ſuſtinendam a Carolo M., Ludovico pio, Lothario, Ottone M. donati, atque inde ab horum in Imperatoria Majeſtate ſucceſſoribus, ſcilicet Henrico II. S., Friderico I. & II., in juribus & poſſeſſionibus ſuis confirmati, aucti, corroborati. *q*) Sic porro *ſacra & profana jurisdictio* ſibi invicem in eadem perſona obviantes ſe mutuo oſculatæ ſunt, atque ad Imperii firmiorem concordiam, ac Eccleſiaſtici Ordinis ſplendorem *Pedum* & *Gladius* jugi ſponſalitio copulabantur.

E qua fluxit Eccleſiaſticis jurisdictio ſæcularis.

Quibus quidem *Pedi* ſcilicet & *Gladii* conjunctis Inſignibus, ceu geminatæ poteſtatis *ſymbolis*, inter *Archiepiſcopos* Colonienſis, *Bruno* dictus, Ottonis I. frater, *prior* uſus fuerat, *r*) inter *Epiſcopos* autem *Wirceburgenſis*, dictus *Erlangus*, Comes *de Calv* ſcuto ſuo gentilitio præter pedum *primus* gladium inſeruit, atque reliquis Germaniæ Epiſcopis ſæculari jurisdictione inſignitis *quoad hunc paſſum* in ſui ſequelam præiverat, prout Publiciſtæ commemorant. *s*)

Sæcularis poteſtatis uſurpata inſignia.

§. IV.

Verum hinc *illæ lacrymæ*, *illæ querelæ*, quibus juris publici compilatores *A. C.* addicti *Principes Germaniæ Eccleſiaſticos* paſſim adoriuntur. Huc demum, *inqui-*

Querelæ contrariæ.

p) Poſtquam Cæſares & Franci Idolorum cultui valedixerant, Præſulum authoritas in tantum excrevit, ut jam ſub Arcadio & Honorio Impp. extraordinariam & ſubſidiariam jurisdictionem cum Magiſtratu ſæculari *quandoque & ex compromiſſo* exercerent. Sozomenus L. VII. Hiſt. Eccl. C. 9.

q) Jam Clodovæi M. ævo permulta Præſules ſæcularia bona, & quidem proprietatis jure poſſidebant, exemptisque eorum Eccleſiis a qualibet judiciaria poteſtate, nacti erant ordinariam jurisdictionem ſæcularem in ſubditos, Vaſallos, ſervos, liddones & liberos, Malmann, & Mundmann &c. Accedentibus pedetentim Regalibus aliis, veluti cudendæ monetæ, exigendi vectigalia, exſtruendi caſtra &c. Pfeffinger in Vitriario L. I. Tit. XV. pag. 236.

r) Vitriar. L. 1. Tit. XV. pag. 236. & ſeqq.

s) Pockius in Compendio juris pub. §. 104.

inquiunt, Majeſtas Statuum ſæcularium recidit, ut *jure* in ſacra ab Epiſcopis & Clerò ſibi *extorto* etiam ipſa jurisdictione politica ſpoliarentur! *t*) Hem quam paradoxa res eſt, & *primorum* quidem *Epiſcoporum ævo* incognita, altera manu manſuetudinis *Pedum*, rigoris *gladium* altera rotare, atque eadem perſona duabus ſimul Orcheſtris, *Eccleſiæ* ſcilicet & *Imperio*, ſatisfacere? Quid *clæcibus* cum *armis*? Quid *ſtolæ* cum *ſago*? Quid *Miniſtris DEI* cum *adminiſtratione ſæculi*? Taceo hic cætera, alibi a me non tacenda.

Ratio ſcribendi.

Hæ quidem, aliæque ejusdem generis Sugillationes, quanti ponderis ſint, ponderare juvabit *Theologum*, cui, quid circa hanc materiam *ex Theologicis ſcripturæ & primævæ Epiſcopalis Inſtitutionis fontibus*, ad quos hujus Quæſtionis impugnatores multum provocant *u*) ſtatuendum obveniat, *tentare* abs dubio competit. Quo quidem in negotio ut *rite ordinateque* progrediar, *tribus* præcipue capitibus rem omnem expediendam exiſtimo, ſcilicet *primo*: utrum poteſtas Laicalis cum Eccleſiaſtica *ab intrinſeco*, & ex natura rei inſociabilis ſit? *Secundo*: An ab *extrinſeco*, ſcilicet ab *Inſtitutione* Epiſcopatus, aut *utriusque jurisdictionis fine & exercitio*, & *denique*: utrum *ex parte publicæ Imperii utilitatis* circa jurisdictionis ſpiritualis & temporalis *conjunctionem* repugnantia emergat? quam ex *nullo capite* obverſari citra partis adverſariæ offenſionem, quantum Theologo fas eſt, conficiam.

Partitio Differt.

Sectio II.

Utrum Jurisdictio Spiritualis & Temporalis ex natura ſuâ *ſint inſociabiles?*

§. I.

Jurisdictionis utriusque diverſa indoles objectum &c.

Non in humili repunt *Pedum* & *Gladius*, neque *vulgarem* denotant characterem. Symbola ſunt vitæ & mortis, ferme ejusmodi, qualia quondam

t) Huc ſpectant querelæ Hilperici apud Greg. Turon. L. 6. Hiſt. Franc. c. ult. *Ecce pauper remanſit Fiſcus noſter: Ecce divitiæ noſtræ ad Eccleſiam ſunt translatæ; Nulli penitus, niſi ſoli Epiſcopi regnant: periit honor noſter & translatus eſt ad Epiſcopos civitatum.*

u) In horum numero exiſtit *Anonymus ille*, qui in libro, quem inſcribit: *Hiſtoria Contentionis* inter imperium & Sacerdotium cap. IV. §. 26. talia audet: *Si Clerus non ſtatim in prioribus quinque ſæculis ſibi adverſus rectam rationem & Scripturam ſub larva ſpiritualium jurium ſæcularem plane eminentiam vindicaſſet, ſuper Laicis omnibus, adeoque etiam ſuper Regibus; non occaſio data fuiſſet Epiſcopis effingere Hierarchiam Eccleſiaſticam & ita Clero pariter reliquo & Laicis dominari &c.*

in Faſcibus Roma, atque *in Sceptris* Hieroſolyma adorabat. Non hoſpitantur illa in tuguriis plebejorum, ſed in Magnatum ſubſelliis coruſcant, atque in eorum fulgurant manibus, quos DEUS vel in Sanctuario *Aarones*, vel in Curia *Moyſes* ſublimavit, ut *illi* pro reipublicæ incremento *ſpirituali*, hi vero pro *temporali* orbis proſperitate experrectos circumferant oculos, etiam in eos, qui vel ſuo, vel communi bono ſpirituali aut temporali conſultum nolunt, tum Pedo, tum Gladio animadverſuri.

Divulgata hæc ſunt, & *communi* placito roborata etiam inter eos, quos diverſitas religionum in diverſa partium opinionumque ſtudia, præcipue in Germaniæ noſtræ viſceribus, diſtraxit. Sive inter Catholicos, ſive inter Proteſtantes Pedi, Gladiique *jura* poſtules, ea tam quoad *naturam*, quam quoad *forum*, *objectum*, *finem*, inter ſe diſtincta comperies, atque in diverſis, diſtinctisque limitibus ambulare.

Pedi namque ſive *Jurisdictionis Eccleſiaſticæ* vis in eo maxime viget, quod ea, quæ cultum Divinum, animarumque ſanctificationem & ſalutem concernunt, dirigat & ordiner, ut per ſacræ religionis exercitium membra reipublicæ *in hoc ſeculo* placeant DEO, atque ad futuram *in altero* felicitatem conſequendam rite præparentur. Ex quo dignoſcitur, *objectum* Jurisdictionis ſacræ in *cultu Divino* in- & externo, *w*) *finem* in *felicitate* hominis *ſpirituali* hic inchoanda, ibi conſummanda, *media* in Doctrina, Sacramentis, Legibus, pœnis Canonicis &c. conſiſtere.

Gladii ex adverſo, ſive *Jurisdictionis ſæcularis adæquate & ſecundum omnem ſuum ambitum* conſideratæ officium in eo continetur, quod in reipublicæ ſocietate tranquillitatem publicam & felicitatem *temporalem* rationabili providentia & gubernatione tueatur ac foveat, pacisque publicæ turbatores legibus pœnisque tam *civilibus*, quam pro rei exigentia etiam *criminalibus* coërceat, & perſequatur. Ex quo pronum eſt, Jurisdictionem temporalem pro *objecto* ſtatum reipublicæ ſæcularem bene ordinandum, pro *fine* felicitatem illius temporalem, pro *mediis* leges tum civiles, tum capitales, pacta itidem, ſtatuta &c. ſibi vendicare.

§. II.

Iſta autem *naturalis* inter utramque Jurisdictionem *diverſitas* an tantum efficiet, ut vel ex hoc capite, quod Jurisdictio ſacra & profana *eſſentiis diſcrepent*, conjunctionem inter illas *adæquate ſumptas* intercedere *nullam* poſſe quis conjiciat? Eſto, quod diſſimili facie habituque incedant, atque *dispares* intra *alveos* Fundat diſcrepantiam, non repugnantiam.

w) Ad quem cultum proſequendum poteſtas etiam politica, non quidem *Directionis* ſed tamen *Protectionis & aſſiſtentiæ* titulo ex officio concurrere tenetur: uti etiam in ſequente §. IV. inſinuabitur.

alveos concluſæ fluctuent, ultra quos neutram ſe effundere oporteat; non licebit certe legitimo ratiocinio colligere, alteram alteri *oppoſitam* aut *contrariam* exiſtere ita, ut nullo vinculo in unam coire Societatem valeant.

Aliud ſane eſt *diſtingui & discrepare*, *pugnare* aliud. Neque enim illa, quæ diſtincta aut ſeparata ſunt, etiam inter ſe *inſociabilia* dixeris: Alioquin nec diſtincta jura aut officia in eodem ſubjecto ſe invicem ſufferrent. Illis enim mutua repugnantia, *ſtrictaque* oppoſitio ineſſe cognoſcitur, quæ, ubicunque ſibi invicem occurrerint, *mutuo* in ſe jurgio deſpumant, atque alterna digladiatione eo uſque ſe invicem dilacerant, quoad una pars alterius inimicitia prævalente vel campum cedat, vel invita internecione exſpiret: Cujus *pugnæ* argumenta non tantum Natura nobis ſexcenta ſuppeditat, ſed & *in genere morum* inter quamlibet virtutem & vitium e diametro oppoſitum eſt reperire.

Sed an ſimile, quidpiam in *Jurisdictione ſacra & profana* deprehendimus? habent illæ profecto ſe ad invicem ut *Corpus & anima*, quæ licet ſint in *diſtincto* diverſoque *ordine*, & naturæ dotibus omnino *dispares*, unionem tamen & ſocietatem minime detrectant, ſed *harmonico commercio* ſe mutuo complectuntur. Et ſane, ſi citra repugnantiam *idem* reipublicæ *membrum* utriusque poteſtatis gubernationi poteſt eſſe obnoxium; cur non utraque poteſtas *in eodem* ſubjecto commorari valeat?

Etiam in Principiis Proteſtant.

Imo vel *in ipſis* Proteſtantium *principiis* manifeſte ſine contrarietate concurrunt. Jus enim *tum in civilia*, *tum in ſacra* Superioritati Territoriali deferunt; *x*) Si ergo jus ſacrum & profanum *utut diſcrepans* in eodem ſupremo Principe *ſæculari* pacifice cohabitent, cur *in Eccleſiaſtico* ſeſe diſcerpant? aut ſi forte jus illud Principum circa ſacra prætenſum *non ſpirituale*, ſed quoddam duntaxat Superioritatis territorialis *effluvium* compellare lubeat, quippe quod *externum* tantum religionis corticem attingat; tunc videant Publiciſtæ A. C., an illorum *jus circa ſacra*, quod tam magnifice crepant, *veri juris rem* & characteres habeat; Et quomodo in ſuis principiis jurisdictionem *Eccleſiaſticam* poteſtati *Laicali* ſubordinent, cum illa ab hac tam parum emanare valeat, quam inique ferrent ipſi, ſi jurisdictio *ſæcularis* jurisdictionis Eccleſiaſticæ *partus* ac ſoboles inſcriberetur.

§. III.

Fuit in veteri Lege conjuncta in eadem perſona.

Demum reducamus memoriam *ad antiqua* illa ſæcula, a quibus utraque jurisdictio, ſacra & profana ad nos uſque derivata eſt, & quid clarius innoteſcit, quam utramque jam a primis incunabulis ſuis amico fœdere fuiſſe *conglutinatam?* Nonne Melchiſedech *Sacerdos* erat DEI altiſſimi? erat autem; ſed

x) Maſcovius de princip. jur. publ. L. 6. C. 2. §. I. II. III.

ſed & *Rex* Salem: *y*) Principatum ergo Eccleſiaſticum tenuit æque, ac politicum: En *utramque* jurisdictionem jam tum conjugalem. Moyſes Dux Iſraël dictabat jura populo, ſedens quotidie pro tribunali, ſua authoritate lites diſceptationesque ad ſe delatas evolvit: *z*) Alibi tamen Virgæ imperanti *Thuribulum* jungens, *ante* Aaronis *Sacerdotium ipſe Sacerdos* adolebat incenſum Domino. *a*) Jojada *Sacerdos* eo ipſo tempore, quo Joam *Regem* in templo unxerat, Athaliæ Reginæ mortis ſententiam ſcripſit, *b*) *jus Gladii* ſat palpabiliter exercens. Samuel *Sacerdos* non tantum fideliter miniſtrabat coram Domino, ſed *Judex populi* integerrimus in ipſum Regem Agag acuebat gladium, & quem Saulis conniventia *ſine vulnere vivere* voluit, funere amariſſimo proſtravit. *c*) Phinees *Sacerdos* filius Eleazari publicum Zambri Iſraëlitæ ſcandalum zeloſo ipſe pugione transfixit. *d*) Quid de temporibus Evangelio *vicinioribus* commemorem? Quot gens Judæorum ſub *Machabæorum* regimine *Duces* coluit, tot ferme & *Sacerdotes* ſuſpexit, qui uno brachio *DEO*, quæ DEI, & altero *reipublicæ* dederant, quæ erant reipublicæ. Judas Machabæus, Jonathas, Simon, Joannes Hircanus, Ariſtobulus, Alexander Jannæus, & alii plures tum in *foro Poli*, tum in *foro fori* ſupremam ſuſtinuiſſe provinciam, quis ignorat? His autem procul dubio admiſſis nemo inficiabitur, utramque Jurisdictionem, *ſacram* & *profanam*, a ſe invicem minime alienam exiſtere.

§. IV.

Rident hic in ſinu adverſarii, jamque ſuo applaudunt triumpho, dum me per lubricas *antiquitatis* vias incedere conſpicantur, tacite mihi ominantes, neceſſe eſſe, mea argumenta ex *antiqua* Legis monumentis derivata contortis tibiis cum Jacobo claudicare, atque exin ad plures lapides offendere. Quid enim? (ajunt *imo*) Nonne antiqua V. L. œconomia antiquata eſt? & ex detritis ſtatus antiqui ruinis ad noſtrum ævum parallelam ducere nonne irritus labor? Nonne a ſtatu Iſraëlitico ad novæ Legis novum plane ſyſtema violenta fit

Nihil inde ſequitur pro ſuperioritatis territorialis jure circa ſacra.

y) Melchiſedech Rex Salem . . . erat Sacerdos DEI altiſſimi. Gen. 14. 18.

z) Sedit Moyſes, ut judicaret populum. Exod. 18. 13.

a) Offeres totum arietem in incenſum ſuper altare &c. Exod. 29. 18.

b) Præcepit autem Jojada Centurionibus, qui erant ſuper exercitum, & ait eis: Educite eam extra ſepta templi, . . . & interfecta eſt. 4. Reg. 11. 15. & ſqq.

c) In fruſta concidit eum Samuel coram Domino. 1. Reg. 15. 33.

d) Quod cum vidiſſet Phinees filius Eleazari, filii Aaron Sacerdotis, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingreſſus eſt poſt Virum Iſraëlitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul. Num. 25. 7. & 8.

ſit digreſſio? *e*) *2do.* Quid ex productis ſupra hiſtoricis monumentis, in quibus populi Iſraëlitici ſupremi principes Moyſes, Samuel, Judas Machabæus, aliique in ſacerdotali mitra æque, ac in *galea* ſe offerunt, contra partem Catholicam apertius evincitur, quam penes eos, quibus *ſumma Reipublicæ* concredita fuerat, etiam *Jus ſacrorum* repoſitum fuiſſe, adeoque *ſupremam poteſtatem politicam* omnis Jurisdictionis ſacræ ac profanæ baſin conſtitui oportere, *f*) Gladium proinde, quandocunque ad ſacerdotium tranſit, nativam ſedem ſuam deſerere, atque alienis ſub manibus peregrinari?

Aſt necdum his machinis peracta res eſt, nec mero ſtrepitu victoria conficitur. Si enim (1.*mo*) antiqua V. L. œconomia ita antiquata ſit, nihil ut ex ea pro ſtatu N. L. concludere, nullamque parallelam inſtituere liceat; ergo veterem Legem *ut crudam & marcidam* hiſtoriam conſiderare oporteret, quæ ad noſtra tempora relationis habuiſſet nihil: ergo Lex vetus nec figura fuiſſet, nec typus futurorum, nec *uterus ille*, qui Legis novæ novum plasma parturiret; ergo fruſtra ipſe Legis N. author Chriſtus ad Scripturam ipſam toties provocaſſet, in qua ejus obtrectatores anticipatam Meſſiæ imaginem delineatam cernerent. Et quo demum remedio *Judæorum* contumaciam ſanabit *Chriſtianiſmus*, ſi nexum & concordiam inter Legem & Evangelium ipſi Chriſtiani diſrumpant?

Exſpiraverit itaque poteſtas tam ſacra, quam politica antiquæ Legis, id quod non impugno: quod tamen ex earundem habita olim indole & affectionibus pro ſtatus hodierni conditione deducere nihil liceat, aut quod in Lege nova, antiquæ Legis pediſſequa, utraque poteſtas ita immutata fuerit, ut intrinſecam inter ſe oppoſitionem induerent, hoc impugno.

Quodſi enim liceat Proteſtantibus jura poteſtatis politicæ ex Legis veteris *conſtitutione* colligere; quid prohibet jurisdictionis ſacræ & profanæ con- aut diſconvenientiam *intrinſecam* eadem decempeda metiri? Cur *valeat argumentatio hujus formæ:* Utraque poteſtas ſpiritualis & Temporalis in Lege Veteri *ſupremo Reipublicæ Principi* adhæſit; ergo & in N. L. adhæret: Et cur non hujusmodi: In V. L. non pugnabant *ex natura ſua* jurisdictio ſpiritualis & Temporalis,

e) Eſt Anonymi jam ſupra citati animadverſio, quam in ſua hiſtoria contentionis his terminis expreſſit C. II. §. 12.: *Erronea eſt argumentatio a Sacerdotum ac Prophetarum ſtatu etiam ſub Regibus Iſraëliticis ad ſtatum Miniſtrorum verbi in rebus publicis Chriſtianorum, etſi nullum ſit dubium, utrobique Sacerdotes ſubfuiſſe poteſtati civili &c.*

f) Exempla veteris Teſtamenti *Melchiſedeci*, *Moyſis*, *&c.* magis probabunt, quod Principi ſimul competat Jus circa Sacra, quam quod Sacerdotibus competat poteſtas temporalis, &c. *Idem Anonymus* proxime citatus C. IX. §. 113.

lis, ergo nec pugnant in N. L.? *Quænam* quæſo *Diſparitas* utrumque ratiocinium diſcriminat?

Denique (*2do*) ſi mei foret inſtituti, prioris argumentationis, *Poteſtati Territoriali* jus ſacrorum *deferentis* efficaciam ad veritatis candelam diſquirere; & antecedens & conſequens forte nimium quantum calligarent. Perfacili enim negotio, tritis ſupra §. III. antiquæ hiſtoriæ ſemitis tenaciter *inſiſtendo* arguerem, jus ſacrorum *ſtricte* ſumptum poteſtati ſæculari nunquam *domeſticum* ac *proprium* fuiſſe. Dicerem namque primis illis mundi temporibus, ubi homines *ſine lege ſcripta*, ſolo *naturæ rationalis* ductu, ad cultum externum DEO ſupremo rerum omnium Domino, præſtandum adſtringebantur & *naturaliter* ea, quæ legis ſunt, etiam *ſine lege* faciebant, totidem fuiſſe Sacerdotes, quot *Patresfamilias*. Id quod exemplis Caini, Abelis, Noëmi illuſtrarem; in qua forma *ſingulis etiam familiis* ipſa agni paſchalis immolatio (Iſraëlitis exitum de Ægypto parantibus) a Domino præcipiebatur, *g*) priusquam Sacerdotium ſibi *peculiare* e filiis Levi ſegregaverat. Aſſererem *in lege ſcripta*, ubi DEUS filios Iſraël in *unam* religionis *ſocietatem* colligaverat, ſummum *Sacerdotium* in *Aaronem*, ejusque filios ita translatum fuiſſe, ut *jus ſacrorum uni* Aaroni, ejusque nepotibus accreſceret, *Moyſe* tunc ſolummodo ad *reipublicæ proram* ſedente. Adducerem Samuelem *prius* Sacerdotem fuiſſe, quam populus illi *ſæculare* Imperium poſt Heli fatalem diſceſſum demandaverat. Memorarem Saulem, etiamſi corona *Regia* inſignitum, a Domino rejectum, quia in Samuelis Sacerdotis *jura* per attentatum Sacrificium involare præſumpſerat: *h*) Allegarem Oziam Regem ex *pari* præſumptione lepra a Domino percuſſum. *i*) Ex quibus pateret, Sacerdotium tam *quoad munus ſacrum*, quam quoad ipſius muneris *directionem* Superioritati *ſæculari* minime ſubfuiſſe, ſed *normam* & *formam* ſui officii a Domino accepiſſe, quam tueri & protegere poteſtatis ſæcularis *obligatio* eſt ex ipſa *naturæ* lege deſcendens, quæ dictat *felicitatem* reipublicæ (*cujus* pars maxima in *cultu ſacrorum* poſita eſt) ſecundum omnem ſuum ambitum a ſæculari brachio *promovendam* & conſervandam eſſe. Quidquid inſuper de *Canticis* Davidis pro introductione Arcæ in Jeruſalem, pro Dedicatione templi ab ejus filio Salomone exſtructi *compoſitis*, aliisque circa has præciſe ſolennitates *de annutu & conſenſu* Sacerdotii factis ab eo *diſpoſitionibus* ex L. V. occini ſolet Catholicis, ut *Nænias* exploderem: Utramque poteſtatem denique in Machabæis *mero caſu & facto*, non vero *de jure* ſociatam, multo minus Eccleſiaſticam jurisdictionem a profana *depen-*

g) Loquimini ad univerſum cœtum filiorum Iſraël, & dicite eis: Decima die Menſis hujus tollat *unusquisque agnum per familias & domos ſuas*. Exodi 12. 3.

h) 1. Reg. 13.

i) 1. Paralip. 26.

dependiſſe oſtenderem, niſi ad tramitem, a quo adverſariorum, pro *Superioritatis Territorialis jure circa ſacra* dimicantium, interpolatio me abduxit, revertendum foret. *k*)

Sectio III.

Utrum Jurisdictionis Spiritualis & Temporalis Unio repugnet primævo *Epiſcopatus* Inſtituto?

§. I.

Opinio affirmativa Adverſariorum.

Sententiam in hac Quæſtione *affirmativam* ſequuntur ii, quos Adverſarios patior. Quam quidem ut eo fortius propugnent, ex ipſo Scripturæ S. armamentario *præſidia* petunt, queis ſuam opinionem communiant; utque triumphum captent eo, ut putant, infallibilius, *triplicem* argumentorum *aciem* contra ſententiam *negativam* producunt: *Primam* conflant ab *exemplo* Chriſti, *alteram* ex ejus data Apoſtolis *inſtructione* & *prohibitione; tertiam* denique *ex praxi & uſu* Epiſcoporum *primitivæ* Eccleſiæ. Ajunt enim *1mo*, Chriſtum, quoaduſque inter homines homo converſabatur, *nullum* poteſtatis temporalis *indicium* prodidiſſe. 2do illum ſuos Apoſtolos, primosque Epiſcopos *non* ad Gladii, ſed ad *Pedi paſtoralis* rectam tractationem *inſtituiſſe* & informaſſe; propterea omnem jurisdictionis ſæcularis uſum illis *interdixiſſe*. Inde 3tio factum eſſe, ut primitivæ Eccleſiæ præſules de jurisdictionis ſæcularis *exercitio* nequidem *cogitarint*. Quas phalanges ut ordinate & minori periculo aggrediar, *1mo* momenta Adverſariorum percipienda ſunt, *dein* diſcutienda, *denique* ut arietem ariete pellam, directa *antitheſi* ſubſtruenda. Ac *primum* quidem, ſcilicet quod Chriſtus *nullum* prodiderit temporalis poteſtatis *indicium*, ex *dictis* ejus & *factis* ſtabilire conantur.

Illorum argumenta generatim.

Illorum argumenta ſpeciatim *ex dictis* Chriſti deſumdat.

Ex dictis quidem, dum pronuntiabat: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* *l*) *2do. Non enim veni, ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum.* *m*) *3tio. Mulier* (in adulterio deprehenſa) *ubi ſunt, qui te accuſabant? Nemo te condemnavit?... Nec ego te condemnabo.* *n*) *4to. Date, quæ ſunt DEI, DEO; quæ*

k) Quæſtionis hujus: *Quouſque ſe exerat Auctoritas politica in punctto ſacrorum*, diſcuſſione jam plures orbem eruditum inter Catholicos illuſtrarunt: quos inter jure ſuo veniunt *Barthel*, Diſſert. de jure Reform. antiquo. *Hammer* Diſſert. de jure Princip. Cathol. circa ſacra.

l) Joann. 18. 36.

m) Joann. 12. 47.

n) Joann. 8. 10. & 11.

quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. o) *5to.* Alibi ſe *paſtorem bonum*, ſæpiſſime *Filium hominis* vocitat; neque alio nomine, niſi *Magiſtri* aut *Præceptoris* compellari a ſuis voluit, p) nunquam *Judicis* aut *Legislatoris:* Ex quibus liquido fluere autumant Adverſarii, Chriſtum poteſtatis *ſæcularis ipſam* adeo ſuſpicionem a ſe amovere intendiſſe.

Ad hæc *reſpondeo*, quam veriſſimum eſſe, Dominatum ſæcularem non ubique ſibi Chriſtum in *verbis apertioribus* tribuiſſe, licet illum multis in locis haud *obſcure* inſinuaverit. *Cauſa* hujus evidentiſſima eſt: *Finis* enim, cur deſcenderit DEI Filius in terram, humana carne cooperiendus, *proximus* & *præcipuus* ille erat, ut Mediatoris & Redemptoris munere fungeretur, Sponſorem ſe pro homine perdito ſiſteret, & quod adverſus nos erat Chirographum, cruci affigens, captivitatis noſtræ vincula deſtrueret; *qui finis*, utpote totus *ſupernaturalis*, & hominum felicitatem non temporalem, ſed *ſpiritualem* reſpiciens, exigebat utique, ut, quidquid Chriſtus in terris ſuſciperet, tanquam medium ad *hujus finis* aſſecutionem collimaret: cum autem poteſtatis *temporalis exercitium* non poterat a Chriſto ut medium ad finem hunc *ſupernaturalem*, ſcilicet ad reparationem humani generis, *proportionatum* aſſumi; hinc nec *neceſſitas*, nec *congruentia* ſuaſerant, imo potius diſſuaſerant in Monarchæ temporalis Majeſtate tremefacere hominem, cui veluti *Reo*, & Divinæ Juſtitiæ *debitori* Chriſtum per omnia *aſſimilari* oportuit, abſque peccato. Diluuntur

Ex quo quid citationes e *Scripturis* ſupra depromptæ *ſigillatim* innuant, facili negotio intelligitur: 1. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, eoquod vocationis & miſſionis meæ *ſcopus* non in eo verſetur, ut hujus ſæculi *poteſtates* ducam in triumpho, ſed ut poteſtatis ſæcularis *auxilio* Redemptionis humanæ *fines* exequar, *regnaturus* cum electis meis in Regno *ſpirituali* Patris mei. 2. *Non veni, ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum*, is finis immediatus & *proximus* eſt miſſionis meæ. Idipſum innuebat, dum Luc. 12. interpellatus, ut divideret hæreditatem inter duos fratres, reſpondit: *Quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos?* Bene namque *terrena* declinabat, ait S. Ambroſius L. 2. in Lucam, qui propter *Divina* deſcenderat. 3. *Neque ego te condemnabo*, quia nolim perdere te *in corpore*, ut ſalvem *in anima*; Neque accuſatoribus tuis accedo, quorum e re erat, *meam* potius tentare manſuetudinem, quam *tuum* vindicare delictum. 4. *Date, quæ ſunt DEI, DEO*; *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Officia hoc loco erga DEUM & Magiſtratum ſæcularem *diſtinguit*, cujus jura non infringere, ſed *confirmare* Chriſto erat animus. 5. Quod Chriſtus ſe *Paſtori bono* aſſimilarit, & titulo *Magiſtri, Præceptoris, Filii hominis* inſigniri voluerit,

o) Luc. 20. 25.

p) Joann. 11. Matth. 16. joann. 13. Luc. 5.

luerit, inde erat, ut *nomen* ab *omine* in ipſo non abluderet, nobisque inculcaret, ad quantam *profunditatem* Deitatis *Celſitudo* pro noſtri *elevatione* nihili ſe dimiſerit. Quid jam ex his omnibus contra *Jus Gladii* poteſtati ſpirituali hodie annexum *efficaciter* argui poteſt?

Antitheſis opponitur

Dixi ſupra ſignanter, Chriſtum *haud obſcure* ſuis in eloquiis inſinuaſſe, ſe etiam in ſæcularibus omni poteſtate abundare; Et recte quidem: Quid enim aliud præ ſe ferunt verba illa: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra!* q) *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo.* r) *Tu dicis, quia Rex ſum Ego?* s) Et quid multis? *Omnia per ipſum facta ſunt;* t) & *non eſt poteſtas, niſi a DEO,* u) qui ſceptra & coronas diſpenſat, ſupremus Dominantium Dominus, REX REGUM, *Per quem Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt:* w) Chriſtus autem DEUS erat; Igitur & *Rex Regum* &c. Sed quid prolixius in hujus evidentiæ meridiem excurro, ſanis oculis per ſe *conſpicuam?*

§. II.

Argumenta Adverſ. ex *factis* Chriſti.

Audiam potius, quantum *ex factis* Chriſti convellatur *Principum Eccleſiaſticorum ſæcularis Gladius?* Vim maximam ponunt Adverſarii *in illo Chriſti facto*, quo e multitudinis, eum *Regem* coronare volentis, manibus elapſus in montis ſupercilio ſe abſcondit; x) quo ſuo exemplo contendunt Dominum docuiſſe, quam nolit in ſuis Apoſtolis, eorumque ſequacibus *ſæcularis* dignitatis fulgere authoritatem. 2. Obſervant pariter, quod Chriſtus per Petrum ſolverit *didrachma*, y) & hoc ipſo *ſe ſubjecerit* Cæſari, & legibus politicis, eo, ut arguunt, fine, ut ſæcularibus Principibus *Eccleſiaſtici* ſe non *præferrent*, multo minus eorum *jura* ſibi arrogarent. 3. Porro *cum malediceretur Chriſtus, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem* judicanti *ſe injuſte:* z) Ergo (inferunt) facta Chriſti demonſtrant, poteſtatem *ſæcularem* Eccleſiaſticæ vel minime congruere.

Re-

q) Matth. 28. 18.
r) Matth. 11. 27.
s) Joann. 18. 37.
t) Joann. 1. 3.
u) Rom. 13. 1.
w) Prov. 8. 15.
x) Joann. 6.
y) Matth. 17.
z) 1. Petr. 2. 23.

Reſpondeo: Hæc facta plus evincunt nihil, quam *humilitatem & patientiam* Chriſti, cujus utique documenta *omnibus* Chriſtianis, præſertim autem perſonis *Eccleſiaſticis* conſignare voluit: Cum enim *ſuperbia* primum *humiliaverat* hominem in mortem, uſque adeo, ut *propria* virtute erigere ſeſe non valeret; debuit poſtea *humiliari* DEUS, ut ſua humiliatione dejectum hominem *erigeret* ad vitam, atque in noſtræ redemptionis ordine *contraria* hominis vitia *contrariis antidotis* dispelleret. Quem *finem* vix conſecutus fuiſſet *HOMO-DEUS*, ſi in Dominationis humanæ ventoſo *ſtrepitu*, in quo *carnea* Judæorum ſuperſtitio adhuc hodie Meſſiam *ſuum* præſtolatur, mundum olim luſtraſſet. Diluuntur.

1. Fugit itaque Chriſtus, & conſulto populi regiam illi coronam decernentis ſtudia declinavit, 1. ne per miraculum, quod antea in multiplicatione quinque panum ediderat, *humanæ* remunerationis, aut terrenæ gloriæ *aucupium* feciſſe videretur. 2. Ne per *populi* recente prodigio *æſtuantis* honores Regis dignitas illi *adventitia* fieret, quam illi ceu Regi Regum naturæ Divinitas *eſſentialem* dederat. 3. Ne ignominiam mortis ſuæ per *Tituli regii* ſuſceptionem ſibimet ipſi conflaſſe diceretur, ſed potius accuſationem illam, *quod ſe Regem feciſſet*, *anticipata* præcautione invicte diffiaret. 4. Ut *humilitatem* redemptionis humanæ ſcopo omnino *conſentaneam* ſuo ſtabiliret exemplo, & cœleſti hoc *antidoto* hominem contra ſuperbiæ ſtimulos præmuniret.

Quænam nunc ad præſentem Quæſtionem ex his *ſequela?* an *hæc* forte: Chriſtus ut Redemptor, omniumque virtutum Magiſter *ex humilitate* detrectavit honores *regios* ſibi a plebe delatos; ergo *peccavit* Clericalis ordo poteſtatis ſæcularis *oblatos* ſibi honores *acceptans?* quam violenta iſthæc *conſecutio?* Sic potius infer: *ergo* Clerici fugiant pariter *honores Regios*. Hos autem quis unquam in Clero affectavit? imo ne quidem *omnes* Epiſcopi Eccleſiæ ſunt R. Imperii *Principes*, niſi aliqui in *Germania*, & *hi* ex alieno munere, neutiquam vero ex *arrogatione*; qui propterea *contra* Chriſti *exemplum* & humilitatem non impingunt, cum quæ Chriſtus fecit, *non omnia* ſtrictæ *imitationis* ſint, ne dicam *obligationis*, alioquin ipſi adeo Principes *ſæculares*, quorum non minus, quam Clericorum *Magiſter* & *exemplum* Chriſtus extitit, coronas non *aureas*, ſed *ſpineas* portare deberent.

2. Æque parum ex eo, quod Chriſtus *didrachma* per Petrum Cæſari ſolverit, *jura* Principum Eccleſiaſticorum *ſæcularia* vacillant. Qualem enim *didrachma* & *gladius* inter ſe *proportionem* habent? nullam: ſic pariter vim nullam habet argumentum, quod ex hoc Chriſti facto contra Clericalem *gladium* formatur. Solutio didrachmatis nihil minus denotat, quam quod perſonæ Eccleſiaſticæ poteſtati ſæculari *ſubditæ* ſint, aut jurisdictionis temporalis *incapaces*; nam Chriſtus non *ſolvit* tributum ex *obligatione*, ſed *dedit gratuito*, & libere; Id quod *perſpicue* indicare voluit, dum, *antequam* didrachma dederat, ſciſcitabatur

batur ex Petro: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit ab alienis. Dixit illi JESUS: ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te.* a) Ostendit ergo Christus se non *ex debito*, sed *ultro* & spontanee *didrachma* solvere, ne fieret *scandalum* in populo, qui *nondum noverat* Christum esse Regem Regum, & consequenter *nullatenus* Imperatori *subditum*. Non igitur *odiosum* quidpiam, sed potius clero *favorabile* ex isthoc Christi facto prolicitur, cum scilicet ad *immunitatem* illam, qua Sacerdotes Veteris Legis gaudebant, Christus respexisse b) videatur. Quæ immunitas quousque hodie se extendat, inter Clerum & Principes nondum ex toto definita lis est; nec præsentis Dissertationis scopum ingreditur.

3. Denique Christum judicii sæcularis insectationibus voluntarie traditum, *non comminatum fuisse*, quid miri? Oportuit illum pati, atque ut *agnum coram tondente non obmutescere*, quia ita erat voluntas Patris ejus, cui *perfectissima* obedientia se subjecerat: Neque tempus passionis erat *tempus*, quo Christus *judicaret* suos aut *damnaret* Judices, sed quo *redimeret* mundum, *judicaturus aliquando* in fine sæculi tam judices suos, quam orbem universum, uti durante ipsa passione sua prædixerat: *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli.* c) Hæc ergo *causa* erat ejus silentii & mansuetudinis, non *gladius* Episcoporum.

Animadversio indicta.

Dissimulare hoc loco non possum illam, quæ sub nomine P. de Locborde in publicam lucem non ita pridem provolavit, lucubrationem, in qua author omnem Jurisdictionem *compulsivam* e foro Ecclesiastico proscribere tentat. Inter alia, ex illa Christi mansuetudine, vi cujus *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injuste*: tam rigidam Clericis erga Principes sæculares submissionem inculcat, ut sive juste, sive injuste ab his secum ageretur, ne minimum resisterent, sed sicut oves ad occisionem ductæ juxta *superius* Christi *exemplum* obmutescerent; cum tamen præfatus author inibi *factum* Pauli commemoret a tribunali Portii Festi ad Cæsaris tribunal d) *appellantis*, quæ appellatio *ea intentione* a Paulo utique tentata fuerat, ut Judicem Judæis magis, quam suæ innocentiæ *faventem declinaret*, & vitæ inducias sibi prorogaret. e) In quo quidem Compilatore, quisquis demum

a) Matth 17. v. 24. & seq.

b) Vide De Sianda litt. M. pag. 366.

c) Matth. 26. 64.

d) Actor. 25.

e) Locborde Dissert. de Principiis circa essentiam duarum potestatum Prop. 6.

mum ille ſit, cum bona illius venia hoc minus laudabile dixero, quod ex *Chriſti paſſione*, ejusque tum temporis *agendi modo* ea, quæ ad Eccleſiæ jurisdictionem externam, ejusque *Jura ſpiritualia* & *regimen* pertinent, inferre voluerit, cum tamen *iſta* tam parum inde deduci poſſint, aut labefactari, quam inepte quis prædicta ex *deſcenſu* Chriſti ad Inferos, aut *aſcenſione* ad Superos colligeret. Paſſio Chriſti ſicut eſt pro *omnibus* Chriſtianis oblata; ſic etiam eſt regula *non Clero duntaxat*, ſed Chriſtianis *omnibus*, *immenſa* myſteriorum abyſſus, quam enavigare nulla mens humana, imo nec Angelica poterit. Quiſquis ergo in Eccleſiæ poteſtatem *ſpiritualem*, vim legislativam, & *compulſivam*, Epiſcoporum munia & ſimilia indagat, ea conſulat *Scripturæ loca* neceſſe eſt, ubi Chriſtus ſuos vocavit Apoſtolos, illis *poteſtatem* docendi, ſolvendi & ligandi, paſcendi, regendi, corripiendi, ſacrificandi contulit, & ſuo in his functionibus *ipſe* exemplo præivit.

Abſit autem, ut ad aliena ſolummodo tela excipienda proſtare videar, ut non potius par pari referre, & *ex factis Chriſti*, in favorem Jurisdictionis *ſæcularis* Epiſcopatibus Germaniæ adhærentis, tela reciproca obvertere allaborem. Quid enim? Eſto, alibi coronam *Regiam recuſarit* Dominus, ſibi a populo imponendam: Tamen *Regios honores*, ſuæ humilitati ſuper aſellum triumphanti a populo undique circumfuſo adornatos adeo non reſpuit, ut potius & ſucceſſor Davidis, & *Rex Iſraël*, *f*) Jeroſolymam ingrediens, ſalutari voluerit. Atque ſub hoc ipſo triumphali apparatu *poteſtatis* ſuæ monumenta ſat perſpicua ſtatuit, dum pœnas *temporales* Jeroſolymitis *Regem ſuum* non agnoſcentibus horridiſſimas prædixerat, *g*) *factoque* alibi *flagello* Templi profanatores accerrime *infectatus*, eos ejecerit, eliminarit. *h*) Omitto, quod turbam ad ſe capiendum a Magiſtratibus Judaicis in hortum emiſſam uno verbo *proſtraverit*, *i*) ut agnoſcerent, in illius *poteſtate* eſſe, eos, qui ad perdendam illius vitam venerant, conterere, niſi eorundem malitia ceu *inſtrumento* uti dignaretur ad Paſſionem ſuam conſummandam. Sufficiat, quod in Cruce ſupra verticem ſuum *Regalis poteſtatis titulum* trifaria lingua ſcribi voluerit. *k*) Antitheſis oppo-nitur.

§. III.

Sed quid ſi Adverſarii me convincant, Epiſcopis & Sacerdotibus omnem gladii uſum a Chriſto *prohibitum* fuiſſe? Utique *illud* ſi effecerint, victas porri- Argumenta

f) Joann. 12. v. 13.

g) Luc. 19.

h) Joann. 2. Luc. 19.

i) Joann. 18. 6.

k) Joann. 19. 20.

Advers. ex *prohibitione* Chriſti.

gam manus, & captivus ornabo triumphum. Verum quibus mediis hoc præſtabunt? Allegabunt, ni fallor, illud Chriſti ad Petrum: 1. *Mitte gladium tuum in vaginam. l)* Sed non in hoc præciſe, verum energiam *maximam* putant in ſequentibus:

2. *Principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; ſed quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter Miniſter. m) De mundo non eſtis, & ego elegi vos de mundo. n) Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. o)*

3. Pariter in illo Petri, *Magiſtri ſui præcepto* inſiſtentis, monito: *Non dominantes in Cleris: p)* multo minus *in Imperio.*

4. Et in iſto Pauli hanc Epiſcopis *regulam* relinquentis: *Nemo militans DEO implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit. q) Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros* (non ut Principes) *& Diſpenſatores Myſteriorum DEI. r)*

Et Authoritate humana.

5. Quibus fundamentis Eccleſiam ſuos ſuperinſtruxiſſe *canones* contendunt, quibus diſtrictim inhibuit, *ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant. s)*

6. Atque nequid roboris ſuæ cauſæ decedat, Teſtem provocant Adverſarii *Bernardum*, qui Eugenium Pontificem alloquens, prohibitionem a Chriſto Clericis factam ſub his Terminis profitetur: *Ne dictam ſola humilitate putes, non etiam veritate vocem Domini: Reges Gentium &c. Planum eſt: Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo Tu, & Tibi uſurpare aude, aut Dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus Dominatum? plane ab alterutro prohiberis: Si utrumque ſimul habere voles, perdes utrumque. Forma Apoſtolica hæc eſt: Dominatio interdicitur, indicitur Miniſtratio. t)*

7. Proferunt pariter Oſium Cordubenſem Imperatori Conſtantio acclamantem: *Tibi DEUS imperium commiſit, nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit; Nam*

l) Joann. 18. 11.

m) Matth. 20. 25.

n) Joann. 15. 19.

o) Matth. 6. 24.

p) 1. Petri 5. 3.

q) 2. ad Tim. 2. 4.

r) 1. Cor. 4. 1.

s) L. 3. Decretal. tit. 50.

t) Bernard de Conſid. l. 2. C. 6.

Nam ſcriptum eſt: Quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt DEI, DEO. Neque igitur fas eſt, nobis in Terris imperium tenere, neque Tu ſacrorum poteſtatem habes Imperator. u)

8. Unde laudant *Sineſium* affirmantem: *Poteſtatem civilem cum Sacerdotio jungere, eſt ſociare velle inſociabilia.* w) Et

9. Dominum de Marca, qui tuetur, quod *verus Dominatus ſit penes Principes, non autem penes Sacerdotes.* x)

10. Et cum Chriſtus ſuos Apoſtolos noluerit *poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam;* y) multo minus, ajunt, voluit eos habere ſceptrum aut judicialem gladium, quo populos abſterrerent magis, quam ad fidem invitarent.

Videamus, utrum aggeres iſti inſuperabiles ſint, quos ita jactant Antagoniſtæ? 1. Juſſus eſt Petrus gladium *recondere*, at non *abjicere*: Qualis nunc inde ſequela? Ad ſummum *Iſta:* Ergo *eventualis* gladii uſus apud perſonas Eccleſiaſticas clementia & moderamine *temperetur.* Diluuntur.

2. Quod *Principibus Gentium* Dominatum indulgeat Dominus, non vero *ſuis Apoſtolis*, non ideo facit, quaſi in illis *omnem* improbare vellet præcellentiam, quam revera ipſis contulit, dum eos *ſuos amicos, mundi Doctores*, & *Paſtores* conſtituit; ſed ut *omnem* ambitionis & æmulationis *fomitem* in illis extingueret. Non prohibuit igitur, ne aliis præſint, aut *præfici* patiantur, ſed ne eodem *deſpotiſmo*, quo Reges gentiles ambitionis ſpiritu tumidi ſuos ſubditos coarctant, ſe invicem, aut ſibi ſubjiciendos attererent, & ut in ſuo dominatu per internum humilitatis affectum, animique comparationem *infra alios* ſe demitterent.

Cæterum *de mundo non amplius erant Apoſtoli* poſt vocationem ſuam, quia a Chriſto per gratioſiſſimam ſegregationem a communi hominum maſſa extracti, ad officia *non mundana* amplius, ſed *ſpiritualia* ac cœleſtia, atque ad *fines ſupernaturales* viva veluti inſtrumenta aptabantur. Et ſi originem & authorem ſpectes, etiam poteſtatis ſæcularis amplitudo *non de mundo, ſed de DEO* eſt, quamvis ſit *ad mundum*, ſive ad bonum mundi temporale; ſicut etiam *ad mundum*, ejusque bonum ſpirituale poteſtas Eccleſiaſtica porrigitur.

Porro qui Pedum portant & Gladium non ſerviunt *duobus* Dominis, ſed *uni*, ſcilicet DEO, cujus placita (*licet in diverſa* linea) exequuntur. Et ſi homo

u) Apud Athanaſ. in Ep. ad ſolit. vitam agentes.

w) Apud Locborde propoſ. 10.

x) De Marca de Concord. Sacerdot. & Imp. L. II. C. XVI. §. VI.

y) Matth. 10. 10.

mo idem unusque *multis modis* ſervire queat *uni* Domino; Quare Princeps Eccleſiaſticus per Pedum & Gladium ſervire non poſſit *uni DEO*, cui ſubſternitur omnis poteſtas & Principatus ſive qui in cœlis eſt, ſive qui in terris.

3. Neque Petrus Apoſtolorum Princeps *Dominatum ſimpliciter talem in Cleris* improbat, ſed illum tantum, qui jactantiam præcellentiæ, vanam complacentiam, aut inanis gloriæ tumorem pro ſuo colit principio. Monet enim ipſe, ut *Seniores fidelium paſcant gregem DEI*, *z*) adeoque ex jure *præpoſituræ* & poteſtate jurisdictionis procedant, quam quilibet Paſtor *in* & *ſupra* oves habet: Modo non paſcant *turpis lucri gratia*, neque *ut dominantes in Cleris* dominatu, ut dictum eſt, jactabundo, ambitioſo; ſed *ut forma* facti *gregis ex animo*, ac per paternam & diſcretam gubernationem Eccleſiam DEI ædificantes.

4. Animadverſio Pauli non eos præciſe ſpectat, *qui in ſortem Domini vocati ſunt*, ſed ad *quemcunque* etiam *Laicum* pertinet, cum indefinite & generatim hortetur: *Nemo militans DEO implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Dicamne propterea etiam Laicis ſæcularium negotiorum moderatam ſolicitudinem prohibitam eſſe? Minime. Ipſi ſane Apoſtoli & primi Eccleſiæ Parentes, utut ſacris negotiis diſtenti & occupati eſſent, non tamen poterant, quominus *negotiis ſæcularibus* ſe ſe frequentius commodarent. Paulus *arti Scenofactoriæ* operam dedit, laborando manibus ſuis etiam in medio prædicationis Evangelicæ fervore. *a*) Similiter Petrus jam tum Epiſcopus ordinatus reparabat retia ſua, & captura piſcium exercebatur; *b*) poſtea commune fidelium ærarium adminiſtrans: *c*) Siquis ergo ab omni ſæculari cura abſolutos eſſe Clericos poſtularet; Is plus peteret, quam ipſe Paulus præceperat, cum ille diligentiam Eccleſiæ DEI ita habendam docuit, ut *domui ſuæ* præeſſe vel *ipſi Epiſcopi* non negligant. *d*) Mens itaque Pauli eo reſpicit, nequis negotiorum ſæcularium turbine ſe adeo involvi & *implicari* patiatur, ut quas *primas* DEO & vocationis ſuæ *curas* debet, per immoderatum ſæculi affectum & rerum temporalium *exceſſivam* conſectationem nimium diſtractus, vel in poſtremis habeat, vel ſuo in animo penitus extinguat. Quam Pauli intentionem Principes Eccleſiaſticos bene multos cum immortali nominis & ſanctitatis etiam laude aſſecutos fuiſſe, annalibus conſignatum legimus; quorum veſtigia etiam hodiedum ſacri Præſules exactiſſime prementes tam diſcrete Pedi & Gladii munia diſpeſcunt, ut absque ſui *diſpendio* & in Eccleſia *luceant*, & *ardeant* in Curia. Manent proinde Principes Eccleſiaſtici Gladium portan-

tes

z) 1. Petri 5. 2.

a) Actor. 18.

b) Joann. 21.

c) Actor. 4. v. 32. & ſeqq.

d) 1. Timoth. 3. 5.

tes *Miniſtri & Diſpenſatores Myſteriorum DEI*, eoquod una poteſtas alteram ex ſupra dictis *e*) non elidat, nec abſorbeat: Quin imo cum *a potiori* deſumatur denominatio; poteſtas autem ſacra poteſtate profana ordine & fine *potior* ſit, adeoque etiam natura; a *potiori* Princeps Eccleſiaſticus Miniſter & Diſpenſator Myſteriorum DEI & dicendus eſt, & reverendus.

5. *Sanctiones* vero Eccleſiaſticæ quando vetant, ne *Clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant*, ad eundem fere ſcopum collimant, quo ſupra Apoſtoli verba: Volunt ſcilicet, ne Perſonæ Eccleſiaſticæ *talibus* ſe ingerant negotiis, quæ authoritatem & ſanctitatem Cleri *dehoneſtant*, & propter *intrinſecam* ſuam indecentiam & deformitatem in populo *ſcandalum* aut *vilipenſionem* Sacerdotii ſuſcitare poſſent. Certe etiam in L. V. Sacerdotes Divino ſervitio ſpeciatim erant ſanctificati & deputati; Nihilominus ſæcularia munia ſepoſito tantiſper thuribulo impune adminiſtrabant: Eſto enim, quod ſæcularia officia ſint *præter* Profeſſionem Eccleſiaſticam; non tamen ſunt *contra* illam, neque omnia tam *hæteroclita*, ut cohærere cum officiis Eccleſiaſticis nequeant.

6. Commentatio *Bernardi* ſuper illa Chriſti verba: *Reges Gentium dominantur &c.* genuina eſt. *Planum eſt enim*, formæque Apoſtolicæ conſonum: *Dominatio interdicitur* pro foro Eccleſiæ; Illa nempe, de qua *antecedenter* Chriſtus ſermocinabatur; ſcilicet Dominatio *aſpera*, rugoſa, faſtuoſa, *gentilibus* familiaris, quæ utique cum munere Apoſtolico *intra ſphæram Eccleſiæ* incompatibilis eſt. *Indicitur* autem *miniſtratio*, id eſt Dominatio Paterna, manſueta, diſcreta, compaſſiva, humilitatem ſpirans, quæ potius *miniſtrationis*, quam Dominationis ſpeciem præ ſe ferat: Qualem Chriſtus quondam, licet verus *Dominus* & *Magiſter* omnium, in terris ipſe exercuit. Aut, ſi mavis, puta Bernardum dicere, quod Prælatis Eccleſiæ in ſuo foro & *vi ſui inſtituti* jurisdictio *temporalis* coactiva non competat, & tunc jungo dexteram.

7. Oſius M. *vera* pronuntiavit. Indigitat enim Sacerdotii & Imperii *divortium*, & diſtinctæ jurisdictionis *diſtinctos* effert limites, quos ultra neutra ſe extendat. Nefas proinde committerent utique Epiſcopi, ſi in terris ſæculare affectarent, aut tenerent Imperium, *quaſi jure vocationis & inſtitutionis Epiſcopalis ſibi debitum*; cum Chriſtus Sacerdotio nullam poteſtatem ſæcularem *annexuit*, quanquam illam *nec* a Sacerdotio *excluſerit*.

Sed *ajunt*: Si ergo poteſtas ſæcularis nulla ſpeciali inhibitione Clericis a Chriſto intercluſa ſit; ergo etiam *ſupremam* in Imperio aut Regno poteſtatem perſona Eccleſiaſtica ſuſtentare poſſet? Reſpondeo: Cum perſonæ Eccleſiaſticæ, ſiqua habeant ſæcularia jura, ea non in fundo *ſuo* nata, ſed ex *Laicorum* largi-

e) Sectione II. §. 2. & ſeq.

largitate in ſe profecta cognoſcant; *Regia* inſuper poteſtas & *Imperatoria* vel jure electionis vel jure ſanguinis acquiratur; metuendum non eſt, imo ſatis cautum & proviſum, ut ne in perſonam Eccleſiaſticam dignitates ſæculares *abſoluta ſupremæ* devolvantur. Neque fuit aliquando quisquam Prælatus Eccleſiæ, cui hujusmodi dignitates uſpiam orexin moverint.

8. *Sineſius* videtur velle innuere, poteſtatem *temporalem* non eſſe in Sacerdotio ceu *nativo fonte ſuo* concluſam, neque illi ex *natura* aut neceſſario domeſticam, ſed, ſiquam habet, illam *mere adventitiam* eſſe, & ab *extrinſeco* adjectam, quod ultro largior.

9. D. de Marca explicat ſuam mentem in præfatione II. operis ſui de Concord. Sacerdot & Imper. §. VI. ſub his terminis: „ Obſervant (*Cenſores „Theologici*) durius videri, quod Lib. II. C. 16. §. VI. *verum Dominatum eſſe „penes Reges, non autem penes Sacerdotes*, ſcripſi; & §. VII. *in Legibus Eccleſiaſticis locum non habere ſummum Imperium &c.* Itaque ne quis me in crimen vocet, „ac ſi *authoritatem omnem Eccleſiaſticis decretis* abrogare vellem, expendenda „ſunt, quæ illo loco tradidi.... (Quæ autem ibi tradiderit, dein ita recenſet:) „*Jus privatum* penes Reges eſſe dixi, quo privatorum commodis conſulunt, „Legibus populorum tacito ſuffragio firmatis &c. *Jus quoque publicum*, quod „in negotiis publicis verſatur, ita Regibus commiſſum ſcripſi, ut conſtitutiones „& mandata, quæ *hanc partem Imperii* attingunt, ab eorum nutu pendeant, „nec indigeant ullo civium conſenſu... *In hac Imperii parte verum & merum Dominatum* conſtituo, qui longe abeſt ab Eccleſiæ Auctoritate, quæ ita ſaluti „*ſingulorum* eſt addicta, ut *neminem* perdere poſſit, ad ſalvandos *cæteros*. Quare *hoc ſenſu* verum Dominatum Regibus, non autem Sacerdotibus vindicavi.... „Quod tamen non impedit, quin *ſumma Auctoritas* & *Imperium* in Eccleſia conſtituatur;... Sed *ſummum Imperium*, *quod deſpoticum* vocant, ab Eccleſia amovetur. Nulla ergo in parte poteſtati Eccleſiæ derogo, ſed Principibus *ſaltem „noſtris* merum jus imperandi aſſero, adeo, ut duris quoque & acerbis Principum *Dyſcolorum* mandatis, ſiquæ forte temporum neceſſitas extorſerit, cedendum ſit; quod tamen obſequii genus adeo diſtricte a Chriſtianis Eccleſiæ benignitas non exigit.„

Removet ergo D. de Marca libertatis Gallicanæ vindex, *non omnem*, ac *verum Dominatum* ab Eccleſia, ſed tantum Dominatum *Deſpoticum*, quem Titulo *ſummi Imperii* cohoneſtat: In quo eidem omnes Catholici facile ſuffragabuntur. Proinde injuriam faciunt Petro de Marca, quicunque cum P. Locborde verbis & mente citati P. de Marca eo fine abutuntur, ut veram ac propriam Eccleſiæ jurisdictionem ſpiritualem ſubvertant. Nec contra *jus gladii* Epiſcoporum *Germaniæ* quidquam e Petro de Marca conficitur, utpote qui *de juribus Galliæ* potiſſimum differit.

10. Juſ

10. Juſſit autem Dominus ſuos Diſcipulos ad evangelizandum miſſos omni *externo cultu & nitore* nudatos incedere eo fine, ut, dum illi ceu primi Eccleſiæ Patres & Doctores mundi pompam & Mammonæ regnum *diſſipare* deſtinabantur, ſub ipſo *paupertatis præſidio* victoriam eo magis ſtupendam reportarent. Sicut autem ex hac Apoſtolorum primæva inſtitutione nemo, niſi jocari vellet, Epiſcopis *regulam* datam fuiſſe aſtruet, ut & hodie ſine pecunia, ſine calceamentis, & *unica* tantum *tunica* contenti, mendicabulorum adinſtar inter oves ſuas circumcurſent; ſic nec ex *hoc* Scripturæ loco *jus gladii* Epiſcopis hinc inde conceſſum impugnari, nedum *debellari* poterit. Alio enim veſtimento utuntur *parvuli*, alio *viri* grandævi; ſic & alia utique Apoſtolis in *primis* illis Eccleſiæ *naſcentis* temporibus ratio tenenda erat, quæ in *hodierna* Eccleſiæ *ſenectute* vigere neutiquam poſſet, de quo pluribus infra.

Perruptis nunc *Adverſantium* cuneis, *amica* nobis otia quæramus. Sed ubi? In illis veſtigiis, queis primævas Apoſtolorum ſemitas jurisdictio *ſecularis* conſignavit. Quo enim *dicta* ſunt iſta: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum... ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos teſtes... quodſi non audierit eos, dic Eccleſiæ?* f) Quare *Eccleſiæ*, ſi nullo modo pertineat ad eam de *ſæcularibus*? Quare redarguit Paulus eos Corinthios, qui ad tribunalia *gentilium*, non vero ad *Eccleſiæ* diſcuſſionem ſua negotia deferunt? *Audet aliquis veſtrum* (Apoſtoli querimonia eſt) *habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* g) Et paulo poſt ſubjungit: *Sæcularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt* in Eccleſia, *illos conſtituite ad judicandum. Ad verecundiam veſtram dico; Sic non eſt inter vos Sapiens quisquam, qui poſſit judicare fratrem ſuum?* Nonne exin elucet, in primitiva Eccleſia, *extranea* Judicum gentilium *auctoritate repudiata*, quoddam lites ſæculares ſopiendi medium in forma *arbitrii* ſaltem adhibitum fuiſſe? Cujus uſus ab initio Eccleſiæ ita invaluit, ut omnes fere Epiſcopi quascunque cauſas ſæculares fidelium deciderent. Nemo enim vel leviter Eccleſiaſticis tinctus hiſtoriis negaverit, ſanctiores Epiſcopos Judicis munere ſimul & ſemel perfunctos fuiſſe, ſicut conſtat de *S. Gregorio Thaumaturgo*, Teſte Niſſeno in ejus vita. De *S. Ambroſio*, ut colligitur ex libro officiorum C. 29. De S. *Auguſtino*, ut patet de opere Monachorum C. 26. aliisque pluribus Epiſcopis.

Antitheſi opponitur.

D. Joannes Sianda ſæcularium cauſarum judicium viris Eccleſiaſticis commiſſum fuiſſe colligit ex S. Clemente L. 2. Conſtitut. C. 29. 50. Item ex Epiſtola 1. ad Jacobum fratrem Domini, ubi legitur: *Siqui fratres habent negotia inter ſe, apud cognitores ſæculi ne judicentur, ſed apud Presbyteros Eccleſiæ, quidquid eſt, illud dirimatur, & omni modo obediant ſtatutis eorum:* Sed cum fontes illi

f) Matth. 18. 15. 16. & ſeqq.

g) 1. Corinth. 6. 1. & ſeqq.

illi (Hieronymo aliisque) non adeo limpidæ fidei ſint; nullum ex iis pro mea parte ſubſidium peto, niſi in quantum de primitivæ Eccleſiæ *uſu* quædam propinant effluvia, etiam aliunde certa: quibus favet ipſa Lex Cæſarea, quæ extat Cauſa XI. Quæſt. 1. Can. *Quicunque litem habens, ſive petitor fuerit, vel initio litis, vel diverſis temporum curriculis, ſive cum negotium peroratur, ſive cum jam cœperit promi ſententia; ſi judicium elegerit Sacroſanctæ Sedis Antiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione, etiam ſi alia pars refragetur, ad Epiſcoporum Judicium cum ſermone litigantium dirigatur.*

Exceptiones contrariæ. Audio, quid *excipiant* Adverſarii: 1. Primos Eccleſiæ Præſules Imperatoribus gentilibus per plusquam tria accerrimæ perſecutionis ſæcula *rationem* reddere nunquam dubitaſſe de ſua *doctrina*, *uſu*, *moribus*, adeoque ſe poteſtati ſæculari ſubjectos agnoviſſe. 2. Quod autem dein primi Imperatores Chriſtiani conceſſerint Epiſcopis facultatem etiam in negotiis *ſæcularibus* judicandi, *devotulæ* illorum Imperatorum *conniventiæ* adſcribendum eſſe, & minime in conſequentiam trahendum.

Removentur. Verum *reſpondeo* ad 1. Primi Pontifices reddiderunt rationem *religionis*, ut 1. hanc hoc modo coram Principibus ſæculi divulgarent, 2. ut *patefacerent*, religionem *in ſe* ac in *totali* ſua exiſtentia nihil habere, quo *ſocietatis* humanæ & reipublicæ ordo ullo modo diſturbari poſſet. 3. Denique ut *teſtimonium* redderent JESU Chriſto coram infidelibus *conforme* ipſius præſcripto: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. h)* Ex quibus vix probabitur primitivæ Eccleſiæ Clerum poteſtati ſæculari gentilium *proprie* ſubjectum fuiſſe. *Reſpondeo* ad 2. Ex quocunque demum *motivo* aut ſtimulo (quem inveſtigavi ſupra Sect. I.) primi Chriſtiani Imperatores intromiſerint Epiſcopos in judicium cauſarum *ſæcularium*; manet tamen ex momentis recenter adductis certiſſimum, Eccleſiaſticos Præſules hac Imperatorum conceſſione *licite uti* potuiſſe.

§. IV.

Argumenta Advers. ex *praxi & uſu* primitivæ Eccleſiæ petita. Nondum cedunt Adverſarii. Regerunt enim: In tribus Eccleſiæ primitivæ ſæculis (in quibus *abſolute* Eccleſiæ primordia concludi putant) nullum habetur *veri* Juris ſæcularis penes Eccleſiaſticos veſtigium: Illa enim, quæ ex Pauli proxime citati ordinatione *apud Corinthios* inter primos Chriſtianos acta ſunt judicia, non erant *publica*, nec fundata in authoritate *ſuperioritatis ſæcularis*, quæ tum nulla erat apud fideles, ſed erant judicia *privata* duntaxat, qualia exercentur a *Patribus* in litibus *Domeſticis* filiorum, aut ex *compromiſſo* forſan inter fratres & propinguos. Accedit, quod illa judicia non ab *Apoſtolis* & Presbyteris, ſed a *contemptibilibus in Eccleſia*, ſive a perſonis infimæ conditionis peracta

h) Matth. 10. 32.

ſta ſint, idque ſuadente ſic *neceſſitate & prudenti œconomia* Eccleſiæ, ne primi fideles cum judicibus gentilibus ſæcularia negotia communicarent, & defectionis periculo exponerentur.

Pariter ſe res habebat cum judiciis *Epiſcoporum*, qui primis Eccleſiæ temporibus *viciniores* erant: Nam & hi ut *Patres* fidelium cauſas dijudicabant, non vero ut *auctoritativi judices*, uſque dum poſtea Cæſarum indulgentia authoritatem *quandam* in ſæcularibus obtinebant, quæ tamen nequaquam in integra territoria & provincias, multo minus *in vitam & ſanguinem*, ut hodie, ſe extendebat, minorique faſtu exercebatur. Sed quantum, inquiunt, hodierna Epiſcoporum *praxis* a primævæ Eccleſiæ *facie* ac conſuetudine receſſit?

Non *verberant* iſta, nedum *vulnerant* hodiernam Epiſcoporum conditionem. Compertum quidem eſt, & ab omnibus Catholicis jam pridem conceſſum, Sacerdotium in illa Eccleſiæ vagientis lanugine ſæculari jurisdictione ſecundum *eam formam & latitudinem*, qua hodie pollet, nondum inclaruiſſe. Unde enim illam tunc acciperet? a poteſtate *Laicali?* Sed iſta tunc vel judaizabat, vel ſuperſtitioni ſerviens Chriſtianam abhorrebat novitatem. An a CHRISTO? Sed ille manu, *non ferro armata, ſed ferro transfixa*, advertente Auguſtino, voluit mundum ſubigere, ne Eccleſiæ primordia vi & *metu horreſcerent*, ſed lenitate & amore *dedicarentur*, & ſic non *humanæ* potentiæ, ſed *Divinæ* virtuti Chriſtianiſmi *prodigioſa* nativitas & propagatio adſcribenda foret. Propterea ſicut ipſe religionis Chriſtianæ Author & Inſtitutor Chriſtus Eccleſiæ cunas ſuo conſperſit Sanguine, ut hoc delibuta balneo primigenium vigorem contraheret: Ita quos primos operis a ſe cœpti *vicarios* inſtituit & propagatores, voluit tanquam *oves occiſionis* a Gentilibus & Judæis reputari, quarum e ſanguine, ceu fœcundiſſimo *ſemine* novi Chriſtiani numeroſius pullularent. Diluuntur.

Exinde autem, quod prima Eccleſiæ ſæcula ſæcularis dominatus *hodiernum ambitum* ignorarint, non ſequitur, quod & *hodie* illum Eccleſiaſtici *omnes* ignorare debeant. Non enim noſtra ætas primis Eccleſiæ temporibus quoad *omnia* commenſuranda eſt; alioquin *infantiæ* ſenectutem, *diluculo* veſperam, *bello* pacem haud inepte æquiparares. Oportuit inter opprobria, ærumnas & clades primævam *adoleſcere* Eccleſiam, ut aliquando glorioſo *confecta ſenio* per totum Orbem auguſtius coruſcaret Nempe mutatis temporibus mutata eſt externa Eccleſiæ facies, & ſicut pro diverſitate temporum, locorum, & circumſtantiarum *diſciplina* Eccleſiæ viciſſitudinem experta eſt, ſalva ſemper dogmatum & religionis *ſubſtantia*; ſic & Eccleſia, diſpenſante ſic Numine, e parvis ſuis, moleſtisque initiis in magna ſurrexit incrementa, quibus ſæcularium Principum liberalitas de ſuis cimeliis *gladium* adjicere non dubitavit, ut, quæ *ſub gladio* olim in ſuis exordiis gemuit, nunc *in gladio* ſplendeſceret, & honor Matris in gloriam cederet filiorum.

Diſcrimen igitur inter Eccleſiam *plantandam* & *plantatam* ſolvit ſcrupulum, quem Adverſariis hodierna Epiſcoporum ſæcularis *amplitudo* ingerit. Profecto alia etiam erat Imperii Romani conditio in *ſua origine* ſub primis Romæ Imperatoribus, quam in noſtra *hac ætate*, multisque viciſſitudinibus agitata nunc hanc, nunc aliam formam induit; Neque nobiliores etiam Imperii ſtatus & Vaſalli ea, qua hodie, *authoritate* valebant? Mores ſcilicet & tempora variant, & altius poſt auroram progreditur Phœbus: Sic etiam *de Eccleſia* ſentiendum, cujus DEUS luctuoſa exordia ſereniore clauſula compenſavit.

Conceſſo itaque, quod Eccleſia *primæva* jurisdictionis ſæcularis exercitium in hodierna *forma* nondum habuerit; admiſſo inſuper, Apoſtolos quippe negotiis ſacratioribus diſtentos non per ſe, uti tamen potuiſſent, ſed per Laicos ſæculares cauſas compoſuiſſe: Eccleſiam tamen amplioris poteſtatis ſæcularis *capacitatem* habuiſſe ea probant, quæ præcedente §. de SS. Gregorio thavm., Ambroſio, Auguſtino, &c. dicta ſunt, & *ſequentia* Apoſtolorum *facta* perſuadebunt.

Antitheſis opponitur.

Ananias namque & Saphira ejus uxor cum mentirentur *Spiritui S.* circa venditionem agri ſui, morte ſubitanea a Petro Apoſtolorum *Principe mulctati* ſunt: Quæ ſubitanea utriusque conjugis extinctio utique pœna temporalis erat, & *vindicativæ* poteſtatis effectus. *i*) Elymas Magus cum prædicationi Pauli reſiſteret, oculorum lumine a Paulo privatus in tenebris ceſpitabat, ut nec ſuas amplius præſtigias videret, nec illos, quos ſuis maleficiis ſubverteret: *k*) Certe & hoc *temporale* erat malefactoris ſupplicium? De Simone Mago, quem Petrus orando ex aëre detractum terræ alliſit, adeo, ut fractis cruribus illius perverſitas frangeretur, & comparata apud ſuperſtitioſos Romanos prodigiorum fama claudicaret; *l*) Nonne idem eſt formandum judicium?

Fateor equidem, quod Petrus non *judicialiter* condemnaverit Ananiam & Saphiram: Item, quod Simonem Magum ex aëre non *ſua*, ſed DEI virtute deturbarit: ſimiliter Paulum, dum Elymam excæcavit, *extraordinaria*, & miraculoſa poteſtate proceſſiſſe non ignoro, proinde ex factis hujusmodi jurisdictionem ſæcularem *ordinariam* Apoſtolis minime vindicari, quam illis aſſerere etiam non intendo: in eo tamen non hallucinabor, ſi ſtatuero, quod ſicut DEUS Apoſtolis veluti *cauſis inſtrumentalibus* uſus eſt in ordine ad pœnas etiam *temporales* infligendas absque Apoſtolici characteris & Inſtituti diſpendio; ita etiam *hodie* Imperium in Epiſcopos poteſtatem *transferre* potuiſſe, vi cujus reipublicæ turbatores *criminalibus* etiam ſuppliciis afficiant; in quo Jurisdictionis

i) Actor. 5. 1. & ſeqq.

k) Actor. 13. 8. & ſeqq.

l) Ex Hiſtor. Eccleſ.

nis ſæcularis acceptandæ & exercendæ *capacitas* unice *vindicanda* demonſtratur.

§. V.

Neque erit quisquam, qui Jurisdictionem ſpiritualem & temporalem in eadem perſona Eccleſiaſtica conjunctam periculo obnoxiam autumet, ne hæc aut iſta langueſcat, & quod quælibet ſibi *ſuum* poſtulat, ita alterutri ſubtrahatur, ut *finis* utrique poteſtati proprius ſi non omnino hebeſcat, ſaltem multa ex parte mutiletur. Si enim in principiis *Adverſariorum* Jurisdictio temporalis & ſacra tam *indivulſe* ſibi cohæreant, ut nihilominus utraque ſuum *pro ſuo foro* conſequi pleniſſimum finem poſſit; non video ſane, quid obſter, quominus id ipſum, dum in eodem Principe Catholico utraque poteſtas concurrit, quam exactiſſime perficiatur? Cur enim unus idemque Princeps utriusque poteſtatis exercere jura, & eorundem proſequi *finem* nequeat? Sane, quam combinabilis eſt *cura animæ* cum ſolicitudine diſcreta *Corporis*; quam indiviſa itidem eidem homini *privato* incumbit obligatio *dandi DEO*, quæ DEI ſunt & *Cæſari*, quæ ſunt Cæſaris, ut ex *illius* glorificatione ſalutem animæ, ex *hujus* autem recognitione ſecuritatem corporalem demereatur; tam poſſibile eſt, ut idem Princeps Eccleſiaſticus & de ſalute animarum per curam *ſacrorum*, & de ſalute corporum civili ac temporali per gubernationem *politicam* eidem hominum ſocietati proſpiciat, adeoque *finem* utriusque poteſtatis in ſalute ſpirituali ac temporali reipublicæ conſtitutum rite conſequatur. Certe in lege *naturæ*, ubi penes patresfamilias utraque poteſtas ſtetit, etiam utraque ſuum *finem* ſine colliſione obtinuit? Obtinuit eundem pariter in Lege ſcripta: Quis enim auſit eam culpare ætatem, qua Sacerdotes *imperabant* populo, & imperantes *ſacrificabant* Domino? aut quid reipublicæ ſpiritualis vel temporalis emolumenti tum deceſſit? *m*) Sic nec hodie, dum *idem* Catholicus Princeps, ſupremus & in ſacris & in politicis Navarchus, eandem reipublicæ navim moderatur, *tranquillitas publica*, aut *ſpiritualis* animarum *profectus* tam infauſto ſydere lacerisve velis provehuntur, ut contra ea, quæ Eccleſiæ debentur aut Imperio, periculoſius impingant; Id quod Pontificum & Imperatorum cum Principibus Eccleſiaſticis obfirmata *amicitia* & *harmonia* teſtantur.

Unio Jurisdictionum non derogat illarum *fini*.

§. VI.

At modus, quo jus gladii hodie exercent Eccleſiaſtici Principes, omnino non offenſivus illorum *offendit* aciem, qui, quidquid in perſonis Eccleſiaſticis fulget, aſpernantur. Olim, inquiunt, dum Epiſcopi Charactere Principum inſigniri cœperant, jus gladii, maxime ſecundum *eam* reſtrictionem, qua importat poteſtatem delinquentes in republica *criminaliter* puniendi, & mutilatione

Nec eſt inconvenientia in *modo*.

m) Vide ſupra Sect. II. §. 3.

tione aut morte mulctandi, exercebatur per *Advocatos Imperii*, *n*) quia Imperatores & Epiſcopi illius ævi probe perſpexerant *indignitatem* illam, & inconvenientiam, qua Prælati Eccleſiæ vapularent, ſi, quos Dominus paſtorès poſuit in populo ad oves non perimendas, ſed *conſolidandas*, has vindice gladio *mactarent*, & manus easdem, queis quotidie innocuum Agni immaculati cruorem *pro* Religionis ſuæ *ritu* ſuper aras effundunt, humano ſanguine polluerent. Quæ rei ponderatio etiam induxit Eccleſiam, ad *Canones* & publicas ſanctiones conſtituendas, quarum virtute quiscunque humanum ſanguinem *modo* etiam *juſto* (extra caſum neceſſariæ defenſionis) vel per mutilationem vel per occiſionem fuderit, omnis Eccleſiaſtici ordinis *ſuſcipiendi* inhabilitate innodetur, aut ab ordinis jam ſuſcepti *exercitio* ſuſpendatur. *o*) His autem legum funiculis mirum, quod Clericos *inferiores* arctiſſime ligatos eſſe ſemper cupiverint omnes etiam Germaniæ Epiſcopi, *ſe* autem iisdem contravenire, minime religioni duxerint, dum Advocatis Imperii a latere ſuo ſenſim depulſis, *ipſimet* gladium arripuerint, quo propria authoritate malefactores plecterent, & ſuo, non vero eorum, quos illis Imperium *Advocatos* adjunxerat, judicio pœnas etiam *capitales* delinquentibus decernerent. Atque *in hoc* maculam *advertunt Epiſcopali* dignitati aſperſam ii, qui foris ſtantes rigidiſſima *Optica* Epiſcopos & Principes Eccleſiaſticos obſervant.

Sed macula iſta eſt tantum *apparens*, non vero Eccleſiaſticis Germaniæ Luminaribus per *realitatem* intrinſeca: Nebula eſt ab externa Criticorum atmoſphæra aſcendens, & ſydera Eccleſiæ *obſidens*, non *infidens*. Nam quod per *Advocatos Imperii* primitus Gladii Jura exerta ſint, inde erat, tum quia Epiſcopi Jus Gladii non affectabant, atque illud characteri ſuo, & foro Eccleſiaſtico *per ſe* extraneum noverant; tum quia Imperatores *gradatim* in ſuis donationibus erga Prælatos Eccleſiæ proceſſerant, eorum merita *ſucceſſiva* munerum ampliatione cumulantes: Atque hoc ipſo oſtendebant, ſe non *neceſſitate* compulſos, ſed liberalitate ſtimulatos perſonis Eccleſiaſticis Regalia Imperii, & Jurium Sæcularium charismata deferre, per quæ viciſſim gratitudo Eccleſiaſticorum in Imperium *pedetentim* accreſceret, & amica inter Sacerdotium & Imperium concordia eo firmius roboraretur. Per hoc autem, quod dein ex conceſſione Imperii *propria* authoritate jus gladii exercere aggreſſi ſint Epiſcopi, *ſanctiones* Eccleſiaſticas adeo non violarunt, ut potius hoc ipſum Gladii exercitium cum accuratiſſima Canonum *obſervantia* conciliare nunquam non allaboraverint. Quod enim per *Advocatos* Imperii quondam Epiſcopi confecerant circa reos mutilatio-

n) Maſcov. De principiis Juris publ. I. 4. C. 4. §. 9. Pfeffinger in Vitriar. L. L. Tit. 15. §. VIII.

o) Can. 1. Diſt. 51. Capit. 24. de homicidio. Idem C. 3. de homicid. in 6.

tionis aut mortis ſupplicium, illud ipſum hodie moliuntur per *ſecularia Dicaſteria*, quibus cauſarum criminalium omnis discuſſio & deciſio judicialis ita commiſſa eſt, ut Epiſcopi *per ſe immediate* & *proxime* in humani effuſionem ſanguinis non influant, ſed quod ſubordinati Judices in cauſa ſanguinis legibus publicis conforme, adeoque *juſtum* eſſe cognoverint, *illi permiſſivo* tantum annutu ratum habeant, & vindicativam juſtitiæ Nemeſin per *viam* aliunde a conſtitutionibus Imperii *jam complanatam* prodire indulgeant. In quo tam parum *irregularitatis* diſcrimen ſubire poteſt Princeps Eccleſiaſticus, quam quivis inferior Clericus, qui ad ferale pegma *fatalis* reo *Comprecator* additus, hunc ad ultimum ictum fortiter excipiendum, & Carnificem ad muneris ſui functionem rite exequendam animet.

Deinde permiſſo etiam, ſed non admiſſo, quod Eccleſiaſtici Principes *proprio* judicio cauſam ſanguinis intrarent, & malefactoribus debitas pro delictis pœnas conſtituerent, nonne legem illam, quam Eccleſia in puncto irregularitatis pro *libera poteſtate ſua* condidit, circa Prælatos Eccleſiæ publica & *Territoriali* Authoritate inſignes *tollere* aut *abrogare* poſſet? Nonne Sacerdotes V. L. ultrice gladio ſæviebant in delinquentes, uti de *Samuele*, *Jojada*, *Mattathia*, aliisque paſſim legimus? Taceo *Petrum ipſum* Apoſtolorum uti & Epiſcoporum *Principem* in ſervi auriculam vel inſpectante Magiſtro non ſine ſanguinis effuſione debacchantem: E quibus momentis ſicut *juſta* mutilatione atque occiſione *per ſe* & ex rei natura Sacerdotium non coinquinari innoteſcit; ſic etiam Eccleſiæ non deeſſent *rationes*, quibus inducta irregularitatis leges, circa perſonas Eccleſiæ digniores ab Imperio authoritate *ſeculari* donatas, vel temperaret, vel penitus aboleret.

§. VII.

Sed cur non poſſunt in *principiis Catholicorum* Principes ſæculares acquire *jus ſacrorum*, ſicut Eccleſiaſtici *jus circa temporalia*? Datur diſparitas, cur Jurisdictio ſpiritualis temporalem attrahere poſſit, & non viciſſim?

Ad Quæſtionem hanc *a ſcopo meo* deviam, quæ tamen ad illius *illuſtrationem* multum faceret, discutiendam plus otii mihi ac ſpatii optandum eſſet: Ut tamen aliquid feciſſe videar, neque forſan ſubterfugere interjectum mihi *ſcopulum*; *ſuppono* 1 DEUM omnis poteſtatis creatæ Authorem, qui omnia diſpoſuit in pondere, numero, & menſura, Jurisdictioni ſpirituali ac temporali pro *diſpari fine* diſpares itidem fixiſſe *limites*, extra quos neutra evagetur. 2. DEUM utriusque Jurisdictionis functiones & officia *abſolute* quidem (præſertim ſi ſtatum *puræ naturæ* exiſtere voluiſſet) creaturæ rationalis determinationi relinquere potuiſſe, de facto autem *non ita* reliquiſſe. 3. Sed *facta* Sacerdotii

ab Imperio *Diaphora* p) ſua cuilibet aſſignaſſe munia, jura, privilegia &c. 4. Hanc Diaphoram per Filium ſuum in L. N. non abrogaſſe, ſed *elevaſſe*, dum Sacerdotium *figurale* in *verum* transtulit, & huic munia *ſpiritualia* ac poteſtatem naturæ viribus majorem e. g. *remittendi peccata*, *impertiendi Spiritum S.*, *Corpus Chriſti conſecrandi*, *dogmata ſine errore decidendi*, &c. contulit. 5. Ex his momentis poteſtatem ſpiritualem temporali *ſublimiorem* eſſe, ac *naturæ*, *ordinisque* dignitate præcedere. 6. Hanc poteſtatem ſpiritualem a Chriſto hominibus ab eo *ſpecialiter ſelectis & vocatis*, ſcilicet Apoſtolis, & iis, quos hi ad normam a Chriſto traditam ſelecturi, & ſibi pro Succeſſoribus ſuffecturi eſſent, *ſtabiliter* affixam eſſe. Quibus præmiſſis

Diſparitatis membrum primum.

Reſpondeo: Ideo Principatus ſæcularis non poteſt ſibi acquirere jus aliquod *vere tale* in ſacra, aut *in Sacerdotium ut tale*, quia Chriſtus N. L. ſummus Sacerdos & Pontifex tum *jus* in animas & in ſpirituales religionis functiones, tum *perſonas* ipſas hujus juris bajulas *independenter* ab omni poteſtate ſæculari in ſuis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus *ita* determinavit, q) ut *originaria* Chriſti determinatione *neglecta* aut *non obſervata* nec Sacerdotium haberetur, nec religionis *verum* & *beneplacens* DEO exercitium.

Ex quo ſequitur, 1. Eccleſiam & Sacerdotium de juribus ſuis ſpiritualibus nihil abdicare, & poteſtati ſæculari cedere poſſe. 2. Poteſtatem ſæcularem utpote a ſpirituali omnino ſegregatam, & in inferiore ordine conſtitutam *ne inchoatam quidem* aut *radicalem* capacitatem Juris ſpiritualis acquirendi aut exercendi habere. 3. Siquod ſibi poteſtas ſæcularis jus in ſacra arroget, illud vel *veri* juris *rem* habere non poſſe, vel poteſtatem ſæcularem ſuos extra limites plane evagari, r) alienumque ſolum inundare. 4. Contra Jura ſpiritualia Eccle-

p) Contigit iſta *quarta mundi ætate* ſeu *Epocha*, anno ſcil. juxta accuratioris Chronolog. Calculum *ab Orbe cond.* 2513. de quo legere eſt *Exodi* 19. v. 5. & 6. *Exod.* C. 28. v. 1. & ſqt. *Exod.* 29. v. 1. & ſqt. Numer. c. 3. & 8.

q) Videatur Lucæ C. 6. v. 23. Matth. C. 10. v. 5. ſeqq. Matth. C. 28. 19. Act. C. 1. v. 8. Act. C. 20. v. 58.

r) Quæ proinde *puncto ſacrorum a* Regibus & Principibus geſta circumferuntur (in quibus conſcribendis *de Ludewig*, *Schilter*, *Hertius*, *Hornius* multum ſudarunt, ſuperioritatis territorialis jus in ſacra tutantes) ad *trinam* claſſem bene revocant Scriptores Catholici: Vel enim I. *facta* ejusmodi aperte involvunt *illicitam uſurpationem* poteſtatis Eccleſiaſticæ, uti factum *Theodonis IV.* Bojariæ Ducis S. Emerammum Epiſcopum Ratisbonenſem in via ad ſummum Pontificem intercipientis, *Arnoldi*, *Henrici* &c. Vel pertinent II. inter effectus *Juris Advocatiæ*, protectionis, tutelæ, eosque aut *ordinarios* (qui ſe ad tuendam Eccleſiam tum in Capite, tum in membris & bonis, ad Decreta illius *authoritate ſæculari* munienda & exequenda exerunt;

Eccleſiæ nullam *conſuetudinem*, *obſervantiam*, *præſcriptionem* ſubſiſtere & prævalere poſſe. *s*)

His poſitis non video, qua fronte *Anonymus* ille jam per vices notatus in *ſua hiſtoria contentionis* effutire auſus ſit: *Hodie quilibet tyro cognoſcit, jure naturali Clerum DEO proximiorem non eſſe, nec cognitionem de peccato ad eum præ Laicis pertinere.* pag. 127. Vel enim ille ſupponit *ſtatum puræ naturæ* hodie vigere, ubi religio plane *naturalis* ſit? In tali autem ſtatu nec peccatorum *externa confeſſio*, nec Sacerdotum ſuper iis *cognitio* locum haberet, conſequenter aſſertio allegata ſuo ſe jugulat *ſuppoſito*; Vel ignorat Sacerdotii novæ Legis poteſtatem revera *ad ſpiritualia* ſe extendere, adeoque omni Laicali ordini *Superiorem* exiſtere; atque inde ipſum etiam Jus naturæ *ſuppoſita Sacerdotii elevatione, ejusque ab Imperio Diaphora* proximiorem ad DEUM habitudinem Clero deferre? Quidquid demum ſit, *ubique* hærebit. Animadverſio incidens.

Sin autem occurrat aliquis ingerens: Jus circa ſacra Imperio *Politico* per P. W. *jure Poſtliminii* reſtitutum fuiſſe. Item ipſos Principes *ſæculares Catholicos* jus circa ſacra in ſuos ſubditos Proteſtantes exercere? Tunc hujusmodi ſcrupulus omnis facillimo negotio diluetur, *ſi* (*ad primum*) attenditur, aliud eſſe jure poſtliminii *reſtitui*, aliud urgente neceſſitate ſic *conventum* fuiſſe. *Ad alterum*) Principes *Catholici* etiam *ſæculares* (de quibus in hoc §. VII. præciſe ſermo

runt; quo in genere inſignes fuerunt *Conſtantinus M, Carolus M, Ludovicus Pius* &c.) aut *extraordinarios*, quibus vices Eccleſiæ *ex ipſius conſenſu* ab Advocatia externa veluti *miniſtra* ſupplentur, quando ipſum Eccleſiæ regimen vel *in ſtatu perfecte formato* nondum exiſtit, vel *ab actu ſecundo* per accidens eſt impeditum; Vel III. inter effectus *diſpenſationis & conniventiæ*; aut *voluntariæ*, quam Eccleſia ad Principum munificentiam antidorali titulo remunerandam ſæpius indulget, uti apud Reges Galliæ, Duces Bavariæ &c. vel aliquando *neceſſariæ*, qua Eccleſia *ex prudenti œconomia* tempori ſerviens quasdam *Juris ſui* particulas poteſtati ſæculari reliquit, uti fecit quondam Eccleſia in Electionibus Pontificum admittendo ſuffragia aut interventiones Cæſarum &c. Vide Barthel *Diſſert. de Jure Reform. antiquo.* Behr *Diſſ. noviſs. De Jure & Praxi circa ſacra in caſtro Nob.* Hammer *Diſſert. de Jure Princip. Cathol. circa ſacra.*

s) Prout bene obſervat Author, qui Principia Juris Publ. Eccleſiaſt. Catholicorum edidit Francofurti & Lipſiæ 1746. cujus terminos ex Cap. X. de obſervantia §. IX. huc transferre libuit: *Jus ipſum, quod quis obſervantia probare contendit, debet eſſe ejus indolis, ut ex parte unius adſit facultas cedendi, ex parte alterius vero capacitas illud acquirendi: quod enim abdicari, vel ob incapacitatem radicalem acquiri nequit, pro illo fruſtra allegatur factum. Ex hac regula ſequitur, non patrocinari facta priſcorum Imperatorum pro aſſerenda Principibus Laicis ſacra inveſtitura Epiſcoporum, exercendo judicio in cauſis mere ſpiritualibus, cognitione & diſpenſatione in impedimentis matrimonialibus &c.*

eſt) jus ſacrorum in ſubditos ſuos *Catholicos* in P. W. nunquam affectarunt, quamvis in *ſubditos* A. C. *addictos* ex placito & conventione Conſtatuum Imperii titulo *mutuæ exactæque æqualitatis* jus ſacrorum obtinuerint, quod tamen Catholico ſyſtemati minime præjudicat: Neque quidquam decedit meæ aſſertioni, etiamſi Principes adeo *Eccleſiaſtici* jus ſacrorum in ſuos ſubditos A. C. addictos per Dicaſterium ſuum *politicum* exerceri curent.

Diſparitatis membrum alterum.

Reſtat, ut oſtendam, poteſtatem Eccleſiaſticam ſibi *temporalem* attrahere poſſe. Quod ut conficiam, *ſuppono* iterum 1. Chriſtum Sacerdotio poteſtatem temporalem non quidem annexuiſſe, 2. Nullo tamen *interdicto* Sacerdotium ad Jura ſæcularia *inhabilitaſſe*, ut ſuperius monſtratum eſt. 3. Poteſtati ſæculari *liberum* eſſe, Sacerdotium in ſuæ conſortium jurisdictionis vocare; Ex his autem

Infero, Sacerdotio Jurisdictionis ſæcularis *de ſe capaci* per accidens ex fundo altero Sæcularia jura advenire poſſe, imo in iis juſto titulo ſemel acquiſitis ab extrinſeco turbari, *juſte non poſſe*. Inquietant igitur & attrectant antiquos Imperatores ac Reges vel ipſis in urnis, qui illos *prodigalitatis*, & *devotulæ imprudentiæ* accuſant, in eo admiſſæ, quod Sæcularia Jura in perſonas Eccleſiaſticas transtulerint, quaſi per hæc lautiſſima *fercula* Eccleſiaſticorum ambitioſam (ut cavillantur) *eſuriem* tanto magis irritaſſent! Sciverat certe *Otto M.* Imperator, quid ageret, dum Ducatum Lotharingiæ, & diſtrictum Colonienſem Brunoni Archiepiſcopo cum omni ſæculari poteſtate contulit; dum Gislero Epiſcopo ditionem Magdeburgenſem gubernandam reliquit: Neque culpandi ſunt *Henricus II. S. Imperator*, qui *Babebergenſem* Comitatum ſingulari munificentia ad Epiſcopales & Principales prærogativas Anno 1007. in Comitiis Francofordienſibus ſublimavit; *Pipinus* Franciæ Rex, dum A. 751. Ducatum *Wirceburgenſem* S. Burckardo, primo hujus Diœceſeos Epiſcopo una cum Jurisdictione ſæculari conceſſit; *Carolus Mag.*, dum Paderbornenſem, Hildeſienſem, Osnabrugenſem, aliosque plures Epiſcopatus a ſe fundatos Principali *gladio* condecoravit. Hos enim Principes, aliosque ſimiles de Eccleſia optime meritos, per hujusmodi fundationes Imperio nihil detrimenti, ſed *ornatus & utilitatis* plurimum peperiſſe, *ſequentia* dabunt.

Sectio

Sectio IV.

An Pedi, Gladiique in eadem perſona Eccleſiaſtica conſortium utilitati Imperii *adverſetur?*

§ I.

Præconceptæ opiniones.

Eſt utique hujus tituli rubrica ad genium guſtumque multorum noſtri ſæculi Criticorum, eorum adeo, qui Catholicorum profeſſione & nomine cenſeri volunt, & non raro ſub Epiſcoporum etiam clementia ſæcularia merentur, eaque pinguiora ſtipendia. *Triplici* enim, ut hi opinantur, *ex capite* præjudicioſa eſt *Imperio* & reipublicæ Jurisdictionis ſpiritualis & temporalis combinatio: *1mo*, quia combinatio iſthæc *confuſionem* jurisdictionum inducit, *dein* quia derogat in multis *ſtatui Laico*, in quem Jurisdictio ſæcularis & felicius & *convenientius* cadere poſſet; *denique* quia territoria & feuda Imperii ſub poteſtate Eccleſiaſticorum vix ita meliorantur, ut non potius in *deterius* proruant. Quas præconceptas imaginationes juvat ad cribrum vocare, & breviſſime diſcutere, triticumne veritatis, an paleæ præjudicioſæ cujusdam & præcipitis Criſeos in fundo remaneant.

§. II.

Unio Jurisdictionum non parit confuſionem.

Ac primo quidem nimium agere *illos* jure dixerim, qui utriusque juris Jurisdictionis *unionem* in *confuſionem* transvertere connituntur. Crediderim ſane, Imperatores illos & Reges, qui jurisdictionis ſæcularis jura & privilegia Epiſcopis *primum* largiebantur, etiam tam oculatos fuiſſe, ut, ſiquid *monſtri* parturire iſta jurisdictionum combinatio poſſet, vel prævidiſſent, vel primis in cunis ſuffocaſſent. Quid enim *confuſio* ex ipſa *rei* notione aliud portendit, quam rerum natura, indole, effectu & fine diſſidentium *mixtionem*, e qua *tertia* quædam *ſpecies*, ut ajunt, aut *tertia* quædam *natura* conſurgat, *alterutri naturæ commixtæ* omnino diſſimilis? Qualem confuſionem ex *hircinæ* & *cervinæ* naturæ commixtione, ſiqua forſan in cerebro Platonico accidere poſſet, neceſſario perpetrari oporteret.

Quis autem non videt, hunc *confuſionis* quidditativum conceptum jurisdictionis ſacræ & profanæ in eodem ſubjecto *conjunctioni* malevole *imponi* quidem, ſed cum veritate *apponi* non poſſe? Si illa, quæ *conjuncta* ſunt, hoc ipſo *confuſa* eſſent, etiam ipſum hominem nil niſi *chaos* ex ſpiritu & materia commixtum ſine abſono dicerem: quin imo in eodem Principe ſæculari, poteſtatem ſupremam in republica obtinente, *confuſum* ex multis juribus ſubalternis regnare *coagulum* citra injuriam aſſererem; ſed quis non recte contradiceret?

Et *unde*, amabo, jurisdictionum in eodem subjecto concurrentium confusio prodeat? Ostendatur illa vel in *causa* sua, vel in *modo*, vel in *effectibus*? Jurisdictio spiritualis in Episcopis & Prælatis Ecclesiæ *originaliter* a Christo est, jurisdictio sæcularis *derivative* ab Imperio in Ecclesiasticos delapsa. *Modus*, quo utraque ab Episcopis exercetur, *diversus*; cum pro *diverso* foro per *diversa* Dicasteria, per *diversas vias*, juxta *diversas* Ecclesiæ & Imperii Leges, pacta, statuta, in ordine ad *diversos* fines utraque Jurisdictio excurrat. *Effectus* autem tam *dispares* utraque Jurisdictio pariat necesse est, quam *dispari* utraque passu ambulat; scilicet *spirituales* ex spirituali, *temporales* e Jurisdictione temporali proficiscuntur.

Utique si *eadem* mensura Principes Ecclesiastici spiritualia & sæcularia metirentur; si *ut Episcopi* sæcularia, *ut Principes* spiritualia tractarent, aut *eadem* bilance fori in- & externi negotia ponderarent; permitterem, hoc pacto *per accidens* confusionem quandam suboriri forsan posse, quam tamen ipsa rerum natura, Episcoporum prudentia, & summorum tum in Ecclesia, tum in Imperio Imperantium solicitudo & vigilantia nunquam non præcavebit.

Quam bene igitur & ordinate apud Protestantes utraque *Jurisdictio* a Supremo reipublicæ Principe citra ullam *confusionem* exerceri contenditur; tam certum est, & liquidum, circa Jurisdictionem sacram & profanam ex parte Principum *Ecclesiasticorum* Catholicorum omne *confusionis* periculum quam longissime exulare.

§. III.

Nec Statui sæculari infert præjudicium.

Neque *præjudicium* illud, quod Sæcularibus personis, *Statuique Laicali* per Episcopos gladiatos inferri prætenditur, Episcoporum integritati præjudiciosum esse potest. *Præjudicium* enim alteri (quantum Theologus sapio) inferre ille dicitur, qui vel a jure captando & acquirendo alterum injuste *impedit*, vel e jure habito & jam acquisito illum nequiter *exturbat*: Cui autem Episcoporum hujusmodi nefas aliquando imputatum fuit, aut hodie citra injuriam imputabitur? Quem sæcularem Ecclesiastici impediverunt *in jure ad rem*, ut ajunt? Quem *de jure in re* deturbarunt? Horum quidpiam si quando contigisset, debuissent Principatus, Comitatus & Territoria, quæ de facto Ecclesiastici tenent, sub *sæcularium* manibus quondam fuisse, ita, ut *hi* vel *horum hæredes* dominia sua Ecclesiasticis *cedere coacti*, aut per vim aut machinas ex his per Episcopos *immediate* aut *mediate ejecti* fuissent; hujus vero gesti ubi extat verosimile vestigium, ubi documentum? Historias testor, temporumque fastos, e quibus constat, Episcopatus præcipuos Germaniæ non *ante* fuisse *Principatus*, *quam Diœceses*, & *idem* territorium uno *eodemque* tempore ad *Episcopales* simul, & *Principales* prærogativas surrexisse: Quod certe in Episcopatu Bambergensi,

Eich-

Eichſtettenſi, Spirenſi, aliisque irrefragabile eſt. Siqua autem ſint territoria, quæ ſæcularis Principis regimine *ante* gaudebant, *quam Epiſcopatuum* jura aut nomina induerent; illa ſi ſucceſſu temporis Epiſcopis cum omni jurisdictione etiam ſæculari tranſcripta ſint; tunc vel *priores* poſſeſſores ſæculares, ex *defectu* hæredum, titulo *donationis* aut *legationis* teſtamentariæ Epiſcopis & Eccleſiæ *cum conſenſu Imperii* ſua Dominia reliquerunt; vel *ab ipſis Imperatoribus* ex ſpeciali favore & *poteſtatis plenitudine* Epiſcopi in *vacantia* Imperii feuda tanquam Imperii Vaſalli intromiſſi ſunt; proinde, ſi per hujusmodi donationes aut inveſtituras ſæcularibus familiis *præjudicium* aliquod acceſſiſſet, id potius Majorum ſuorum & Imperatorum piæ liberalitati, quam *Epiſcopis* adſcribendum putent.

Quanquam & hoc vel maxime indignum foret illud, quod ex ſumma libertatis plenitudine, & *omni jure aviti* Principes, Imperatoresque conſtituerant, *poſthuma* invidia allatrare, aut diſcerpere. *Poterant* Imperatores, aliique Principes in certis quibusdam eventibus & circumſtantiis conferre territoria, & jurisdictionem ſæcularem Eccleſiaſticis, *adhibita hac cautela*, ne juri tertii, Imperio & Imperatoriæ Majeſtati aliquid exinde derogatum aut diſtractum irent: Id quod ſemper quam ſolicite *cautum & proviſum* fuit. *Poterant* etiam perſonæ Eccleſiaſticæ hujusmodi collationes ſæcularium jurium *licite* acceptare, quippe *ſuo inſtituto & profeſſioni* non contrarias, uti ſuperius probatum eſt; In quo ergo præjudicium ſæcularibus familiis irrogatum ſit, cujus tamen Principes Eccleſiaſtici indiſcriminatim inſimulantur?

Si dicis: Viros ſæculares habere *jus proximius* ad feuda Imperii vacantia, & jura ſæcularia, quam Eccleſiaſticos, idque *ex natura rei* pateſcere, eoquod ſæculare ad ſæculare *naturali proportione* propendeat, non item Eccleſiaſticum ad ſæculare, adeoque jus *tertii* gravatum fuiſſe per introductionem Principum Eccleſiaſticorum.

Reſpondeo: *Major proportio* non fundat *jus*, ſed ad ſummum quandam duntaxat *decentiam*: Decentia autem ex *libertatis* & poteſtatis *plenitudine* neglecta, aut non conſiderata non generat *præjudicium* vel *injuriam*, ſed ad ſummum *præteritionem*, quæ cum ſæpiſſime ſit effectus *juris alti*, inferiori rationabiles & fundatas *læſionis* ſibi illatæ querelas vix unquam ſuppeditabit.

§. IV.

Sub Eccleſiaſticorum demum regimine feuda & ditiones Imperii non in meliorem, ſed in *deteriorem* potius conditionem redigi, eorum ſugillatio eſt, qui vel partium ſtudio in transverſum acti, vel livore aut invidia depravati ſiniſtre judicare conſueverunt in iis maxime rebus, de quibus diſcernere *altiori* & publicæ

Nec ditionibus Imperii detegenda.

lica competit poteſtati. Non enim a *Principibus* quidem Principes, ſed ab *Imperio & Cæſare* judicantur; Videant proinde *Privati*, qui de Principum Oeconomia & adminiſtratione pervicacius ſuam orbi obtrudunt ſententiam, quam *indignam* & temerariam alienæ meſſi falcem immittant, *publicæ* authoritati præjudicioſam.

Veneror ego ſumma, qua par eſt, demiſſione, & profundiſſima obſervantia Principes tam Eccleſiaſticos quam ſæculares, ſentiens quam maxime de *iis* in bonitate, qui portant orbem. Hoc unum addo, in *deteriorem* ſtatum dominia Principum vel per *alienationem*, vel per *diviſionem*, vel per *oppignorationem* demergi poſſe; horum nihil citra *ſupremi* in Imperio *Capitis conſenſum* & placitum ſuſcipient *ſeculares* Principes, multo minus *Eccleſiaſtici*, quibus nec propria voluntas *ultima* in omnibus agendi *facultas* eſt.

De cætero utrum *erariis publicis* ſub regimine Principis Eccleſiaſtici, an ſæcularis magis conſultum ſit, determinare nec libet, nec licet: *Hoc* tamen *propugno*, Principem Eccleſiaſticum quippe *unicæ perſonæ ſuæ* intentum cum publicis proventibus ditionibus ſuis proventus *novos* facere poſſe, & *oneribus* publicis pro rata ſua ſive *in bello* ſive *in pace* ſuſtinendis æque parem eſſe, quam Principem *ſecularem*, omnique *promptitudine & animoſitate* pro quavis occaſione ea præſtiturum, quæ Imperatori, quæ Imperio, quæ Conſtatibus ſuis & confœderatis quocunque demum titulo præſtare tenetur, prout *experientia ipſa* plus vice ſimplici comprobavit.

§ V.

Sed firmat Imperii concordiam.

Ruunt igitur argumenta, ſuaque ipſa fragilitate atteruntur, quæ ad Jurisdictionis ſpiritualis & temporalis conjunctionem divellendam malevoli quidam congerunt, ea mente, ut quæ Imperio per eam induci *finguntur* detrimenta, amputentur. *Firmiora* econtra ſunt *momenta* illa, quibus Imperio neutiquam obeſſe, ſed *prodeſſe* quam plurimum pedi gladiique ſocietatem, conficitur.

Quid enim ad Imperii *utilitatem* conferre plus poſſit, quam illud, quod publicam communemque *concordiam & cohærentiam* membrorum Imperii *inter ſe* ac *cum ſupremo Capite* fovet ac firmat? Hoc autem quo medio felicius & opportunius obtinetur, quam dum illi ipſi, qui dignitate Eccleſiaſtica præfulgent, etiam ad ſæcularis in Imperio regiminis *conſortium* adſciſcuntur? Inter illos enim, quos officii & characteris Epiſcopalis ſanctitas *uno* charitatis Apoſtolicæ *glutine* jam compaginat, ſciſſuræ & diſſenſionis periculum metusque naſcitur tardius, ſopitur velocius: dumque quaſi *domeſtica* inter ſe, *fraternaque* pace oblectantur, nihil agunt diligentius, nihil optant impenſius, quam ut Conſtatibus Imperii ſuisque Confœderatis omnem offenſionis *materiem* præripiant, & communi tranquillitati (quæ *bonum* in Imperio *maximum*, omnisque ſalutis publicæ *baſis* & fundamentum eſt) totis viribus ſuffragentur.

Dein

Dein cum Eccleſiaſtici Principes dignitatem & amplitudinem ſuam ſæcularem non *jure ſanguinis* aut *ſucceſſionis*, ſed via electionis aut poſtulationis ſibi adveniſſe meminerint, eamque ab Imperatorum & Imperii largitate tanquam *primæva* ſcaturigine ad ſe dimanaſſe agnoſcant; continuato & in perpetuum gliſcente quaſi gratitudinis fomite ad ea propenſionis & fidelitatis ſtudia erga *Imperatorem* ſuccenduntur, quæ *intempeſta* etiam temporum *viciſſitudine* non extinguantur. Et quanta ex hac membrorum Eccleſiaſticorum inter ſe & cum Capite concordia felicitatis ſeges ſperanda eſt?

Sacerdotii cum Imperio colliſiones prævertit.

Accedit, quod *diſſenſio* inter *Sacerdotium* & *Imperium* per utriusque juris-dictionis in *easdem* perſonas confluxum penitus intercidatur: Quis namque ignorat, quam ſæpe in illis provinciis, ubi *diſtincta jurisdictiones* inter perſonas *diſtinctas* dividuntur, ubi Epiſcopus Eccleſiaſtica & *Diœceſana*, Princeps ſæcularis *ſæcularia* gubernat, de conflictu jurisdictionum, de læſione fori, de jurium diminutione lites & querimoniæ moveantur? quæ ſubin colliſiones, quæ jurgia, quæ diſſidia protuberent? Ubi vero *unus idemque* Princeps ſpiritualia & temporalia in eadem ditione adminiſtrat, quæ ibi inter Sacerdotium & Imperium *litigia* ſerpent? Ea ſane, quæ quisque *ſecum ipſo* ciere ſolet, ſcilicet vel *nulla*, vel *momentanea*. Cum nempe ab *uno unius* Principis Eccleſiaſtici *nutu* ſingula in utroque Foro munia, officia, negotia ſuſpenſa & librata ſint, *uno* ille digito quoſcunque colliſionis ventos *vel ipſo in ortu* compeſcere, ac coërcere poteſt.

§. VI.

Eccleſiæ utilitatem auget & ornatum.

Si vero tantum faciat ad *firmitatem* Imperii Pedi Gladiique *unio*; an minus emolumenti & fructus exinde *Eccleſia* capiet? Guſtat illa certe fructus illos ſuaviſſimos, quos per Pedi & Gladii aſſociationem in Eccleſiæ avitæ ſolo maturescere primi Chriſtiani Imperatores, Principesque concupierant.

Sicut enim per *fidelitatem* Principum Eccleſiaſticorum numeroſa provinciarum regionumque *fides* ſceptro *Cæſaris* annectitur; ſic per illorum quoque *religionem* innumera hominum *multitudo* avitæ Eccleſiæ *religioni* copulatur. Utut etiam religionis *diſſenſio* lacerarit Germaniam noſtram; deteriore tamen loco *ibidem* res Catholica poſita eſſet, ſi Epiſcopi Germaniæ præter Paſtorale Pedum Gladio Principali armati non fuiſſent, quo vigilante *bona & jura Eccleſiæ*, *aras & ſacra* ipſa protegerent, ac *ſubditos* datæ fidei immemores, aut *communi* quaſſatione vacillantes ad *priſtinæ* religionis caſtra *compellerent*.

Magna proinde Eccleſiæ Authoritas in iis *Germaniæ* partibus, ubi Eccleſiaſtici Præſules uno brachio, quæ DEI ſunt & Eccleſiæ, altero vero, quæ ſunt reipublicæ & Imperii, proſequuntur, hic *Gladio*, *Pedo* ibi formidabiles! Magna felicitas, quod, dum ad legum & diſciplinæ Chriſtianæ obſervantiam re-

fractarii etiam acrius adurgendi sunt, non necesse habeant sacri Antistites, in *externis adminiculis* perfugium quærere, sed quod *domi* suæ habeant acinacem, quem in pervicacium cervices expediant! Magnus denique gloriæ & honoris splendor, quod tam *multiplici* titulo sibi obstringat *populos* Ecclesia per suos Patres & Pastores, qui & saluti *spirituali* animarum, & temporali corporum invictissima cura & solicitudine præsunt, fulgentes in *Ecclesia*, in *Imperio* coruscantes.

Quam ex Pedi & Gladii consortio in *Ecclesiam* simul, & *Imperium* redundantem *utilitatem* nec nostri abnuunt Adversarii, qui Ecclesiasticorum Principum *harmoniam inter se & cum Imperatore* nunquam non dedignati, miris eandem machinis *dissolvere*, & *Ligam Liga* disrumpere hucusque frustra tentaverant.

§. VII.

Anacephalæosis totius Dissertationis.

Ad littus appellitur calamus: Liceat rememorativa *reflexione* navigationem relegere, & quæ prætervecti simus vada, brevissima anacephalæosi Lectori sistere.

I. Jurisdictio sacra & profana etiamsi *natura*, *objecto* & *fine* discrepent, nihil tamen *strictæ oppositionis* involvunt, quæ conjunctionem inter utramque præpediret; nam *in ipsis* Adversariorum *principiis* in eodem supremo Domino territoriali se compatiuntur, & etiam post *factum* tempore Moysis inter Sacerdotium & Imperium *divortium* sibi invicem subin agglutinabantur.

II. Nihil etiam obstat, quominus *idipsum* in Episcopatibus Germaniæ hodie obveniat: eoquod nulla *inhibitione* Christus Clero *incapacitatem* induxerit, tractandi jura sæcularia; imo in ipso primitivæ Ecclesiæ ævo se offerunt sæcularium judiciorum *initia* & *primæ lineamenta*, quæ successu temporis Episcoporum primævæ Ecclesiæ viciniorum *praxi & usu* magis exculta sunt: Esto etiam, hoc de Principum sæcularium *consensu* & annutu factum fuisse.

III. Neque sæcularis jurisdictio Clero concredita aliquid de suo *vigore & efficacia* perdit, ita, ut illius *finis* & scopus minus, quam in manibus sæcularium, obtineri queat.

IV. *In modo* pariter, quo jura sæcularia exercent Clerici, nihil reprehensibile occurrit, aut *Lenitati* Clericali contrarium, cum ita gladio malefactores in republica feriant, ut capitalia etiam supplicia Legibus Imperii & Dicasteriorum sæcularium sententiæ *proximius*, quam Episcopis adscribenda sint, neque Ss. Canonum *intentioni* exinde quidpiam detrahatur. Ex eo tamen, quod Clerus sæcularium jurium, atque adeo criminalium *capacitatem* & *usum* habeat, minime sequitur *reciproca* personarum sæcularium capacitas ad jus *in sacra* & Ecclesiastica capessendum.

V. Præ-

V. Præpoſtere etiam judicant illi, qui ex unione Gladii cum Pedo vel *confuſionem* jurisdictionum, vel *præjudicium* ſtatus ſæcularis, vel aliud quoddam *Imperii damnum* eruere conantur. Nam

Unio non eſt *confuſio*, neque turbido confuſoque modo perſonæ Eccleſiaſticæ jurisdictionem utramque exercent, ſed quamlibet *in ſuo foro*, in *connaturali* ſibi forma, *diverſis* etiam diſtinctisque modis explicant.

Sic nec Eccleſiaſtici per gladii captationem Viris Laicis *jus in re* aut *ad rem* præripuere, cum juſtiſſimis *titulis* ſæcularia jura a Principibus ſæcularibus acceperint, neque injuſtis machinis quempiam aut *in jure habendo* præverterint, aut e *jure jam habito* deturbarint.

Damnum Imperio adeo nullum invehitur per Principes Eccleſiaſticos, ut potius per illos concordia membrorum Imperii *inter ſe*, & *cum Capite* ſtabiliatur & roboretur, atque *colliſionis* inter Sacerdotium & Imperium pertimeſcendæ occaſio eo felicius interciſa ſit. *Eccleſia* autem mirum quantum debet Principibus Eccleſiaſticis, utpote qui ad Religionis avitæ ſacra, præſertim in Germania, *tuenda plus virium* habent & potentiæ; neque *coacti* ſunt executionis ſubſidium *aliunde* præſtolari, ſed *remedia compulſionis* etiam ſæcularia, domi ſuæ reperta, pro arbitrio producere, & reipublicæ Chriſtianæ in *ſpiritualibus* ſimul, ac *temporalibus* prodeſſe plurimum poſſunt.

Servent pii Cœlites, & ab omni temporum injuria tueantur Germaniæ noſtræ *piiſſimos Præſules & tutelaria Numina*, quæ Pedo & Gladio *in ſignum ſanctitatis & gloriam honoris* condecorata, *Eccleſiam* illuſtrant & *Imperium*, ita *Eccleſiæ* bono intenta, ut ſimul *Imperii* pacem & concordiam perpetuam eſſe cupiant, & quantum in ſe eſt, optent interminabilem.

Animadverſiones Editoris.

Ad argumentum Auctoris. Quemadmodum nihil ferme tam eſt abſurdum, quod noſtris diebus a larvatis præcipue, atque exinde multo audentioribus quibusdam ſcriptoribus in lucem non protrudatur: ita de argumento Auctoris ab Anonymo quodam editum eſt ſchediaſma hoc titulo: **Kurze Abhandlung von dem Recht des Kaiſers und der Stände des Reichs über geiſtliche Perſonen und Kirchen-Güter**: locus et tempus editionis adjectum non eſt. Si ipſam ſcriptionem conſideres, miſera eſt plane; atque ubi vel ſpeciem quan-

dam ratiocinii habet, ab Auctore licet ſchediaſmatis hujus notitiam non habente, ſatis confutata. Praeluſit hujusmodi hominibus jamdum Sec. XII. ARNOLDUS DE BRIXIA, qui teſte OTTONE *Friſingenſi de Geſtis Friderici I. L. 2. C. 21*, FLEURYO *ad ann. 1139*. DU MESNIT *Tom 4. f. 348*. docuit: *nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos Regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes aliqua ratione ſalvari poſſe.* Inſanam hanc doctrinam inſtauravit deinde *Wuleſfus*, inter cujus propoſitiones *a Conc. Conſtantienſi ſeſſ. 8.* damnatas haec eſt 39na: *Imperator et Domini ſaeculares ſunt ſeducti a Diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.* Si qui etiam fuere ex Catholicis, qui conjunctionem utriusque poteſtatis minus ex commodo diſciplinae Eccleſiaſticae fuiſſe exiſtimarint (inter quos eſt FLEURY *Diſſ. IV. in Hiſt. Eccleſ.*) hodie tamen poſſeſſionem Eccleſiae ex liberalitate Principum omnino legitimam eſſe, palam agnoverunt. *Ita l. cit. §. IX. edit. latin. ſecund. 1772 p. 215. dicitur: Omnia haec jura aequitate nituntur, tam parum enim iſtis Eccleſia, quam Laici, exui poteſt. Utque ad Eccleſiam Romanam mea reducatur oratio: juſtitiae leges enormiter laederet, quicunque huic Eccleſiae jus Principatus in urbem Romam et magnam Italiae partem abjudicare praeſumeret, cujus poſſeſſione per tot ſaecula fruitur, cum Regum plerique meliorem longa poſſeſſione titulum producere nequeant*: *ita* FLEURY.

Incido hac occaſione in Propoſitiones quasdam ſane paradoxas NELLERI (inſolitis delectari huic ſcriptori familiare eſt) quas habet in recentiſſimo *Exercitio Juridico 1772. 20. Jul. f. 18.* ubi ita inquit: *Imperator Pontificem ſibi ſubalternum Romae ſinit agere quaſi jure Principis, etiam in temporalibus majorem ſupra ſe non recognoſcentis. Saltem enim vero, ſi (quod Deus avertat) Senatus populusque Romanus in diſſidium cum Papa veniret, Imperator ſe non tam ut Advocatum Papae, quam ut judicem inter ipſum et diſſidentes quoad temporalia ſupremum exhibere deberet. Idem eſt, ſiquis Italiae Status, jure belli gaudens, loco hujus Papae inferendi, vellet eum coram Imperatore judicialiter convenire. Idem erit, ſiquid Papa machinaretur contra Imperium, cujus ipſe Princeps eſt, quanquam cum privilegio non uno, et absque voto in Comitiis. Quibus caſibus Papa judicium Imperatoris declinare non poſſet: et iſta Auguſtiſſimi ex Romanorum Imperio fluens poteſtas neque abdicata, neque praeſcriptione ſublata fuit: ad Clement. 2. de ſent. et re jud.* dein ſubjicit, *vacante Imperio a Pontifice tanquam Patritio et Principe Romanorum poſt imperatorem unico, Urbis Vicariatum geri.* Omitto hic ego conſulto NELLERO mea de his propoſitionibus ſenſa inſinuare; ſed ea potius, quae plures celeberrimi Proteſtantes de hac re noſtra aetate ſcripſere; alia vero deinde lectori permittere. SELCHOW *in Elem. Jur. Publ. Tom. 1. §. 76.* ait: *Ceterum hanc dignitatem Imperatoris Romani, Regibus noſtris adſcriptam, hodie tantum non merum honoris nomen eſſe re ipſa comperimus: praeſertim cum Romam, et quidquid olim Romano Imperio cohaerere credebatur, amiſerimus.* PÜTTER in dem kurzen Begriff des teutſchen Staats-Rechts

Rechts §. 15. aber andere Rechte der Kayſerwürde ſind vorlängſt erloſchen, als ſelbſt die Herrſchafft in der Stadt und im Gebiete vom Rom. Magis ad rem noſtram accommode MOSER in dem teutſchen auswärtigen Staats-Recht p. 396: von des Kayſers und des teutſchen Reichs ehemahligen und angeblichen noch jezigen Rechten auf die Stadt Rom und den Kirchenſtaat wird von denen Gelehrten viles geſchriben, und *NB.* wer eine Freude an Praetenſionen-Machereyen und ſolchen Dingen hat, wodurch alles unter über ſich gekehrt, und an einander geſezet werden kan, der findet allerdings vilen Stoff bey diſer Materie: Da aber die Röm. Kayſere und das teutſche Reich die Päbſte nun ſchon vile 100 Jahre in ruhigem Beſiz der Oberherrſchafft über die Stadt Rom und den Kirchenſtaat gelaſſen haben; ſo mögen meinetwegen die Päbſte auch noch ferner darinn bleiben. Quis non miretur aequiorem longe in Pontificem eſſe ſcriptorem Proteſtantem, quam Catholicum?

Ad Sect. I. §. III. Quod hic Auctor inquit de authoritate Epiſcoporum in Comitiis, ſive ita dictis *Placitis Regni* ſub Regibus Francis; de eo uberius agitur in der Geſchichte der alten Staatsverfaſſung in Franckreich, Teutſchland, und Italien *edit. german. 1763. Part. I. Lib. 5. Cap. 4. et ſeqq. adde* FLEURYUM *Diſſ. III. in Hiſt. Eccleſ. §. IX.* qui idem videndus eſt l. cit. *§. VIII.* de militia Epiſcoporum, immo et Abbatum, de qua Auctor in nota mentionem injicit. Abuſum hunc FLEURYUS potiſſimum invaluiſſe putat a Sec. VII., tum quod ante eam aetatem vix ex ita dictis Barbaris quanquam Chriſtianis ad ſtatum Clericalem aliqui aſſumerentur, uti ex nominibus Epiſcoporum et Clericorum nonniſi Romanae linguae genio congruis videtur elucere; tum quod ante Sec. VII. non occurrant in Conciliis Canones prohibentes Clericis, ne militent, aut arma gerant: eo enim rem deveniſſe, ut deinde vix non ordinarie armati incederent, elucet ex cit. *Hiſtoria Part. III. f. 83.* Sub *Carolo M.* ad preces ipſius populi conceſſum equidem fuit, utne Epiſcopi ipſimet in caſtris adeſſe cogerentur, modo Vaſallos ſuos militesque eo ablegarent, teſte FLEURYO *Hiſt. L. XLV. n. 26.* ſed nec eo tempore, nec etiam poſterioribus ſeculis in Germania quoque, durantibus fatalibus illis diffidationum temporibus, abuſum hunc penitus abrogatum fuiſſe, teſtantur tot exempla Epiſcoporum in acie aut caeſorum aut captorum paſſim occurrentia.

Quod de *Erlongo* inquit Auctor, eum jam inter Epiſcopos Wirceburgenſes praeter pedum ſcuto ſuo etiam gladium inſeruiſſe, inter recentiores alios negat Celeb. PÜTTER *Reſponſorum Part. II. Reſponſ. XXVIII. p. 328.*, ubi vult *Sigismundum* ortum ex Ducibus Saxoniae, Wirceburgenſem deinde Praeſulem gladium inſeruiſſe armis ſuis inter omnes primum, tanquam gentilitium Saxoniae Ducum inſigne, quem deinde *Godefridus Limburgicus* aliique ſucceſ-

ſores imitati fuerint: ſed *Erlongum* tum in ſigillo ſuo ex *Spangenberg. Genead. Henneb.*, tum in numis cum gladio apparere ex *Auctore Demonſtrationis Hiſtorico-diplomaticae vindicantis Ducatum et Judicium provinciale Franconiae, a multis jam ſeculis pertinere ad Epiſcopum Wirceburg. contra D. Gonne* 1758. contendit P. GREBNER S. *J. in Compend. Hiſtor. Univ. et pragmat. Tom. II. L. XII. p. 835.* Titulum quoque *Franciae Orientalis Ducum* nonniſi a nominato *Godefrido* repetendum eſſe exiſtimat cum aliis l. cit. PÜTTERUS; ſed GREBNERUS *Tom. cit. L. X. p. 423.* eum vult occurrere jamdum ad ann. 1008. in literis inſtitutionis ad parochiam Coburgenſem datis a *Joanne Schott* Archi-Diacono Wirceburgenſi apud HÖHN *L. 2. Hiſtor. Coburg. p. 3.* his verbis: *Joannes Schott Canonicus et Archi-Diaconus Eccleſiae Herbipolenſis Reverendiſſimi in Chriſto Patris et Domini Domini Laurentii (Heinrici) Epiſcopi Herbipolenſis ac Francie Orientalis Ducis in ſpiritualibus Vicarius:* de ipſo Ducatu Franciae Orientalis vide momenta utrinque praecipua apud cit. PÜTTER et P. GREBNER *Tom. 3. p. 573 ſeqq.*, et alios ab utroque hoc ſcriptore ibidem relatos.

Ad Sect. III. §. II. n. 3. Auctor mentionem hic facit opuſculi editi ſub nomine cujusdam P. LOCBORDE. Videtur idem, de quo ſermo eſt ſub nomine P. DE LA BORDE *in Reflexionibus et principiis melioribus de jurisdictione Eccleſiaſtica, oppoſitis principiis Poloni nobilis*; quae lucubratio hoc titulo ſubjuncta eſt *Tom. I. Jur. Can. Vet. et moderni* P. AMORT. Opuſculum adſcriptum P. DE LA BORDE. In polonicum transtulit Anonymus 1753. hoc titulo: *Principia de natura, diverſitate, et limitibus utriusque poteſtatis ſpiritualis et temporalis, ex gallico P.* DE LA BORDE *Presbyteri Oratorii.* In Reflexionibus citatis principia haec LA BORDIO adſcripta confutantur, oppoſitis aliis. Ceterum famoſus eſt LA BORDIUS in actis circa Bullam celeberrimam *Unigenitus*, a Cardinali *Noallio*; qui inter alios de Bulla recipienda, *La* BORDIUM a conſiliis adhibuit; de qua re, quod *Bordium* concernit, Conf. *Journal de Mr. l'Abbe d'Orſanne a Rome 1753. Noallium* ab eo a Bulla pure et ſimpliciter acceptanda nunquam non retractum fuiſſe exinde apparet, donec BORDII ſuggeſtionibus inſuper habitis, id nihilominus faceret. Apud P. COLONIA *Bibliotheque Ianſeniſtique Lit. T.* tribuitur etiam BORDIO opus *du temoignage de la verité dans l'Egliſe &c. 1714.* Condemnatum fuit in conventu generali Cleri Gallicani 1715: nihilominus denuo impreſſum 1754., ubi poſt praefationem editor haec ſubjungit: *Scitur opuſculum cui titulus: Le temoignage de la verité ſcriptum eſſe a celebri P. de la Borde Presbytero Oratorii, qui poſtquam ultimis illud vitae ſuae annis ferme dimidia parte auxerat, id ſecreto perſonae fidae commiſit, ut edatur poſt ſuam mortem.*

Ad ejusdem Sect. §. III. Ex eo ipſo, quod hic Auctor confutat, argumento Anonymus antea nominatus von dem Rechte des Kayſers etc. incredibili

ſane

ſane audacia atque temeritate ejusmodi ſequelam deducit: Elector Imperii debet eſſe territorio ſeculari in Imperio praeditus: ſed Eccleſiaſticus bona conſcientia ejusmodi territorium poſſidere nequit, igitur nec eſſe Elector Imperii poteſt. Minorem deinde ſane quam ſtolide inter alia præcipue quoque probare conatur Sanctionibus Juris Canonici, quibus interdicitur Clericis, ne ſe ſecularibus negotiis immiſceant. Recte autem ab Auctore reſpondetur, mentem Eccleſiae aliam non eſſe, niſi ut iis abſtineant, quae eorum ſtatum minus decent. Jam vero cum Eccleſia ſciente, probante in quibusdam Regnis Epiſcopi ſimul agant integrorum territoriorum Principes; curae pro terris ſuis gubernandis neceſſariae jam minime amplius eorum ſtatum dedecent; immo vero ab eo neceſſario exigunter. Quo vero tandem collimabunt noſtris diebus horum hominum conſilia, quodſi talia jamjam luci publicae exhibere non verentur? Quoad ſupremas dignitates Regiam aut Imperatoriam ſatis cautum putat Auctor, ne ad perſonam Eccleſiaſticam devolvantur, cum id nec electione, nec jure ſuccedendi ſit eventurum. Nihilominus in Luſitania poſt extinctum in Africa *Sebaſtianum* Regem infelici cum Mauris conflictu, *Henricum* Cardinalem ex Regia ſtirpe prognatum, in regno ſucceſſiſſe nemine repugnante conſtat. Poſt extinctum quoque in Imperio noſtro *Ferdinandum III.* in difficillima illa *Leopoldi* electione, uti ex Hiſtoria Imperii et WAGNERO in ejus vita notum eſt, a Gallis poſt alias machinas propoſitus eſt Auguſto Electorum Collegio *Leopoldus* Archi-Dux, non Ordinis ſolum Teutonici ſupremus Magiſter, ſed et variorum Epiſcopatuum in Germania Praeſul: res quidem tum effectu caruit; ne hodie tamen quidem convenitur ſatis inter Juris Publici interpretes, Proteſtantes quoque, an Eccleſiaſticus Imperii Princeps abſolute ad dignitatem Imperatoris incapax ſit. Sane MOSER in Tract. von dem Römiſchen Kayſer, Römiſchen König und denen Reichs-Vicarien 1767. Cap. 2. p. 34. expreſſis verbis Eccleſiaſticos non excludi affirmat; quod idem jam uberius dixerat in opere ſuo majori Juris Publici *Vol. II. Part. II. Lib. II. Cap. III. §. 13.* Contrarium defendit data opera PHILIPPUS FRIDERICUS HANE in Diſſ. *An Imperatorem Romano-Germanic. e Principum Eccleſiaſticorum numero eligi quid impediat, Kiliae 1753.*, ex eo potiſſimum capite, quod *A. B. Tit. II. §. 3. temporale caput* populo Chriſtiano eligi jubeat, quod non ſatis convenire exiſtimat Eccleſiaſtico. §. 5. deinde et ſeqq. examinat verſionem germanicam A. B. ein zeitig Haupt, quam quidem non ſatis accuratam exiſtimat.

Ad ejusdem §. n. 10. Veriſſimum eſt, quod hic inquit Auctor, lites fidelium etiam profanas primis ſeculis arbitrio Epiſcoporum, idque permiſſu ipſorum deinde Imperatorum Chriſtianorum, terminatas fuiſſe. Certiſſimis id documentis probari poteſt, quin neceſſe ſit ad ſpurias S. *Clementis* Conſtitutiones ab ipſo Auctore rejectas provocare. De *Conſtantino M.* ſcribit SOZOMEN. Lib.

Lib. 1. Hiſt. C. 9. litigantibus permiſit, ut ad Epiſcoporum judicium revocarent, ſi Magiſtratus civiles rejicere vellent: eorum autem ſententia rata eſſet, aliorumque judicum ſententiis praevaleret, perinde ac ſi ab Imperatore ipſo data eſſet; utque res ab Epiſcopo judicatas Rectores provinciae eorumque officiales executioni mandarent. L. 7. C. de Epiſc. Audient. dicitur: *Si qui ex conſenſu apud ſacrae Legis Antiſtitem litigare voluerint, non vetabuntur, ſed experientur illius more arbitri ſponte reſidentis judicium: adde L. 8. ibid.* An id fieri potuerit etiam altera parte invita, non adeo certum eſt; conceditur id quidem ſat aperte in *Extravag. I. de Epiſc. Judic.*, quae habetur in appendice *Codicis Theodoſiani*, quaeque ab aliis *Conſtantino M.*, ab aliis *Theodoſio* tribuitur: *a Gothofredo* autem et pluribus ſuſpecta habetur. Qua ratione deinde haec jurisdictio tum aucta, tum vero etiam imminuta fuerit, vide apud FLEURY *Diſſ. VII. in Hiſt. Eccleſ. §. 2. ſeqq.*

Ad ejusdem Sect. §. VI. Recte hic innuit Auctor, unam ex praecipuis olim cauſſis, cur *Advocati* Eccleſiis conſtituerentur, fuiſſe, ut per eos jurisdictio profana et potiſſimum criminalis exerceretur; de qua re paſſim mentionem faciunt ii, qui de his Advocatis dedita opera ſcripſere. Conf. DE SELCHOW *de variis Advocatorum juribus et diviſionibus in Electis Juris Germanorum publici et privati 1771. Exercit. X. Sect. I. §. 5. Cap.* XIV. *Ne Clerici vel Monachi Secular. negot.* ſe immiſceant, graviter adhuc prohibetur, ne perſonae Eccleſiaſticae judicium ſanguinis inferendum curent, ad quod cap. notat BOEHMER *in edit. nov. Jur. Can. n. 61.* nequidem Epiſcopis etiam territorio ſeculari inveſtitis olim conceſſum fuiſſe, ut jurisdictionem criminalem, qua cauſſae ſanguinis eorum nomine exercerentur, alteri committerent; ſed id potius immediate tum temporis ab Imperatore factum: unde in *Jure Feudal. Alemann. edit. Senckenberg. Cap. XVII. §. II. verſ. latin. dicitur: quando Epiſcopus aliquem de jurisdictione criminali ſuper homicidio et effuſione ſanguinis ſubinfeudare vult, illum praeſentet cum literis ſuis Regi, ut de Banno eum inveſtiat:* et §. IV. *Laici Principes non tenentur judices ſuos ad Regem mittere, ut de Banno inveſtiantur: poſſunt ipſi de eo inveſtire, ſi modo ipſi de eo legitime inveſtiti fuerint. Bonif. VIII.* autem et hanc difficultatem ſuſtulit *cap. 3. Ne Clerici vel Monach. in 6.* his verbis: *Epiſcopus, ſeu quicunque alius Praelatus, vel Clericus, jurisdictionem obtinens temporalem, ſi homicidio aut alio maleficio ab aliquibus in jurisdictione ſua commiſſo Ballivo ſuo, aut alii cuicunque injungat, ut ſuper hoc veritatem inquirens juſtitiae debitum exequatur, irregularis cenſeri non debet: quamvis ipſe Ballivus vel alius contra malefactores ad poenam ſanguinis proceſſerit. . . nam licet Clericis cauſſas ſanguinis agitare non liceat: eas tamen, cum jurisdictionem obtinent temporalem, debent et poſſunt metu irregularitatis ceſſante aliis delegare.*

XVII.

GEORGII CHRISTOPHORI NELLER

J. U. D. et ad Doctor. Theol. admiſſi, in alma Univ. Trevir. SS. Can. Prof. Publ. et Ordin. &c. &c.

DISSERTATIO

DE

SACRAE ELECTIONIS PROCESSU.

Trevir. 1756.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit electio?

1. ELECTIO eſt unius perſonæ, * tanquam penitus idoneæ, ad munus Eccleſiæ collegiali ſententia facta vocatio.

* Sive maris, ſive *fœminæ*, propter veteres Diaconiſſas, & modernas Abbatiſſas, aliasque Superioriſſas, tum fœculares, tum regulares. Sive clerici, ſive *laici*, propter electionem Imperatoris, & quas celebrant inclyti Equitum religioſorum Ordines, Melitenſis, & Teutonicus, nec non FF. S. Joannis de Deo, ſive Alexiani. Quare in definitione quidam non recte apponunt: *clerici.*

2. Dicitur (a) *unius* perſonæ: quia, ſi plures *prælaudentur*, vel, ut veteres ajebant, *prætaxentur*, id eſt, ex cœteris ſeligantur, ut tertius quidam ulteriorem unius faciat determinationem, non eſt *electio*; * ſed ſingulari vocabulo in SS. Canonibus nuncupatur *Nominatio.* **

* Hinc, dum *Actor.* 1. ſurrogandus erat alius in Epiſcopatum Judæ proditoris, non *elegerunt* Apoſtoli, ſed *ſtatuerunt duos*, Joſephum Barnabam, & Matthiam: deinde orantes dixerunt: *Tu, Domine, oſtende, quem elegeris ex his duobus*, & ſic quodammodo nominarunt Deo, qui per ſortem determinaret perſonam.

** De hac ſpecifica Nominatione habemus Cap. 3. de poſtul. in fin. *Mandantes, quatenus cum his, qui vocem in electione habere noſcuntur, per electionem, poſtulationem, ſeu NOMINATIONEM canonicam, in perſonam idoneam convenire curetis.* Et Cap. 28. h. t. *Ex prima electione, quæ facta DE TRIBUS dicenda videtur potius NOMINATIO &c.* Confer. *Cap.* 51. *h. t.* ubi reprobatur *compoſitio*, quam iniverat Abbas Cluniacenſis cum quodam Comite, tanquam patrono laico, ut abbas duos de melioribus Comiti nominaret, tanquam juri contraria. Quo non obſtante textu in celeberr. Abbatia Epternacenſi O. S. B., Diœceſis Trevirenſis, uſu venit, ut abbatia vacante Conventus Duci Luxemburgico per vota majora nominet tres viros, ex quibus unum Dux eligat in Abbatem. Sane *canonica nominatio*, de qua *Cap.* 3. *de poſtulat.*, quovis caſu ab his, qui jure gaudent eligendi, deſtinari poteſt ad *Superiorem* eccleſiaſticum, eum ſcilicet, cujus eſſet confirmare electum. Sed Capitula malunt *eligere*, quam *nominare.*

3. Dicitur (b) *tanquam penitus idoneæ:* non, quod omnis electus ſemper in veritate reperiatur talis: ſed, quantum *ad intentionem eligentium*, & *ſchema vocationis.* Per quod differt *electio* a *poſtulatione*; hæc enim vocat perſonam *non penitus idoneam*, & quia talis eſſe agnoſcitur, hinc poſtulatur.

4. Dicitur (c) *collegiali ſententia:* per quod differt electio a *nominationibus* Principum, Turnariorum, & aliorum, quibus ſi aliquando tribuitur verbum *electionis*, ut in *Cap. 31. h. t.*, per abuſionem fit. Item a *præſentatione patronorum*, licet hi forent plurimi: quia hæc non fit *collegialiter:* ſi jus patronatus diviſum eſt in plures perſonas, tot ſunt præſentationes, quot ſunt patroni: econtra non ſunt tot electiones, quot ſunt numero eligentes. *Cap. 55. h. t.*

* Quodſi forte jus patronatus ſpectet ad aliquod *Collegium qua tale*, determinatio præliminaris præſentandi clerici fit mediante electione: ſed hæc perſona ex poſt facto non conſideratur amplius *ut electa*, & *confirmanda*, ſed *ut præſentata*, & *inſtituenda.* Hoc ſenſu electionis vox ſumitur in *Cap.* 24. *h. t.* ubi electus a populo in parochum inſtituebatur.

5. Addunt multi in definitione: *a Superiore confirmanda:* alii rectius omittunt hæc verba: quia non omnis electio confirmatur. *

* E. g. Papæ, & Imperatoris: imo in multis Eccleſiis ſolent eligi Scholaſtici, Theſaurarii, & Cantores citra ullam confirmationem. Similiter, ubi non eſt mos turni, canonici capitulariter eliguntur, & inſtituuntur, abſque confirmatione. *Cap.* 31. *h. t.* Nec primitus ipſi etiam Epiſcopi electi confirmabantur, ſed prævio ſcrutinio perſonæ ordinabantur.

6. Dividitur electio in *canonicam*, ſic dictam in ſpecie, quæ celebrari debet, vel voluit, juxta rigorem cap. *Quia propter* 42. h. t. Et in *non-canonicam*, dum

dum eligentes nec debuerunt, nec voluerunt ſe obligare ad d. cap., ejusque præciſam formam. *

* Tales ſunt electiones Prælatorum ſæcularium, Epiſcopis inferiorum, e. g. Præpoſitorum, Decanorum, Scholaſticorum &c. in quibus nec ſcrutinii, nec compromiſſi, via neceſſaria eſt; item electio Coadjutoris. Eſt tamen in arbitrio majoris partis Capituli velle *canonicam electionem*: unde, qui ſimilibus electionibus præeſt, interrogare ſolet Capitulares, *an velint canonicam electionem celebrare, nec ne.* Non eſt autem electio *non-canonica* imperite confundenda cum *vitioſa*, & quæ ſit *contra canones.*

QUAESTIONES

Ad hujus ſphi num. 4.

1. Quot perſonæ requirantur ad hoc, ut ſit Collegium, & collegialis in electione ſententia?

℟. De jure *civili* tres. l. 85. ff. de V. S. *Neratius Priſcus tres facere exiſtimat collegium: & hoc magis ſequendum eſt.* De jure *canon* i*coduo fratres* ſufficiunt: Cap. 1. h. t. *Nullus in Eccleſia, ubi DUO, vel tres fratres fuerint in congregatione, niſi eorum electione canonica, presbyter eligatur.* Ratio eſt, quia in duobus ſalvatur pluralitas juxta R. J. in 6. *Pluralis locutio duorum numero contenta eſt.* Imo amplius: Collegium ſemel in pluribus ſtabilitum intelligitur conſervari in uno capite. *l.* 7. §. 2. *ff.* quod cujuſque univ. *Si univerſitas ad unum redit, magis admittitur, poſſe eum convenire, & conveniri: cum jus omnium in unum reciderit, & ſtet nomen univerſitatis.*

2. Quid, ſi duo tantum ſint eligentes, quomodo procedent?

℟. Poterunt (1.) concorditer *eligere tertium*, ſive is fuerit extraneus, ſive de gremio abſens. (2.) Primus palam (nam voti ſecreti lex hoc caſu ceſſat) eligere poteſt ſecundum, & hic aſſenſu ſuo facere concordem totius collegii electionem. *Arg. Cap.* 33. *h. t.* (3.) Unus poterit in alterum compromittere, vel ambo in extraneum aliquem. (4.) Unus poſſet pro ea vice voto ſuo renunciare, ut unus duntaxat eligeret.

3. Quid, ſi unus tantum?

℟. Cum ſe ipſum eligere nequeat citra ambitum, neceſſe eſt, ut vel eligat extraneum, vel in talem compromittat. Compromiſſarius autem poterit compromittentem ipſum eligere: modo abſit colluſio. Vid. ENGEL *h. t.* §. 1. *num.* 13.

§. II.

De voce activa, & passiva in electione.

1. Vox *activa* est jus coëligendi: vox *passiva* est eligibilitas. Hæc non est, nisi æquivoce, vox: & ideo verbum *vox*, sine addito positum, *activam* significat. *

* Non semper, qui gaudet *activa voce*, gaudet quoque *passiva*: Elector ecclesiasticus in S. R. I. habet activam in electione Imperatoris, nec tamen passivam. Capitulares minores 30. annis habent activam in electione Episcopi, non passivam. Dicuntur Coloniæ Canonici presbyteri, sive Doctores, non habere passivam (licet hoc illi nondum concesserint) dignoscuntur nihilominus habere activam, non secus, quam reliqui Canonici Comites. Nec, qui caret *activa voce*, hoc ipso carebit passiva, ut patet in *non-Cardinali*, & aliis extraneis, qui eligi possunt, non eligere: item in his, qui Subdiaconi non sunt, respectu electionis episcopali inferioris. Privatus voce *propter delictum*, non sola activa privatur, sed per consequentiam passiva quoque: cum major esset deformitas, si talis eligeretur, quam si ad eligendum admitteretur. Ad omnem scrupulum tollendum exprimetur in canone, vel sententia privante, utraque vox, exemplo Tridentini *Sess. 25. de Regular. cap. 2. in fin.*

2. Intentionem *vocis activæ* habent in jure fundatam, quicunque *de Congregatione*, ejusque Capitulo, existunt. *Cap. 1. h. t.* * adeo, ut, qui ejusmodi aliquem repellere vult ab electionis actu, probatione oneretur.

* Quod jus perditur *per excorporationem:* nec valet *reservatio voti activi*, quoad prius monasterium facta a monacho, qui in alterius monasterii abbatem electus eo transmigravit. *Cap. 47. h. t.*

3. *Extranei*, id est, qui *de Capitulo eligente* non sunt, habent præsumptionem contra se: probare igitur debent, *si in petitorio agant*, privilegium, concordatum, aut aliam ejusmodi acquisitionem vocis: vel his deficientibus, tanti temporis consuetudinem, ut hoc ad præscriptionem legitimam sit productum. *Cap. 3. de caus. poss. & propr. in fin.* Præstat, non cumulando petitorium, se tueri *possessorio*. Cap. 24. h. t. * probando, non solum, quod ultimæ electioni interfuerint, & scrutatores dederint voluntatem, sed etiam, *quod inquisita fuerint sua vota, vel ipsi aliquem elegerint.* Cap. 50. h. t.

* Quasi-possidens enim extraneus jus cöeligendi manutenebitur. *d. cap. 3.* Si incautus cumularet petitorium cum possessorio, contingere posset, ut *in possessorio* triumpharet, *in petitorio* succumberet per eandem sententiam, ut *ibid.* Ne propter extraneos, cöeligere prætendentes, sufflaminetur electio, praxis, & cautela Capitularium bona est, admittere tales, protestando, *quod vox eorum, qui non deberent interesse de jure, vel de consuetudine, non valeret. Cap.* 50. *h. t.* Et tunc in processu confirmationis hoc examinatur ante omnia; si qui-

ſi quidem ex iſta quæſtione dependeat majoritas ſuffragiorum; alioquin erit pro iſta vice ſuperfluum.

Additio. Circa electionem *Canonicorum* in Cathedralibus Eccleſiis *Epiſcopus* non debet reputari *pro extraneo*, nec habet præſumptionem contra ſe: cum ea de jure communi pertineat ſimul ad Capitulum, & Epiſcopum illius Eccleſiæ. Itaque, ſi Capitulum velit excludere Epiſcopum, incumbet illi probatio: & vice mutua, ſi ſolus Epiſcopus vellet conferre tales canonicatus, ipſe pariter probabit: quo caſu, qui melius probat, vincit. *Cap.* 31. *h. t.*

4. Non omnes tamen, qui ſunt alicujus Eccleſiæ canonici, admittuntur ad eligendum: removentur enim

a) Qui diſcretione carent, ut impuberes. *Cap.* 32. *h. t. in* 6. Et ex eadem ratione mente capti, furioſi, &, qui his per omnia comparantur in jure, *prodigi*: ſi enim dona mundi nequeant diſpenſare, quomodo diſpenſabunt dona Dei?

b) Excommunicati excommunicatione majore. *Cap.* 23. *de appell. Cap. un. princ. Ne ſed. vac. in* 6. Non item minore. *Cap. fin. de Cler. excom.* quod hanc rem plenius decidit: nam tempore Innoc. III. deſuper adhuc dubitabatur. *Cap.* 39. *h. t.*

c) Suſpenſi. *Cap.* 16. *in fin. h. t. Cap.* 8. *de conſuet.* His accenſentur perſonaliter interdicti propter delictum. *Arg. d. cap.* 16. in verb. *ſuſpenſionis, & interdicti ſententia relaxata.*

d) Irregularis ex eo, quod ſcienter celebraverit in loco interdicto. *Cap.* 18. §. *un. de ſent. excom. in* 6. Quæ pœna ſingularis male a quibusdam producitur ad omnes irregulares: cum nullibi habeatur in jure, quod irregularitas per ſe privet activa voce.

e) Qui nondum ſunt Subdiaconi, licet forent de Capitulo, & reliqui Capitulares vellent eis hoc libere concedere: *Ut ii, qui divinis in cathedralibus, vel collegiatis, ſæcularibus, vel regularibus eccleſiis ſunt mancipati officiis, vel mancipabuntur in poſterum, ad ſuſcipiendos ſacros ordines propenſius inducantur.* Clem. 2. de ætat. & qualit. Quam in terminis renovavit. *Trid. Seſs.* 22. *de Reform. cap.* 4.

f) Qui per *ſtatutum particulare* ſuæ Eccleſiæ, a Superiore confirmatum, vel antiqua conſuetudine approbatum, *aphoni*, id eſt, nondum ſunt *vocales*. Sunt enim Eccleſiæ, ut Herbipolenſes, in quibus novitius Capitularis, licet Subdiaconus fuerit, primo triennio non eſt vocalis, propter os ſibi clauſum, ut audiens prius, & tacens, diſcat diſcrete votare.

5. *Vocis paſſivæ* intentionem fundatam habet quilibet de Capitulo, etiamſi ultimus fuerit in ordine congregationis, *Can.* 14. *diſt.* 61.* proinde, qui talis vocis quæſtionem alicui Capitulari vult movere, plenæ probationi adſtringitur. **

* Imo, quouſque reperitur aliquis de Capitulo dignus, & idoneus, ſacri Canones

nolunt cogitari de extraneis, *ne emeritis in ſuis eccleſiis clericis peregrini, & extranei, & qui ante ignorati ſunt, ad excluſionem eorum, qui bene de ſuorum civium merentur teſtimonio, præponantur.* Can. 12. diſt. 61. *Tunc autem alter de altera eligatur Eccleſia, ſi de civitatis ipſius Clero, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit reperiri.* Can. 13. end. *Nam grave Cleri illius erit opprobrium, ut alium ſe dicant, qui eligi debeat, non habere.* Can. 15. ead. Quod etiam in eligendis Abbatibus ſtatuit can. 5. XVIII. q. 2. *Defuncto vere abbate cujuſquam congregationis, non extraneus eligatur: quodſi aptum inter ſe perſonam invenire nequiverint, ſolerter ſibi de aliis monaſteriis ſimiliter eligant ordinandum.*

* Quorſum requiritur certa, & indubitata fides moris, aut immemorialis conſuetudo, qua certi Capitulares poſitive excludantur ab Epiſcopatu, vel aliis Prælaturis: non ſufficit autem, quod reliqui Canonici, e. g. ſoli Nobiles, ſemper ita convenerint in nobilem pluralitate votorum, ut nullus de Canonicis Doctoribus non-nobilibus unquam electus fuerit: nam ex hoc non concluditur ad ineligibilitatem, ſed ſolum ad æmulationem evehendi Nobilem præ Doctoribus canonicis.

6. Eligi non poſſunt

a) Hæretici, & ex hoc maculato genere deſcendentes, licet eſſent Catholici. *Cap.* 15. *de hæret. in* 6. Scribunt paſſim DD. Germani, nativitatem ex maculato circa fidem genere non officere in Germania Catholico facto, vel nato; ſi modo parentes fuerint *de Religione tolerata*. Utrum Roma ſit eadem ſententiæ, me latet.

b) Schiſmatici. *Cap.* 5. *h. t.* Quodſi talis tempore electionis ab jurato ſchiſmate actu jam redierit ad Catholicam unitatem, neque ullum ordinem a Schiſmatico ſuſceperit, electio *diſpenſative*, id eſt, per indulgentiam canonicam, confirmatur. *Ibid.*

c) Excommunicati, ſuſpenſi, interdicti. *Cap.* 7. *princ. de Cler. excom. Cap.* 16. *h. t. Cap.* 8. *de conſuet.* etiamſi duntaxat minor excommunicatio foret. *Cap. fin. de Cler. excom.* pro eo, quod ad ſuſceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a SS. Patribus eſt privatus. *

*) Huc pertinent *omnes irregulares*, inter quos ſunt illegitimi, & illiterati. *Cap.* 7. *h. t.* infames, & criminoſi: de quibus alio loco.

d) Qui ſine diſpenſatione retinuit plura beneficia de jure incompatibilia. *Cap.* 54. *h. t.*

e) Qui elegit ſcienter *Simoniacum*, talis enim ſe reddidit indignum eccleſiaſticis beneficiis. *Cap.* 26. *h. t.* Summarium hujus Capituli in duobus peccavit. 1) Quod hanc ineligibilitatem reſtringat *ad triennium*, cum nihil ſit in textu hanc reſtrictionem inſinuans. 2) Quod generaliter velit, eligentes *indignum* triennio eſſe ineligibiles, cum tamen textus dicat: *TALEM ſcienter in epiſcopum eligendo*, id eſt, Simoniacum. Conceptorem hujus Summarii confuſum fecit *Cap.* 7. §. *fin. h. t.* per quod eligentes indignum triennio ſuſpenſi ſunt a beneficiis eccleſiaſticis: unde is putavit, in caſu *Cap.* 26. ineligibilitatem

tatem cauſatam fuiſſe *a ſuſpenſione* incurſa per *Cap.* 7. *cit.* Sed verius ineligibilitas abſoluta, & perpetua in odium ſpeciale Simoniæ ſtatuebatur in *d. Cap.* 26.

) Qui alios ſollicitavit precibus, ut ſe eligerent, maxime ſi pacta, & juramenta intervenerint. *d. Cap.* 26. quia locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, fugientibus offerendus. *Can.* 9. *VIII. q.* 1.

) Qui non eſt actu in ea ætate, vel ordine, qui tempore electionis requiritur, de quo alibi.

Quo minus eligatur abſens, & inſcius, nihil obſtat. *Cap. 20. h. t.*

QUAESTIONES

Ad hunc ſphum num. 3.

anti temporis quaſi poſſeſſionem debeat probare *extraneus* pro eo, ut vindicet ſibi jus cöeligendi.

r. Ut ex his, qui olim quoad negotium electionis non reputabantur *extranei*, ſed una cum Capitulo Majore coëligebant Epiſcopum, e. g. Abbates, & Præpoſiti eccleſiarum conventualium ejusdem civitatis, recuperet aliquis jus antiquum, ſufficiunt 40. anni, nec requiritur diſtinctio *Cap.* 1. *de præſcript. in* 6. ut vel neceſſarius ſit titulus, vel tanti temporis allegetur Præſcriptio, cujus contrarii memoria non exiſtat; quia ſibi non eſt contrarium jus commune, imo favens; conſtat enim, diu Epiſcopales electiones fuiſſe celebratas, more primitivæ Eccleſiæ, *a toto Clero civitatis*, donec Capitula Majora præſcripſerint contra eos, *qui non ſunt de gremio*, & ſic præſcribendo fecerint extraneos. *Cap.* 40. *h. t.* Imo & Epiſcopi comprovinciales concurrebant. *Cap.* 4. *de poſtul.* Cujus utriuſque aſſerti reſpective proſtant exempla *in Geſtis Trevirorum apud Martene Tom. IV.* cap. 31. & 32. in EGILBERTO, cap. 64. in BRUNONE, cap. 83. in HILLINO. Cap. 90. in ARNOLDO. Cap. 95. in ſchiſmatica electione RUDOL. & FOLMARI. Sed, quoniam extraneis, qui prætendunt in *conventualibus Eccleſiis* jus cöeligendi cum Capitulo, jus commune eſt contrarium, requiritur præſcriptio ad rigorem *d. cap.* 1. *in* 6.

Ad num. 4. *lit. b.*

poſt conſtitutionem: *Ad evitanda ſcandala*, MARTINI V., edit. in Concil. Conſtantienſi, excommunicatus ad convotandum admitti poſſit, ſi nec ſit notorius Clerici percuſſor, nec denuntiatus publice, ut vitetur?

r. Admitti poteſt *ſine periculo incurrendæ excommunicationis minoris, aut vitiandæ electionis;* ſed ejus votum pro nullo eſt, ſicut, ſi hoc præciſe deſideretur ad facienda majora, non habeatur electio. *Ratio eſt* 1.) quia excommunicatus non eſt de Eccleſia: ergo neque de Capitulo, quod neceſſario eſt in Eccleſia: 2.) quia ante conſtitutionem Martini V. votum ex-

came-

communicati non valebat: ergo nec poſt eam; cum conſtitutio iſta nullatenus eum reſtituerit.

Ad eund. num. lit. c.

An ſuſpenſus *a beneficio* tantum, vel *officio* tantum, gaudeat voce activa?

℣. *Affirm.* ad utrumque *Ratio primi*: quia, qui eligit ſcienter indignum, eſt ſuſpenſus triennio a beneficio. *Cap.* 7. §. *fin. h. t.* Atqui nihilominus non eſt privatus voce activa, niſi *pro tunc.* Cap. eod. & *una vice* tantum, ut, ſi eveniret alia facienda electio intra durans ſuſpenſionis triennium, ad hanc vocari deberet. *Cap.* 25. Et quoad hanc reſolutionem plerique DD. concordant. *Ratio ſecundi*: quia jus voti non eſt *pars officii canonicalis*, propter quod datur beneficium, nec eſt *onus*, ſicut eſt *officium*, nec cogi quis poteſt *ad votandum*, quemadmodum *ad fungendum officio ſuo*, frequentando chorum, celebrando, miniſtrando: ſed eſt commodum *ex Capitularitate* reſultans, potiuſque (niſi obſtaret *Cap.* 7. §. *fin.*) referri deberet *ad beneficium*, tanquam *fructus honorificus*, inſtar præſentationis, quæ eſt fructus Juris patronatus. Requiritur itaque, ut aliquis ſit ſuſpenſus *ſimpliciter*: tunc cenſetur eſſe ſuſpenſus *ab omni activitate*, ſive *in choro*, ſive *in capitulo.* Quodſi Decanus, qui ſimul eſt Canonicus, ſuſpenſus eſſet *a functionibus Decanalibus*, non poſſet is equidem præſidium, & directorium electionis habere, votum tamen, ut ſimplex Canonicus, retineret.

Ad eundem num. & lit.

An, qui non *ex poteſtate clavium* ſuſpenſus eſt a Capitulo, ſed *mere diſciplinaliter*, per ſuum Decanum, eo modo, quo etiam Abbatiſſa clericos ſuos ſuſpendere poteſt *Cap. 12. de M & O*, amittat vocem activam?

℣. *Affirm.* Suppoſito, quod Decanus habeat hanc poteſtatem, & juſta cauſa ſuſpenſionis adfuerit. Quia ſuſpenſus a Capitulo nequit ad ullum actum Capitularem concurrere. Nec refert, quod Canonicus ſuſpenſus forte appellaverit: nam in correctoriis, & diſciplinaribus appellatio non habet effectum ſuſpenſivum, nec impedit executionem.

Ad eundem num. & lit.

An infamia removeat ab eligendo?

℣. *Negat.* Qui hoc nullibi eſt expreſſum, & infamis manet adhuc ſimpliciter Capitularis. Nec refert 1.) Quod infamia arceat ab honoribus; id enim de *ſuſcipiendis* procedit, non de *conferendis.* Nec refert 2.) Quod eligere ſit actus legitimus *Cap. 2. in fin. de ſent. excom. in* 6. infamibus autem actus legitimi ſint prohibiti: nam unde verificatur hæc minor propoſitio? Certe neque ex *R. J.* 77. *in ff.* nec ex *R. J.* 87. *in* 6. Hoc conceſſerim, quod reliqui honeſti viri non teneantur pati, ut ſecum in Capitulo conſideat, tractetque homo, cujus infamia vel per ſententiam conſtat, vel ita eſt aperta, ut nulla tergiverſatione celari poſſit. *Arg. l. 2. ff. de Offic.*

Offic. Assess. Debebunt tamen procuratorem infamis saltem admittere, & nolint consentire in ejus præsentiam personalem.

Ad eundem num. lit. e.

An in monasteriis, ubi regula vult omnium professorum audiri vota, *non-Subdiaconi* sint vocales in electionibus? E. g. ut Regula S. Benedicti cap. 3. statuit: *Quoties aliqua præcipua agenda sunt in monasterio, convocet Abbas omnem congregationem .... ideo autem omnes ad consilium vocari jussimus, quia sæpe juniori Dominus revelat, quod melius est.*

℟. Si Regulares *non-Subdiaconi* vocem habeant *in aliis negotiis* monasterii *præcipuis* secundum regulam, non video, cur hæc eis negari debeat *in electione sola*, attento, quod nec Clementina, nec Tridentinum *de electione* nominatim caveat, sed universim in omnibus negotiis vocem Capitularem adimat non-Subdiaconis: vel ergo nunquam habebunt votum, vel habebunt pariter in electione, sicut de jure antiquo habebant. *Can.* 3. *XVIII. q.* 2. De illis Regularibus tantum videntur intelligi debere Clementina, & Tridentinum, *qui ad suscipiendos ordines debebant propensius induci*: sunt hi, qui, cum de licentia Abbatis subdiaconatum suscipere per canones possent, se non qualificant: non illi, qui præpediuntur ætate, vel alio impedimento canonico. Cur enim isti innocentes mulctentur privatione vocis? Observantia Monasteriorum, etiam ejusdem Ordinis, non est hac in re uniformis. Non sunt reprehendenda illa, quæ regulæ suæ inhærentia *ad quosvis actus Capitulares* admittunt *non-Subdiaconos*, qui citra negligentiam sunt tales: quoniam per constitutionem generalem noviter editam non censetur (nisi expresse caveatur in ipsa) derogari regulis a Sede Apostolica dudum approbatis. *Arg. Cap.* 1. *de Const. in* 6.

Ad num. 6. lit. c.

An suspensus *a beneficio tantum*, sicut est, qui peccat contra *Cap. 7. h. t.*, possit eligi?

℟. *Affirm.* Quia nullibi prohibetur eligi, & electio vocat *primario* ad *officium*, quod suspensis *a beneficio tantum* non est interdictum.

§. III.

De vitiosis electionibus.

1. *Electio vitiosa* contingit vel *vitio personæ electæ:* vel *modo electionis* Cap. 12. & 57. h. t.

2. *Personæ vitium* est, si vel plane indignus eligatur, vel saltem is, qui debuisset postulari.

3. Pœna ſcienter eligentium perſonam indignam eſt.

a) Privatio vocis activæ pro ea vice. *Cap.* 7. §. *fin. h. t.* id eſt, donec aliquis electus tunc fuerit ſine ipſis. Electione ſecundum ſe perfecte facta, licet ea ex poſt forte propter diſſenſum, aut mortem electi deſtitueretur, privati recuperant deperditam vocem: Et hoc magis, quando non privati ad ſecuadam electionem admiſiſſent ultro privatos, & jam tertiam electionem contingeret celebrari. *Cap.* 15. *h. t.* *

* Ad incurrendam hanc privationem vocis requiritur 1.) Ut ipſimet eligentes in eo peccâverint: nam ſi compromiſſarius eorum peccaſſet, hoc compromittentibus non noceret, ſi fuerint innocentes. *Cap.* 27. §. 2. *h. t. in* 6. 2.) Ut effective ſubſecuta ſit *communis electio* indigni. *Cap.* 7. *h. t. in* 6. Itaque non ſint præcipites illi, qui dignum eligunt; ſed exſpectent, donec alii ſcienter eligentes indignum publicaverint ſuam electionem: ſola enim *ſcrutinii* publicatio non ſufficit. Quodſi illi noluerint ſuam electionem publicare, ſed pœnitere, & reliqua pars majora vota non habeat, procedetur ad novum ſcrutinium: quia Cap. 7. dicit: *nequaquam eligendi poteſtate priventur.*

b) Suſpenſio triennalis a beneficiis. *Ibid.* Et quidem ipſo jure. *Cap.* 37. §. *ult. h. t. in* 6. *

* Nota 1.) Hanc ſuſpenſionem non incurrit *Epiſcopus compromiſſarius*, ſcienter eligens indignum; cum de jure nullam ſententiam ſuſpenſionis incurrat, niſi de ipſo expreſſa mentio habeatur *cit. Cap.* 37. 2.) Non incurritur in aliorum, quam *Epiſcoporum, & qui ſupra hos ſunt*, electionibus. 3.) Reſtringitur hæc pœna *ſolum ad ea beneficia*, quæ ſic peccans *in illa obtinet eccleſia*, quam taliter eligendo ſpecialiter noſcitur offendiſſe. *Ibid.* 4.) Probabile eſt, tunc ſolum incurri hanc ſuſpenſionem, cum peccatur *in formam Cap.* 7. *h. t.* conſequenter duntaxat, ſi electus in Epiſcopum ſit *minor* 30. *annis*, *illegitimus*, *malæ vitæ*, *illiteratus*: non, ſi aliis impedimentis laboraret.

4. *Sui ratione*, & *modo* vitioſa eſt electio

a) Simoniaca. *Cap.* 11. & 23. *de Simon.* etiamſi foret ſolummodo pactitia. *Cap.* 26. *h. t.* *

* Uſque adeo, ut etiam *innocens*, ſimonia *per tertium* commiſſa electus, in eadem eccleſia nequeat promoveri. *Cap.* 12. *h. t.* nequidem diſpenſative *pro ea vice*, ſi ſit prælatura. *Cap.* 59. *h. t.* Ad aliam tamen Eccleſiam innocens, nec ratam habens Simoniam, poterit promoveri. *d. cap.* 12. & *Cap.* 11. *verſ.* rurſus *de Renunc.*

b.) Quæ ſit per abuſum poteſtatis laicalis. *Cap.* 43. & 56. *h. t. Cap.* 10. *de at. & qual. præf. Can.* 1. 2. 5. 7. *diſt.* 63. Ad quem abuſum quoque pertinet clamor populi. *Cap.* 2. *h. t. Can.* 2. *diſt.* 62. qui taliter eſt ſuſpectus, & odioſus, ut ℣P. Sardicenſes electum ad clamorem populi noluerint, nequidem in ſine vitæ, ad laicam communionem recipere. *Ibid.* Qui per ſæculares poteſtates ordinatus fuerit, ait *Can.* 2. *I. q.* 7. *in fin.*, aut eccleſiam obtinuerit, deponatur; ſi vero religioſam domum, expellatur. *

* Non tamen repugnat SS. Canonibus poſtulatio aſſenſus Regii poſt peractam ele-

electionem. *Cap.* 14. *in fin. h. t.* Solemnis electio debet Principi præsentari, ut postulationi præstet assensum. *Cap.* 28. *h. t.* Et ipse Innoc. III. in *Cap.* 18. *prope fin. h. t.* mandavit, ut Capitulum Capuanum a se, tanquam tutore pupilli Regis Siciliæ Friderici II., postularet *vice regia* assensum. Imo secundum Concordatum Calixtinum cum *Henrico V.* Imp. de anno 1222. fieri possent electiones Germanicæ in præsentia Regis: *Concedo, electiones Episcoporum, & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, IN PRÆSENTIA TUA fieri, absque Simonia, & aliqua violentia; ut, siqua inter partes discordia emerserit, Metropolitani, & Provincialium consilio, vel judicio, saniori parti assensum, & auxilium præbeas.* Observantia interprete, hæc præsentia non intervenit in loco, & actu electionis, ut major servetur Capitularibus libertas. *Vid. can.* 3. *dist.* 63. Sed Commissarius Cæsareus exspectat in Choro, vel alio conclavi, donec sibi significetur, & præsentetur electus. Pari modo proceditur, quando Ecclesiarum quarundam superstites adhuc *Advocati*, vel *Fundatorum hæredes*, se conferunt, aut Deputatos mittunt, ad locum electionis: *nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeant electioni tractandæ. Cap.* 25. *de J. P.*

c) Præmatura, nempe, quæ susciperetur 1) Ecclesia nondum vacante: nec valet citatio absentium emanans vivente adhuc Prælato, licet prævideatur esse decessurus. *Cap.* 36. *in fin. h. t.* 2) Corpore defuncti Prælati non dum terræ mandato. *cit. Cap.* 36.

3) Electione priore nondum a Superiore cassata. *Ibid. & Cap.* 10. *de arbitr.* Et hoc magis, si interposita fuisset pro prima electione qualicunque appellatio. *Cap.* 10. *h. t.*

4) Irrequisito ad tractatum electionis consilio eorum, quos adhiberi in consilium mandavit D. Papa. *Cap.* 52. *h. t.* Id quod post Concordata Germaniæ locum amplius non habet, nisi forte *in casu extraordinario, & valde difficili*, pro quo Papali sollicitudini lex præscribi conventionalis non potuit.

5) Idem erit, si deberent eligentes ex placito partium, vel arbitrorum, adhibere consilium certorum, nec adhibuissent. *Cap.* 7. *de arbitr.* licet hoc consilium non teneantur sequi. *Ibid.*

d) Nimis sera. Nempe Ecclesia *Cathedralis* vel *Regularis*, carere non debet Prælato suo, qui est Episcopus & respective Abbas, aut alius Præpositus primus monasterii, ultra tres menses. *Can.* 11. *dist.* 50. *Cap.* 41. *h. t.* Ne gregi dominico diu desit cura pastoris. *Cap.* 57. *in fin. de appell.*

* Destituta electione propter dissensum electi, vel renunciationem, vel irritationem, aut mortem ejus, currit Capitulo eligenti novum trimestre. *Cap.* 26. *h. t. in* 6. Dummodo nil fraudulenter egerit in præmissis. *Ibid.* scilicet studiose eligendo eum, quem prævidit non esse acceptaturum, ut tantummodo novum trimestre lucraretur.

e) Cui defuit plena suffragiorum libertas. *Cap.* 23. *h. t.* ibi: *si ei de vi, quam ipse, & sui metuebant, constaret.* Qui persequuntur, aut spoliant eligentes, pro eo, quod noluerint ad suos respectus vota in electione dare, ipso facto excommunicantur. *Cap.* 12. *h. t. in* 6.

f) Peccans in formam Cap. *Quia propter* 42. h. t. Quo caſu peccantes *ea vice* poteſtate eligendi privantur. *Ibid.* Hæc privatio non eſt *ipſo jure*, ſed *per ſententiam.* Cap. 18. *h. t. in* 6. Quare, ſi eligentes, defectum formæ advertentes, intra tempus conſtitutum pergerent ad aliam electionem, vitioſa Superiori nondum præſentata, hæc valeret.

g) Deficiens in numero votorum. *Cap.* 29. 48. & 50. *h. t.*

h) Facta per ſurreptionis aſtutiam, cum taliter aſcendere ad apicem dignitatis res eſſet pernicioſa exemplo. *Cap.* 32. *h. t.*

i) Facta per ſortes. *Cap. ult. de Sortil.* Vid. etiam *Can.* 4 *XXVI. q.* 2.

k) Denique clandeſtina: Cap. 42. cit. §. 2. *Electiones quoque clandeſtinas reprobamus, ſtatuentes, ut quam cito electio fuerit celebrata, ſolenniter publicetur.* *

* Clandeſtinæ electiones erant, quæ aliquamdiu ſecretæ tenebantur, in ſolo Capitulo coram eligentibus publicatæ, quin Clero externo, populoque annunciarentur ſtatim in Eccleſia. Fiebat autem hæc dilatio publicationis, quia Rex, Princeps, vel alius, prius volebat reſcire, *quis fuerit electus*, prætendendo Jus, *ſi diſpliceret ſibi perſona*, irritandi electionem ſecretam. Ita in Eccleſiis Terræ ſanctæ irrepſerat pravæ conſuetudinis morbus, ut, cum alicujus Prælati electio debebat celebrari, conventus duas perſonas *latenter* nominaret auribus Patriarchæ, vel Principis, ut ſic *alterius eligendæ, vel totius electionis penitus irritandæ*, idem Patriarcha, vel Princeps, plenariam haberet facultatem. *Cap.* 14. *h. t.* Conſimilem abuſum in Trevirenſi, & Colonienſi Eccleſiis Sæc. IX. viguiſſe, colligitur ex *can.* 4. *diſt.* 63. ubi NICOLAUS I. ſcripſit Lothario Regi. *Relatum eſt nobis, quod quicunque ad Epiſcopatum in Regno tuo provehendus eſt, nonniſi faventem tibi permittas eligi. Idcirco Apoſtolica Auctoritate ſub divini judicii obteſtatione injungimus tibi, ut in TREVIRENSI URBE, ET IN AGRIPPINA COLONIA, nullum eligi patiaris, antequam relatum ſuper hoc Apoſtolatui noſtro fiat.* Mirum, quod ADALBERO noſter in Oratione gravi, quam habuit ad PASCHALEM II., iſtam conſuetudinem, utut libertati eccleſiaſticæ inimicam, contenderit vindicare: *Temporibus*, inquiebat, *Anteceſſorum noſtrorum, ſanctorum Apoſtolicorum Virorum, Magni Gregorii, & aliorum, hoc ad vim Imperii pertinere dignoſcitur, ut in Majorum electione hic ordo ſervetur: ANTEQUAM ELECTIO PALAM PROFERATUR, AD AURES DOMINI IMPERATORIS PERFERRE, &, ſi perſona deceat, ASSENSUM AB EO ANTE FACTAM ELECTIONEM ASSUMERE; deinde in conventu, ſecundum canones, petitione populi, electione Cleri, aſſenſu honoratorum, proferre Conſecratum libere, nec ſimoniace, ad Dominum Imperatorem pro Regalibus, ut annulo, & virga inveſtiatur.* SUGERIUS abbas in Ludovico Craſſo.

QUAESTIONES.

Ad num. 3. *hujus ſphi lit. a*

Ad quem pertinebit proviſio, ſeu ordinatio Eccleſiæ, ſi omnes Capitulares elegiſſent ſcienter indignum?

℣. In *Eccleſiis Cathedrali inferioribus*, iiſque *mediatis*, ad proximum Superiorem, eum nempe, cujus eſt ſupplere negligentiam: In *Cathedralibus* vero (idem eſt de *immediatis*) ad ſolum Papam. *Cap.* 18. *h. t. in* 6. Ratio eſt, quia, quod immediatus Superior ſupplere poſſit negligentiam inferiorum hoc conceſſit Papa, alterum non conceſſit: non eſt autem conceſſio unius rei extendenda ad aliam, expreſse non conceſſam.

Ad eundem num.

Cui incumbat probatio ignoratæ ineligibilitatis?

℣. Ei, qui aſſerit, quod *ſcienter* electus ſit indignus. *Arg. R. J.* 47. *in* 6. Non obſtat *Cap.* 20. *h. t.* ubi dicit Innoc. III., ſe non modicum parcere Capitulo Vigorienſi, quod eis nec pœnam infligat expreſſam in Canone Concilii Lateranenſis, *nec eos probare cogat ignorantiam, quam allegarunt.* Quia Capitulum prætendebat ignoraſſe, *quod a ſe electus eſſet illegitimus*, cum tamen Epiſcoporum Suffraganeorum quidam hoc aſſerent, & defectus natalium raro ſic maneat occultus, ut ignoretur. Erat itaque præſumptio ſcientiæ, aut ſaltem ſupinæ ignorantiæ, contra Capitulum: propter quod dicit Innoc., Capitulares *improvide* elegiſſe; cum debuerint *poſtulare.*

§. IV.

De indictione futuræ Electionis, & abſentibus, eorumque procuratoribus.

1. Sepulto, aut ſaltem, ſi transferendum ſit Corpus, & tunc commode transferri non poſſit (ſicut non raro Trevirenſibus Archiepiſcopis accidit) interea in crypta honorifice repoſito defuncto Prælato, celebratiſque Exequiis *, *Capitulares*, ** *qui adſunt* (abſentes enim quoad hoc non curantur) præfigunt per vota majora *congruum*, & *diſcretum terminum* futuræ electionis, id eſt, quo neque *abſentes*, arctentur nimium, neque *præſentes cum abſentibus*, Arg. cap. 24. in fin. *de offic. & pot. jud. deleg.* & *Cap.* 52. *h. t.* puta, ſi ſtatueretur dies nimis propinquus exſpiranti termino; cum eſſet periculum pro ea vice devolvendæ ad Superiorem proviſionis.

* In Germania, ubi defunctus Epiſcopus ſæpe per menſem, & ultra, propter apparatum funeris majorem, inſepultus manet, nihil obſtat, imo expedit Eccleſiæ, ne nimis differatur electio, mox vacante Epiſcopatu præfigere terminum.

** Extraordinarium eſt, ſi Capitulum ipſum non gaudeat *jure præfigendi termini*, ſed petere hunc debeant quædam Collegiatæ Eccleſiæ ab Epiſcopo ſuo.

2. Terminus, qui ſemel placuit, *ſine rationabili cauſa* mutari non debet: poteſt autem ex cauſa tum abbreviari, tum prolongari. *

Quodſi primo die non convenirent eligentes de perſona, eſt in arbitrio majoris partis Capituli, vel *ex aliquo intervallo* alium terminum conſtituere, vel ad *diem immediate ſequentem*, ut ſic uno continuo tractu tentetur electio. Eodem vero die ſolent fieri ſaltem *tria ſcrutinia*.

3. Cum primum Eccleſia vacaverit, ſupplicationes, ac preces publice, privatimque habeantur, atque a Capitulo per Civitatem, & Diœceſim indicantur, quibus Clerus, populusque bonum a Deo paſtorem valeat impetrare. *Trid. Seſſ. 24. de Ref. cap. 1.*

4. Significatur per literas, aut etiam per nuncios, facienda novi Prælati electio reſpective *Imperatori*, &, ſiqui ſint, ac conſuetudo ita ferat, *Advocatis eccleſiæ*, * Epiſcopo, Generali, vel Præſidi Ordinis, aut Congregationis, pro mittendo ab his Commiſſario. **

* Imo quibusdam monaſteriorum Advocatis, Ducibus, Principibus, Comitibus, ſtatim notificari debet mors Prælati, *propter jus cuſtodiæ, & conſignationis*, ut Epternaci.

** Ubi Epiſcopus, aut Superior Ordinis, per ſe, vel per Commiſſarium, *intereſſe* ſolet electionibus inferiorum Eccleſiarum, licet non ſit de numero *eligentium*, eis non exſpectatis facta electio non eſt firma. Hinc *Cap.* 28. *h.* t. dicitur: *Si autem Miridinenſis Epiſcopus, & Abbas Mellifontis, qui intereſſe debuerant, non contempti fuerint, ſed ad electionem vocati.* Et *cap.* 2. *de in integr. reſtit.* cum monachi Rothonenſes proceſſiſſent ad electionem ſine Epiſcopo Venetenſi INNOC. III. electionem nec confirmandam, nec etiam infirmandam duxit, donec quæſtio ſubjectionis, ex qua pendebat, decideretur.

5. Affigitur valvis Eccleſiæ, vel, ut alicubi moris eſt ſaltem in minoribus electionibus, Sacriſtiæ, aut Cameræ Capitularis, *edictalis citatio* omnium, qui jus eligendi habent: imo in majoribus electionibus literæ ſingulæ per Secretarium Capituli ad ſingulos abſentes diriguntur: ne, ſi prætereatur quispiam vocandorum, is de contemptu agat, & electionem (licet de ſe non ſit nulla, dummodo contemptus poſtea propter bonum pacis curaverit conſentire. *Cap. 28. h. t.*) infirmet. *Cap. 36. h. t.* *

* *Cum*, ut habet proverbium canonicum, *electioni plus contemptus unius, quam contradictio multorum, obſiſtat.* Cap. 34. & 36. h. t. Contradictio enim multorum non infirmat *majora*: econtra contradictio unius contempti infirmare poteſt cætera *unanimia vota*.

6. Non eſt autem neceſſe, *omnes abſentes* Capitulares vocare; cum dicat *Cap.* Quia propter: *præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & POSSUNT COMMODE intereſſe.* Prætereuntur ergo absque periculo contemptus

a) Qui ſupra §. *II. num.* 4. recenſiti ſunt, tanquam non habentes vocem activam, ut quid enim tales vocarentur?

b) Ni-

b) Nimis a loco electionis remoti: nam eccleſiaſtica conſuetudo non exigit, ut Canonici tam remoti vocentur. *Cap.* 18. *h. t.* Erat autem ibi celebranda electio *Capuæ* in Regno Neapolitano, & quærebatur, an eſſent vocandi Canonici, qui commorabantur *Panormi* in Sicilia. *

* Nimis remoti cenſentur, *qui ſunt extra Provinciam*: &, licet non eſſent adeo remoti, e. g. ſi duæ provinciæ confines ſint, tamen de contemptu agere non poteſt degens extra provinciam: quia *Cap.* 35. *h. t.* dicit: *fratribus omnibus, qui fuerint in provincia, convocatis.* De conſuetudine Eccleſiæ Gallicanæ vocantur abſentes de toto Regno Franciæ. *Cap.* 55. *in fin.* Idipſum obſervant Capitula Teutonica, ſaltem majora, apud nos, ut, qui ſunt intra Germaniam, vocentur.

c) Qui ſine periculo vocantium vocari non poſſunt. *Cap.* 28. *h. t.* ſive eſſet periculum *in ipſa vocatione*, puta, ſi gravem indignationem Principis, vel hoſtis, qui civitatem occupavit, incurrerent Capitulares, vocando confratrem, qui ſe forte propter ſuſpicionem delicti, vel machinationis in hoſtem, abſentavit a loco electionis: ſive periculum *in mora* eſſet, ita, ut neceſſitas, vel utilitas eccleſiæ exigeret quantocius novum Prælatum, e. g. ſi paucis ante futuram Imperatoris electionem diebus moreretur Elector Archi-Epiſcopus.

7. Abſens, manens abſens, non poteſt cöeligere *per votum epiſtolare:* Cap. 46. §. 2. h. t. in 6. * *non poterit aliquatenus* per literas *exprimere votum ſuum, quod non eſt* ante ſcrutinium, *ſed* in ipſo ſcrutinio, *ſecrete, & ſigillatim tantummodo exprimendum.* Nec conſuetudo eccleſiaſtica hoc habet: accedit, quod in actu electionis tractari *cum epiſtola* non poſſit, hæcve moneri de reſpicienda utilitate Eccleſiæ, vel ad conſilium concurrere, ſi tunc res novæ emergerent, vel ſe mutare ex arena, mutatis rerum circumſtantiis.

* Id quod tenendum eſt etiam in *electionibus Regularium*, contra aliquos, putantes, ſchedulam ab abſente miſſam poſſe cum ſchedulis præſentium mitti in urnam: quia ſimpliciter verum maneret: *quod votum ſit datum ante ſcrutinium, & non primo in ipſo ſcrutinio.*

8. Imo quoque penitus interdicitur, nequis in electionis negotio *procuratorem* conſtituat; niſi duo *copulative* concurrant, nempe

a) Ut ſit abſens *in eo loco*, de quo debeat advocari.

b) Ut *juſto impedimento* detentus ipſemet venire non poſſit. *Cap.* 42. §. 1. *h. t.* *

* Et hoc quidem ſolummodo conſtitutum eſt in electione facienda *pro Eccleſiis viduatis paſtore*, quales proprie loquendo *ſolæ* ſunt *Cathedrales*: Recte tamen per productionem juris extenditur etiam ad *improprie viduatas*, id eſt, inferiores Eccleſias, harumque Prælaturas, dignitates, officia, & præbendas electivas; quia plerumque multæ artes fiunt per procuras. Quodſi tamen alias conſueviſſent in ejusmodi electionibus recipi procuratores *abſque iſto rigore, probandi juſti impedimenti* perſonalis comparitionis, ſuſpicio foret, & gravamen particularium reſpectuum.

9. Non

„Obiit anno 1730. Epiſcopus, & Princeps Tridentinus, Antonius Dominicus Co-
„mes de Wolckenſtein. Ad diem electionis indictam, qua Capitularis Cano-
„nicus elector, fui citatus de more; nec venire ipſe poteram, *qui tunc tem-*
„*poris clauſus eram in Conclavi ex voluntate Cæſaris*, qui benigne ordinaverat,
„ut cum Eminentiſs. Principe Ludovico Cardinale de Sintzendorff, qua
„Conclaviſta, me Romam ad electionem ſummi Pontificis conferrem. Cogi-
„tabam procuratorem de gremio nominare: dubium non leve occurrebat, an
„Statuta, ſive conſuetudines noſtræ, *perſonam* requirant, *procuratorem* re-
„cuſent: dubium, *an excuſatio, & abſentia mea tam evidens haberetur, &*
„*juſta*, ut procurator meus admitti debuiſſet? Allegaſſem quidem, *ſervitium*
„*Cæſaris mihi obeſſe non debere, quod actu univerſæ inſervirem Eccleſiæ, re-*
„*putandus particulari Eccleſiæ meæ inſervire; quod per me non ſtaret amplius,*
„*quo minus intervenirem; quod tale impedimentum nec a me prævisum fuerit,*
„*nec prævideri potuerit:* defunctus enim Tridentinus Epiſcopus ſalvus, &
„incolumis erat, quando ingreſſus ſum in Conclave, & in quo jamjam deten-
„tus eram, quando ſecundo ægrotavit, quando occubuit. Imo vero nova
„Dominici Antonii Comitis de Thunn electio publicata fuit, quando electo
„in ſummum Pontificem (CLEMENTE XII. die 12. menſ. Jul. an 1730. de
„longo, atque honorifico carcere meo ſum egreſſus. Canonici Collegæ mei
„honoratiſſimi *propter factum novum*, & *inauditum forte*, erant ſciſſi: hæſi-
„tabam ego, *num mitterem, aut conſtituerem de gremio procuratorem?* Nullum
„tamen miſi, nullum conſtitui, ut exemplo docerem, quod docueram ver-
„bis, nempe quod privatum jus publico cedat beneficio; ubi me authore mala
„plurima, & funeſtum ſchiſma, potuiſſent ſuſcitari.

3. Procurator, quem abſens, legitime excuſatus, conſtituit, *nolente Capitulo*, non poteſt deputari *extraneus:* conſequenter, ſi nullus de Collegio velit eſſe procurator, neque tamen admitti extraneus, voto pro ea vice carebit abſens. *Cap. 46. §. 2. h. t.*

4. Non *uni* tantum procura commendari poteſt, ſed etiam *pluribus*, modo *in ſolidum* eis detur poteſtas. *Cap. cit. princ.* *

* Et erit tunc melior conditio occupantis. *Ibid.* id eſt, procurator præveniens comprocuratorem excludet. Si ambo concurrant ſimul, neutro alterum præveniente, is admittetur duntaxat, quem pars major Capituli elegerit, at, ſi concordare nequeat, is, qui primo loco in literis procurationis erit nominatus. *Ibid.*

5. Conſtitui poteſt procurator duobus modis: (1.) *ſimpliciter*, ut eligat, quemcunque duxerit eligendum. (2.) cum mandato *de eligenda certa perſona.* * Priore caſu nihil agit, ſi diverſas perſonas eligat, alteram ſuo, alteram alieno nomine: quia non poteſt duplicem habere conſcientiam de digniori-tate: Poſteriore autem caſu poteſt. **

* Advertit ENGEL hic §. I. num. 10. in fin. quod tale mandatum ſpeciale *in*

electionibus Regularium non habeat locum post Tridentinum, si procurator fuerit *de Conventu* (secus, si foret *extraneus*) propterea, quod nullus cōeligentium debeat rescire alterius votum.

**) Dummodo in conscientia non agnoscat, eum, cujus eligendi mandatum speciale accepit, esse *indignum*: quo casu poterit suo Principali refutare mandatum, cum nemo teneatur esse instrumentum peccati, aut concurrere ad læsionem Ecclesiæ.

QUAESTIO

Ad num. 15.

An procurator cum generali mandato possit proprium suum principalem eligere?

℟. *Affirm.* Imo debet, si eum agnoscat digniorem, cum nequeat dividere conscientiam: modo absit quævis conditio affectatæ absentiæ, ut quis per fidelem sibi procuratorem eo perveniat absens, quo voto proprio pervenire nequiret præsens.

§. V.

De loco, & actu Electionis, maxime de formis.

1. Electio *regulariter* fit in ipsa Ecclesia, cui providendum est de Pastore, ejusque Conclavi Capitulari. *

* Ex causis fieri potest in alia civitate, prout anno 1710. electio Seren. Caroli Lotharingi in Coadjutorem Trevirensem fiebat Confluentiæ in Ecclesia S. Castoris, quo Reverendiss. & Illustriss. Capitulum Metropolitanum propter metropolim a Gallis occupatam transtulerat residentiam suam, *H. D. T. Tom. III. pag.* 876. *in not.* Jacobus ab Eltz electus est in Wittliaco. *Ibid. pag.* 13. *a*

2. Quodsi unus idemque Prælatus præsit duabus Ecclesiis, Capitulares congregantur in principaliori, maxime si ita voluerit fundator. *

* Exemplum erat in Abbatia *Lacensi* Diœceseos Trevirensis inferioris, in cujus fundatione secunda de an. 1112. fundator Sifridus Comes Palatinus ita scripsit: *Ipsum locum cum omnibus appenditiis suis Haffligemensis* (in Brabantia) *Cœnobii Abbati, & Successoribus suis, perpetuo regendum tradidi, ea videlicet consideratione, ut, quia uterque locus in allodio meo situs erat, unius, ejusdemque Abbatis gubernaretur providentia. Cum vero præsens Abbas, vel successores sui, vocante Domino, de sæculo transierint, aliqui fratrum, qui apud Lacum ad hoc idonei erunt, ad communis Abbatis electionem Haffligenium occurrant; nisi forte aliquis vel scandali, vel perturbationis imminentis, metus obstiterit, propter quem adventum ipsorum Conventus. Haffligemensis exspectare non possit. Quodsi hæc, vel alia quælibet rationabilis causa impedierit,*

dierit, propter quam ad communem electionem non occurrerint, quemcunque Haffligemenſes Patres boni teſtimonii, zelo Dei, ſecundum canonicam, & privilegii ſui, inſtitutionem elegerint, hunc & ipſi debita cum veneratione tanquam Patrem ſpiritualem recipiant. H. D. T. Tom. I. pag. 492. Sed pridem hæc Abbatia Laci habet abbatem proprium, abſque omni dependentia ab Haffligemenſi. *Malmundarienſes* quoque vocales ad monaſterium *Stabulenſe* proficiſcuntur pro eligendo communi Principe Abbate, juxta diplomata Impp. OTTONIS II. LOTHARII III. CONRADI II. & ARNOLDI Colon. Archiep. apud MALHERBE *in Auctar. ſecundo Addition. in triumphum S. Remacli edit.* 1747. *pag.* 26. *& ſeqq.* Similem obſervantiam vide in *Cap.* 8. *de Conſuet.*

3. Facta in Choro Miſſa de Spiritu S. (quæ tamen non eſt de eſſentia, cum *Cap. 14. h. t.* ſolum dicat: *invocata Spiritus S. gratia*, & *Cap. 42.* prorſus de ea ſileat) Campana quoque pulſata in ſignum convocationis ad Capitulum, *Cap. 30. h. t.* (id quod per Galliam accurate ſervatur) acceditur Camera Capituli. Notarius refigit cum teſtibus citationis edictum a valvis, ſuperſcribens actum refixionis, ac reproducit illud coram Capitulo. Notarius, vel Proto-Notarius Apoſtolicus una cum duobus teſtibus aſſumuntur pro ſcribendo protocollo electionis.

4. Præſes, ſeu Director electionis * facit arengam ad Capitulares: conſtituitur numerus præſentium, ſive per ſe, ſive per procuratores, ut ſciatur, quot faciant majora: juratur de eligendo digniore: quæritur, qua forma procedere velint Domini ad electionem. Vid. *H. D. T. Tom. III. pag. 896.*

* Hic eſt in Eccleſiis *Cathedralibus* Germaniæ *Decanus* (nam Præpoſiti non ſunt os Capitulorum) vel eo abſente *Capitularis ſenior.* In *Collegiatis* vero *Commiſſarius Epiſcopalis*, niſi forent hæ exemptæ præſentia Commiſſarii.

5. Eſt autem via eligendi, ſeu *forma*, duplex: ſcilicet *Scrutinii*, & *Compromiſſi* in electione canonica. *Cap. 42. h. t.* * Non ſunt tamen uſque adeo incombinabiles hæ duæ formæ, quin compromiſſarii poſſint obligari ad viam ſcrutinii.

* Vulgo dicunt, *tres eſſe formas*: ſcilicet *ſcrutinium, compromiſſum, & inſpirationem*, quæ aut *vera eſt*, vel *quaſi*. Sed hoc non probatur ex *Cap.* 42, poſtquam enim ibi propoſitæ erant duæ formæ, *ſcrutinii, & compromiſſi*, ſtatim ſubjungitur: *aliter electio facta non valet.* Additur *exceptio* caſus extraordinarii: *niſi forte communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpirationem, abſque vitio, celebrata.* Exceptio hæc non fecit *formam tertiam*, ſed ab obſervatione duarum præſcriptarum formarum Capitulares abſolvit. *In praxi* non eſt tutum, quoad electiones, quæ confirmatione indigent, Superiori laudare *viam Spiritus ſancti*; parum enim erit, ut electio caſetur; propter TO *abſque vitio*: eſſet autem vitium, ſi vel minimus aliquis aliquorum tractatus, nedum votorum conquiſitio, præceſſiſſet.

6. *Scrutinium* fit, cum omnium Capitularium vota *ſecrete*, & *ſigillatim* exquiruntur a *tribus* ad hoc electis, qui propterea *ſcrutatores* vocantur, * & ſic audita rediguntur in ſcriptis, inſcribendo protocollo: *Capitularis NN. dedit votum ſuum NN.*, expreſſis tam eligentis, quam electi, nominibus.

* Hi jubentur in *Cap.* 42. vota exquirere *diligenter*, id eſt, non ſolum curioſe auſcultare, *cui detur ſuffragium*; ſed etiam advertere, *quo zelo*, ſaltem olim, obtinente adhuc collatione triplici, de qua infra *num.* 11.

7. Scrutatores, præſtito (ubi moris eſt, aut petitur) juramento, de cunctis fideliter exquirendis, *primum* ſe invicem ſcrutantur, ſi & ipſi vocales fuerint, id eſt, ſecundus, & tertius primum, primus, & tertius ſecundum, primus, & ſecundus tertium: * *deinde*, incipiendo a ſeniore votante, *omnes tres conjunctim* explorant ſoli reliquorum vocem, ita ſemotorum, ut nihil audiatur ab aliis.

* Si *tres tantum vocales* adeſſent, duplex erit modus; aut enim poſſent aſſumere *Scrutatores extraneos*, aut omnes reſpective eſſe *ſcrutatores*, *& ſcrutari.* Quamvis autem non conveniat inter DD., utrum *tres ſcrutatores* ſint de forma; præſtat tamen procedere *ſecundum literam* Cap. 42. magis, quam periclitari.

8. Vota, *perperam data*, admonitione corrigere non eſt Scrutatorum: faciant ergo redigi ea in ſcriptis, quemadmodum enunciata fuerunt; etiamſi contra *Cap. 2. h. t. in 6.* forent *conditionalia*, *alternativa*, *incerta*. *

* Quæ *pro non adjectis* habentur in collatione; quia *ex puris conſenſibus* celebranda eſt electio, voce illorum, qui *non pure* conſenſerint, ea vice in aliis reſidente. *cit. Cap. 2.*

9. Poſtquam ſucceſſive cuncti fuerunt in ſcrutinio, *mox* * fiet *in communi*, id eſt, coram univerſis electoribus, *publicatio ſcrutinii.* Cap. 42. h. t.**

* Id eſt, nullo *extraneo* actu interpoſito, neque etiam *moræ longioris* intervallo; habet enim hoc electio cum *actu teſtamentario* commune, ut interruptio continuitatis noceat. *Cap. 46. h. t.*

** Nempe recitatur publice protocollum, in quod vota fuerunt deſcripta ſingulorum: Hanc publicationem appellando nemo poteſt ſuſpendere. *Ibid.*

10. Publicato ſcrutinio, variare amplius nequeunt electores. *Cap. 58. h. t.* cum alias tamdiu pœnitere, & datum ſuffragium revocare poſſint, vel plane nullum exhibendo, vel illud alteri concedendo, quam diu ſcrutinium non extitit publicatum.*

* Hoc

* Hoc non procedit in electionibus Regularium: quia vota ſine votantis nomine dantur in urnam, ſic, ut nemo ſuam præciſe ſchedulam poſſit retrahere.

11. Succedit ſtatim *Collatio* votorum, *cit. Cap. 42. & 58.* quæ tantæ eſt neceſſitatis, ut (1.) ejus intermiſſio nullitatem inferat electionis. *Cap. 50. in fin. Cap. 55. h. t.* (2.) electores ad eandem, ſi oportuerit, compelli debeant per Superiorem. *cit. Cap. 58.* *

* Quo caſu, licet contingeret interrumpi continuitatem actus electionis, hoc tamen ejus valori non obeſſet, ne electores ex ſua renitentia lucrentur hoc ipſo, quod voluerint, nempe annihilationem incepti operis. GLOSSA hic verbo: *compellantur in fin.*

12. *Triplex* vero de jure ſcripto fieri deberet *collatio*: numeri ad numerum: zeli (*quoad eligentes*) ad zelum: meriti (*quoad electos*) ad meritum. * *Vid. Can. 5. diſt. 23.*

* Quia requiruntur ad electionem canonicam de jure *majora, & ſaniora* copulative *Cap. 57. h. t.* Præſumuntur autem majora hoc ipſo quoque eſſe ſaniora, quando duas pene tertias faciunt. *Cap. 22. h. t. in fin. Cap. 9. eod. in 6.* Imo diutina praxis attendit majora tantum vota, ne, ſi tam rigoroſum *ſaniorităţis* examen fieret, longæ lites ſuſcitarentur. Quodſi nihilominus *evidenter, ac notorie* multitudo eligentium minus ſana *contra omnem rationem* ſolo numero prævalere vellet, minoribus numero pateret recurſus ac Superiorem pro remedio tantæ impreſſionis; cum praxis, & conſuetudo nunquam ita poſſit abolere Canones, *majora, & ſaniora* requirentes, quin eos Superior urgere poſſit contra factioſam multitudinem.

13. Vota majora numerantur *reſpectu Capituli totius*, non equidem, *ut fundatum, vel ordinatum eſt*, ſed, *ut congregatum. Cap. 29. h. t.* * Hinc, licet eſſent Capitulares ſedecim, ſi tamen conveniſſent tantum 12. ad eligendum, majora forent ſeptem.

* Non *reſpective ad diverſas partes*, ſive factiones, puta, ſi eſſent quatuordecim electores, ſeptem ſtarent pro Petro, quinque pro Paulo, duo pro Andrea, non reſultarent majora. *Cap. 48. h. t.* Et hoc adeo verum eſt, ut nequidem valeat *compromiſſum* ſub hac forma, *quod compromiſſarius ſecreto, & ſigillatim, votis ſingulorum de Capitulo exquiſitis, & in ſcriptis redactis, illum eligat, in quem plures de Capitulo, partium comparatione minorum conſenſerint, licet conſentientes majorem partem totius Capituli non attingant.* Cap. 23. h. t. in 6. Quod dicit ZYPÆUS *in Analyt. Jur. Pontif. lib. III. ad tit. de his, quæ fiunt a majori*, paſſim in Capitulis non ſervari iſtum rigorem, ſed ſufficere majora vota comparatione partium minorum, verum eſſe poteſt quoad regionem illam, in qua expertiſſimus iſte Canoniſta vixit, ſed in Germania noſtra hæc conſuetudo non viget.

14. Quodſi non adſint *ex ipſo ſcrutinio* hæc majora, *acceſſus*, poſt hoc publicatum factus, eſt inutilis: cum ex poſt facto nequeat convaleſcere, quod ab initio non valebat. *Cap. 29. h. t.* * Itaque revertendum eſt ad novum ſcrutinium, ſive eadem die, & continenti, ſive ex intervallo unius, aut plurium dierum. **

* In *Abbatiſſarum* electionibus *acceſſus* valet, non ad effectum, *ut habeatur canonica electio*, ſed, *ut duæ partes eſſici poſſint*, & ſic Abbatiſſa *confirmari*, & *benedici*, exceptione, contradictione, appellatione quacunque partis tertiæ non obſtante. *Cap.* 45. §. 1. *h. t. in* 6.

** Ita, cum idib. Nov. deceſſiſſet an. 1259. ARNOLDUS Archiep. Trevir., nec in primo termino conveniſſent Electores, alterum fixerunt in vigiliam S. Nicolai. *Geſta Trevir.* apud Martene *Tom. IV. cap.* 190. Et anno 1743. permulta in Cathedrali Spirenſi habebantur ſcrutinia, donec termino propediem exſpirante conveniretur in unam Epiſcopi perſonam.

15. Vincunt aliquando numero *minora vota*, nempe

a) Si pars altera ſcienter elegerit indignum, *Cap.* 53. & 40. *in fin. h. t.* ſive fuerit Epiſcopalis electio, ſive minor. *

* Quo caſu in optione eſt eorum, qui non coëlegerunt indignum, ut vel mox publicent ſuam electionem in vim votorum jamjam datorum; *Cap.* 22. *h. t.* vel novam electionem inſtituant alio die ſoli, excluſis *his*, qui voti amiſerunt. *Cap*, 53. *h. t.*

b) Si eum, qui debuiſſet poſtulari. *Cap.* 22. *h. t.*

c) Si poſtulato dediſſet adminiſtrationem ante poſtulationis admiſſionem. *Cap.* 23. *h. t.*

d) Si poſtulatio concurrat cum electione, nec duæ tertiæ ſtent pro parte poſtulantium.

16. Poſt *collata vota*, ſi reſultaverint ſaltem *majora*, fit ſic dicta *communis electio*: Quæ per oblivionem omitti non debet, ne vitio formæ committatur nullitas. *Cap.* 55. verſu: *nec etiam h. t.* * Idque tam in ſcrutinio, quam in compromiſſo. *Cap. 21. h. t. in 6.*

* Primo Capitularium ſurgente, & dicente: *Ego nomine meo, & totius Capituli* (vel, ſi vota ſint ita ſciſſa, ut duæ electiones fierent ſibi oppoſitæ, *mihi adhærentium*) *eligo in Epiſcopum, & Paſtorem Eccleſiæ NN. talem NN, electumque pronuncio in nomine Patris &c.* Sumitur ex Cap. 4. de ſent. & re jud. in 6. *In electione* (*ſive per compromiſſum, ſive per ſcrutinium procedatur*) *eſt ab uno vice omnium electionis pronunciatio per verba ſingularis numeri facienda*; ratio ibidem præmittitur: *ut cenſeatur evidentius unica, & communis.*

* Et quia hæc communis electio eſt *ſolemnitatis*, ac *formæ*; ideo non ſuppletur per *æquivalens*, e. g. *deportationis* ſolennitatem. *Cap.* 43. *h. t.* Deportatio

hic

hic eſt ſolemnis deductio electi in Chorum Eccleſiæ, ejusque in cathedram pontificalem facta ſublimati. Treviris olim conſtituebantur Electi ſuper altare. *H. D. T. Tom. II. pag. 426. not. a.*

17. *Compromiſſum*, quæ eſt formarum altera, hic vocatur *placitum omnium* * *vocalium, quo ipſi con- vel transferunt eligendi poteſtatem in unum*, Cap. 8. & 21. h. t. Cap. 11. de Renunc. *vel plures*, de Capitulo, vel extraneos, promittendo, quod reciperent illum, quem is, vel iſti, deſignaverint, in Prælatum. Sumitur ex *Cap. 8. & 32. princ. h. t.*

* Erigitur enim, *nullo penitus contradicente*, adeo, ut unicus nolens impediat compromiſſum; cum *ſingulorum* hic abdicentur *jura*. Quo facit regula juris 29. in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

** Et hi compromiſſarii poſſunt vel *immediate*, eligi, vel *mediate*, nempe ſi quidam eligantur, qui *ultimatos Compromiſſarios electuros* eligant: ita in *Cap.* 30. *h. t.* Tholoſani Canonici *duos* elegerunt, ut de Capitulo eligerent *quinque*, qui præſtito juramento de ſubſtituendi Pontificis electione tractarent. Attamen *ſorte mediante* non licet determinare Compromiſſarios. *Cap. 3, de ſortil.*

18. *Formam* compromiſſo præſcribunt ipſi compromittentes, * quam exacte obſervabant compromiſſarii, alias nulliter procederent. *Cap. 32. h. t.*

* Sed & *tempus* dictant, intra quod eligant compromiſſarii, qui ſi negligenter intra tempus a jure ſtatutum eligere prætermittant, ad Superiorem proximum poteſtas devolvitur providendi, ſibique compromittentes imputent, qui in talem poteſtatem hujusmodi contulerunt. *Cap.* 37. *princ. h. t. in 6.*

19. Compromiſſum vel eſt *ſimplex*, & *illimitatum*, vel certis conditionibus *limitatur.* *

* E. g. Si apponatur: *ſi perſona eſſet idonea.* Cap. 30. h. t. Si reſervetur, ut eligendus ſit de *gremio.* Cap. 32. h. t. alias enim compromiſſarii *extraneum* quoque poſſent eligere. *Cap.* 21. *h. t.* Si placeret compromittentibus, ut compromiſſarii ſinguli prius ſecrete explorent mentem compromittentium, non eligendo alium, *niſi quem omnes, aut major, & ſanior pars, nominaſſent.* Ibid. Quæ poteſtas compromittendi abrogata non eſt. *Cap.* 29. *h. t. in 6.* Poteſt etiam conditio apponi, ut nullus eligatur a Compromiſſariis, niſi adeſſent *unanimia* eorum.

20. Inter Compromiſſarios prævalent *majora vota*, ſicut inter eligentes per ſcrutinium. Et quia compromiſſarii non tenentur (*ſine ſpeciali appoſita conditione*) dare ſua vota *ſecreto*, ſed alter alterius votum audire poteſt, ideo unus de compromiſſariis, conſentiendo vocationi reliquorum ſibi faventium, poteſt efficere majora. *

* Caſus

* Caſus eſt in famoſo *cap.* 33. *h. t.* ubi tenor compromiſſi, *in ſeptem* facti, erat iſte: *ut illum, quem EX SE, vel aliis de gremio ipſius eccleſiæ, OMNES pariter, vel MAJOR eorum PARS nominaret, Capitulum reciperet in Decanum.* Difficilis videbatur deciſio Epiſcopo Bajocenſi, poſtquam tres compromiſſarii elegerant *extraneum*, id eſt talem, qui non erat de numero compromiſſariorum, alii vero tres quartum *ex ſe.* Conſuluit Innocentium III. Hic velut increpans Epiſcopum reſpondit ei: *cum in jure peritus exiſtas, & copiam habeas peritorum, non poſſumus, non mirari, quia ſuper quibuſdam juris articulis nos conſulere voluiſti, qui nihil, aut modicum, dubitationis continere noſcuntur.* Quid ita? Torquet hodienum hæc decretalis interpretes: Capitulum, fatentibus cunctis, ſingulare eſt, nec habet ſibi ſimile in toto Corpore *juris canonici.* Recurrunt DD. plerique ad auxilium *juris civilis*, credentes, potuiſſe hunc caſum decidi ex *l.* 4. *ff. quod cujuſque univ. l.* 19. *princ. ff. de tutor.* §. 1. *in fin. Inſt. de jatisdat. tutor.* Verum *l. cit.* 4. non dicit, quod is, qui actor univerſitatis eligitur, conſenſu proprio poſſit efficere majora; ſed ſolummodo, quod *ad complendas duas tertias*, quæ adeſſe tunc debent, poſſit quoque connumerariis, quem decernent, quod utique verum eſt, quia, antequam actor decernatur, numerantur hi, qui ſunt de univerſitate. *L.* 19. *cit.* nihil dicit amplius, quam, quod abſentibus his, qui tutores dare poſſunt, decuriones, ſi major eorum pars conveniat, *unum ex ſe* dare poſſint: abſtrahit autem ab eo, an conſenſus proprius efficere queat majora. §. 1. *cit.* magis eſt ad rem; dicit enim, ſi *duo, pluresve*, dati fuerint tutores, eum geſturum eſſe tutelam, *quem major pars elegerit:* ſupponit ergo, quod *duobus* datis *unanimis* delatio adminiſtrationis adeſſe poſſit, ſi alter nominaverit alterum, & hic conſentiat, item, quod *pluribus datis*, quam duobus, qui raro *ultra tres* ſolent eſſe, *major pars* poſſit unicorum deferre adminiſtrationem: ſed quomodo fieret hoc in caſu *datorum trium*, niſi conſenſu proprio unus eorum facere poſſet majora? Videtur ergo tempore *Innocentii III.* juriſprudentia canonica practica ſimiliter hoc applicaſſe *ad electiones*, ut miraretur Pontifex, quod circa hoc Epiſcopus Bajocenſis dubitaſſet. Accedit alia hæc reflexio arguens: Compromiſſariis pro caſu Cap. 33. *ſex in unum ex ſe convenientibus*, poterat *ſeptimus* conſentiendo efficere, ut *omnes pariter*, id eſt, *unanimiter*, dicerentur elegiſſe *unum ex ſe* juxta tenorem compromiſſi. Ergo etiam, *ſi tres conveniant in unum ex ſe*, poterit hic conſentiendo facere *majora*: quod enim procedit *de omni*, procedere neceſſe eſt *de parte majore.* *)

* Hujus *Cap.* 33. explicatio non procedit, ubi *unus* tantum eſt compromiſſarius. *Arg. l.* 4. *ff. de tutor.* perquam *prætor ipſe ſe tutorem dare non poteſt, ſicut nec pedaneus judex, nec compromiſſarius, ex ſua ſententia fieri poteſt.* Add. Cap. fin. de inſtit. *Inter dantem, & accipientem, debet eſſe diſtinctio perſonalis.* Fundamentalis ratio eſt, quia canones non permittunt, ut aliquis eligat ſeipſum. Can. 9. VIII. q. 1. *Nemo ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur*, dicit Apoſtolus. Quapropter notandum, quod is, qui, conſenſu ſuo fecit majora, non debeat, nec poſſit ipſe *publicare electionem de ſe factam*, ne dicat: *Ego me nomine meo, & vice talium eligo.* In conſequentiam trahi non debent duo exempla unicorum Compromiſſariorum, JOANNIS XII. & SIGISMUNDI Imper., qui

qui feruntur nominaſſe ſe ipſos: hoc enim non ex ſe valebat, ſed quia electores contenti erant.

21. Exſpirat compromiſſum, & compromiſſariorum poteſtas

a) *Si elegerint*, ſive bene, ſive male, *quoad perſonam*, ſive ſcienter, ſive ignoranter: functi ſunt enim officio ſuo, inſtar judicis delegati, qui ſemel pronunciavit. *Cap.* 37. *h. t. in* 6. Idem eſt, ſive electio, *ratione ſui*, confirmationem mereatur, ſive non; quia deſtitutio non facit novum compromiſſum.

b) Si non elegerint intra tempus ſibi præfixum. *Cap.* 52. *h. t.* ubi voluerant compromittentes, *ut ſex* compromiſſarii haberent poteſtatem eligendi, *uſque ad conſumptionem cujusdam candelæ, quæ ibi accenſa extitit, duraturam.*

c) Revocatione, re adhuc integra, id eſt, ſi nondum in tractatu proceſſerint compromiſſarii. *Cap.* 30. *h. t.* Quodſi tractare invicem, ac deliberare incepiſſent, licet in diſcordias, & contentiones delaberentur, minorque pars renunciaret compromiſſo, non poſſunt compromittentes, revocare partem majorem. *Ibid.*

d) Morte unius de compromiſſariis: per ea, quæ de pluribus judicibus delegatis, & (ſaltem inſpecto jure civili) de pluribus *arbitris* compromiſſariis, ſtatuta noſcuntur.

QUAESTIONES.

Ad num. 7.

Quomodo infirmi, in civitate, vel monaſterio præſentes, dent ſua vota.

℣. De jure deberent, ſicut cæteri abſentes, *per procuratorem*: revera enim abſunt a Congregatione, nec actum electionis per ſemetipſos concelebrare poſſunt. Solent tamen alicubi ſcrutatores ad cameras infirmorum, aut ædes vicinas accedere, vota ſcrutaturi.

Ad num. 8.

An valeat votum ſub hac forma: *eligo illum, qui habebit vota reſpective plurima?*

℣. Si fuerit *ultimus* in votando, valebit, ſecus non. *Ratio*, quia in *primo caſu* votum tale eſt *relative certum eo tempore, quo datur*: verum in ſecundo *incertum eſſet*, quid ſenſuri ſint.

Ad num. 10.

An etiam *ſcrutatores* ante publicatum ſcrutinium variare poſſint?

℣. *Affirm.* Quod enim aliis conceſſum eſt, cur denegetur ſcrutatoribus? Difficultate hoc caret *ab initio ſcrutinii*, dum ſoli adhuc ſcrutatores votarunt, vel etiam *in progreſſu*, dum non multi ſubierunt ſcrutinium; quia, cum futura vota plurima ignoret ſcrutator, variando nequit inclinare electionem ad exitum, vel ab exitu declinare, & ſic ejus eſſe arbiter magis, quam alius

Ad num. 15.

An valeat electio, quæ non eſt facta *de digniore?*

℣. Valet, quia *dignioris* electio non pertinet *ad formam*, ſed verius *ad conſcientiam eligentium.* Non eſt quoque exemplum, quod caſſata fuerit *ex hoc præciſe capite* aliqua electio. Quo non obſtante gravis eſt obligatio, illi vocem ſuam dandi, quem quis (conſideratis *in concreto* omnibus Eccleſiæ providendæ circumſtantiis) æſtimat eſſe *digniorem*, id eſt, *magis idoneum ad regendum pro illo tempore.* Neque attenditur tam, *quid mereatur hæc illave perſona præ aliis*, quam *quali Paſtore indigeat nunc Eccleſiæ.* CUNO *a Falckenſtein* anno 1362. a BOEMUNDO Archiep. Trevir. petitus fuit coadjutor, non alio pene merito, quam *propter gloriam rei militaris*: Roma lubenter conſenſit, imo præoptavit, & tota patria gaviſa eſt; quia iſto tempore talis Archiepiſcopus neceſſarius erat Treviris. *Vid. Geſta Trevir. apud* MARTENE *Tom. IV. pag.* 428. *& ſeq.* Quod igitur *de juſtitia diſtributiva* hac in materia affertur parvæ conſiderationis eſt, cum electio non verſetur præcipue in eo, *ut diſtribuat præmia*, ſed, *ut pro re nata melius provideat eccleſiis.* Et ſic intelligendi ſunt SS. Canones, dum volunt, ut *optimus ordinetur.* Can. 19. diſt. 63. *quique præſtantior eſt ex omni populo.* Can. 15. VIII. q. 1. Ac Tridentinum, *Seſs.* 24. *de Reform. cap.* 1. ajens: *Meminerint, eos mortaliter peccare, niſi, quos digniores, & Eccleſiæ MAGIS UTILES, ipſi judicaverint, non quidem precibus, & humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.* Confer ulteriora verba *cit. Can.* 15. *& Can.* 40. *l. q.* 1. Add. *Cap.* 32. *h. t.* in verb. *Cum plures eſſent in eadem Eccleſia digniores.* Quam perverſe quidam interpretari voluerint Tridentinum, manifeſtat

PROPOSITIO DAMNATA

Ab Innoc. *XI. num.* 47. *Cum dixit Concilium Tridentinum*, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, *ad Eccleſias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc*: digniores, *non aliud ſignificare velle*, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparativo pro poſitivo, *vel ſecundo locutione minus propria ponit* digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, *vel tandem loquitur tertio*, quando fit concurſus.

Ad num. 17.

Quot vota requirantur, ut re adhuc integra revocetur compromiſſum?

℣. Majoris partis Capituli, non unius, vel paucorum Capitularium: quia erecto ſemel compromiſſo compromiſſarii repræſentant *totum Capitulum qua tale*, ſic, ut electio per ipſos facta intelligatur eſſe unanimiter de conſenſu totius Capituli facta, *Cap.* 30. *in fin. h. t.* Hæc vero repræſentatio non cadit, niſi major pars Capituli eam auferat. *Arg. t. t. de his, quæ fiunt a maj.* Nec refert quod unius contradictio poſſit ab initio impedire compromiſſum:

quia in conſtituendo compromiſſo duo interveniunt, nempe *abdicatio voti per ſe ipſum dandi, & translatio poteſtatis eligendi* in alios: primum non ſit *capitulariter*, ſed *ſingulariter*: ſecundum ſit capitulariter; nam placito ſemel compromiſſo in theſi, perſonæ determinantur in hypotheſi per majora: ſicut autem determinantur, ita quoque revocantur. Nec datur regreſſus ad renunciata; ſed *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* R. J. 21. in 6. præſertim in præjudicium Capituli, juxta regulam 35. eod. *Mutari conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.*

Ad num. 20.

An etiam *extra caſum compromiſſi* conſenſus proprius in vota aliorum facere poſſit majora?

R. Nihil eſt, quod obſtet, modo electio non ſit per Cap. *Quia propter*, aut ſtatutum, aut conſuetudinem antiquam, alligata *ad ſcrutinium ſecretum.* Quia vis *Cap.* 33. ejuſque ratio decidendi immediata, non eſt, *quod ſit compromiſſum*: ſed, *quod*, imitando jus civile, *unus de collegis ſuo aſſenſu majora poſſit facere, vel unanimia.* Hinc Aurea Bulla in electione Imperatoris hoc ipſum permittit.

§. VI.

De con- & diſcordi electione.

1. *Unanimis* eſt electio, ſi vota omnia, nullo penitus diſcrepante, conſentiant. *Cap. 3. de his, quæ vi*, in verbis: *quæ de ipſo fuerat a clericis, uno excepto, unanimiter celebrata.* Hæc etiam vocatur *concors.* Cap. 30. h. t. *quem illi concorditer, vel tres ex illis, eligerent.* *

* Quanquam in præſenti conſideratione illa quoque electio cenſeatur eſſe *concors, & in concordia* facta, quæ contradictore caret, licet celebrata fuerit tantum *per majora.* Quo ſenſu accipienda ſunt verba finalia Cap. 12. de ſent. & re jud. *Archidiaconatum, plena omnium veſtrum, qui præſentes fuerint, interveniente concordia, ordinare curetis;* id eſt, ſine quavis diſcordia. Quodſi quis eorum, qui vota ſua huic electo non dederunt, ſe opponat, appellando, vel proteſtando, dicitur talis eſſe *electus in diſcordia.*

2. *Diſcordia* vel (a) excitatur *ante electionem*, e. g. ſiqui admitti nollent ad eam concelebrandam; ſi vellet attentari electio contra privilegia hujus Eccleſiæ; ſi forma canonica, aut alias conſueta, immutari; item, ſiquis excluſivam daret certæ perſonæ, appellans, ne hæc eligatur, aut ſiquis appellaret, ne fiat electio, niſi duplici ſibi voce conceſſa: vel (b) *poſt publicationem electionis*, puta, ſi objiciatur vitium ex modo, vel ex perſona.

3. Priore caſu, id eſt, cum diſcordia exſurgit *ante communem electionem*, vel interponitur *nuda proteſtatio*, vel proteſtationi jungitur *appellatio*, ne ſecus

catur ad electionem. Si *nuda proteſtatio*, pars altera, ſi putaverit non eſſe fundatam, nihilominus ſecure pergat ad eligendum, & pendebit cauſæ deciſio ex proceſſu confirmationis, in quo examinatur proteſtationis juſtitia, vel injuſtitia: Si vero *appellatio*, poterit vel exſpectari, donec controverſia hæc præliminaris a Superiore deciſa fuerit, ſuperſedendo tantiſper electione, vel inattenta appellatione procedi ad electionem, ſicut ſupra in proteſtatione; neque enim electio ſic facta aliter caſſabitur, *quam cauſa plene cognita.* Arg. *Cap. 16. & 21. h. t.* *

* Circa appellationes, electionem præcedentes, obſervanda ſunt tria hæc:

a) Appellare nemo poteſt, ne fiat electio, niſi probare poſſit, *ſua intereſſe.* Cap. 16. cit. *& Cap. 3. de his, quæ ſunt a maj.* ubi, qui electioni de ſe factæ expreſſe, vel tacite renunciavit, fruſtra appellabat, ne fieret alia.

b) Appellatio interjecta, *ne fiat electio præterquam canonica*, non impedit faciendam *canonicam*, ſed ſolum minus canonicam. *Cap. 19. h. t.*

c) Qui appellat pro excluſiva, contra certam perſonam, ne hæc eligatur, ſervabit formam *Cap. 4. h. t. in 6.*, quoad vitia perſonæ præſcriptam, *Cap. 20. eod.* nempe ea, quæ referuntur infra *ad num. 6.*

4. Poſteriore caſu, id eſt, cum *poſt publicationem electionis*, emergit diſcordia, vel *opponitur electio electioni:* * vel *uni electioni contradicitur, ſine oppoſitione alterius:* quæ ne forte ſuperinducatur, cautela proſtat *appellationis* pro ſuſtinenda electione facta. **

* Ita in Trevirenſi Eccleſia an. 1259. poſt obitum ARNOLDI in diſcordia electi ſunt *Arnoldus de Sleyda, & Henricus de Bolandia*, ambo Archidiaconi: utraque electione ab ALEXANDRO IV. conſiſtorialiter caſſata, per eundem Eccleſiæ Trevirenſi præfectus eſt *Henricus a Finſtingen*, Metenſis Decanus. *Geſta Trevir. apud Martene cap.* 190. 191. 192. Poſt obitum HENRICI fratres Capituli vota ſua direxerunt in *tres perſonas:* major & ſanior pars in *Boëmundum*, reliquarum altera in *Joannem a Sirck* Archidiaconum, altera in *Ebertum* Cantorem. Cauſa pariter Romam delata eſt, pendens inter ſolum *Boëmundum, & Ebertum*, quia *Joannes* ſtatim ſuperſedit, & renunciavit. Lite pendente diutius, cum moreretur Romæ *Ebertus*, Cardinales, vacante Papatu, dederunt novam electionem Capitulo Trevirenſi; ſed periculoſior diſſenſio iterum orta eſt inter fratres. Pars *Boëmundi* ſtetit immobilis, & plures ad eam de Capitulo acceſſerunt; reliqui vero ſua vota direxerunt in *Gerardum de Eppenſtein* Archidiaconum: bona fortuna interceſſit mors HENRICI Moguntini, nudipedis, ad quam ſedem iterum in diſcordia eligebatur dictus *Gerardus. Nicolaus IV.* præfecit ergo Moguntinæ Eccleſiæ *Gerardum*, Trevirenſi *Boëmundum.* Feliciora nos vivimus tempora, nam anno 1754. per immortalis laudis providentiam glor. mem. Archiepiſcopi FRANCISCI GEORGII unanimi Capitularium conſenſu electus Coadjutor pariter, & Succeſſor in Archiepiſcopali Electoratu JOANNES PHILIPPUS L. B. a WALDERDORFF, Decanus majoris, prævertit omnia ejusmodi mala.

formæ vitio, condemnatur in expenſis; *vitio* vero *perſonæ* non probato, ſuſpenditur a beneficiis. *Ibid.* Inſuper, ſi dictaſſet ſibi ipſe pœnam, e. g. privationis, eandem contraheret; quia quilibet juri ſuo renunciare poteſt. *Cap.* 32. *in fin. h. t.* Arg. *Cap. ult. de crim. fals.*

7. In examine obmotorum Judex incipit cognoſcere ab his, quæ ſunt *facilioră probatu*, e. g. evidens defectus ſcientiæ, aut corporis. Quodſi in talibus deficiat opponens, in cæteris obmotis non auditur: ſi vero electus ſuccumbat, ſuperfluum erit, reliquas exceptiones indagare. *Cap. 11. h. t. in 6.*

8. Ab appellatione, vel oppoſitione frivola recedi poteſt, dumne interveniat *pravitas*, * ſecus, ſi cauſa fuiſſet probabilis, quaque probata deberet legitima reputari appellatio. *Cap. 10. h. t. in 6.*

* Super quo cognoſcent *judices Papæ minores*, quorum erat ipſarum cauſarum cognitio, appellatione remota. *Ibid.* Viſa vero pravitate, nullatenus ſe intromittent, aut, omiſſa inquiſitione illius, ad confirmationes, & conſecrationes procedent. *Cap.* 44. *h. t. in* 6. Quemadmodum quoque, appellatione pendente, confirmatio Ordinarii non valet. *Cap.* 33. *h. t. in* 6. Conf. *cap. fin. eod.*

9. Si unus contendentium de Prælatura lite pendente moriatur, pronunciandum eſt ſuper jure, & electione *Superſtitis*; nec licet ad novam electionem procedere in locum defuncti. *Cap. 10. de arbitr.* *

* Quodſi tamen *Electus ſuperſtes* velit ex integro in novam penitus electionem conſentire, & Curia Romana eam concedat, poterit ad hanc procedi: ſic accidit in ſupra relata diſcordi electione BOEMUNDI I. Archiep. Trevir., de qua *Geſta Trevir. pag.* 344. ſic habent: *Fratres Cardinales, licet de ſua ſollicitudine forent non modicum occupati, nobilem filiam, Trevirenſem Eccleſiam, nuper ſuo ſponſo, & Paſtore viduatam, fideliter conſolari cupientes, communi conſilio, & unanimi voluntate, dictam electionem, ad Sedem Apoſtolicam legitime devolutam, cunctis admirantibus, de ſpecialiſſima gratia remiſerunt Fratribus dicti Capituli denuo celebrandam.*

10. Diſcordium electionum *Epiſcopalium* (idem eſt de quibusvis *immediatis* Prælaturis) cauſa eſt annumerata *majoribus cauſis:* atque ideo *ſolius D. Papæ* cognitioni reſervata. *Cap. 10. h. t. in 6.* *

* Et quidem ex conſtitutione ALEXANDRI IV., quam hodie non haberi, dicit *Gloſſa* ibid.

QUAE-

QUAESTIO
Ad hunc ſphum.

Quidſi electores fere omnes contradicerent electioni, cauſantes, quod Scrutatores fraudulenter proceſſerint?

℣. Si vota ſingula *ad protocollum* data ſint *coram Notario, & teſtibus*, vel *ad urnam*, aperta tamen, & annotata coram iisdem, plus creditur Notariali fidei, quam contradicentibus electoribus; quia Notarius perſona publica eſt. Ne quid dicam, *electioni factæ* ſero nimis contradici, cum debuerint ſtatim poſt publicatum ſcrutinium contradicere *faciendæ*. Si vero vota ſingula data ſint in aurem compromiſſariorum ea lege, ut conjunctim ſcrutarentur omnes, & quem major pars ſecreto nominaſſet, ipſi eligerent, ut eſt caſus in *Cap.* 32. *h. t.* fides prævalet compromiſſariorum, ſi ſaltem duo illorum jurati affirment, quod major pars nominarit eum, quem ipſi elegerunt. *Ratio* ibidem datur: quia compromiſſarii ſunt *conteſtes*, econtra electores ſinguli eſſent *in ſuis teſtimoniis ſingulares.*

Reliqua aliis relinquo, quia circumſtantiæ jubent abrumpere.

Animadverſiones Editoris.

Ad *ſ. I. n. 6.* Dicta Auctoris illuſtrantur duplici documento apud WÜRDWEIN *in Subſidiis diplomaticis ad ſelecta Juris Eccleſiaſtici German. et Hiſtor. capita Tom. 1. p. 159.* in Inſtrumento electionis *Joannis de Lyſura* in Praepoſitum B. M. V. ad gradus Mogunt. 1439. dicitur: *qua quidem die et hora ſive terminis advenientibus nos Decanus et Canonici . . . in dicto loco capitulari capitulariter convenientes in unum ad electionem futuri noſtri et Eccleſie Prepoſiti canonice celebrandam nos omnes et ſinguli ſupradicti, qui hujusmodi electioni debuimus voluimus et potuimus de jure vel conſuetudine intereſſe habitis inter nos diverſis tractatibus de forma eligendi tandem placuit nobis omnibus et ſingulis ſupradictis per viam ſcrutinii et compromiſſi mixtim procedere* (vide Auctorem §. V. n. 19.) *ita videlicet ut electis et aſſignatis tribus ex nobis poteſtas eisdem daretur et facultas ut ſcrutatis votis ſingulorum illum eligerent et electum pronuntiarent, in quem omnes ſeu major pars conſentirent etc.* et *p. 271. in Proceſſu* electionis Abbatis S. Albani: *Conventuales Capitulares dicti Monaſterii S. Albani ac Capitulum ejusdem Monaſterii prout tunc dicebatur repreſentantes et propter infra ſcripta juxta prefixionem et aſſignationem termini ad futurum eligendum Abbatem dicte Eccleſie S. Albani et paſtorem capitulariter congregati et habitis inter ſe tractatibus capitularibus per quam formam ad electionem eandem foret et*

eſſet

eſſet procedendum placuit omnibus et ſingulis predictis per viam ſcrutinii negotio in hujusmodi fore procedendum etc.

Ad §. II. n. 1. Ad id, quod hic inquit Auctor de Electoribus Eccleſiaſticis videnda animadverſio mea, quam *Diſſ. praecedentis Sect. 3. §. 2.* ſubjeci. Quod de Canonicis Doctoribus habet hic Auctor, recte explicat n. 5. not. 3. cui adde, quod uti jam alias notavi, exemploque illuſtri ſtabilivi in animadvers. *ad Diſſ. de jure coronandi Imperatoris ſuccedaneo Trevir. hoc Tomo N. XII.*, Eccleſiae tum Cathedrales tum etiam Metropolitanae, illarumque Infulae in ſua origine et fundatione ſolis Nobilibus deſtinatae non fuerunt. In Eccleſia quoque Leodienſi exemplo non ita remoto Doctorem Canonicum electum fuiſſe in Epiſcopum ait *Auctor Annotat. ad P. Engel ad Tit. de Elect.*

Ad §. III. n. 4. not. c. De hac clauſula Concordatorum egit uberius idem Auctor *in Diſſ. de Decretis Baſileenſibus* etc. *Tom. 1. hujus Theſauri N. VI. Cap. 2. §. 4. n. 6. et 7. item §. 6. in additione.* De eadem ita dicitur in *Tract. de Concord. Nation. German. integ. edit. 1771. f. 153. not. b. Fruſtra metuitur abuſus hujus clauſulae, Niſi etc. poſtquam Calixtus III. an. 1457. hanc Imperatori dedit aſſeverationem in Epiſt. Aeneae Sylvii N. 371. Poteſtate autem illa, quae nobis ex divino et humano jure, ſimulque Concordatis ex praedictis competit, providendi Eccleſiis de perſona magis idonea, etiamſi Canonica electio in illis facta reperiatur, adhuc non ſumus uſi, nec uti proponimus niſi ex magna et urgentiſſima cauſa.* Recte jam obſervavit THOMASSIN. *Part. II. Lib. 2. C. 38. n. 12.* ut clauſula haec locum habeat, neceſſe eſt a) cauſſam ſubeſſe juſtam et rationabilem: b) immo et evidentem. c) ut ſubrogatus altero dignior ſit: d) ex illo major in Eccleſiam redundet utilitas; e) denique res Conſilio S. R. E. Cardinalium expendatur prius examineturque; quae quidem omnia difficile convenient; et ut ait *Auctor Princip. Jur. Publ. Eccleſ. Cathol. C. 12. §. 3. haec reſervatoria exceptio vix deducetur in actum; nemo enim canonice electus patietur ſibi facile anteferri quenquam obtenta dignioritatis.* Adde BARBOSA *Diſſ. 3. de Concord. Cap. 3. §. XXIV. ſeqq.* Quare nimium eſt, quod dicit BOEHMER *Jur. Eccleſ. Prot. ad L. I. Tit. VI. §. 69. et L. III. Tit. V. §. 118. Hac clauſula revera Pontifex omnes electiones ſuo arbitrio ſubmittere intendit etc.*

Ad §. IV. n. 4. De praeſentia Commiſſarii Caeſarei in electionibus Epiſcoporum et Abbatum Principum Germaniae, Caeſarisque inde juribus vide Diſſ. *Cl.* DÜRR *de judice controverſiae in electionibus discordibus Germaniae hoc Tomo N. VIII.* De Regno Bohemiae teſtatur SCHRODT *in Inſtit. Jur. Can. ad L. I. Tit. VI. §. 337.* ex Reſcripto Caeſareo-Regio 29. Aug. 1720. electiones quoque in eo regno celebrandas in praeſentia Commiſſarii Regii, cujus ſit *1.* monere ad electionem perſonae idoneae, et quantum fieri poſſit, etiam indigenae. *2.* providere ne ſupremo juri patronatus aut aliis juribus regiis aliquid detra-

latur. 3. examinare ſtatum fundationis una cum adminiſtratione bonorum. 4. praeſcribere Capitulo neceſſitatem praeſentandi perſonam electam ad confirmationem regiam. De neceſſitate ſignificandi obitum Praelati defuncti, jure mittendi Commiſſarium pro cuſtodia temporalium, eorum adminiſtrationem neo-electo iterum committendi ex titulo Advocatiae tum haereditariae tum territorialis, plura vide in *Tract. de Sublimi S. R. J. Statuum Advocatia Eccleſiaſtica etc. Wezlariae 1755. f. 231. ſeqq.*

Ad §. V. n. 4. Id quod hic Auctor inquit de Praepoſitis, hodie potiſſimum ad ſtatuta peculiaria et obſervantiam redit. Praepoſitorum nimirum olim erat potiſſimum temporalia adminiſtrare, uti inquit NICOL. SCHATEN. *L. 2. Annal. Paderborn. ad ann. 816. Poſt Epiſcopum, cui omnes obedire par erat, ſumma rerum adminiſtratio penes Decanum et Praepoſitum: illi ſacrorum cura, huic bonorum adminiſtratio et oeconomiae procuratio commiſſa.* Hanc praefecturam etiam in Monaſteriis gerebant Praepoſiti dicti inde *Majores Monaſterii Can. 2. Diſt. 55.* Id factum aliqui putant ad inſtar Villicorum, quorum vices *majores*, die Meyer, geſſerunt: adde URBAN. II. *Can. 8. Cauſ. 1. Q. 3.* ubi ita: *nomine procuratoris intelligit praefata Synodus quemlibet eccleſiaſticarum rerum adminiſtratorem, ut verbi gratia Praepoſitum, Oeconomum, Vice-Dominum; et cap. 46. de Appell.* ideo Decanus contra electionem Praepoſiti ſe opponebat, quod electus ad adminiſtrationem rerum eſſet inhabilis. Praepoſitos habuiſſe votum in Capitulo patet ex *Auberto Miraeo L. 1. Diplom. Belgic. C. 137. in diplomate de anno 1457.* ita dicitur: *inprimis quod inveſtitus Eccleſiae, religioſus ſiquidem et de Monaſterio Tongerlocenſi antedicto cenſeatur et ſit Praepoſitus Eccleſiae, ita quod in choro et in Capitulo ſit dexter, habeatque primam vocem nomine inveſtiturae* (h. e. officii parochialis) *factis autem votis ſingulorum Canonicorum etiam Decani, habeat adhuc ultimam vocem veluti praepoſitus.* In ſtatutis Eccleſiae Francofurtens. *ad S. Bartholomaeum* apud WÜRDWEIN *Tom. 1. ſubſid. diplom. ad Jus Eccleſ.* Praepoſito ſubjicitur Decanus his verbis f. 3. *Prepoſitus primus eſt Prelatus, cujus officium eſt vicariatum ſui Epiſcopi tenere* (exercendo videlicet jurisdictionem Archidiaconalem, de quo vide eundem WÜRDWEIN *Commentat. 7. de Diaeceſi Moguntina in Archidiacon. diviſa a pag. 475.*) *ipſo celebrante Evangelium legere..... ejus jurisdictioni Decanumque ſubeſſe.*

Cum praepoſiti praetextu adminiſtrationis bonorum Reſidentiae ſe ſubtraherent, inde evenit, ut et a Capitulo excluderentur pluribus in Eccleſiis: in aliis nonniſi vocem in electione Epiſcopi retinerent: in aliis adhuc comparere teneantur, quotics a Capitulo ad negotium quoddam majoris momenti vocentur: in aliis omni quoque reſidentia liberi ſint: ita de Wormat. ait SCHANNAT *Hiſtor. Wormat. p. 71. 72. omni onere etiam reſidentia perſonali eſt exemtus. Sed econtra nec beneficio turni, nec certis quibusdam aliis emolumentis gaudet, quan-*

quam

quam votum retineat in electione Episcopi. FLOERCKE in *observ. ad Schilter. Inst. Jur. Can. p. 190.* de Magdeburgensi ait: *in Ecclesia Cathedrali Magdeburgensi Praepositus nullum amplius officium gerit, ipsique nihil juris circa Capitulum est, sed suos separatos habet reditus, et jurisdictionem in certos pagos:* de Bremensi STAPHORST *in Histor. Eccles. Hamburgens. Tom. II. p. 503.* testatur, eum ad Capitulum non vocari, nisi ad ejus arbitrium; votum tamen ei in electione Archi-Episcopi fuisse: de Hildesheimensi STRUBEN in den Rechtlichen Bedencken *Tom. 2. XL.* Bedencken ait, eum quoque, nisi speciatim vocatum in Capitulo non adesse: Decano absente praesidem agere Canonicum Seniorem, aut quem Capitulum elegerit: de Lübecensi idem *Auctor l. cit.* affirmat eum ne in electione quidem Episcopi votum habere, neque in Capitulo unquam comparere, nisi dum in possessionem Praepositurae inducitur; ac proinde, dum Praepositus *de Friccius* plura praetenderet, eum caussa cecidisse.

Ad §. V. n. 20. Exemplum *Sigismundi* pro nominatione sui ipsius vulgo afferri ait Auctor; sed postquam acta electionis Sigismundi edidit Celeb. OLENSCHLAGER in der neuen Erläuterung der guldenen Bull, illud exemplum non satis recte huc trahi manifestum est. Bis electus fuit *Sigismundus priori* electione quidem discordi, a plerisque Electoribus designato *Jodoco* Marchione Moraviae: *Sigismundo* vero solum ab Electoribus Trevirensi, et Palatino, et Burggravio Norimbergensi *Friderico*, quem nomine Electoratus Brandenburgici Legatum suum *Sigismundus* miserat. At haec electio gravibus adhuc dubiis subjacet, an fuerit legitima nec ne; tum, ut ait *Auctor Position. Juridico Histor. de systemate Imperii Vindob. 1769. Part. 2. f. 111.*, quia expeditum non satis erat, an votum Brandenburgicum *Sigismundo* competeret, an *Jodoco*, cui Marchia Brandenburgica pignoris ergo obligata fuit; immo vero potius ex mente Aureae Bullae, ex qua electionis jus terrae inhaereat, *Jodoco* Marchiam Brandenburgicam obtinenti tribuendum fuisse videatur: tum quia *Trevir* et *Palatinus* cum *Burggravio* electionem tentarunt, etsi terminus ejusdem a *Moguntino* ampliatus fuerit, e justa quidem de caussa, *Saxone* videlicet et *Jodoco* bello Prutenico distentis. Quid tamen hisce argumentis jam tum reposuerit aequalis illi tempori Anonymus, defensor causae *Sigismundi*, vide in ejusdem *Refutatione literarum ab Electoribus Moguntino et Colonienſi ad Magnates Regni Hungariae apud L. B. de* GUDENUS *Tom. IV. p 72. seqq.* literae ante dictae habentur apud eundem *l. cit. p. 61.* Utrumque documentum quidem etiam habet SCHANNAT *in Vindem. literar. Collect. II. Sect. XIII.*, sed multa in ejus editione desiderari observat de GUDENUS l. cit. Adde KOELER in *Diss. sistente vindicias electionis dubiae Jodoci Imperat. contra Sigismundum 1726.* In *secunda* eaque concordi electione *Sigismundus* reliquorum quoque Electorum suffragia tulit; cui tamen Trevir et Palatinus, ne factum suum minus ipsi probare viderentur, in-

tereſſe noluerunt: *Sigismundi* nomine, Jodoco jam defuncto certiori jure ſuffragium Brandeburgicum obtinentis, idem Burggravius Norimbergenſis interfuit. Conf. de tota hac re HAEBERLIN *Hiſtor. Tom. IV. a f. 545. ſeqq.* Saltem ex his, quae compendio retuli, apparet, quod dixi ante, exemplum *Sigismundi* ſe ipſum nominantis ex vi compromiſſi minus rite adduci: immo L. B. de GUDENUS *Tom. IV. cit. f. 85.*, quod *Sigismundus* ſuffragium ſibi ipſi dederit, pro fabula reputat, eo nimirum, quo hactenus modo id factum eſſe circumferebatur.

XVIII.

GEORGII CHRISTOPHORI NELLER &c. &c.

COLLECTIO METHODICA SS. CANONUM DE POSTULATIONE PRAELATORUM.

Trevir. 1756.

§. I.

Quid olim esset postulare Prælatum, quid postea.

1. Compilatores nostri prius agunt *de postulatione*, quam *de electione:* quid ita? nonne *electio* via *ordinaria* vocationis est, *postulatio* autem *extraordinaria*, & *dispensativa?* Decet vero prius tractare de *ordinariis* rerum *modis*; deinde subjungere *extraordinarios!* Solve dicendo: *postulatio hodierna* est via *extraordinaria*, ab electione diversa, nec ei conjungenda: Sed primitus *postulatio* erat via quædam *ordinaria*, & cum electione, quam præcedebat, conjuncta: compilatores ergo retinuerunt vestigium *ordinis antiqui*, præponendo postulationem electioni.

2. Nempe antiquitus *præoptabat* sæpe populus, *desiderabat*, votis, & clamoribus *expetebat*, a Clero, Metropolitano, & Comprovincialibus, *certam* sibi gratam *personam*, quam eligerent illi, & ordinarent: * quod erat tunc *postulare*. **

* *Nullus invitis detur Episcopus: Cleri, PLEBIS, & ordinis, consensus, & DESIDERIUM, requiratur*: ait Coelest. *Pap. ad Episc. Gall. epist. 2. cap. 5.* relat. in *can. 13. dist. 61.* Et Leo Papa relat. in can. 1. dist. 62. *Nulla ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti.* Et in can. 27. dist. 63. *Vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum, in ordinationibus Sacerdotum exspectantur.* Confer *Can. 9. dist. 65. Populi sibi petant Episcopum rectorem.* Et Can. 19. *cad. omnium clericorum, atque civium voluntate discussa.* Vid. etiam *l. 49. C. Theod.*

Theod. de decurion. Adſunt quoque exempla *inſpiratæ* plebis divinitus *ad* poſtulandum ſibi hunc, illumve Epiſcopum. Ita de ALEXANDRO Cappadociæ Epiſcopo, cum veniret Hieroſolymam, in Coëpiſcopum ſenis NARCISSI expetito, narrat EUSEB. *lib. 4. H. E. cap. 9.* De S. AMBROS. PAULINUS Presbyt. in ejus vita. De S. NICOLAO nota pariter eſt hiſtoria. De *ſimplicibus* autem *poſtulationibus populi* proſtant exempla, apud S. ATHANASIUM *Apol. 2. in epiſt. Synod.* ubi Eccleſia Alexandrina teſtatum facit, eundem fuiſſe electum *clamoribus, vociferationibuſque, ab omni multitudine, populoque Catholicæ Eccleſiæ in unum coacto, quaſi in ſpeciem unius corporis, & animæ;* Apud THEODORETUM *lib. 4. hiſtor. eccleſ. cap. 20.* ubi PETRUS *Alexandrinus* Epiſcopus incuſat *Lucium*, quod ad Epiſcopatum pervenerit,.. non conſenſu Epiſcoporum orthodoxorum, non ſuffragiis vere clericorum, non poſtulatione populi; apud EUSEB. *in vita Conſtantini lib. 3. cap. 60.* de ſe ipſo ad cathedram Antiochenam a populo poſt depoſitionem *Euſtachii* poſtulato; apud POSSIDIUM in vita S. AUGUSTINI, ubi de hoc narrat: *tenuerunt eum, & Epiſcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno conſenſu, & deſiderio fieri, perficique petentibus, magno ſtudio, & clamore, flagitantibus,* & alibi paſſim.

** DU FRESNE in Gloſſar. verbo: *poſtulare:* Et quia hæc poſtulatio *ſe ſola* nihil efficiebat, niſi quoque *Cleri* acceſſiſſet *electio*; ideo in antiquis ſæpe vocabatur *electio:* ita STEPHANUS Papa in *can. 12. diſt. 63.* ait, *in electione* Immolenſis Epiſcopi *populi diviſionem* proveniſſe: & *in can. 18. eod.* dicit, Clerum, *& plebem* Reatinæ Eccleſiæ *elegiſſe* ſibi futurum Antiſtitem. In *can. 13.* NICOLAUS I. mandat: *Epiſcopos per Æmiliam non conſecres, niſi poſt electionem Cleri, & populi.* Adde Capitulare Francicum relat. in *can. fin. eod. diſt.* Rurſus in can. 24. *Latinus* mox dicitur *poſtulatus* in Epiſcopum Marcellianenſem, mox *electus*: & vicisſim in *can. 10. & 11. diſt. 61. electus* vocatur *poſtulatus.* Conf. *can. 3. diſt. 54.* in verb. *ſi poſtulati fuerint.* Erat autem proprie *Sacerdotum electio, fidelis populi conſenſus:* can. 12. diſt. 63. quia docendus eſt populus, non ſequendus. *Can. 2. diſt. 62.* Populi non tam eſt *electio*, quam *præſentia*, quæ ideo requiritur, juxta *Originem* relat. in can. 15. VIII. q. 1. *ut ſciant omnes, & certi ſint, quia, qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc ASTANTE POPULO, nequa poſtmodum retractio cuiquam, nequis ſcrupulus reſideret.* Sive etiam populus advocatur, propter *teſtimonium bonum*, quod habere electum vult Apoſtolus. *Ibid.*

3. Quæ quidem *popularis poſtulatio*, antiquitati merito ſuſpecta, * eatenus moderata fuit, ut hujus loco *populi conſenſus* ** electioni *per Clerum facta* accedens, ſubſtitueretur: denique vero, propter tumultus, conſenſum electioni præbuerunt *vice populi*, vel *honoratiores* viri *civitatis*, vel ipſe *Princeps.* ***

* *Can. 16. VIII. q. 1.* Ubi *Origenes* dicit, *plebem ſæpe clamoribus, ad gratiam, aut ad pretium fortaſſe excitatis, moveri ſolere.* Et Concil. Laodicen-

ſe

ſe relat. in *can.* 6. *diſt.* 63. ſtatuit: *Non eſt permittendum turbis electionem eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium promovendi.* Conf. Can. 2. Conc. Sardic. relat. *in Cap.* 2. *de elect.*

** Hunc, maxime in *Latinis Eccleſiis*, diu adhibitum fuiſſe, probant laudati ſuperius textus; diploma CAROLI ſimplicis pro Eccleſia Trevir. de anno 913. *Quemcunque Trevirenſis CLERUS, & POPULUS, de propriis ejusdem Eccleſiæ filiis PARI CONSENSU elegerit, abſque ulla cujuslibet contradictione ille, Deo favente, eis detur Epiſcopus; GREGORIUS VII. lib.* 1. *epiſt.* 35. & *lib.* 5. *epiſt.* 8. *S. BERNARDUS* epiſt. 12. ad Papam Honorium, ubi ſcribit, in electionem illuſtris viri, magiſtri, *ALBERICI totum, tam Clerum, quam populum, pari voto, & voce* conveniſſe, & convenire. Idem *Epiſt.* 27. *ARDUTIONI* Gebennenſi electo: *Credimus, electionem tuam eſſe a Deo, quam* tanto Cleri, populique conſenſu *fuiſſe celebratam, agnovimus.*

*** In *Oriente* ſatis cito *Primores civitatis* adhibitos fuiſſe, probat Nov. 123. cap. 1. *Sancimus, quoties opus fuerit, Epiſcopum ordinari, Clericos, & PRIMATES civitatis, cujus futurus eſt Epiſcopus, ordinari, &c.* In Occidente *conſenſus Regius* erat uſitatior, quam *Primatum Civitatis:* de quo vid. *Can.* 9. 17. 18. 24. 25. *diſt.* 63.

4. Atque ex hoc ipſo more natæ ſunt aliæ duæ ſpecies *poſtulationis:* nempe *1ma*) quam Clerus direxit ad Principem *pro licentia* electionis *faciendæ.* * *Et 2da*) qua ſupplicabatur Principi pro conſenſu, *factæ* electioni impertiendo. **

* Ita *Albericus* in Chron. ad an. 1126. narrat, poſtulatum eſſe Spiræ a Lothario Imp., ut eligerent ſibi Archiepiſcopum, a Magdeburgenſi Clero, electumque fuiſſe Dominum NORBERTUM. Et PP. Concil. Valentini apud HARDUIN. *Tom. V.* anno 855. can. 7. ſanxerunt: *Siquando alicujus Civitatis Epiſcopus avocatione Domini deceſſerit,* a glorioſiſſimo Principe ſupplicando poſtuletur, *ut canonicam electionem Clero, & populo ipſius civitatis, permittere dignetur.*

** Hujus generis *poſtulatio* formulam apud MARCULFUM *lib.* 1. *cap.* 7. habet iſtam: *Suggeſtio piiſſimo, ac præcellentiſſimo Domino, illo Regi, vel Seniori, Commune illius, a ſervis veſtris, quorum ſubſcriptiones, vel ſignacula, ſubter tenentur inſerta. Principalitatis veſtræ circumſpecta Clementia novit juſta petentibus dignanter adnuere, ſuo moderaminis judicio ponderante, præſertim cum illa depoſcuntur generali prece, cunctorum voce, communiter quod proficiat conſtanter Eccleſiæ regimen pullulare, quod & ipſæ Regali Clementiæ proſit ſalutis pariter, ac mercedis. Quoniam ſanctæ memoriæ Vir apoſtolicus ille, illius urbis Epiſcopus, fine adpropinquante ab hac luce migravit, tempore naturæ complente, ne deſtitutæ ſint, quod abſit, oves, decedente Paſtore, in loco ejusdem ſuppliciter POSTULAMUS, ut inſtituere dignemini illuſtrem Virum illum, aut venerabilem illum Cathedræ illius ſucceſſorem, in quo eſt perſpicuitas ſublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia caſtitatis, charitatis locuples voluntas. Irrefragabiliter manu noſtra hunc conſenſum decrevimus roborare, BALUZ. Tom. II. pag.* 379.

5. Ve-

5. Verum de his *exoletis poſtulationibus* modo non agitur: ſed *de illa*, quæ contraponitur *electioni*. Compertum nempe fuit, olim ſæpe a populo fuiſſe poſtulatos, a Clero electos, viros quidem dignos, ſed vel nondum qualificatos ordinibus, vel alio impedimento canonico laborantes, quo minus fierent, abſque diſpenſatione Ss. Canonum, Epiſcopi. * Quo facto ne vulnerarentur ſtatuta canonica, neve *extraordinaria* confunderentur cum *ordinariis*, poſtea *per Decretales* ſapienter ordinatum fuit diſcrimen inter *poſtulationem*, & *electionem*, quatenus non quilibet promiſcue eligeretur, ſed in arbitrio Superioris eſſet, an minus qualificatus, & impeditus in Rectorem Eccleſiæ *diſpenſative* dandus foret, nec ne: **

* Ita referente GRATIANO *in part. 2. diſt. 61.* B. NICOLAUS ex laico electus eſt in Epiſcopum; B. SEVERUS ex lanificio aſſumptus eſt in Archiepiſcopum; beatus AMBROSIUS, cum nondum eſſet baptizatus, in Epiſcopum. Ita ſæc. IV. apud Conſtantinopolim *Nectarius* ex Prætore urbano, catechumenus, & nuper baptiſma conſecutus, Sacerdotium ſuſcepit a populo raptus. SOCRAT. *lib. 5. cap. 8.* Et ſæc. IX. ibidem, dejecto IGNATIO Patriarcha, *Photius*, vir laicus, & aulicus, electus eſt, factus prima die *monachus*, altera *lector*, tertia *Subdiaconus*, quarta *Diaconus*, quinta *Presbyter*, ſexta *Epiſcopus*, NICETAS *in vit. S. Ignat.*

** In quo ſcirpo, quis calliditatis, vel aſtutiæ *Papalis* nodus quæri voluerit a ZIEGLERO, & THOMASIO, non videmus; cum ratio diſciplinæ & gubernationis canonicæ dictet duo: (1.) Non debere in ſacris electionibus paſſim vulnerari Ss. Canones, per quos certi quidam vetantur eligi, ut *bigamus*, *neophytus*, ipſo jam id prohibente Apoſtolo; (2.) Debere aliquando cauſa cognita *diſpenſative* admitti ad regendum oves Chriſti virum *alias ineligibilem*, ſi hic magis neceſſarius, vel utilis dignoſcatur eſſe Eccleſiæ, quam *eligibilis*: in his duobus cardinibus vertitur diſtinctio *poſtulationis* ab *electione*; ne repetamus, ſanæ rationis eſſe, *ut caſus diverſi diverſis quoque regulis concludantur*, & *extraordinariæ vocationes* ſeparentur ab *ordinariis*. Quod igitur THOMASIUS in libro ſuo *ad Lancelloti inſtitutiones*, maledicentiis ita referto, ut ipſis adeo modeſtioribus, & æquioribus Proteſtantibus diſplicere debeat, *num.* 127. ex ZIEGLERO ponit: *Videtur poſtulatio in fraudem legis inventa, ut promoveri ſcilicet ad Epiſcopatum poſſent, qui propter canones recentiores eligi non poterant.* Et amarius de ſuo: *videtur poſtulatio eum præcipue in finem, ut alia plura, excogitata primum fuiſſe, ut Curiæ Romanæ ærarium pro impertienda gratia, & diſpenſatione aliquod haberet emolumentum* hæc, inquam, invidioſa ſunt dicteria. Quod enim *extraordinarie* vocarentur etiam illi ad Epiſcopatus, qui per antiquiores canones vocari non poterant *regulariter*, hoc non erat inventum recentius, neque aſtutum, & in fraudem legis, ſed, *propter majorem Eccleſiarum utilitatem*, antiquiſſimis temporibus uſitatum, atque ita radicatum, ut multi adhuc tempore INNOCENTII III. pergerent *eligere* tales, qui debuiſſent *poſtulari*, frœnum injiciente laudato Papa in *Cap. fin. h. t.* & *Cap. 20. de elect.* Iis vero temporibus, quibus invecta fuit diſtinctio *poſtulationis* ab *electione*, nondum Romanæ Curiæ inciderat, *ex diſpenſationi-*

tionibus habere emolumentum ærarii: & ſi hoc quæſiviſſet, tot poſtulationes non repuliſſet. Ne hodie quidem *Annatæ* augentur propterea, quod *via poſtulationis* aliquis promoveatur.

6. Priuſquam hanc, de qua acturi ſumus, poſtulationem *definiamus*, opus eſt *diviſione:* hæc enim *in æquivocis* utilius præmittitur *definitioni.* Dividunt Scholaſtici poſtulationem in *propriam*, quam & *ſolennem* vocant, & in *impropriam*, ſive *minus ſolemnem.* *

* *Impropria* eſt, quia *non excludit electionem*, nec eſt ipſa electio, ſeu vocatio, ſed *electionem factam conſequitur*, flagitans ad ejus executionem conſenſum *alicujus tertii*, non quatenus hic eſt *Superior eligentium*, ſed *Superior electi.* Eſt *minus ſolemnis*, quia quocunque modo fiat, ſive per epiſtolam, ſive per oralem requiſitionem, ſatis eſt: imo nequidem hodie opus eſſe videtur, ut *eligentes* requirant conſenſum, ſed ſufficit licentiam peti *ab electo*, quod ſatis innuit *Cap. 27. de Elect. in 6.*

7. *Impropria* poſtulatio eſt antiquiſſima, & longe antiquior *propria:* induxit eam *honeſtas canonica*, tanquam *obſervantiam, quæ pacem cuſtodit*, ut habet *can. 6. diſt. 71.*; ne clericus, vel monachus, abſtraheretur ab Eccleſia, cui incardinatus, vel mancipatus extitit, *ſine præſcitu, & conſenſu illius Prælati*, cujus regiminis ſubjacet. Ideo adhibenda eſt

(*a.*) Cum electus fuit Romanæ Eccleſiæ Presbyter, vel Diaconus *Cardinalis.* Cap. 3. h. t. Cujus hiſtoriam lege apud FLORENTEM *Oper. Tom. I. ad hunc tit. pag.* 107.

(*b.*) Cum eſt dandus Coadjutor, etiam citra ſucceſſionem, poſtulandus eſt a Sede Apoſtolica: quia Coadjutoris datio eſt cauſa major. *princ. Cap. un. de Cler. ægrot. in 6.* diſpenſative tamen eligi poteſt, ut ibi, quin poſtuletur.

(*c.*) Quando electus eſt *clericus alterius diœceſis.* Can. 14. diſt. 63. ubi ab Epiſcopo Grumentino *poſtulabatur* Diaconus ſuus ad Epiſcopatum Marcellianenſem, quem noluit ordinare PELAGIUS Papa, niſi acceptis de perſona ejusdem ab Epiſcopo ſuo dimiſſoriis. *Can. fin. diſt.* 76. Conf. can. 37. VIII. q. 1. *Inferioris gradus ſacerdotes, vel alii clerici, conceſſione ſuorum Epiſcoporum poſſunt ad alias Eccleſias transmigrare.* Quodſi talis Clericus, hoſte prohibente, Epiſcopum non haberet, *a Papa* poſtulandus eſſet, ut de ſua excorporatus eccleſia conſtituatur Cardinalis alterius. *Can. 5. diſt.* 71. Sed iſte rigor hodie vix ſervatur, & Clerici, qui extra ſuas diœceſes vocantur Epiſcopatus, aliaſve dignitates, ſatisfaciunt, ſi hoc Epiſcopis ſuis reverenter inſinuent, veledicenteſque eis cum bona eorum pace abeant.

(*d.*) Quando *monachus.* Can. 1. & 2. diſt. 58. Can. 33. 34. XVI. q. 1. Can. 3. XIX. q. 3. Cap. 27. de elect. in 6., vel canonicus *Regularis.* Cap. 11. de Renunc.

8. *Propria* poſtulatio ſunt *preces ab eligentibus ad ſuum Superiorem ſtudioſe directæ,*

ut is pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ ſuæ perſonam, regimini idoneam, impedimento autem diſpenſabili laborantem, diſpenſative admittere velit ad prælaturam. *

* Hæc definitio accommodatur etiam ad *nominationes Regias*, ſi nempe perſona nominata laboraret impedimento canonico, propter quod eligi non potuiſſet: talis enim non poſſet *ſimpliciter* nominari a Rege, ſicut alii, ſed *cum poſtulatione.*

QUAESTIONES
Ad hunc ſphum.

1. An diſtinctio inter *poſtulationem*, & *electionem* locum quoque habeat apud *Proteſtantes* in Germania?

℣. *Affirm.* Non tantum, ſi Capitula ſint *mixtæ religionis*, *Art. V. I. P.* §. 16. ſed etiam, ſi ſint *mere Proteſtantica.* Ibid. ubi legitur *jura eligendi, & poſtulandi, juxta cujuslibet loci conſuetudines, & ſtatuta antiqua, illibata maneant.* Conf. §. 17. ubi *poſtulati vero, ſeu electi*: §. 21. ubi: *electi, aut poſtulati*: & §. 22. ubi: *Electorum, aut poſtulatorum.* Habent quoque nonnulla eorum Capitula cathedralia *ſervitutem perpetuæ poſtulationis*, veluti *Miſnenſe, Naumburgenſe*, & *Merſeburgenſe*, de quibus vid. BÖHMER *in Jur. eccleſ. Proteſt. h. t.* §. 11. & 12.

Additio. In cit. §. 16. J. P. cavetur de *Capitulis mixtis, nequid ſtatutis antiquis de novo admiſceatur, quod Catholicorum, vel Auguſt. Confeſſ. addictorum, conſcientiam, & cauſam, pro cujuſque parte, lædere, eorumve jus imminuere poſſit.* Læderetur autem conſcientia, & cauſa Canonicorum Catholicorum, juſque horum imminueretur, ſi Canonici Proteſtantes, ſpreto jure canonico, poſthabitaque diſtinctione poſtulationis ab electione, vellent, *eligi* poſſe *a Catholicis eum*, qui deberet *poſtulari*, vel ſaltem *a ſe* poſſe *eligi*, qui juxta Catholicos veniret *poſtulandus*; tunc enim paucioribus votis vel ſuperare, vel ſub æquilibrio tenere poſſent vota Catholicorum, opponentium forte electionem poſtulationi, quam feciſſent Canonici Proteſtantes.

2. Quis ergo admittet poſtulationem Proteſtantium, cum non agnoſcant Papam?

℣. Si poſtulatus ſit aliquis in *Prælatum*, reſpectu Imperii *immediatum*, ipſa poſtulatio pro admiſſione eſt, ſicut electio pro confirmatione: inveſtietur itaque, poſtquam intra annum poſtulationis ſuæ fidem fecerit, *abſque ulla exceptione*, ab Imperatore. *J. P. d. art.* 5. §. 21. Si vero in *Prælatum mediatum* quis poſtuletur, admittet poſtulationem *Dominus territorii.* STRYCK. *de Jur. Papal. Princ. Evangel. cap.* 5. §. 2.

Quandonam in *Prælaturis* Proteſtantium *immediatis* uſum practicum habeat diſtinctio *poſtulationis* ab electione?

R. Si

3. Si emergat conflictus, aliis *eligentibus*, aliis *poſtulantibus*, ita, ut *poſtulatus* concurreret cum *electo*; tunc enim procedendum foret juxta *Cap.* 40. *de elect.* PERTSCH. *Elem. Jur. can. lib.* 1. §. 319. BÖHMER *hic* §. 8. Si tunc cauſa fiat contentioſa, dirimetur vel *a Camera*, vel a *Judicio aulico Imperiali*, ſecundum generalem ordinationem *Art. V. J. P.* §. 54. Vid. FABRI Staats-Canzley *Tom. XIII. pag.* 510. Extra hunc conflictum uſus hujus diſtinctionis in praxi eorum nullus eſt: imo illorum *electio*, quoad Epiſcopos, fere ſemper eſt *poſtulatio*; quoniam rariſſimi electi ſunt *cælibes*, aut *ætatem* habent, aut cogitant poſt electionem *ordinari*, & cooptari in miniſterium, ſed manent, quales fuerunt, *laici*, quin ullos unquam miniſterii functiones obeant.

§. II.

Qui poſtulari poſſint, debeant, vel non.

1. Poſtulandus debet eſſe *talibus perſonæ meritis præditus*, atque *ita convenire Eccleſiæ*, ad quam poſtulabitur, ut vulnus, quod per ejus admiſſionem, & impedimenti diſpenſationem infligetur Ss. Canonibus, aliunde compenſetur, ſatiuſque ſit vulnerari illos, quam illum repelli a Prælatura. *

* Sumitur ex *Cap.* 20. *de Elect.* ubi, cum INNOC. III. præmiſiſſet, competere ſibi facultatem, cum illegitimo diſpenſandi, ſubjungit: *Multa in hoc caſu diſpenſationem inducere videbantur: literarum ſcientia, morum honeſtas, vitæ virtus, & fama perſonæ: faciebant etiam ad id non modicum concors Capituli electio, petitio populi, aſſenſus Principis, votum Metropolitani, Suffraganeorum ſuffragia &c.* Et in fin. *Quodſi Vigorienſe Capitulum eundem magiſtrum* propter prærogativam meritorum ipſius *duxerit poſtulandum.*

2. Hinc 1mo) *impoſtulabiles* ſunt, quos *demerita*, vel alia *perſonæ* vitia, *indignos*, ſive *inutiles*, efficiunt. E. g.

a) Qui crimen admiſit, quod *ſacra lex*, (id eſt, vetus teſtamentum *Can.* 23. *in fin. diſt.* 54.) morte punit. *Can.* 18. *diſt.* 61. 1mo quicunque *criminoſi. Can. un. diſt.* 84., ut ſunt hæretici, ſchiſmatici, Simoniaci, uſurarii, adulteri, fornicarii &c. de quibus varii ſunt canones *diſt.* 46. 47. 49. & 50. Item avarus, & ita tenax, ut in domo ejus amicus ad charitatem nunquam introëat. *Can. un. cit.*

b) Qui violavit interdictum. *Cap.* 1. *h. t.* cujus hiſtoriam exacte refert FLORENS *hic a pag.* 105. contendens *pag.* 106., Epiſcopum Antiſſiodorenſem, & reliquos graviſſimas habuiſſe cauſas, non obtemperandi interdicto, quibus tamen inattentis, repulſa fuit poſtulatio de ipſo facta.

c) Qui peccavit contra *obedientiam canonicam*, quam debebat exhibere D. Papæ, & legatis ejus. *Arg. d. cap.* 1. Hæc enim inobedientia refertur *inter illas culpas, in quibus culpa eſt relaxare vindictam:* ne nil obedientia prodeſſe videretur humilibus, ſi contemptus contumacibus non obeſſet. *Ibid.*

d) Qui natura eſt inutilis, ut ſunt infans, * puer, adoleſcens, mente captus: *rudis* & prorſus illiteratus. *Cap. fin. de æt. & qual.* olim etiam, qui pſalmos ignorabat. *Can. un. diſt.* 54. debebant enim clerici hos noſſe memoriter. ſicut quidam adhuc monachi, quod hodie ceſſat. Item corpore vitiatus enormiter. *Cap. 6. de corp. vit.* Epilepticus. *Cap. 21. de elect.* nimis ſenex. *i can. un.*

* Rariſſima fuit poſtulationis admiſſio, qua anno 1566. Dux Brunswicenſis, & Luneburgenſis, HENRICUS JULIUS, puer duorum annorum, fiebat, diſpenſante Papa, Epiſcopus *Halberſtadienſis*, cavente Duce HENRICO jun., puerum in Religione Catholica educatum iri. BILDERBECK teutſcher Reichs-Etaat. *Tom. 2. cap. 1. §. 36.* edit. ſecund.

3. *Impoſtulabiles* 2do) ſunt, qui laborant defectu, abſolute quidem diſpenſabili, ſed *ſuper quo* Curia Romana *non ſolet* diſpenſationis gratiam facere. E. g.

a) Epiſcopus, qui *criminis eluendi cauſa* deſcenderat in monaſterium. *Cap. 11. de Renunc.* cum durum nimis exiſteret, ejusmodi poſtulationem admittere. Aliud eſt, ſi Epiſcopus *ſolius pœnitentiæ cauſa*, abſque crimine, migraſſet ad vitam regularem, *loco* tantum cedens, non *ordini*. Ibid.

b) Religioſus de *mendicantibus* ad Eccleſiam ſæcularem, *Cathedrali inferiorem*, vel regularem non ſui Ordinis. *Extrav. un. h. t. int. comm.*

c) Minor 27. annis ad *Cathedralem.* * Ibid.

* Aliqui codices habent hanc textus additionem: *aut quamvis ſæcularem non cathedralem eccleſiam*, quod an bonum ſit, relinquo peritiæ legentium, inquit hic *Gloſſa*. Nobis durum videtur, neminem poſtulari poſſe *ad non cathedralem* Eccleſiam, niſi fuerit major annis 27., ideo, niſi hæc additio, quæ in pleriſque non extat, authentice doceatur, textum accipimus, ſicut *in vulgatis* ponitur.

d) Bigamus, & *ex damnato coitu* procreatus. *Arg. Cap. 10. de Renunc.* verſu: *perſonæ vero irregularitas.* Si enim bigamia, & procreatio ex damnato coitu ſunt cauſa juſta *renuntiationem* Epiſcopatus admittendi, quanto magis *poſtulationem* rejiciendi? maxime, cum ibi textus diſtinguat inter irregularitates non minus utiliter, quam miſericorditer *diſpenſabiles*, id eſt, *diſpenſari ſolitas*, & inter *indiſpenſabiles*, cujusmodi tunc habebatur bigamia, & procreatio ex coitu nefario.

e) Laicus *hodie*, * cum ſit *nimius defectus ordinis*, nihilque facilius, quam prima tonſura prius initiari.

* Olim poſtulari poterat a populo *laicus*: ſed iſte non ordinabatur in Epiſcopum, niſi præmiſſa probatione alicujus intervalli in monachatu, & ordinibus inferioribus. *Can. 10. diſt. 61.*

4. Qui impoſtulabilem ſcienter poſtulant, præſentantes poſtulationem, hac repulſa uniuntur, in quo peccaverunt, nempe

a) Pro ea vice privantur *activa voce*, tam ad *eligendum*, quam ad *poſtulandum* quem-

quemquam alium, penes ſolos innocentes tunc reſidente facultate, eligendi, ſeu poſtulandi. *Cap.* 1. *in fin. h. t.* Et hoc magis, ſi poſtulationem ſemel caſſatam auderent innovare. *Cap.* 2. *h. t.*

b) Qui contra *Extrav. un. h. t.* poſtulant ſcienter, ultra prædictam pœnam, ſuſpenſi ſunt triennio a beneficiis, quæ obtinent in illa Eccleſia, ad quam ſic poſtulaverunt. *Poſtulatus* autem *minor* 27. *annis*, ſi quomodolibet apud Sedem Apoſtolicam inſtet pro admittenda ejusmodi poſtulatione, etiam ſe duntaxat diſpoſitioni ejus ſubmittendo, ineligibilis, & impoſtulabilis ſit *uſque ad annum ætatis trigeſimum quintum:* Regularis, ſollicitans poſtulationem ſui ad Eccleſiam Cathedrali inferiorem, vel ordinis non ſui, *in perpetuum.* Ibid. *

* *Criſis* 1. In hac extravagante legitur: *cæteros vero ſæculares, ... perpetuo ineligibiles, ac impoſtulabiles eſſe decernimus, ac prorſus inhabiles ad quaſcunque dignitates eccleſiaſticas, & beneficia quælibet obtinenda.* Quinam ſunt iſti *cæteri ſæculares?* R. 1. Suſpicor, lectionem hanc non eſſe genuinam; eo quod DD. communiter *pœnam impoſtulabitatis uſque ad annum* 35. attribuant *poſtulatis ſæcularibus*, importune urgentibus apud Sedem Apoſtolicam poſtulationem, de ſe factam ante annum 27. completum: quo vero, neceſſum erit, *puncto* non interjecto, ſed *commate* duntaxat, legi: *ſi fuerint ſæculares*, loco, quod modo legatur: *cæteros vero ſæculares;* & ſtatim debebit ſubjungi: *Religioſos vero &c.* Alias ſane non video, cur præcedens *pœna generalis* reſtringatur *ad ſolos clericos ſæculares.* ℟. 2. Retenta interpunctione, & textu, qualiter in vulgatis habetur, dicendum erit, *a) Pœnam*, quibuscumque, ſive clericis, ſive religioſis, ſive mendicantibus, ſive aliis, ſi minores 27. annis inſtent Romæ pro admittenda ſui poſtulatione ad Epiſcopatus, eſſe impoſtulabilitatem *uſque ad annum* 35., ſaltem attactum. *b)* Cæterorum vero, tam *ſæcularium*, quam *religioſorum*, qui, *etiam extra caſus in extravagante ſpecifice expreſſos*, quaſcunque alias *irrationabiles*, & in diſpendium Eccleſiarum viduatarum vergentes, poſtulationes in Conſiſtorio Papali, privato, publicove, urſerint, pœnam fore *impoſtulabilitatem perpetuam*, & inhabitatem ad quævis beneficia. Omnibus perpenſis obſcura hæc Extravagans quoad hunc paſſum indigeret *interpretatione authentica.*

Criſis 2. Legitur in eadem hac Extravagante, *Religioſos* poſtulatos contra ejus prohibitionem, ſi ſollicitent Romæ, perpetuo ineligibiles, & impoſtulabiles fore ad dignitates Eccleſiaſticas, *extra ſuorum adminiſtrationes ordinum.* Quomodo intelligis TO *extra?* BARBOSA *hic*, & VERANI ſumpſerunt TO *extra* pro *tam*, docentes, quod ejusmodi Religioſus ſit incapax *tam* adminiſtrationum ſui ordinis, *quam* aliorum beneficiorum extra ſuum ordinem. Potius autem a pœna hac videtur *excipi* vocatio ad adminiſtrationes proprii ordinis; quia canones ſolent regulariter punire in eo genere, *in quo quis peccavit:* Religioſi autem tales non peccaverunt in quærendis *adminiſtrationibus ſui ordinis*, ſed eccleſiis, ac monaſteriis *extra ſuos ordines.*

5. *Poſtulabiles* de ſtylo curiæ Romanæ ſunt

a) Irregulares *ex defectu natalium*, ſi procreati fuerint ex ſimplici fornicatione. *Cap.* 20. *de Elect.*

b) Irregulares *ex defectu lenitatis* ſine peccato.

c) Patientes *defectum ætatis*, dumne ſint minores 27. annis. Noſter BALDUINUS poſtulatus fuit anno ſuæ ætatis 22do; ſed tunc nondum aderat *Extravagans Joannis XXII.* condita modo decem annis poſt dictam poſtulationem. Imo, non obſtat hodie extravagans, quin illuſtris perſona, ex graviſſimis cauſis in Epiſcopum poſtulari poſſit ante ann. 27. Salus enim Eccleſiæ ſuprema lex eſt: propter quam in *Cap.* 10. *de ætat.* irregularis, manens talis, *& nusquam aſcenſurus ad ſacros ordines*, inſtitutus fuit ab INNOC. III. in Abbatem S. Quirici. Quidni igitur ſimiliter *in caſu extraordinario* exaudietur poſtulatio minoris 27. annis; cum talis defectus omni momento diminuatur, naturaliterque emendetur? Exemplum hujusmodi poſtulationis admiſſæ poſt prædictam Extravag. habuit *Trevirenſis* Eccleſia in ſuo JOANNE II. Badenſi, anno 1456. poſtulato, dum erat adoleſcens 22. annorum: de quo ſcribit ÆNEAS SYLV. in Hiſt. German. cap. 10. *Poſtulaverunt Canonici ad eam Eccleſiam Joannem Marchionem Badenſem, cujus ætatis defectum ſingularis virtus redemit, & majorum ſuorum imagines ſuppleverunt: annuit votis Romanus Præſul.*

d) Patientes *defectum ordinis ſacri*, in quo per ſex menſes extitiſſe debet eligendus in Epiſcopum.

e) Habens ligatas alas propter conjugium ſpirituale cum Eccleſia Cathedrali, *Cap.* 6. *h. t.* licet nondum eſſet conſecratus, ſed tantum confirmatus. *Cap.* 2. *de translat.*

Additio. Melius iſti faciunt, ſi juxta ſtylum recentiorem curiæ Romanæ ſtudeant impetrare *Indultum*, ſeu *Breve eligibilitatis*, tunc enim *eligi* poterunt, nec debebunt *poſtulari.*

f) Extat præterea in *Cap.* 13. *de elect.* poſtulatio cujusdam *Eremitæ* in Abbatem *Benedictinum*, de quo neſcitur, an *ullam regulam* profeſſus eſſet, minus. an *Benedictinam:* poſtulationem admiſit Epiſcopus Cenomanenſis, COELESTINUS III. admiſſionem ejus confirmavit, duplici conſideratione, quod nempe fuerit hic Eremita quaſi unicus, qui reformaret diſſolutum illud monaſterium, inſimulque cum fratribus ſuis laudabiliter ſit converſatus in eremo: ex quo communiter ſummant, *non profeſſum* poſtulari *poſſe in Abbatem*, ſecundum quod in nonnullis Germaniæ *Abbatiis*, principatus dignitate fulgentibus, poſtulabantur *non-monachi*, velut anno 1715. ad *Stabulenſem* JOANNES ERNESTUS *Lœwenſteinius*, Epiſcopus Tornacenſis; ad *Murbacenſem* in Alſatia anno 1686. PHILIPPUS EBERHARDUS *Lœwenſteinius.*

6. Poſtulatione non indigent, quia eligi poſſunt

a) *Coadjutor* datus, etiam cum ſucceſſione; quia nondum eſt *uxori futuræ* alligatus, ſed *liberrime* poteſt dimittere Coadjutoriam, ac renunciare ſucceſſioni in Epiſcopatu.

b) *Epiſcopus*, qui electioni conſenſit, nondum vero eſt *confirmatus;* quia vinculum

lum ſpirituale pròprie inducitur *per confirmationem;* non obſtante, quod juxta *Cap.* 4. *de transl.* illud in electione *initietur*, & juxta *Cap.* 21. *de elect.* per mutuum conſenſum eligentium, & electi *quaſi conjugale vinculum* ſit contractum; hæc enim eo ſolum referuntur, *quod nolente electo eligentes pœnitere non poſſint;* non *quod electus renunciare nequeat juri quæſito.*

i) *Epiſcopus*, qui, authore Papa, renunciavit *loco*, retenta dignitate: quia ſolutum eſt vinculum, propter quod debuiſſet poſtulari. *Cap.* 2. *de transl.* verſu: *cui profecto.*

Additio. Archiepiſcopus non habet plus impedimenti, quo minus poſtuletur *in Archiepiſcopum alterius provinciæ*, quam Epiſcopus: quamvis honeſtius videretur, ſi Suffraganeus, mediante poſtulatione, ad ſuam Metropolim accederet. *Cap.* 3. *h. t.*

k) *Præpoſitus ſæcularis*, ut eſt *Ellvacenſis* in Suevia, licet haberet jurisdictionem *quaſi epiſcopalem.* Neque *Abbas*, ſi petatur ad aliud monaſterium *ſui ordinis*, vel *ad Epiſcopatum*: quia deeſt his ſæpe dictum conjugium ſpirituale, nec reſiſtit canon electioni.

l) Qui non eſt *de gremio Capituli*, v. g. Canonicus *Domicellaris*, ſive *extra Capitularis* duntaxat, aut clericus *plane extraneus* huic eccleſiæ: quia, licet ſæpe ſit conſtitutum in Ss. Canonibus, præſertim *antiquis*, ne quis *extraneus* eligatur, donec quiſpiam *de gremio* idoneus non reperitur; potius tamen *favor pro Capitularibus* eſt, quam proprie dicendum *impedimentum pro extraneo*: cui favori renunciari poteſt. *Cap.* 21. *&* 27. *de elect.* *

*) *Excipe*, niſi legem, a Superiore *per ſpeciale ſtatutum* ſibi præſcriptam, haberet Collegium, qua non liceret ſibi eligere alium, præterquam de gremio; prout hoc in diverſis Collegiatis Germaniæ ſtatuerunt Epiſcopi, propter inconvenientias, quas ſolet ſecum ducere electio extraneorum.

Additio. Hoc licet de jure communi ſit veriſſimum, ſolent tamen Capitula in vocando extraneo *viam poſtulationis* de praxi adhibere, quam ſequitur noſtra *Univerſitatis Trevirenſis* in electione ſui Rectoris magnifici: quotiens enim placet *extraneus*, id eſt, qui non eſt *de Conſilio Univerſitatis*, quaſi-poſtulandus eſt, poſtulatione ad neminem quidem directa, non aliter tamen ſubſiſtente electione, quam habitis *duabus tertiis.*

QUAESTIONES

Ad num. 4. lit. a. & b.

An poſtulantes impoſtulabilem ſint *generaliter* ſuſpenſi triennio a ſuis beneficiis, ſicut, qui eligunt contra *Cap. 7. de Elect.?*

Affirm. Si nempe *ſine quavis rationabili ſpe* poſtulaſſent: quia, licet alias in pœnalibus non ſit facienda productio de caſu expreſſo ad non expreſſum, tamen

men nihil in effectu intereſt, utrum indignus, e. g. malis moribus, & prorſus illiteratus, *eligatur*, an *poſtuletur*. Quapropter INNOC. III. pœnam privationis activæ vocis pro ea vice, quæ ſtatuta erat in *Cap.* 7. *de elect.* contra *eligentes ineligibilem*, non hæſitavit producere in *Cap.* 1. *h. t.* contra *poſtulantes impoſtulabilem*. Et JOAN. XXII. *in Extrav. un. h. t. int. com.* expreſſit triennalem ſuſpenſionem, non certe ſpecialiter *propter illos tres caſus*, quos ibi nominavit, ſed ex rationibus in exordio præmiſſis, quæ *generales* ſunt, militantque contra *quaſvis alias irrationabiles poſtulationes*. Vid. *Gloſſ. in Cap* 33. *de elect. in* 6. verbo: *proviſione;* ubi objicit, cur ibi facta ſit *extenſio in pœnalibus?* & ſolvit per hoc, quod jura quotidie parificent electiones, poſtulationes, & proviſiones: & propter hanc æquiparantiam *diſpoſitum in materia pœnali de electione, cenſetur etiam diſpoſitum de poſtulatione*, ait hic VERANI *num.* 27.

Ad num. 5. lit. e.

1. An Epiſcopus *titularis*, ſive *in partibus infidelium*, poſtulari debeat?

R. *Neg.* Quia non eſt *actu*, neque *habitu*, deſponſatus ſuæ Eccleſiæ, utpote, quæ *non-ens* eſt, neque ſcit aliquid de Epiſcopo titulari, *multo minus in eum conſentit*: non intelligitur autem conjugium *ſine ſponſa exiſtente, ſciente, conſentiente.* Neque *locus* deſponſatur cum Epiſcopo, ſed *Eccleſia viva*, quæ eſt in tali loco, ut ſumitur ex *Cap.* 21. *de elect.* Unde eſt tantum *deſponſatus potentia, deſtinatione, & affectu*, ſuo, & Pontificis Romani; neutiquam *actu*, vel *effectu.* Sola autem providentia, & deſtinatio Papæ non facit ſpirituale conjugium; ne dicamus, hoc contrahi mox cum quacunque Eccleſia, cui, etiam renitenti, Papa præficeret Epiſcopum. Argumenta VERANI, & BÖCKHN facile diſſolvuntur: fatemur enim, Epiſcopos titulares eſſe *veros Epiſcopos, vere conſecratos, dignitate Epiſcopis actualibus pares, habere votum deciſivum in Concilio generali*: Negamus, eos eſſe *in vero ſpirituali conjugio*, cum careant *Clero, & ſubditis Chriſtianis*, ut loquitur *Clem.* 5. *de elect.*, adeoque ſponſa. Poſtulationis autem neceſſitatem non inducit *veritas Ordinis, & Charakteris Epiſcopalis*, ſed *veritas Conjugii ſpiritualis.* Nec refert, quod tales Epiſcopi ſoleant ſibi a Papa procurare *indulta eligibilitatis*, prout ipſemet vidi data in favorem FRIDERICI CAROLI S. R. I. Comitis a SCHÖNBORN, tunc Coadjutoris *Bambergenſis*, Epiſcopi *Arcadiopolitani*; tutius enim eſt in praxi, propter eos, qui tenent, debere illos poſtulari, omnem ſcrupulum, atque difficultatem cautela iſta removere: nequid memorem, Eccleſiam catholicam eſſe toto orbe diffuſam, atque ſic contingere potuiſſe, ut talis Epiſcopus *vere exiſtenti Eccleſiæ vivæ* deſponſaretur, nec ſit *mero titulo inanimato* adſcriptus.

2. An Epiſcopus, habens indulgentiam Apoſtolicam ſub hac forma: *quodſi ad aliam vocaretur forſitan Eccleſiam, eam ſibi liceret aſſumere*, nihilominus *poſtulari* debeat?

* *Affirm.* per *Cap.* 4. *de translat.* ubi CONRADUS a RAVENSBURG, Epiſcopus

pus *Hildeſienſis* a COELESTINO III. talis formæ indulgentiam habuit; & tamen ejus vocatio ad Cathedram *Herbipolenſem* ab INNOC. III. tractabatur ut *poſtulatio*, non ut *electio*. Cujus rei ratio eſt, quia per ejusmodi indultum neque ſolutus erat actu a vinculo Hildeſienſis Eccleſiæ, neque ſe propria voluntate, abſque ulteriore examine, & annutu Romani Pontificis, abſolvere potuit. Accedit, quod hæc indulgentia ſit *ſtrictæ interpretationis*: igitur ſecundum ejus tenorem nihil licuit illi amplius, quam *Eccleſiam aliam aſſumere*, id eſt *oblatam acceptare*, ſeu *vocationi conſentire*, quod alias non poſſet poſtulatus. Hac facultate ſatis privilegii nanciſcebatur *Conradus*, non quidem *contra Papam*, a cujus diſcretione res nihilominus dependit, ſed *contra Capitulum poſtulans*, ne poſſet hoc variare.

3. An Epiſcopus *citra poſtulationem ſolemnem*, poſſit vocari ad Prælaturam *Epiſcopatu inferiorem*, e. g. Auguſtanus ad Ellvacenſem, Spirenſis ad Odenheimenſem, modo Bruchſalienſem?

℟. 1. Si talis Prælatura non ſit *reſidentialis*, non indiget poſtulatione, cum nulla ratione avocetur a ſua ſponſa Epiſcopus, habeatque ſe hæc cauſa, ſicut, cum Epiſcopi Gallicani a Rege nominantur Abbates commendatarii. ℟. 2. Si *reſidentialis* ſit Prælatura, plus quæſtionis eſt: putem, ſi ſit *ſæcularis Prælatura* (ad *Regularem* enim Epiſcopus, *non ejusdem profeſſionis*, poſtulandus eſt) *eligi* nihilominus poſſe; quia hæc vocatio non intendit *deepiſcopare Epiſcopum*, nec eum *ſeparare a ſua ſponſa*, neque *polygamiam ſpiritualem facere*, ſed unice *aliam ei adſociare* Prælaturam, propter quod nullo jure præſcripta eſt *poſtulatio*. Nec refert, quod *ſuper alterutra reſidentia diſpenſari* deberet talis Epiſcopus in totum, vel in tantum, quodque *beneficia* hoc modo ſint *incompatibilia*; quia ex hoc plus non ſequitur, quam electum iſtum *renunciare* debere electioni ad Prælaturam de ſe factæ, niſi impetraverit ipſe gratiam diſpenſationis *ſuper reſidentia*: id quod *ejus ſolius induſtriæ* relinquunt eligentes, quin *ipſi poſtulent* a Papa hoc diſpenſationis genus.

4. An Coadjutor *cum ſucceſſione* dandus poſtulari debeat?

℟. *Affirm.* Quia Canones pridem recepti prohibent viventi dare ſucceſſorem; ergo opus eſt diſpenſatione Apoſtolica. Optima praxis eſt, prævie petere a D. Papa hanc licentiam, qua facta procedi poterit per viam electionis: quia obſtaculum SS. Canonum tunc antecedenter eſt remotum.

5. An habita licentia, viventi Epiſcopo dandi Coadjutorem, & Succeſſorem, poſtulatione ſit opus, quando Capitulum intendit vocare *Epiſcopum*?

℟. *Affirm.* Quia, licet forte ſubtili ratione defendi poſſet, Epiſcopum a ſucceſſionis ſpem vocari poſſe *per viam electionis*, cum ſic nondum fiat deſponſatio, ſed tantum conſenſus in futuram; tamen illud: *alligatus ex uxori, noli quærere ſolutionem*, impedit Epiſcopum, quo minus etiam futura ſponſalia contrahat, ſtante ſuo conjugio ſpirituali: Accedit, quod in hoc caſu fiat anticipata electio *nunc*, *pro tunc*: ſicut ergo actu vacante Eccleſia Epiſcopus deberet poſtulari, ita quoque debebit nondum vacante Eccleſia.

viam poſtulationis omnibus: ſi enim alii eligere voluiſſent, alii poſtulare, utique *exacta forma ſcrutinii* veniſſet obſervanda propter electionem.

4. Vota debent determinate profiteri *poſtulationem*, nec ei cumulare *electionem*; ne contineant incertitudinem. *Cap. un. b. t. in 6.* *

* Reprobatæ ſunt igitur iſtæ formulæ, quas pernicioſa curioſitas adinvenit: *eligo poſtulando, & poſtulo eligendo:* item *eligo poſtulandum, & poſtulo eligendum:* item hæc: *eligo, & poſtulo, prout poteſt melius de jure valere.* Ibid. *

* *Excipe*: Niſi, *quando probabiliter dubitatur, utrum quis ſit eligendus, vel potius poſtulandus.* Ibid. Quo caſu ſic poſtulatus, vel electus, *tempore conſenſus*, ſe declarabit, quam viam optet: una optata non datur redeundi ad aliam licentia. *Ibid.*

5. Sufficiunt autem *vota majora*, ſi poſtulatio *non concurrat cum electione*, ſive *una tantum* præſentetur poſtulatio, ſive *duæ*: priori caſu *omnes* poſtulaſſe cenſentur: quod enim ſit a majori parte Capituli, ab omnibus factum eſſe cenſetur: in ſecundo caſu Capitulum diviſum eſt in duas partes; ita tamen, ut *potentia Capitularis* reſideat *penes majorem partem*, penes *minorem* vero nec ſcintilla quidem potentiæ: igitur prævalebunt *majora vota* poſtulantium, & merebuntur admitti, cum non ſit *tanta votorum diviſio, & contradictio*, propter quantam non fuit admiſſa poſtulatio in *Cap. 3. b. t.* *

* Ubi *duæ* erant *poſtulationes* factæ: prima *de Cardinali*, quæ habebat *ultra duas tertias*, ſecunda *de Epiſcopo*, qui poſtulabatur *a minori, quam tertia parte*: prima non fuit admiſſa *propter rationes extrinſecas*, ſecunda propter *defectum intrinſecum*, ſcilicet nimis paucos poſtulantes. Fruſtra tamen inferres ex hac decretali, *majora vota non ſuffitere*:

6. At, *ſi concurrat poſtulatio cum electione*, id eſt, ſi Capitularium alii poſtulent, alii diverſum eligant, *poſtulatio* debet eſſe major electione *duabus tertiis*; alias, ſi *electio* habeat *ultra unam tertiam*, erit poſtulatione ſuperior, eique præferetur. *Cap. 40. de elect.* *

* Illuſtris, & notus caſus contigit ſub INNOC. XI. & LEOPOLDO I. Imp. in Eccleſia Colonienſi 1688. Sereniſs. Bavariæ Dux, JOSEPHUS CLEMENS, habens breve eligibilitatis (eo quod jam eſſet Epiſcopus *Friſingenſis & Ratisbonenſis*, careretque ætate canonica) a *novem* Capitularibus eligebatur: ſed EGGO a FÜRSTENBERG *Cardinalis*, & Epiſcopus *Argentinenſis* poſtulabatur a *tredecim:* duo electores de *viginti quatuor* diſperſerant in alios vota: Vicit Bavarus Eggonem judicio Romæ; quia *ultra unam tertiam votorum* habuit. Item cum anno 1737. in abbatem *Corbejenſem* per 13. vota *poſtulatus* eſſet L. B. de FÜRSTENBERG Eccleſ. Cathedral. Monaſter. Can. Capit., per 12. autem vota *electus* CASPARUS L. B. de BOSELAGER, ibidem profeſſus, Pontifex, repulſa poſtulatione, confirmavit electionem idque Imperatori ſignificavit.

Additio. Huc male applicatur caſus Eccleſiæ Trevirenſis, a CALIXTO III. pro JOANNE *Badenſi* poſtulato, contra DIETHERUM ab *Iſenburg*, anno 1456. deciſus: quia tunc non præſentabatur Papæ una cum poſtulatione electio; ſed, poſtquam *poſtulantes* prima vice nequiverant concordare cum *eligentibus*, tandem utraque pars conſenſit in compromiſſum: compromiſſarii vero poſtulaverunt unanimiter JOANNEM, Diethero non *juxta eum electo*; quamvis ex *alio capite*, & fortaſſis propter *extravag. com. h. t.*, cum ſuis adhærentibus in choro ſummæ Ædis reclamaverit contra iſtam poſtulationem. BROWER. *Annal. Trevir. lib. XIX. num.* 100. & 101. GESTA *Trevir. MS.* apud HONTHEM. *H. D. T. Tom. II. pag.* 426. *not. a.*

Objectio. Aſt in *Cap.* 30. *de elect.* concurrit poſtulatio cum electione: *tres* de *quinque* compromiſſariis poſtularunt, *duo* elegerunt: poſtulatio fuit admiſſa. Atqui non aderant duæ tertiæ! ℟. 1. Non concurrit: quia quo die tres poſtularunt, reliqui duo neminem elegerunt: ſed revocationi compromiſſi conſentientes, deſierunt eſſe compromiſſarii, & tertia die cum paucis aliis Concapitularibus elegerunt. ℟. 2. Poſito, quod eodem die duo compromiſſarii elegiſſent, poſtulatio trium nihilominus prævaluiſſet: quia *in Compromiſſariis* poſtulantibus attenditur præciſe pluralitas votorum, cujus rationem dat ipſe textus: *Quia poſtulatio fit per eos, in quos totum Capitulum eligendi tranſtulerat poteſtatem: propter quod unanimiter de conſenſu totius Capituli intelligitur eſſe facta.*

7. *Concurrere* autem *tunc modo* intelligitur poſtulatio cum electione, *quando unus poſtulantium, ſuo, & ſibi conſentientium nomine*, in communi *publicavit poſtulationem, & ex altera parte alius unus ſuam electionem:* non autem jam, quod vota in protocollo ſcripta ſint, quorundam *poſtulantium*, quorundam vero eligentium. *Arg. Cap. 7. de elect. in 6.* Et ratio eſt ex *Cap. 55. h. t.* quia *ſine publicatione communi* non eſt electio, nec poſtulatio: ergo neque concurſus unius cum altera. *

* Unde inanis erat in quadam Germaniæ electione, hoc ſæculo celebrata, ſcrupulus, malaque inſtructio Canonicorum illorum, qui intendebant *poſtulare*, aliis volentibus *eligere*, erantque in caſu, quo *eligentes* non poterant facere *majora* Capituli, *poſtulantes* vero non *duas tertias*. Crediderunt hi, periculum ſibi fore, & poſtulando, ſi in ſcrutiniis, quæ ſæpius iterabantur, unquam darent *vota poſtulantia*: ideoque nulla dabant *poſtulando*, ſed variando mox huic, mox illi, *eligentes*, quos tamen non intendebant ſerio: reſultavit hoc modo tandem, illis non opinantibus, electio, poſtulatione in ſcrutinio non comparente. Debuiſſent illi *vota poſtulantia* audacter *dare in quovis ſcrutinio*, ſed eo publicato, nec habitis duabus tertiis, non procedere *ad publicationem communem ſuæ poſtulationis:* tunc non extitiſſet concurſus: & licet eligentes, in minori numero exiſtentes, ſuam electionem publicaſſent, nihil egiſſent, cum nec habuiſſent majora Capituli, nec concurriſſent cum poſtulatione, utpote quæ nondum fuiſſet in mundo.

QUAE-

QUAESTIONES.

Ad num. 5. hujus §phi.

An poſtulatio, habens ſaltem *unam tertiam*, admitti poſſit, ſi poſtulatio concurrens, facta per *duas tertias*, fuerit rejecta?

℣. *Neg.* Quia foret nimia diviſio, & contradictio: nam duæ tertiæ habent pro ſe *ſanioritatis* præſumptionem. *Cap.* 9. *de elect. in* 6. propter quam *minus ſane* alius ex oppoſita tertia præſumitur eſſe poſtulatus. Non licet ergo hic argumentari: *rejecta fuit in cap.* 3. *h. t. poſtulatio, quia minor, quam tertia, pars poſtulaverat: ergo ſi tertia poſtulaſſet, vel ultra tertiam, licet non pars major, admiſſa fuiſſet*: quantacunque enim ſit pars minor, ſemper manet *magna diviſio, & contradictio majoris partis*, contra quam non debet exaudiri *minor pars.*

Ad num. 6.

1. An *duæ tertiæ*, quæ vulgo requiruntur ad hoc, ut prævaleat poſtulatio contra electionem ſecum concurrentem, debeant eſſe duæ tertiæ *reſpectu totius Capituli*, prout hoc convenerat eligendi cauſa: an vero ſufficiant duæ tertiæ *comparatione numeri eligentium*?

℣. Ad hanc quæſtionem, quam ſubtiliter movit, & ſecundam partem amplexus eſt Clariſs. Böckn *hic num.* 46., licet neminem ſibi conſentientem noverit. Sufficit, quod *poſtulantes* ſint *major pars* Capituli diviſi, eligentes vero *pars minor*, quodque *poſtulantium*, numerus ſit *duplo major* numero *eligentium.* Ratio eſt, quia *Cap.* 40. *de elect.* per hæc duo ſatisfit: nam delegatus Apoſtolicus ibi non jubebatur inquirere, *an adſint duæ tertiæ totius Capituli* Conſtantinopolitani, ſed *an poſtulantes duplo majorem numerum facerent, quam eligentes.* Caſus figurari debet in tribus factionibus ſic: *Sunt* 24. *votantes*: 7. *eligunt*: 14. *poſtulant*: *tres vota diſpergunt, ſive eligendo, ſive poſtulando, diverſum.* Dico, poſtulationem prævalere electioni: quia *pro primo* adſunt majora Capituli, ut hoc cenſeatur poſtulaſſe, ſecundum dicta *num.* 5. *pro ſecundo* 14. poſtulantes ſunt *duplo plures*, quam 7. eligentes. Ultra nihil in jure requiritur: cumque *Cap.* 40. *cit.* aliquid ſtatuat contra regulam *de majori parte Capituli prævalente*, non debet ultra expreſſa extendi; non eſt autem idem, dicere: *numerus poſtulantium debet eſſe duplo major numero eligentium*, & dicere: *numerus poſtulantium debet habere duas tertias reſpectu totius Capituli.*

2. Cui parti hoc caſu connumerabuntur illi votantes, *qui diſperſerunt ſuffragia ſua*, & neque illa dederunt poſtulato, neque electo, contendentibus invicem, ſed tertio, uni, vel pluribus?

℣. Hi connumerabuntur *majori parti* Capituli, propter regulam: *quod omnes de Collegio cenſeantur feciſſe id, quod pars major fecit, niſi proteſtentur contrarium tacite, vel expreſſe.* Hi diſpergentes nec tacite, nec expreſſe proteſtati ſunt contrarium, quia neminem alium poſtularunt, vel elegerunt: ideo

non manſerunt *neutri*, ſed tracti fuerunt *ad partem majorem Capituli*: quemadmodum, ſi major pars *poſtulaſſet*, minor autem, poſt vota *eligendo* data, non publicaſſet electionem ſuam contra publicatam poſtulationem: tunc enim pars poſtulantium, tanquam major pars Capituli traxiſſet quoque ad ſe partem eorum, qui vota eligendo dederunt: ergo etiam, & a fortiori illi pauci alii, qui diſperſerant ſua vota, quin aliquam tertiam electionem, aut poſtulationem publicarent, trahentur ad partem majorem Capituli, ita, ut verum ſit dicere: *totum Capitulum poſtulavit, exceptis his, qui contra poſtulationem publicarunt electionem.* Unde, ſi poſito in caſu 13. *poſtulaſſent, & univerſim electores* 24. *fuiſſent*, diſſentimus a prælaudato Clariſs. Canoniſta Salisburgenſi, putante, *electionem poſtulationi prævalere:* quia, ſi illi *quatuor* diſpergentes connumerentur illis *tredecim* poſtulantibus, erit horum numerus *duplo major*, quam numerus eligentium. Nulla autem juris ratio ſinit, ut illi *quatuor diſpergentes* maneant ſoli, ſed regula concluſi Capitularis exigit, ut trahantur *ad alterutram partem*, propter quod etiam non reperitur caſus iſte in Corpore juris; ſed ſemper duæ partes; quia *alterutra debuit ad ſe trahere illos, qui nullam electionem communem fecerunt.* Ecqua autem trahet? Nonne *pars major Capituli*? Ars; Sic in caſu Colonienſi Eggo Cardinalis, utpote habens majora Capituli, traxiſſet ad ſe *duo vota* diſperſa! ℟. Ita, ſed nihil hoc eum juvit, quia his etiam ad ſe tractis nec habuiſſet *duas partes Capituli*, nempe *ſedecim*, neque numerum *duplo majorem*, quam ſuus Adverſarius, qui habebat *novem.*

3. An electio, cum poſtulatione concurrens, debeat neceſſario habere *ultra unam tertiam?*

℟. In caſu, quo *totum Capitulum* reduceretur *ad duas ſolummodo partes*, unam *poſtulantium*, alteram *eligentium*, hoc utique neceſſarium erit ex ratione arithmetica: quia ſecus poſtulantes facerent *numerum duplo majorem.* Sed, ſi eſſet ita diviſum Capitulum, ut *poſtulantes* non haberent ejus *majora*, eligentes *præciſe* ejus *tertiam* haberent, quæſtio moveri poſſet. Caſus eſto: *Capitulum conſtat ex* 60. *Canonicis*, 30. *poſtularunt Caſum*, 20. *elegerunt Titium*, 10. *diſperſerunt vota ſua.* Hoc caſu ſentit Clariſs. Böckhn, *electionem prævalere*: eo quod *poſtulantium* numerus non ſit *duplo major* numero *eligentium*, quo ipſo impleatur omne id, quod *Cap.* 40. *de elect.* requirit ad victoriam electionis præ poſtulatione; cum ſit in eo altum ſilentium *de una voce ultra tertiam*, imo & *de ipſa tertia*, ſed *præciſe* inſtituatur *comparatio inter poſtulatum, & electum*, & unice quæratur, *utrum poſtulantes ſint duplo majores eligentibus*; ſin ſecus, electionem confirmari. Nos ſic putamus: vel *decem illi*, qui diſperſerint vota ſua, *immiſcent ſe liti*, vel non: ſi hoc, ſe ipſos facient alienos, & conſiderabitur Capitulum, *ut eſt reductum ad duas ſolas partes*, & conſiſtet in 50. quoniam igitur hac reductione ſtante, ſolummodo conſiderantur 30. *poſtulantes*, ad 20. *eligentes*; poſtulantes vero ſic non erunt in *numero duplo majori* eligentibus, ſequitur, hoc caſu eligentes habere *ultra unam tertiam Capituli reducti:* & ſic manebit rurſus verum, quod in concurſu poſtulationis cum electione hæc debeat habere ultra unam tertiam, minus habere non debeat. Si vero *decem illi* ſe opponant tam poſtulationi, quam electio-

electioni, repelletur *inprimis* poſtulatio, quia 30. huic contradicerent, & ſic *nimia foret contradictio, & diviſio*: caſſabitur *deinde* electio, quia 40. ei contradicunt, quoad hoc *cauſam* facientes *communem*; & erit pars major, imo duæ partes Capituli, *invitæ*, quibus ſane Canones dari nolunt Epiſcopum, a factione tam exigua electum.

4. Quo caſu electio prævalebit poſtulationi, *etiam duplo majori?*

℣. Si *omnes*, aut *major pars* poſtulantium, *præſumptione damnabili*, poſtulaverint *ſcienter* indignum, id eſt, impoſtulabilem. *Cap.* 40. *in fin. de elect.* Non eſt difficultas, *ſi omnes*, propter regulam communem, qua vis Capitularis remanet *penes ſolos innocentes*. At, cur, ſi *major pars* poſtulantium ſcienter elegiſſet indignum, *minor* cum ea punietur amiſſione vocis? Nonne delicta ſuos tenent authores, & capita ſingula, neque in delictis major pars Capituli trahit ad ſe minorem? Ita eſt. Textus cit. non facit *jus*, aut *regulam in theſi, & pro quovis caſu*: ſed *in hypotheſi* illius Capituli *minor poſtulantium pars innocens* ita erat debilis, ut, licet ei ſalvum manſiſſet jus eligendi de novo, pars altera pariter innocens nihilominus ſemper feciſſet majora. Hypotheſin vero illam ſic ſtatuit PANORMITANUS: in electione illa Conſtantinopolitana electores erant 16, & poſtulantes ad plus erant 32., tunc, ſi major pars horum ſcienter poſtulaſſet impoſtulabilem, non potuerunt ignoranter poſtulantes eſſe ultra 15., quia ſcienter poſtulantes ad minus fuiſſent 17., ut figuretur major pars de 32. Sed 15. vincuntur a 16., ſi 15. eligant, & eo amplius, ſi poſtulent. Ita ſane *ad hypotheſin illius Capituli particularem* ſumenda ſunt verba Innocentii III., ne delabamur in abſurda: Quid enim, ſi canonici fuerint 12. 10. indigne poſtulaverint, & ex his 6. ſcienter, 4. ignoranter, 2. vero elegiſſent dignum? An confirmabitur hoc caſu electio duorum, qui de ſex innocentibus *unam ſolam tertiam* efficiunt? Item: ſint univerſim 40. unus ſolus elegiſſet, reliqui 39. poſtulaſſent indignum, & inter hos 21. ſcienter, 19. ignoranter: An unius ſolius electio confirmabitur, ita, ut illis 19. contra communes juris regulas præponderaret unus? Talem exorbitantiam non videtur uno paucorum illorum verborum ictu introducere voluiſſe æquiſſimus Innocentius.

5. An Papa non obſtante *Cap. 40. de elect.* admittere poſſit poſtulationem, quæ habet pro ſe *majora* Capituli, non eſt autem votis *duplo major* electione, quacum concurrit, abſque injuria electi, habentis pro ſe ultra unam tertiam?

℣. *Affirm.* Quia 1.) ipſe ſolus hunc rigorem poſuit poſtulationi concurrenti, ut vota *duplo majora* requirantur: ergo & ſolus eum poterit diſpenſative remittere. 2.) Plus eſt diſpenſare *in impedimento canonico*, quam *in numero duplo majore*: primum poteſt Papa: ergo & ſecundum. 3.) Papa poteſt impedito abſque cujusquam injuria dare *Breve eligibilitatis*: ergo etiam diſpenſare ſuper duabus tertiis. Quo caſu admitteretur poſtulatio *de gratia ſpeciali*, propter duplam diſpenſationem; cum alias omnis poſtulatio admittatur *de gratia generali*. Ex quo conſequitur, *electum a minori parte, non quæſiviſſe contra*

tra poſtulationem, duas tertias non habentem, *tantum juris*, ut hoc ſubverti nequeat *per gratiam ſpecialem poſtulationi factam:* ineſt enim ſemper conditio: *niſi Papa voluerit poſtulantibus hoc caſu gratiam ſpecialem facere.* Quia tamen hæc ſpecialis gratia eſt *de futuro arbitrio, & incerto*, ideo electus ſimpliciter poterit conſentire electioni de ſe factæ, quia ipſe nititur jure *Cap.* 40. nec indiget diſpenſatione; ſed poſtulatus ex adverſo ea indiget duplicata, & vivit ſpe gratiæ ſpecialis.

Additio. Reſolutio hæc ſubſiſtit etiam *poſt Concordata Germaniæ;* nam per hæc nullo apice ligata manus eſt Pontifici, quo minus in ſua lege ſingulari diſpenſare poſſit, facereque, ut prævaleat poſtulatio per hoc, quod habeat pro ſe majora Capituli.

6. An Papa, ſi nolit *de ſpeciali gratia* admittere poſtulationem talem, teneatur *confirmare* electionem ei oppoſitam, ſecluſa plenitudine poteſtatis; an vero tam poſtulationem repellere, quam electionem caſſare poſſit?

℟. Tenetur (*ſecluſa plenitudine poteſtatis*, quam Chriſti ſupremo Vicario nunquam diſputamus) confirmare electionem hoc caſu, licet non habeat majora vota Capitularia. *Ratio:* quia *canonica* eſt, nempe ſecundum regulam *Cap.* 40. *de elect.*, quod, hoc ipſo, quod relatum fuerit in Corpus juris communis, electionem, ſibi conformem reddit fore canonicam.

Nec dicas 1.) Cap. 40. correctum eſſe per *Cap.* 42. *eod.*, poſterius, & requirens majora Capituli ad electionem validam. ℟. 1.) ſub eodem titulo rariſſime admittit diſciplina interpretationis oppoſitionem, & correctionem. 2.) Majora vota ad electionem requiri, non eſt modo ſtatutum per *d. cap.* 42., ſed hæc regula fuerat multo ante: igitur *cap.* 42. tam parum eſt correctorium Capituli 40., quam parum jura, quæ hoc præceſſerunt. 3.) Cap. 40. continet Jus *ſpeciale*, Cap. 42. jus *generale.* genus autem, licet poſterius, non derogat ſpeciei: ſeu, quod recidit in idem, Cap. 42. eſt *regula*, Cap. 40. *exceptio*: ſed regula non corrigit, nec tollit exceptionem.

Nec dicas 2.) Si electio hæc fuit *canonica*: ergo eligentes vel repræſentarunt *totum Capitulum:* vel *tantum majorem ejus partem?* Non *primum*, quia *poſtulantes dignum* non ſunt *remoti* ea vice, ſicut *poſtulantes indignum*, ſed concurrunt. Nec *ſecundum*, ut ex ipſa computatione apparet. ℟. Eligentes repræſentarunt totum Capitulum, adeo, ut, repulſa poſtulatione, *tota poteſtas Capitularis* confederit apud eos: quia poſtulantes *tacite renunciaverunt* juri eligendi pro ea vice, hoc ipſo, quod *eligere* noluerint, ſed *poſtulaverint* & adeo poſtulationem præſentaverint D. Papæ, tanquam ſuum *placitum ultimatum*: quæ juris ratio Innocentio III. ſic proponebatur, ut legitur in fonte integro hujus decretalis, quem ex Bosqueto retulit Gonzalez: *Cum ipſi* (qui ſcilicet elegerunt *uſi*) *fuerint* jure communi, *perſonam eligibilem eligendo, quod* ordinarii juris *exiſtit: & alii* NB. juris communis contempto beneficio, *ad* NB. extraordinarium auxilium *convolarunt*: electa vero una ex duabus *viis contrariis* cenſetur eſſe deſerta altera: neque datur regreſſus ad deſertam: Quo facit *Arg. Cap. un. in fin. h. t. in* 6. & ibi Glossa: *Nota, quod ubi datur alicui electio duorum contrariorum, electo uno contrariorum videtur renunciari alteri, ita, quod amplius*

amplius non poteſt ad illud rediri; ſicut hic una eſt via gratiæ, *alia* juſtitiæ, *quæ ſunt* contrariæ, *& ideo electa una videtur alteri renunciari.* Et ſuadet favor replendæ quanto citius Epiſcopalis Sedis, hujusmodi regreſſum non debere permitti. Quid facient ergo poſtulantes? regredi nequeunt *ad viam electionis*, ut dictum: *poſtulare denuo* erit inutile, quia non ſunt duplo majores: reſtat, ut jure vincat electio, reſidens ſola penes alios.

Nec dicas 3.) Innoc. III. noluit, ſuum delegatum confirmare electionem, niſi *de conſenſu partium:* ait enim Cap. 40. ſic: Et, ſi *partes conſenſerint, procedas hoc modo*: ergo noluit hic conſtituere *jus præciſum*, ſed *pendens a conſenſu partium*: quemadmodum in *Cap. fin.* de M. & O. Gregor. IX. ſuam *providentiam* in cauſa primatiæ *Burdegalenſis, & Bituricenſis* noluit a delegato publicari, niſi *requiſito, & habito* prius *conſenſu* Capitulorum utriuſque Eccleſiæ. R. Hæc clauſula eſt illa ordinaria, quam ſolitus eſt ſæpe Innoc. III. apponere in literis delegationis *ad præcludendas recuſationes* in perſonam delegati: Non enim fuiſſet e dignitate Judicis, non aliter, nec aliud pronunciare, quam quod partes vellent, &, ſi ſic intelligeretur hic iſta clauſula, ut vult objectio, ſcripſiſſet ridicule Papa: *repelle poſtulationem, ſi poſtulantes conſenſerint, aut confirma electionem, & admitte poſtulationem, ſi eligentes conſenſerint.* Exemplum *Cap. fin. de M. & O.* longe eſt diverſum a noſtro caſu. Ibi erat quædam ſolummodo *providentia*, hic autem *ultimata ordinatio:* ibi non requirebatur conſenſus *partium*, qui erant *Burdegalenſis, & Bituricenſis* Archiepiſcopi, ſed *Prælatorum utriuſque Provinciæ, & Capitulorum Cathedralium.*

Nec dicas 4.) Hæc decretalis non eſt ſortita ſuum effectum in Eccleſia Conſtantinopolitana; nam *Maximus* Notarius, cui inſcripta eſt, non pervenit Conſtantinopolim: Et *Pelagius* Albanenſis Epiſcopus, qui *Maximo* ſurrogabatur, non legitur vel admiſiſſe *Heraclienſem* Archiepiſcopum, vel confirmaſſe *Plebanum S. Pauli* Venetiis: imo Spondanus *ad A.* C. 1215. *num.* 5. exiſtimat, electum fuiſſe tertium quendam ex Venetis, nomine *Matthæum.* R. Ex his omnibus non conſtat, contradictum fuiſſe a Clero Conſtantinopolitano regulæ, quam ſcripſerat Innoc. III. pro caſu poſtulationis cum electione concurrentis: Et ſi contradixiſſent illi, quid tum? Sunt in Corpore juris Capitula, quæ tunc non reſpiciebantur ab his, ad quos, vel propter quos, Pontifex, ſcripſerat, ut *Cap.* 33. *de elect. Cap.* 13. *de judic.* & tamen, poſtquam authoritate Gregorii IX. relata ſunt in Corpus juris communis, ſaltem pro terris obedientiæ, jus commune faciunt.

Nec dicas 5) Eſſe plura Capitula in Corpus juris relata, quæ tamen per ſe *gratiam* continent, non *jus*, puta illa, ubi *diſpenſationes* continentur: ergo ex eo, quod hoc *Cap.* 40. ſtet in Corpore juris, non ſequitur, electionem, juſtitia exigente, fuiſſe confirmatam. R. Hoc non eſt applicabile ad *Cap.* 40. in quo nullum verbum extat de *electione diſpenſative confirmanda*: Sed ponitur ſimpliciter: *Tu, poſtulatione repulſa, electionem Plebani authoritate noſtra confirmes;* tractavit ergo Papa hanc electionem, ſicut aliam quamvis canonicam, *quantum ad munus confirmationis.* Nec Curia Romana ſub *Innoc. XI.* in cauſa Colonienſis poſtulationis, in contradictorio ſatis ventilata, tractavit *Confirmationem* electi, ut *diſpenſativam, & gratioſam*, imo nec electus

eam taliter petiit, nec *ſub conditione* in electionem conſenſit, ſed, inſtar alterius electi extra concurſum pro poſtulationis confirmatione *ſimpliciter* inſtitit; prout conſtabit hõc legenti formalia apud BÖCKHN *hic num.* 40.

§. IV.

De poſtulationis effectu, præſentatione, & admiſſione.

1. Poſtulatio, hoc ipſo, quod fiat ab agnoſcentibus *ineligibilitatem* poſtulati, eſt *mera ſupplicatio* poſtulantium *pro gratia:* & ideo neque *poſtulantes* quidquam, *ſuffragante jure*, petunt *a Superiore;** neque *juris aliquid* poſtulando tribuunt *ipſi poſtulato*, licet hic acceptaſſet poſtulationem. **

* *Cap.* 3. *h. t.* Cum Apoſtolica Sedes, *etiam quando aliquis ab aliis unanimiter poſtulatur, ad admittendam poſtulationem eorum*, non tam ex juſtitia, *quam* gratia, *moveatur.* Et in Cap. 5. h. t. *Per poſtulationem hujusmodi nullum jus eſt alicui acquiſitum, ideoque ſine præjudicio alicujus poſtulationem potuiſſemus repellere memoratam.* Unde etiam ſervamus ex hoc textu terminos artis diverſos, dicendo, *poſtulationem admitti, electionem confirmari.* Item poſtulationem *repelli, rejici*, electionem *caſſari.* Siquando rariſſime, velut *in Cap.* 4. *h. t.*, confirmandi vox uſurpatur, *per abuſionem* factum eſt. Sed *admiſſio poſtulationis*, forte ab *inferiore* facta, proprie dicitur *confirmari* a Papa in *Cap.* 2. *h. t. & Cap.* 13. *de elect.*

** Imo vero *poſtulatus* nequidem poteſt *conſentire* in ſui poſtulationem, niſi *conditionate*, nempe, ſi ſecum diſpenſatum fuerit a Superiore. *Cap.* 16. *de elect. in* 6. *prope fin.* Vid. *Tom. III. H. D. T. pag.* 901. ubi anno 1716. Sereniſſ. FRANCISCUS LUDOVICUS in Trevirenſem poſtulationem hoc tenore conſenſit: *poſtulationi huic eatenus, non aliter, in Domino aſſenſum meum accommodo, quam, ſi Sanctiſſ. Dom. noſtro Papæ CLEMENTI, cujus voluntati totum ſubjicio, viſum fuerit, me Archiepiſcopali huic Eccleſiæ, temporum acerbitate in extremam deſolationem deductæ. utilem, ac pro eadem rurſus erigenda parem eſſe, ſimulque placuerit diſpenſando indulgere, ut una cum Coadjutoria Moguntina Eccleſias Cathedrales Wormatienſem, & Uratislavienſem, quibus ex Sanctitatis Suæ benignitate præſum, Præpoſituram etiam Elvacenſem, ac reliqua beneficia, quæ poſſideo, poſſim retinere.*

2. Unde conſequitur

a) *Poſtulantibus*, ſi pars major eorum velit, licere, *re adhuc integra*, id eſt, antequam ſit poſtulatio Superiori præſentata, libere *pœnitere*, & voluntatem mutare, non obſtante conſenſu poſtulati: quia nullum jus acquiſivit.

b) *Poſtulato ipſi*, propter repulſam forte poſtulationem, nullam *actionem, imploratorem*, ſeu qualemcunque *juris querelam* competere, non tantum, ſi *D. Papa* repuliſſet poſtulationem, qui Superiorem non habet; ſed etiam, ſi *Inferior*: neque enim hic par cauſa eſt *cum aliis diſpenſationibus canonicis*, quas, ſi *Inferior* contra æquitatem denegaverit ſupplicantibus, adiri poterit

Supe-

Superior pro ſupplenda nimia duritia Inferioris; quia *negotium poſtulationis* non tam eſt negotium *poſtulati*, quam *poſtulantium*, eorumque *Eccleſiæ*. *

* *Poſtulantes* vero confugere poſſunt ad Superiorem, ſi Inferior, humiliter, ac ſæpius requiſitus, *contra evidentem Eccleſiæ ſuæ neceſſitatem, vel utilitatem*, nollet rationabilem poſtulationem admittere; ne malitia, vel duritia Prælati inferioris damnum inferat Eccleſiæ poſtulanti: *Dixi expreſſe*, quod cauſa diſpenſandi juſta peti debeat ab utilitate, vel neceſſitate *ipſius Eccleſiæ*, puta, quia poſtulatus eſt potens ad defendendam Eccleſiam, nec reperitur alius, per quem ita bene conſulatur Eccleſiæ: ſecus autem, ubi cauſa ſolum concernit *perſonam poſtulati*, ut puta, eſt ita doctus, & morigeratus, ut mereatur diſpenſationem: hoc caſu Superior non compellitur, quia non tenetur facere gratiam. Ita PANORMIT. *in Cap.* 3. *h. t. circ. fin.*

c.) Poſtulationem quidem *ſtatim*, poſtquam in Capitulo ſecrete peracta eſt, Clero, Populoque in Eccleſia præſtolanti *publicari* debere, ne vitium *clandeſtinitatis* contrahat; ipſum quoque poſtulatum, qui non diſſenſit, mox poſſe deduci ad altare, & ſedem, ſed, non tam *animo capiendi poſſeſſionem*, quam, *ut monſtretur Clero*, & *populo*. Hinc talis actus nondum eſt *inthroſatio*. Et, ſicut capere non poteſt poſſeſſionem ipſius *Sedis*, ita nec *terrarum* ad eam pertinentium; Quod igitur Treviris anno 1456., teſtante *H. D. T. Tom. II. pag.* 426. *not. a.* JOANNES Marchio Badenſis ſtatim in craſtinum poſtulationis ſuæ, de voluntate, & mandato Capituli in poſſeſſionem caſtrorum, & oppidorum, *Pfalz*, *Wittlich*, *Cochem*, *Ehrenbreitſtein*, *Engers*, & aliorum, miſſus ſit, quin hoc ei, vel poſtulationi, Romæ nocuerit, *ad caſus extraordinarios* referendum eſt.

d.) Poſtulatum *nullo modo*, ante admiſſionem, ſe poſſe *immiſcere adminiſtrationi*, licet Eccleſia foret de remotis. *Cap.* 23. *de elect.* ibi: *dedimus in mandatis, ut, ſi eundem Epiſcopum* (Wormatienſem) *quoad temporalia, vel ſpiritualia recepiſſe conſtaret Eccleſiam Moguntinenſem, vel miniſtraſſe in temporalibus, aut ſpiritualibus in eadem, poſtulationem factam de ipſo nunciaret irritam.* Et hoc procedit, etiamſi quis fuiſſet poſtulatus *in plena concordia*: idcirco INNOC. III. in *epiſt.* 171. inter alia præcepit inquiri, *ſi Archiepiſcopus poſtulatus adminiſtrationi Theſſalonicenſis Eccleſiæ ſe minime ingeſſiſſet.* Et in *Cap.* 4. *de translat.*, integra decretali perlecta, idem Papa objicit Epiſcopo *Hildeſemienſi*, licet concorditer vocato, *quod ſe ingeſſerit adminiſtrationi Eccleſiæ Herbipolenſis.*

3. Quod pro celeri Eccleſiarum expeditione ſtatutum eſt in *electionibus*, quoad intimationem, conſenſum, præſentationem, & reliqua apud Superiorem præſtanda, id quoque obſervabitur in poſtulationibus ſub iisdem pœnis. *Cap. 16. h. t. in 6.* *

* Niſi, quoad *expenſas:* nam de jure communi deberent expenſas *ipſi electi* portare non ſic *poſtulati:* hi enim exhibere expenſas aliquibus non tenentur, ſed *poſtulantes ipſi*, concorditer, vel diſcorditer, expenſas perſonis ad Superiorem miſſis miniſtrabunt. *Cap. cit.* quia negotium poſtulationis eſt negotium *poſtulantium.*

4. Poſtulationis *præſentatæ coram Superiore* hic eſt effectus, ut reſilire non liceat porro his, qui poſtularunt: * ne, ſi tunc poſſent adhuc ab ea recedere poſtulantes, Superiori frequenter illuderetur, & judicium illius ex eorum pendere arbitrio videretur. *Cap. 4. h. t.*

* Hoc intellige *propter Superiorem*, non *propter poſtulatum*: nam, ſi Superior poſtulantibus indulgeat variationem, non habet poſtulatus, de quo conqueratur, cum jus non ſit ſibi quæſitum per præſentationem. Ita PANORM. *Cap. 4. h. t. not.* 11.

5. Antequam admittatur poſtulatio, diligens fiet inquiſitio, tam *de meritis poſtulati*, quam *de neceſſitate Eccleſiæ*, ad quam eſt poſtulatus; nec non *de indigentia alterius Eccleſiæ*, a qua poſtulatus vult avocari ad aliam. *

* Probant hoc *Cap.* 40. *de elect.* Item *epiſt.* 171. INNOC. III. *lib.* 11., ubi dicitur: *in poſtulationibus plura ſunt, quam in electionibus attendenda.* mandaturque, ut inquiratur diligenter, & cognoſcatur veritas, *an poſtulatio fuerit canonice celebrata:* & ſiquidem ita, præcipitur, ut legati Apoſtolici *propter multam neceſſitatem* vice Pontificis poſtulationem admittant. Item *ex Cap. 3. h. t.* ubi poſtulatio cujusdam Cardinalis ideo fuit ab INNOC. III. repulſa, *quod ejusdem præſentia utilior eſſet, non ſolum Romanæ, ſed etiam Eccleſiæ generali;* nempe Suffridus ille Cardinalis, poſtulatus ad *Ravennatenſem* Eccleſiam, neceſſarius erat Innocentio ad conſilia, & expeditionem Terræ ſanctæ, prout quoque præfuit huic exercitui. EUGENIUS III. rejecit poſtulationem *Gujemanni* Cyzenſis Epiſcopi ad Eccleſiam *Magdeburgenſem*, teſte BARON. *ad an.* 1145. quia nulla evidens Eccleſiæ utilitas (quæ in poſtulationibus præcipue attenditur *can.* 37. *VII. q.* 1.) eum expoſcebat.

6. Admiſſio poſtulationis, ſecundum *veteres Canoniſtas*, operabatur ſolum *diſpenſationem*, ut talis poſtea *eligi* poſſet: fuit enim illis poſtulatio præciſe *diſpenſationis ad obtinendam Prælaturam petitio.* Sed, teſte GOFREDO *in Summa h. t.*, hunc ordinem non ſervavit Romana Curia: quia circuitus erat, qui vitandus eſt in jure, tum generatim, tum hic ex ſpeciali cauſa, ne diutius vacet Eccleſia. Quapropter *approbatio poſtulationis* de praxi meliore habetur *pro confirmatione.* *

* Non putem tamen, fieri *conjugium ſpirituale* inter Eccleſiam, & poſtulatum, niſi, admiſſa poſtulatione, *abſolutus* ab iſto exhibeatur *conſenſus*, quem exhibere non tenetur, ſed reſilire poterit abſque *ligaminis ſpiritualis* impedimento: probatur a ſimili *conjugii carnalis*, quod inter impeditos contractum ſub conditione: *ſi Papa diſpenſaverit*, poſt diſpenſationem obtentam requirit *abſolutum conſenſum.*

QUAE-

QUAESTIONES

Ad num. 1. *not.* 1.

1. An *salvis Concordatis Germaniæ* Papa repellere poſſit *poſtulationem, canonice, & unanimiter factam* apud Germanos?

℣. *Affirm.* Quia Concordata noſtra ſolarum *electionum* canonicarum confirmandarum neceſſitatem imponunt Sedi Apoſtolicæ: poſtulationis admiſſionem reliquerunt tacite *in terminis juris communis.* Firmatur hæc deciſio ex eo, quod Concordata hæc nihil prætendant, quod nequidem *Baſileenſe Concilium* prætenderat: hoc autem nihil immutandum duxerit circa *poſtulationes:* cum enim *Seſſ.* 12. electionum, ac confirmationum poſuiſſet normam, expreſſe inſeruit clauſulam: *poſtulationibus in juris communis diſpoſitione remanentibus.*

1. An *salvis Concordatis Gallia* Papa repellere poſſit nominatum a Rege, qui *eligibilis* non erat, ſed *tantum poſtulabilis*?

℣. *Affirm.* Quia in *Tit. eorundem III.*, ubi agitur *de regia ad Prælaturas nominatione facienda*, præſcribitur Regi, quibus qualitatibus debeant eſſe prædite perſonæ a ſe nominatæ Domino Papæ: quodſi has non habuerint, in poteſtate Papæ erit nominationem non admittere, hoc uno ſalvo, *ut poſſit Rex intra alios tres menſes, a recuſatione perſonæ non-qualificatæ intimata computandos, alium qualificatum nominare:* ſin ſecus Rex fecerit, Papa providebit.

Ad eund. num. not. 2.

Quomodo intelligis textum in Cap. 16. de elect. in 6. *Denique, cum ad poſtulationem... procedi contigerit, & aliqui patientes in ordinibus, vel ætate defectum, vel his ſimiles poſtulentur* (NB. non, qui aliis Eccleſiis alligati, liberum non habent ſine noſtra permiſſione volatum, circa quos taliter alligatos nihil de veteris juris obſervantia immutamus) *poſtulatos hujusmodi, & poſtulantes eosdem, ea moderata diſtrictione perſtringimus, ut eo ſalvo, quod poſtulati hujusmodi, nec ſuis poſtulationibus præſtare conſenſum,... poſtulatos in veniendo (ſi non diſſenſerint) & poſtulantes in mittendo perſonas inſtructas (ut in concordi, vel diſcordi electione) per omnia, ut ſupra præmittitur moderatio præmiſſa conſtringat.* Quid, inquam, diverſitatis hic ſtatuitur inter *Epiſcopum poſtulatum*, & inter *illegitimum poſtulatum?*

℣. Duplicem intelligunt veteres DD. cum *Gloſſa* diverſitatem: PRIMA eſt, *quoad conſenſum*: nam *illegitimus poſtulatus*, ſi intimetur ſibi poſtulatio, dicere non poteſt: *conſentio*: dicere tamen poteſt: *non diſſentio*, quæ expreſſio eſt media inter conſentire, & diſſentire. Econtra *Epiſcopus poſtulatus* neque poteſt dicere: *conſentio*, neque: *non diſſentio*: ſed dicet: *neque conſentio, neque diſſentio, ſed diſpoſitioni D. Papæ me committo, & ſuppono.* Ita, poſt *Gloſſam in d. cap.* 16. verbo: *conſenſum*, PANORMIT. *in Cap. fin. h. t.*

poſt med. SECUNDA, eaque meo judicio ad hunc textum propior, diverſitas eſt, quod *illegitimus poſtulatus* ipſemet perſonaliter arripere debeat iter Romam; econtra *Epiſcopo poſtulato*, quia alligatus eſt ſuæ Eccleſiæ, nec facile inde ad remota diſcedere debet, ſufficit *obſervantia juris veteris*, nempe *Cap.* 1. *de elect. in* 6., ut Romæ compareat *per procuratorem*. Ita GLOSSA *in d. cap.* 16. verbis: *noſtra*, & *de veteris*.

Ad num. 2. *lit. b.*

Quo caſu poſtulatio dirigi poſſit ad Superiorem, Papa inferiorem?

¶. In raro: qui poſtulati plerumque laborant impedimentis, *a ſolo Papa diſpenſabilibus*. Ad Epiſcopos ſolet dirigi poſtulatio ut plurimum, cum quis *extra gremium* conſtitutus vocatur: quod abſolute neceſſarium eſt, ſi tali obſtaret *ſtatutum Epiſcopale*, aut antiqua conſuetudo. Alius caſus poſſet contingere, ſi tale ſtatutum foret, ut nullus eligeretur in Canonicum, quam major 25. annis. *Item*, ſi *perſonatus* aliquis eſſet electivus, & poſtularetur minor 22. annis, major autem 20., Epiſcopus beneficii admittere poſſet poſtulationem, quia cum tali poteſt diſpenſare. *Cap. un. de æt. in* 6. *Item*, ſi eſſet aliquod beneficium electivum ſimplex, non requirens ordinem ſacrum, & *electores* vellent favere illegitime nato. *Arg. Cap.* 1. *de fil. presbyt. in* 6. Item, ſiquis contraxiſſet *bigamiam*, quam vocant *ſimilitudinariam*, & hoc peccatum meliore vita expiaſſet, poſſet ejus poſtulationem admittere Epiſcopus. *Arg. Cap.* 4. *de Cler. conjug.* & *Cap.* 1. *Qui clerici.* Denique, quotiens irregularitatis eſt occulta, & talis, ut in ea juxta Trid. diſpenſet Epiſcopus, Capitulum autem, eo quod aliqualis ſuſpicio irregularitatis eſſet (ipſa tamen ſimpliciter manente occulta) ſic dixiſſet: *eligo, vel poſtulo, prout poteſt melius de jure valere*: poſſet ſic alternative electus, ſatendo clam ſuum defectum, diſpenſative admitti ab Epiſcopo.

Animadverſiones Editoris.

Ad §. I. *Quaeſt.* 3. Quod hic inquit Auctor de jure Imperatoris circa controverſas Proteſtantium electiones, potiſſimum dependet ex ea quaeſtione praejudiciali, an generatim Imperatori poteſtas quaedam et jurisdictio in cauſſis Proteſtantium, praecipue immediatorum, Eccleſiaſticis ſit adſcribenda; de qua lucubrationes plures huic collectioni ſuo loco inſerentur. Imperatori hac in materia ejusmodi jurisdictio ex rationibus quoque peculiaribus quibusdam adſcribenda eſt: uti, quod inprimis judex alius aſſignari nequeat, cum nemini quidquam jurisdictionis in Eccleſias Proteſtanticas immediatas, praeterquam Imperatori, ex eorum principiis competat: ejusmodi vero controverſiae non adeo infrequentes (uti exempla tum antiquiora, tum recentiora docent) judicem habere

bere debent. Reſpondet equidem MOSER *in Tract.* von denen Kayſerlichen Regierungs-Rechten und Pflichten 1772. *f.* 301. lites has componi poſſe per Principes Proteſtantes tum alios, tum ipſius Imperii; item ab Imperatore et Imperio univerſo ſecundum ſitum rerum, concluſum fieri poſſe. Ecquis autem hanc unquam jurisdictionem Principibus Proteſtanticis Imperio extraneis, tum ipſius Imperii aut tribuit, aut in præjudicium Imperatoris et Imperii, illo invito, aut ſaltem non conſentiente tribuere potuit? Amicam compoſitionem faciendam ſors intendet MOSERUS: ſed ſi partes illam reſpuant, viamque juris et judicem exoptent, quid enim vero tum eveniet? ab Imperatore turbas praecaveri poſſe ait MOSER l. cit. f. 302., ita autem, ut cauſſa electionis intacta maneat; aut ſi id nequidem fieri poſſit, ſaltem ab Imperatore, excepto caſu neceſſitatis, nil decerni poſſe ſine conſenſu Imperii, et Proteſtantium praeſertim Statuum: ita quidem ex tripode pronunciat MOSERUS, quin ullam ex Legibus Imperii eum conſenſum deſiderantibus addat; igitur aegre non feret, ſi aſſenſum denegemus. Regula, quam habet *f.* 303., Imperatori tale jus non competere intuitu Catholicorum, ergo nec Proteſtantium; in lucubrationibus ſecundum antea dicta ſuo loco huic collectioni inſerendis, examinabitur rejicieturque. Alterum eſt, quod Imperatori jurisdictionem, de qua loquimur, tribuendam ſuadet, terras Eccleſiarum Proteſtanticarum immediatarum Feuda eſſe Imperii; cujus autem nunc potius erit, ſi alius judex non adſit, de rebus Feuda ejusmodi perſonamque Vaſalli novi concernentibus judicare, quam ſupremi horum Feudorum Domini? Neque obeſt, quod ait MOSER *l. cit. f.* 304. Eccleſias Catholicas aeque ab Imperatore ejusmodi Feuda obtinere, quin propterea ejusmodi ſibi jurisdictionem in cauſſis Electionum ipſe tribuat: nemo enim non videt, quanta hic ſit toto coelo diverſitas inter principia tum Catholicorum tum Proteſtantium; quibus videlicet ejusmodi conſecutiones Proteſtantes ipſi, Jurisdictione Eccleſiaſtica Pontificis et Epiſcoporum excuſſa, imputare debent; uti fuſius ſuo loco demonſtrabitur. Demum in manifeſta hujusmodi jurisdictionis poſſeſſione eſſe Imperatorem exempla demonſtrant, quae vel ipſe MOSERUS affert, uti anno 1593. in cauſa *Quedlinburgenſi:* 1700 in *Lübecenſi:* 1704 itidem in *Quedlinburgenſi:* 1747. *Franciſcus* Imperator confirmavit electionem Coadjutricis *Quedlinburgenſis*, 1756. reſcripſit Senatus Aulicus: Zu Lübeck Herr Biſchoff contra das Dom-Capitul daſelbſt die anmasliche Wahl eines Coadjutoris betreffend: Cum incluſione exhibiti de praeſ. heſt. Reſcribatur dem Dom-Capitul zu Lübeck: im Falle ſich die Sache angebrachter maſſen verhalte, die Urſachen, ſo dieſelbe zur Wahl eines Coadjutoris ohne Genehmhaltung des Herrn Biſchoffs vorzuſchreiten, veranlaſſet hätten, Ihro Kayſerl. Maj. innerhalb zwey Monathen umſtändlich anzuzeigen, indeſſen aber mit diſem Wahlgeſchäfft bis auf fernere Kayſerliche Reſolution anzuſtehen. Cum deinde nihilominus a Capitulo *Fridericus* Princeps Regius Daniae Coadjutor eligeretur, ipſe-

ipſemet Epiſcopus Proteſtanticus Capitulum coram Senatu imperiali aulico convenit, ibidemque 1. Mart. 1765. hoc modo reſolutum: das ob zwar das Capitul anfänglich und bey dem actu electionis (poſtulationis) nicht alles beobachtet, was daſſelbe Ihro Kayſerl. Maj. als des Reichs Oberhaupt, oberſten Schutz-Vogt und Lehensherrn ſchuldig ſeye: dennoch aber, weilen ein ſolches zugleich wegen ſeines begangenen Fehltritts ſich ſubmittiret, und durch die beygebrachte Protocollen und Capitulations-Acten die ſchuldige Parition geleiſtet habe: ſo wollten Ihro Kayſerl. Maj. aus beſondern bewegenden Urſachen, die vorgenommene Coadjutorie-Wahl vor dismal und ohne alle Conſequentz aus Kayſerlicher Macht und Vollkommenheit beſtättigen: mit der zuverſichtlichen Erwartung und Warnung, das bemeldtes Capitul bey künfftig ſich ereignenden Wahlen ein derley Benehmen ſich nicht mehr zu ſchulden kommen laſſen, ſondern zu folge ſeiner allerunterthänigſt gethanen Zuſage, die Gebühr beſſer einhalten werde. Jam vero MOSERUS quidem l. c. f. 302. concedit Imperatori et ſupremis Dicaſteriis jurisdictionem, quotiescunque controverſia eſt circa pactum quoddam, ejus applicationem aut interpretationem hac in materia; quemadmodum anno 1647. Capitulum Lübecenſe ejusmodi pacto ſe adſtrinxit, ad ſex continua ſerie, praeter tum viventem Epiſcopum et Coadjutorem ex domo Holſato-Gottorpienſi, Principes in Epiſcopos poſtulandos; atque hac ratione etiam nuperum caſum Lübecenſem modo allatum interpretari conabitur: atenim quaeſtio non tam erat de eo pacto, quam de Coadjutore a Capitulo ſine conſenſu Epiſcopi eligendo, in qua ipſemet Epiſcopus forum Imperatoris legitimum eſſe agnovit, Proteſtanticis Statibus, quantum mihi conſtat, etiam aliis non reclamantibus: Imperator deinde in verbis Reſcripti recitatis Jurisdictionem ſibi tanquam Imperii ſupremo Capiti, Eccleſiarum ſupremo Advocato et Domino feudali adſcribit; ex his itaque titulis jurisdictionem ſuam his in caſibus repetit, non vero, uti comminiſcitur MOSERUS ex eo, quod controverſiae de ejusmodi pactis res mere politicae ſint: atque haec a me hic loci animadverſa Vir Celeberr., aliasque in ſentiendo, quantum per Religionis ſuae principia licet, aequus, aegre, ut puto, non feret.

Ad §. II. n. 2. not. * Poſtulationem *Henrici Julii* Luneburg. et Brunswic., de qua hic Auctor inquit, eam a Pontifice diſpenſante admiſſam fuiſſe, potius ab eodem, PIO V. nimirum, fuiſſe rejectam dicit JOANNES JACOBUS AB HOLTZE *in Diſſ. de Statu juribusque Epiſcoporum Germaniae Aug. Confeſſ. a condita transactione Paſſavienſi et Pace Relig. usque ad Pac. Weſtphal. Jenae 1752. §. X.*, *Piique* Breve ait extare in *Apoſtolicis Pii V. Pontif. Max. epiſtolis, editis Antwerpiae opera et cura* FRANCISCI GOUBAU *1640. Lib. I. pag. 32. et 35.* (Literas PII tum ad Capitulum Halberſtadienſe, tum ad Ducem Brunswicenſem, ubi haec poſtulatio rejicitur, habet etiam ESTOR de Cardin. impub. Diatrib.

Diatrib. poſter. Cap. I. §. V.) Cum dein an. 1578. *a Maximil. II. Henricus Julius* veniam ætatis impetraſſet, prima tonſura ad normam Catholicam eundem initiatum fuiſſe ab Abbate Hujesburgenſi idem HOLTZE teſtatur, factum improbantibus aliis Principibus Proteſtantibus. Conf. etiam ad hanc rem BUDERUM *in Symmictis Obſ. 3. et 10. Part. I.*

Ad ejusdem §. n. 5. Varia adhuc in aliis quoque Eccleſiis Germaniae exempla exſtant poſtulationum admiſſarum ante annum 27. aetatis in poſtulato, tum ante tum poſt *Extrav. Johannis XXII.* ab Auctore citatam; uti ad *Bambergenſem* minor adhuc poſtulatus fuit *Ecbertus Dux Meraniae* 1203. in HOFFMANNI *Annal. Bamb. Lib. IV. §. 9.* in LUDEWIGII *Scriptor. rerum Bamberg.* *Ad Paderbornenſem 1399. Wilhelmus Dux Montium*, qui nondum decimum nonum aetatis annum attigerat, in SCHATEN. *Annal. Paderborn. ad eundem annum et 1401. Ad Friſingenſem 1495. Rupertus Philippi* Comitis Palatini et Ducis Bavariae filius, natus 1481. MEICHELBECK *Hiſtor. Friſing. Tom. II. p. 287.* Ad eandem Eccleſiam 1566. Erneſtus Dux Bavariae natus 1554: anno 1640. in Coadjutorem *Viti Adami* Friſingenſis deſignatus fuit cum jure ſuccedendi *Sigismundus* Dux Bavariae anno aetatis decimo ſexto: idem l. cit. *p. 394. et 401.* Anno 1517. ad *Paſſavienſem* Eccleſiam *Erneſtus* Dux Bavariae decimum ſeptimum annum agens; ADELZREITER *Annal. Boici Part. II. Lib. 10. p. 232.* Ad *Leodienſem* 1188. *Albertus Lovanienſis*, qui a ſcriptoribus ejus aevi puer dicitur, quanquam ea poſtulatio concors non fuerit; FOULLON *Hiſtor. Leod. Tom. I. Part. 2. p. 287. ſeqq.* anno 1193. Ad eandem *Leodienſem*, ſed denuo poſtulatione diſcordi *Simon* Ducis Limburgici filius impubes: 1419. denuo ad eandem *Johannes* Dynaſtae Hinsbergii et Lewenbergii filius annorum viginti trium *l. cit. Tom. II. Part. 1. p. 5.* Cum anno 1455. Epiſcopatum in manus Pontificis reſignaret, ut in *Ludovicum Bourbonium* juvenem octodecim annorum transferretur, id quoque Pontifex ratum habuit *l. cit. p. 41.* Anno 1694. Coadjutor Leodienſis renuntiatus fuit *Joſephus Clemens* Dux Bavariae natus 1671. Ad *Colonienſem* idem Joſephus Clemens anno 1688., ſed cum obtento antea Brevi, defectus aetatis jam relaxatus fuiſſet, electus potius fuit, quam poſtulatus, de quo vide Auctorem §. III. n. 6.

Ad §. IV. Quaeſt. 1. Neceſſitatem admittendi poſtulationes in Germania Pontifici impoſitam eſſe, contra ac etiam poſt Concordata ſentit Auctor, videtur adſtruere *Anonym in Obſervat. Hiſtorico Jurid. in Concordat. 1771. Obſ. V.*, atque ex pacto jamdum *Calixtino* id eruere, quippe cujus aetate necdum ea diverſitas inter poſtulationem, et electionem, poſtmodum per Decretales ſtabilita, fuerit introducta: atque ita *To electus* in eo pacto idem quoque denotet ac *poſtulatus.* Sed enim, quidquid ſit de hoc Anonymi aſſerto, cum ſane nunquam non re ipſa diverſum fuerit, ſi diſpenſatio in conſtituendo quoquam Epiſcopo

juxta Canones non ſatis habili intervenire debuit, aut ea opus non fuerit: hodie nobis loquendum eſt ex Concordatis recentioribus: videlicet *Decretis Baſileenſibus* per pacta Aſchaffenburgenſia aut ſtabilitis, aut reſtrictis, aut abolitis; illis autem Decretis diverſitatem inter poſtulationem et electionem jamdum dii invectam expreſſis verbis confirmatam fuiſſe, patet ex Auctore: neque poſtea pacto *Aſchaffenburgenſi* quidquam immutatum fuit. Quare admiſſionem poſtulationis rem gratiae eſſe agnoſcit quoque ſolertiſſimus Concordatorum Aſchaffenburgenſium interpres BARTHEL *Diſſ. 3. de Concord. Cap. 3. §. XXIII.* Quodſi tamen Pontifex poſtulationem admittere noluerit, reſervationem Praelaturae locum non habere, ſed jus eligendi aut poſtulandi redire ad Capitulum probat BEHLEN aut potius SCHLOER *in Diſſ. ad Concordata Germaniae de electione Archi- et Epiſcoporum in Germania ſive de Reſervatione Apoſtolica dignitatum Archi- et Epiſcopalium ex qualitate vacationis ad textum Concordatorum, Electione caſſata, Poſtulatione non admiſſa Mogunt. 1767.*, quam uti in Praefatione innuimus, in collectione hac omiſimus, quod opuſcula *Schloeriana* ſeparatim edita proſtent: ita autem dicitur *Cap. 2. §. XVIII. N. II. et III.* „Rurſus non eſt „reſervatio, quando poſtulatio non eſt admiſſa, eoquod Papa noluerit *diſpen-* „ſare in impedimento ex certa alia legitima cauſſa, ubi tamen ceteroquin vel „poteſt vel ſolet diſpenſare: non inquam eſt reſervatio, ſed jus poſtulandi alium „denuo redit ad Capitulum a die ſcientiae, quo Papa poſtulationem non admi- „ſit, *Cap. ſi electio de Elect. in 6.* quia Papa poſtulationem non admittente po- „ſtulatus, non vero poſtulantes, cadit omni jure ex commodo poſtulationis, „*Cap. 2. de Poſtul. Extrav. ex debito §. hujusmodi de Elect. int. Commun.* Absque „eo, quod pro hujusmodi reverſione juris eligendi vel poſtulandi ad Capitulum „potuerit minimum innectere obicem dicta *Extrav. ex debito, vel Concordata* „*Nation. German.* ubi ajunt, reſervantur Papae generaliter beneficia vacantia „per caſſationem vel non admiſſionem poſtulationis; quia textus loquitur de „caſſatione ſeu non admiſſione ob vitium perſonae, ubi poſtulatus rejicitur ut „indignus prout de jure communi; ex tunc utique juſta de cauſſa beneficium „vel dignitas taliter ex rejectione vacans S. Pontifici reſervatur, quia poſtulan- „tes ſcienter indignum privati ſunt jure eligendi vel poſtulandi, aut alio modo „providendi Eccleſiae. Plura huc ſpectantia vide l. cit. numeris ſeqq.

XIX.

XIX.

PETRI GADLADE S. J.

SS. Theol. et SS. Canonum Doctoris, eorundemque in antiquiſſ. Univ. Heidelberg. nuper Profeſſoris Publ. et Ordinar.

DISSERTATIO

DE

CAPITULATIONE EPISCOPO GERMANIAE ELECTO

A SUIS ELECTORIBUS PROPOSITA, ET JUREJURANDO CONFIRMATA.

Heidelberg. 1758.

CAPUT I.

Origo Capitulationum.

§. I.

Ex quo diuturna Sacerdotii & Imperii diſſidia de conſtituendis atque inveſtiendis per annulum & pedum Epiſcopis propitio numine ac plaudente cœlo Calixtus II. ſummus Sacrorum Catholicorum Antiſtes in Concilio Lateranenſi quarto, anno Æræ Chriſtianæ 1122. Romæ celebrato feliciter cum Henrico V. Romanorum Imperatore compoſuerat; eandemque concordiam cum Calixto initam Imperator in Conventibus Herbipoli, Wormatiæ ac Bambergæ ſubinde habitis novo robore confirmarat, libertas canonice Epiſcopos aliosque Prælatos Eccleſiaſticos eligendi, hactenus inveſtiturarum obtentu penitus obtrita, ad Clerum Clericorumque Collegia jure quaſi poſtliminii redire viſa eſt.

§. II.

Conventionem Papam inter & Cæſarem erectam narrat Otto Friſingenſis in ſuo Chronico Lib. 7. cap. 42.

Dimitto, ait Henricus, *Deo & Eccleſiæ inveſtituram omnem per annulum & baculum, & Concedo in omnibus eccleſiis, quæ in Regno vel Imperio meo ſunt, canonicam fieri electionem, & liberam conſecrationem:* Calixtus e contra Cæſari alia inter conceſſit, ut Epiſcopus *electus Regalia per Sceptrum ab eodem recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur: & quæ ex his jure ei,* (Imperatori) *debet, faciat.* Inſuper conſtituit, *ut ſi qua inter partes eligentes diſcordia emerſerit, de Metropolitani & Provincialium epiſcoporum conſilio & judicio, ſaniori parti* (eligentium) *Imperator auxilium & aſſenſum præbeat.*

§. III.

Verum hæc poſtrema conceſſio, qua Pontifex Cæſarem diſcordiarum in electionum Eccleſiaſticarum negotiis oriturarum eſſe arbitrum voluit & Compoſitorem, effecit, ut pax & concordia Sacerdotium inter ac Imperium diuturna neque fuerit, neque conſideratis tot hominum geniis, & dignitates Eccleſiaſticas favoresque Principum ſibi ambientium ſtudiis eſſe potuerit. Dum enim Capitulares Eccleſiæ Metropolitanæ Magdeburgenſis inter Præpoſitum & Decanum ejusdem Eccleſiæ fluctuarent, Fridericus I. Imperator, ad quem electores Canonici opis cauſa confugerant, ſua rem authoritate eo promovit, ut Decani Sectatores ſuffragia ſua in Guicmanum Epiſcopum conferrent; quem & mox inveſtivit, *Eique accerſito Regalia ejusdem Eccleſiæ conceſſit*, ut ex Ottone Friſingenſium Epiſcopo, Friderici conſanguineo refert Thomaſſinus *vet. & nov. Eccleſ. Diſciplin. parte 2. Lib. 2. c. 38. n. 7.*

Fridericus enim ab *eo tempore, quo ſub Henrico V. de inveſtitura Epiſcoporum deciſa fuit intra Regnum & Sacerdotium controverſia, ſibi conceſſum autumabat, quod obeuntibus Epiſcopis, ſi forte in eligendo partes fiant, Principis arbitrii eſſe, Epiſcopum quem voluerit, ex Primatum ſuorum conſilio ponere, nec electum aliquem ante conſecrandum, quam ab ipſius manu Regalia per Sceptrum recipiat.* Hæc Otto, l. c.

Aliud hujus rei exemplum, quod contentionis plus habuit, de eodem Friderico adducimus ex Arnoldo Lubecenſi: Trevirenſes Canonici alii in Volmarum, alii in Rodolphum ſuffragia ſua detulerant: Prior ille rem ad Pontificem retu-

retulit, a quo ejus electio canonica pronuntiata est; posterior ad Imperatorem, qui causam ei adjudicavit, contendens in ea dissidii causa suas esse judicandi partes *Apostolicus*, verba sunt Arnoldi, *affirmabat partem Volmari propter canonicam electionem; Imperator pro Rodolpho erat propter electionis dissensionem:* qui ipse testatur, possessionem Archiepiscopatus ex sententia Imperatoris Rodolpho fuisse adjudicatam.

§. IV.

Parum abesse videbatur, quin antiquatis electionibus Canonicis pristinæ Imperatorum Nominationes iterum sufficerentur; cum ecce tibi auspicatissima exoptatæ novæque concordiæ lux in Germaniæ Imperiique Ecclesias invehi visa fuit, dum Otto IV. Saxo consentiendi jure, quo hactenus Cæsares usi fuerant in electionibus Prælatorum Ecclesiarum, & quo via pandebatur innumeris molestissimisque dissensionibus, amore Imperialis coronæ sibi comparandæ decessit. Pro hac partitis eligentium studiis Otto cum Philippo Suaeviæ Duce decertabat: Innocentius III. Romanus Pontifex ad Ottonis partes tuendas anno 1209. accessit, ubi ille præfato se jure sponte exuerit. Ipsa Ottonis verba refert Rainaldus ad eundem annum 1209. n. 10. sunt autem sequentia:

> Illum volentes abolere abusum, quem quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dicuntur in Electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, ut Electiones Prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major & sanior pars ipsius duxerit eligendum; dummodo nihil ei obstet de Canonicis institutis.

His duplex ea abdicabatur potestas & assentiendi electionibus, quæ concordes fuissent, & dijudicandæ litis, ubi controversæ.

§. V.

Eadem se sponsione obligavit Fridericus II., anno 1213. electus Rex Romanorum, quo Pontificem Maximum suis partibus conciliaret. Sicque stabilita fuit in Germania electionum plenissima libertas. Rudolphus Habspurgicus, ubi ad Imperii solium accessit, Gregorio Papæ X. anno 1275. recepit in se & spopondit illud ipsum, quod antea Otto IV. & Fridericus II. Qui laudabilem hunc morem ad Augustissimam Austriacam gentem suam transmisit hæreditarium, cum exinde Imperatores isthac ex sereniſſima Austriacorum pro-

ſapia electi hujus juri Regaliæ in ſuo fundatore nunqui renuntiarint, ut nec jam neceſſe Prælatis foret, quo r electi haberent, eorum deinceps conſenſum efflagitare, feuda Imperii, quæ tenent, coram throno Cæſareo re maſſ. l. c.

§. VI.

Res omnis confecta, pax reducta, pleniſſimaque ſtites libertas reddita videbatur, cum iterum triſtis & n ſacris Conventibus pependit, non jam ut alias ex Cæſ ſed ex ipſo, quod minime exſpectabant, Vaticano exor coporum nominationes ſibi antea Imperatores jure, qu Romani Præſules jure reſervationis ſibi arrogabant: C nominis V. Ejusque in ſummo Pontificatu ſucceſſores collationi Eccleſias & dignitates Patriarchales, Metrop Abbatiales in Curia Papali per obitum vacantes, quod *prabend. inter commun.* Verum etiam per depoſitionem lationem aut conſecrationis ſuſpenſionem, uti legere eſt *men. ibidem.* Quin adeo per *Regulam 2dam Cancellaria* Epiſcopales & Abbatiales, ubi & quomodocunque toto tibus vacuas reſervarunt. Neque ulla alia ratione C nubes niſi Germaniæ Concordatis diſſipari potuit. Ini ratæ ſalutis 1448. inter Nicolaum V. Papam, & Frid elitæ Nationis Germanicæ. Ab illo tempore Sacris C ſtans ſereniorque Apollo riſit, & ridet etiamnum, ade ſinus arcanæ Numinis providentiæ conſilium non poſſit quod cum in Germania electiones & audacius fuerint ea ipſa nunc ſit earum retinentiſſima, & una propen provincia, in qua adhuc vigeant.

§. VII.

Admodum credibile nobis apparet, cum ipſa elig Prælatos Eccleſiaſticos libertate Capitulis vario, ſecund dita, ipſas quoque Capitulationes, de quibus agere in mus, ſumpſiſſe initia, ſua quaſi ſponte, in diverſis Ec licet fuiſſe enatas. Non injucundum, nedum moleſtu cidet, ſi ante, quam filum ducere inchoemus, pauca d cabulo ex Hennigii meditationibus in Capitulationem Auguſti proloquamur.

§. VIII.

Vox *capitulatio* a *capitulo*, quod eſt diminutivum vocabuli: *caput*, derivationem habet: Utrumque nomen *Caput & capitulum* in varia ſignificatione vario tempore uſurpatum legimus: Lege 32. & 33. ff. de uſu & uſufructu legato. L. 6. ff. de cuſtodia & exhibitione reorum denotant *partem ſeu articulum alicujus diſcurſus:* in Inſtitutionibus Imper. de lege Aquilia princ. & alibi *paragraphum:* phraſi & ſtylo juris tam canonici quam feudalis ipſas *leges & canones.* Tractu temporis *Concilium* quoque, in quo Regni aut provinciæ Capita ſeu Proceres de ſalute Reip. ſtatuebant, nec non *decretum*, quod faciebant, Capituli nomine veniebant; Liber vero, in quo ejusmodi decreta continebantur, *Capitulare* audiit, ut conſtat ex Lotharii Imperat. conſtitutione a Baronio Card. *tom. IX. annal. Eccleſ. ad annum 847.* exhibita & ab Hachenbergio. *Germ. med. diſſ. 3. §. 5. p. 66.* repetita. Poſtea caput *majorem ſectionem libri;* capitulum vero ejuscemodi *ſectionis partem* ſeu *verſiculum* indigitare cœpit: exorta hinc fuit priſcis Chriſtianorum conſueta loquendi formula *ad capitulum ire*, hoc eſt, in eum locum, ubi capitulum aliquod ſeu verſus in capite biblico antea prælecto explicabatur. Imo ipſi quoque *loco* explanationibus hiſce deſtinato paulatim hoc nomen adhæſit, ut & *Domus* Capitulum nuncuparetur: ab hoc demum ad ipſum *Canonicorum conventum*, imo *ædes* his conventibus deputatas tranſiit: Vid. Höpfner in Sax. Evang. p 598. Canonici vero tanquam membra Capituli, quod in illis ædibus congregari ſolet, *Capitulares* dicti fuerint & adhuc dicantur. Corrupti porro temporis licentia verbum mox *Capitulare*, hoc eſt, per certa capita & articulos diſponere produxit, donec tandem *Capitulationis* vox ab Italorum lingua ad nos translata in lucem prodiret: Italis autem *Capitulare* idem eſt, ac conventionem, pactum, certas leges, conditiones, capita articulatim aut facere aut inire: *Capitulatio* vero nomen eſt collectivum, quod ejusmodi conditiones, capita, leges & conditiones in pactum aut conventionem deductas in ſe comprehendit. Vox *Capitulationis* prima vice, obſervante Limnæo in *proleg. ad Capit. Sect. 1. n. 19.* in Germaniam legitur adoptata in Receſſu Imperii zu Erfurth anno 1567. §. Darauff zu unterſchieblichen mahlen und §. Wan dan dieſe Erforſchung: In ſolemnibus illis conventionibus Cæſarum Neo-Electorum cum Electoribus ſuper adminiſtratione Imperii prima pariter vice uſurpata invenitur *articulo 42. Capitulationis Ferdinandi II.* Poſthæc autem ſemel recepta in ſubſequentibus frequentius repetita fuit. In pactis vero Epiſcopum inter Eligendum Electumve, & Capitulum eligens conventis idem capitulationis vocabulum ante omnes adhibuerunt Oſnabrugenſes in electione Philippi Sigismundi anno ſalutis 1591. Schließlich davon einiger obcapitulirten Articul wegen. Hæc de nomine.

§. IX.

§. IX.

Res ipſa voce longe antiquior eſt; quandoquidem
cat. tomi. 3. Conſtitut. Imper. ad Jacobum I. Magnæ Brita
peratori, quemadmodum ipſis etiam Regibus nunquam apud
luta poteſtas fuit, ſed certis limitibus ac legibus circumſcript
noſtri Palatinas, ut Conradus a Lichtenau Abbas Urſpergen
nos Capitulationem vocamus; quem ſequitur Conringius *d*
vis uterque in eo multum hallucinetur, quod Leges Re
parent Capitulationibus: ſiquidem per legem regiam t
de conſtitutionibus principum, quin adeo ipſo Juſtiniano a
jure naturali gentium & civili omnis poteſtas populo ad
pem conferebatur; per Capitulationem vero Electi I
Epiſcopi aliorumque Præſulum poteſtas coarctatur &
ſcribitur, Electoresque eorundem in quorundam juriu
tuntur, ac demum eligentium jura, privilegia, liber
populus abdicabat Romanus, ſolemni ſanctione confi
chius *in exam. Jur. publ. IV.* §. *10.* Probatur nihilomi
num in Germania antiquitas; Similia exempla etiam
omnium ſcriptores annalesque referunt.

§. X.

Nos miſſis Capitulationum articulis, quos Rom
Electores Imperatori, aliorumve Regnorum & provinc
tus novis Regibus aut Principibus a ſe electis jurato ſer
calamum duntaxat convertimus, quas Illuſtriſſimi Ecc
rum & Cathedralium in Germania Canonici Capitul
vacante fabricare conſuevere, & in quas Neo-Electos
cipes Eccleſiaſticos jurare compellunt. Argumentum ſ
quidem delicatum & offendiculis plenum eſſe, nemo
cietur; quare factum arbitramur, ut illud a perpaucis
nes interpretati ſunt & eruditis commentariis illuſtraru
tractatum, a nemine exhauſtum, a plerisque aut omn
volanti levique calamo attactum potius quam exaratum
eſt omnia, quæ poſſumus, proferre; ita nihilominus i
pitulationum ejusmodi, originem, cauſas, quorundam
nec non antidota a nonnullis Epiſcopis electis adverſus
ex probatis typoque publico vulgatis Scriptis ac docun
quantum tamen, noſtro arbitratu ſatis, exhibeamus; ſ
poſſumus maxima caventes, ne quid in reverentiam Il

morum Dominorum Conventibus debitam vel leviter peccaſſe, ſicque juſtæ indignationis pœnam commeruiſſe argui jure valeamus.

§. XI.

Exigua, quemadmodum rerum creatarum omnium, ſic & harum, de quibus agere conſtituimus, Capitulationum fuiſſe exordia, ac nonniſi paulatim inviſum hoc Epiſcopis negotium creviſſe ex antiquis Eccleſiarum annalibus edocemur: quo vero anno, in cujus Eccleſiæ vacantis eligente Capitulo natæ inventæque fuerint, hactenus probe explorare haud licuit. Jam Urbani II. Ævo, qui univerſalem Chriſti Eccleſiam ſæculo XI. rexit, Artaldus Arelatenſis Epiſcopus, Narbonenſis eccleſiæ ſuffraganeus poſt electionem ſuam propter bona Eccleſiæ conſervanda juravit Canonicis; cum autem Narbonenſis Archiepiſcopus latentem Simoniæ labem illi aſpergens Conſecrationem denegaret, prælaudatum Urbanum Papam ille Romæ implorans conſecratus eſt, ſed nonniſi novo Sacramento purgatus; quod jurejurando, quo ſe Canonicis ſuæ Eccleſiæ aſtrinxerat poſt electionem, nullam conventionem ante, ut eligeretur, fecerit. *Can. Artaldus 2. cauſa VIII. q. III.* Capitulum Cathedrale, quod eſt Hildeſii, in literis Innocentio XII. P. M. die decima Martii anni 1694. inſcriptis, queis pro Capitulationum conſervatione ſupplicavit, inter alia momenta adducit, quod a temporibus primævæ Archi- & Epiſcopatuum erectionis in Germania ultra ſex ſeptemve ſæcula absque ulla interruptione, nedum oppoſitione capitulandi cum Epiſcopis & Prælatis mos obtinuerit. Imperialis Eccleſiæ Bambergenſis Decanus, Senior & Capitulares in quadam epiſtola ad eundem Papam die 26. menſis Martii anni ejusdem 1694. exarata pro tuendo capitulationis jure ad immemorialem conſuetudinem & communem antiquitus ad ſe derivatum ſtylum provocat. Conſtantienſis Cathedralis Canonici in ſupplicibus eidem Innocentio porrectis die 15. Martii illius ipſius anni animoſe aſſeruere, prædictam Capitulandi methodum apud omnes Imperii Romano-Germanici Eccleſias jam aliquibus a ſæculis in continuo minimeque interrupto uſu fuiſſe. Videantur *Lünigii Selecta Scripta illuſtria. num. 34. ſummar. 15. p. 533. & ſeq.*

§. XII.

Hactenus a Capitulis aſſertorum veritatem quibusdam confirmamus exemplis. Annales Caſſariani *tomo 1. ſcript. Menckeu.* pag. 1428. 1472. & 1494. referunt, quod, poſtquam *Harduichus de Lierheim* a DD. Canonicis Capitularibus in Epiſcopum Eccleſiæ Auguſtanæ anno 1167. electus cum ſuis electoribus propter annuos reditus & quorundam fructuum perceptiones uſuſque contentionem habuiſſet; & præterea ingens cum advocatis certamen; Capitulares ad ſe perlatam ſentientes auctoritatem & ſummam rerum, jam tum ab electis jure

exigi poſſe, quæ olim non exigebantur, crediderint; hinc ad obtinendam animorum cum Præſule ſuo concordiam certis capitibus recens electum adſtringere, & capitulatim cum illo convenire neceſſe ſtatuerunt, ita videlicet, ut poſtea ultra hæc capita & Præſuli & Canonicis & Proceribus quidquam poſtulare nefas eſſet. Hoc obtento paulatim ſacros Sodales ultra progreſſos narrant iidem Annales l. cit. quod ſatis patere ajunt ex hiſtoria Friderici Præſulis Auguſtani XLVI. *de Turneck & Vaihingen*, qui mox ab initio nova quædam jura & privilegia Canonicis ſuis ex ſtipulatu conceſſiſſe dicitur, nec non ex electione *Joannis Eglolphi a Knöringa*, quem plurimis conditionibus initis promiſſisque ad Epiſcopalem Cathedram electum fuiſſe legimus. Ratisbonenſe Canonicorum Cathedralium Capitulum anno Chriſti 1437. *Friderico II. de Parſperg*, quem in Præſulem ſuum elegerat, certos articulos a ſe & ſucceſſoribus ſuis perpetuo obſervandos præſcripiſſe commemorat ampliſſimus Wiguleus Hundius in ſua *Metropoli Salisburgenſi tomo 1. fol. 212. n 44.* De Hildeſienſibus idipſum teſtatur Lünnigius *Spicil. Eccleſ. part. 2. ſupplem.* quod ad certa capita Burchardum Epiſcopum anno 1562. Jodocum Edmundum vero anno 1688. obligaverint.

§. XIII.

Aliud capitulationis ſapienter excogitatæ & efficaci animoſitate Neoelecto propoſitæ exemplum affert aliquoties laudatus Lünigius in *Spicilegii Eccleſiaſtici parte 2da. pag. 969. & ſeqq.* de Excellentiſſimo Ducalis & Cathedralis Eccleſiæ Capitulo, quod ſumma veneratione colitur Herbipoli, Franciæ Orientalis clariſſima metropoli. Hoc prima a ſe condita Capitulatione varios articulos communi conſilio prodidit, quos ſolemni jurejurando confirmare debuit voluitque Joannes II. nobilis Alſata, ex perantiqua familia de Brun, in Antiſtitem inclitæ diœceſis & florentiſſimæ provinciæ Ducem recens electus anno reparatæ ſalutis 1411. Cumque pacti illius impatiens Joannes hujus non minus ac Sacramenti deſuper præſtiti a Joanne XXII. relaxationem petiiſſet, petitamque die 2da Junii anno a partu Virginis 1413. impetraſſet, DD. Capitularium Conventus mira fortitudine Eundem ſuum Epiſcopum ac Ducem coëgit, priſtinæ Capitulationis antea initæ articulos repetere, illorumque exactam obſervationem novo Sacramento ſpondere; quod legere eſt in *Chronico Wirzburgico* Laurentii Friſens apud D. de Ludewig, inſignem rerum Herbipolenſium ſcriptorem *Cap. 6. f. 696.* Quanquam is ipſe Joannes de Brun iterata iſthæc Capituli ſui ſtudia iterum a Legato Papali, qui in ſua urbe Roma advenerat, obtenta abſolutione eluſerit, uti teſtatur commendatus de Ludewig *Cap. 21. fol. 702.*

§. XIV.

Quod ipſum Godefridus IV. anno 1440. ejusdem Eccleſiæ Wirceburgenſis eligen-

eligentium Capitularium ſuffragiis deſignatus Præſul Joannis II. exemplo edoctus ut ne attentare poſſet quidem, illum adegerunt, non præſcripta ſolum capita admittere, juratoque accuratam illorum obſervantiam appromittere, verum etiam induxerunt, ut ſolemni formula, novo firmata Sacramento, papali & quacumque alia, eſto ſponte oblata diſpenſatione cederet, ac perpetuo renuntiaret. Formulam exhibet idiomate germanico Lünig parte 2da Spicil. Eccleſ. pag. 1004. Nos ex eodem totidem verbis fideliter deſcriptam hic apponimus; ſic autem habet:

Uber dieſen meinem Eyde, oder einigen Puncten oder Articklen mit den Pönen darin begrieffen, oder auch vvider denſelben Eyd, Punct und Poen keinerley Diſpenſation, oder Genaden, Entledigung, Ufflöſung, Wiederruffung, Vernichtung oder Leuterung von dem Stuhl zu Rom, oder von einem jezlichen heiligen gemeinen Concilio, oder von keinem anderen meinen Oberſten Schuz und Schirm impetriren oder ervverben, durch mich oder jemand anderes, heimlich oder offentlich; und ob das geſchehe, daſs von jemands vvird impetrireth, oder auch ſonſt von eigner Bevvegnus der Oberſten Würde verliehen, vvie ſie das möchten; So vvill ich doch das nicht aufnehmen, ſtät, feſt oder genehmhalten, und ſolcher diſpenſation, Endledigung, Ufflöſung, Widerruffung, Vernichtung oder Leuterung zumahl nicht gebrauchen, ſondern alle und jegliche obbeſchriebene, als das obbeſchrieben iſt, durch mich geſchvvoren, in der Gemein und Beſonderheit getreulich, feſtiglich und unverbruchlich thuen und halten ohne Betriegung und Gefährde. Alſo helffe mir GOtt, und dieſe heilige Evangelien.

§. XV.

Inde igitur, a temporibus videlicet prænominati Joannis II. in perilluſtri Eccleſia Herbipolenſi capitulandi morem introductum fuiſſe minime fas eſt dubitare, quem procul dubio poſtmodum conſtantiſſimo uſu illi adhæſiſſe haud vane exiſtimamus, quamvis acta publica id de ſingulis Electis Epiſcopis Ducibus diſerte non affirment. Articulos quosdam ab eodem Illuſtriſſimo Capitulo Joanni Philippo a Schönborn anno 1672. Joanni Hartmanno a Roſenbach an-

no 1673. Petro Philippo a Dernbach anno 1675. Conrado Wilhelmo de Wertnau anno 1682. Joanni Gothofredo a Guttenberg anno 1684. fuiſſe oblatos, atque ab iisdem ſub jurisjurandi fide admiſſos, tactisque ſacris Evangeliis confirmatos ſatis conſtat ex Lünigii *ſelectis ſcriptis illuſtribus. pag. 450. ſeq.* Et ex *continuatione 2da Spicilegii Eccleſiaſtici pag. 1153. collata p. 1156.* Potiſſimum autem ex publica Scriptione, cui titulus: Factum oder gerechtſame des Biſchöfflichen Eydts, nemblich die anno 1411. von dem Capitel der Cathedral-Kirche zu Würzburg erfundene. und bis auf gegenwärtige Zeiten nach und nach, ſonderlich aber zulezt bey dem Hochwürdigen Fürſten und Herrn, Herrn Johann Gottfried, Biſchoff zu Würzburg und Herzog in Francken vermehrte eydliche Capitulation, quæ extat in laudatis Lünigii ſelect. ſcriptis illuſt.

§. XVI.

In Electorali & Archi-Eccleſia Moguntina Dietherus Iſenburgo-Büdingenſis eadem cum Godefrido IV. Herbipolenſium Antiſtite, de quo diximus *num. 14.*; ab Eminenti ſuo Capitulo fata ante alios expertus fuiſſe *notatur* a Georgio Joannis V. C. *In annotationibus ad Serrarii res Mogunt. Tom. 1. p. 777. ad annum 1459.* In certa nimirum capita conſentire, obſervationem illorum ſancte promittere, inſuper urgenti Capitulo jurare debuit, quod juramenti hujus ſui remiſſionem a Chriſti Vicario aliove Superiore neque efflagitare, neque ultro oblatam acceptare uſurpareque velit. Formula juramenti videtur ſecundo Mœno Rhenoque Moguntiam fuiſſe delata; ita hæc illi, quam §. 14. retulimus, conformis eſt, ſi quasdam verborum ambages dempſeris: refertur illa verbis, quæ ſequuntur:

Haben vvir in guten Truvven gelobt, und in gegenvvärtigkeit des heiligen Evangelii, das da vor uns lage, mit uffgelegter Hand uff unſer Herz geſchvvoren, alle und igliche vorgeſchriebene Stucke, Punckte und Artigkele ſtäte und feſte zu halten, und auch darvvidder nymmermee zu thun mit Worten oder Wercken, und über dieſen unſeren Eydt, oder einigen Puncten oder Artickel darin begrieffen, keinerley diſpenſacien oder Gnade, Endledigunge, Ufflöſunge, Vernichtigunge oder Leuterunge von dem Stuhle zu Rome oder von enim Conçilio impetriren oder ervverben.

CAPUT

CAPUT II.

Cauſæ Capitulationum et nonnulli in illis præſcribendis exceſſus.

§. I.

Variis de cauſis variarum Eccleſiarum, maxime Principalium, Cathedralium, Metropolitanarum ſacri conventus ſive Capitula ad cudendas recudendasque Capitulationes, ſerius ocius manus admoverunt, iisque initio juſtiſſimis, quæ partem neceſſitati, partem diœceſium & territorii utilitati, ſubditorum præſidio & Capitularium jurium juſto titulo obtentorum ſecuritati unice nitebantur. In tam pio, Eccleſiæ atque Reipublicæ tam ſalutari negotio apud Curiam Romanam agendo urgendoque, in proponendis Romanæ & univerſalis ſimul Eccleſiæ Moderatori efficaciſſimis rationibus, ad inducendas, confirmandasque Capitulationes ſupereminuit ardentiſſimus zelus & eodem inflammata ſacra facundia Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Capituli Cathedralis Würceburgenſis. Epiſtolam, qua illæ comprehenduntur, quamque Romano eam ob rem Pontifici transmiſit, verbotenus adducit ſæpe jam nominatus Lünnigius in *ſelect. ſcript. illuſtr. n. 34. ſummar. 7. pag. 526. ſeqq. & ſummar. 13. pag. 530. ſeqq.* Nos ex eodem partem, quæ ad ſingularem immortalemque illuſtriſſimi hujus Capituli laudem cedunt, fido deſcriptam calamo reddimus; ſic autem ſcribit:

> Ne a ſuis Regentibus & Antiſtitibus principatus non tantum obruantur, juri innodentur hæreditario, ſed etiam ſubditi & Principatus tali ratione adminiſtrentur, ut in ſuo vigore perſiſtant, & non immaturis aviditatibus propriisque paſſionibus peſſum eant.

His adjungit:

> Regnantium interdum minorennitates, familiarum eorundem indigentias, easque exaltandi concupiſcentias. Ne regnans Episcopus principatui & Eccleſiæ abſolute dominetur, & occaſione poteſtatis principalis adminiſtrationem independentem, dominiumque deſpoticum introducere valeat &c.

Denique in hunc modum concludit:

Quemadmodum autem periculoſis ejusmodi auſibus neceſſario contraveniendum eſt, ita medium aliud magisque ſalubre non eſt excogitandum, præter ſolam Capitulationem, cujus virtute Capitula tanquam Matres in faciendis electionibus ſollicite proſpiciant, & inde pendentes Epiſcopales poteſtates, utpote cum dignitate principali inſeparabiliter connexas eo moderentur, ut Epiſcopus .... taliter præſit....., ut pedum & gladius æquali lance librentur, atque ita unanimis conſervetur concordia, caput inter & membra, hisque in ſuis juribus, conſuetudinibus & obſervantiis ullum quovis modo præjudicium non inferatur.

Ex quibus conficies, inventas atque introductas fuiſſe Capitulationes ob ſequentes potiſſimum rationes. *1ma*: Ut regulæ ſint Regiminis *Epiſcopalis*, illique certum ponant modum. *Altera*. Ne Sacri Præſules viribus Principatus arcto vinculo cum Epiſcopali dignitate connexi male abutantur. Denique *tertia*: Ut diœceſeos ſalus, Procerum ac imprimis Capituli ſubditorumque jura, privilegia & incolumitas in tuto ſalvoque collocentur.

§. II.

Contraria hiſce tribus Epiſcoporum aliorumque Antiſtitum Principum molimina genuinas, excogitandi & in uſum deducendi capitulationes, fuiſſe cauſas, multarum Eccleſiarum in Germanico Imperio conſtitutarum hiſtoriæ loquuntur, ex quibus aliqua in aſſertionis noſtræ robur afferre exempla neceſſum duximus. Primum ac facile princeps ex Laurentii Friſens Chronico Wirzburgenſi apud Ludewig de Scriptoribus rerum Wirzburgicarum p. 702. proferimus de nunquam ſatis deprædicanda Eccleſia Herbipolenſi; ubi ille primæ Capitulationis, in electione Joannis II. de Brun maturis DD. Capitularium ingeniis excoctæ rationes allegans, hoc modo ſcribit:

Es vvolten die Herren vom Dom-Capitul des gevvœhnlichen Biſchœfflichen Eydes, den ihn der neuervvœhlte thaet, nicht gesättiget ſeyn, in Anſehung der Beſchvverden, ſo ihnen hievor von dem næchſt verſtorbenen Biſchoff unverſœhnlich begegnet vvaren, ſondern muſt er ihnen, vvelches hievor nicht

nicht mehr beſchehen, darneben auch eine Verſchreibung unter ſeinem Siegel geben.

§. III.

Alterum nobis ſubminiſtrat celebratiſſimus Wiguleus Hundius in ſua *Metropoli Salisburgenſi tomo 1. pag. 25.* Ubi recenſet, quod duorum Archipræſulum ſibi invicem ſuccedentium, videlicet *Pilgrini de Puecheim* anno 1366. & *Gregorii Schenck de Oſterwitz* anno 1396. ad Metropolitanam Salisburgenſem evectorum mala adminiſtratio juſtitiæ, aliaque gravamina Provincialibus & Miniſterialibus Eccleſiæ Sæcularibus impoſita Reverendiſſimum Capitulum non induxerint modo, verum coëgerint quoque ad Capitulationes præſcribendas, & a Neo-Electis juramento confirmandas, queis tot malis mederentur. Idem easdem fere ob cauſas accidiſſe Paſſavienſibus credere fas eſt; cum enim teſte eodem Hundio *l. c. f. 318.* Clerus & civitadenſes *Berchtoldum Comitem de Pietengew* anno 1249. nimis durum experti eſſent; ſiquidem libertates eorum & privilegia multis modis violabat, attenuabatque: æs inſuper alienum conflabat magnum, nunquam non corradens, quo nepotes dotaret ſuos, ac neptibus dotem de Epiſcopatus etiam facultatibus augeret; atque eam ob rem a Capitulo interpellatus facete reſponderet; hac ſe munificentia quærere Eccleſiæ ſuæ Paſſavienſi amicos, patronos, ac rebus dubiis defenſores; cumque Berchtoldi anteceſſoris ſui veſtigiis *Wolffgangus II. ex proſapia de Kloſen* ad idem ſolium Epiſcopale die 20. Decembris, anno 1555. evectus inſiſtere cœpiſſet, Illuſtr. Capitulum ad privilegia & compactata provocavit, admonuitque eundem, ne iisdem in aliquo derogaret, ut habet prælaud[illegible] Hundius eodem tomo fol. 329.

§. IV.

Quibus autem Eccleſiis melior ſors in electionibus Epiſcoporum Principum, eligentium prudentia, zelo & integritate arriſit, ut, quod de injuſtis Præſulum electorum conatibus quererentur, non haberent, aliorum exempla profuere, quibus inducta & edocta proficuum adeo, Capitulationibus Electos Antiſtites obligandi coarctandique remedium aſſumpſerunt, quo futuris eventibus occurrere poſſent, & quas vicinæ Urbes aut Eccleſiæ ſentiebant, fortunas, his veluti objecto clypeo mature dextereque declinare avertereque. Hac via capitulandi initium moremque ad Ratisbonenſe Collegium Cathedrale acceſſiſſe eo certius arbitramur, quod Hundius aliique ſcriptores aliam capitulationum inibi invectarum rationem, quemadmodum apud alias Eccleſias facere conſuevere, non allegent. In ſimili plane re commendat Lehmannus in *Chronico ſuo Spirenſi Lib. 5. cap. 114.*

civi-

civitatis Auguſtæ Nemetum, vulgari nomine Spiræ & in retinendis juribus ſuis privilegiisque oculatiſſima illa vicinarum urbium, quas Epiſcopi privilegiis exutas jugarunt, aut ſubjugare quærebant, exemplis territa ſuum in ſacris Antiſtitem ante omnes alios obligavit, a ſervatione jurium ſuorum ac privilegiorum ſibi præſtan geſtam ſequentibus exponit:

Man findt keine Nachrichtung, das vor Bi Bolandten ein Biſchoff zu Speyer der Sta ſchvvoren, derſelben Freyheid und Re hand zu haben; ſonder zvveiffel darum Herrſchafft in der Stadt nicht nachgeſtell in ſeinem anbefohlenen Ambt und Reg und abbruch zu thuen ſich gemaſſet, dat geübriget blieben. Als aber die Sache de ein ander Anſehen vvollen gevvinnen, den umbliegenden Stædten Strasburg, Collmar, Mainz, und andere Weiſur für ſich ſehen ſollen; hats ein erbar Rat Biſchoff Friderich zu erſt der Stadt Speye rechtigkeiten zu halten, und zu verbe und hierüber ſchrifftlich Urkundt mit a gel anno 1280. von ſich geben.

§. V.

His, quæ diximus modo, acceſſere non raro ar minum deſideria ac indefeſſa ſtudia, quibus Epiſcopal gladio expetebant, quærebantque; atque ea propter ſodalibus, quibus in electionibus jus ſuffragium fer commendare non ceſſabant. Inde pulcherrima illis ſe juvandi ultro naſcebatur occaſio; Pronum igitur erat, non ad jura & privilegia duntaxat ſua integra ſervand inſuper priſtinis adjicienda, nihilque non eorum, qu cendum dandumque quam optime comparatum promp teris ejus corrivalibus præhaberent, ac ſuo quolibet Epiſcopalem & Principalem attollerent. Ita Hundius

lisburgenſi fol. 109. commemorat, quod *Joannes* in Friſingenſium Præſulem Capitularium votis aſſumptus mox poſt ſuam electionem certum quendam cenſum in ſingulos annos Capitulo ſolvendum diœceſeos ſuæ parochiis anno 1324. impoſuerit; quodque *Berchtoldus* Paſſavienſis, de quo ſuperius num. III. homo alias in ſuos Canonicos Capitulares inhumanus parcuſque, bis licet in electionibus præteritus, illis nihilominus parochiam Holbrunenſem perpetuis temporibus libere poſſidendam fruendamque circa annum nati Salvatoris 1252. conceſſerit authore Hundio fol. 318. ibidem. Alia in hanc rem exempla invenies inter ſelecta Lünigii. num. 34.

§. VI.

Verum ex hoc ipſo plurium Candidatorum ambitu, indole, grata liberalitate, & ſibi quidquam ſtipulandi peropportuna occaſione ſenſim haud paucarum Eccleſiarum Capitula humani aliquid paſſa eſſe in comperto poſtea habitum fuit: fuere enim, quæ jam non, uti olim, Eccleſiarum ſuarum utilitatem, ſubditorum incolumitatem, juriumque ſuorum conſervationem in Capitulationum negotio pro fine unice haberent, ſed id potiſſimum agere viſa ſunt, ut ſuam eligentium temporalem utilitatem, ſive ut phraſi Innocentii XII. loquamur, burſale commodum procurarent augerentque, talia inſuper noviter electo haud raro offerrent capita, quæ ſacris canonibus, Romanorum Pontificum Conſtitutionibus minime congruerent, Simoniam redolerent, diſciplinam Eccleſiaſticam peſſumdarent, Epiſcopi jura menſamque imminuerent, ſubditorum onera magis magisque adaugerent, & nihilominus ad eorum obſervationem Neopræſulem jurisjurandi fide aſtringerent. Quin adeo nequaquam certis articulis veluti quadam Capitulatione firma perpetuaque contentos legimus Canonicos Capitulares, ſed novos ſemper novosque priſtinis ita ſuperaddidiſſe, ut Epiſcoporum Principum fortuna durior in dies fere ſingulos viſa fuerit. Rem hanc omnem Kreſſius querulo calamo ſequentibus exprimit in libro vom Archidiaconal-Weſen Cap. IV. §. III. dum ait olim non fuiſſe ſic; tunc enim capitulandi negotium adhibitum tantum fuiſſe

In denen Landes Weh und Wohl betreffenden Sachen eine Norm zu ſetzen, und dardurch eine auf das gemeine Beſte abzielende beſtændige Regierung zu erhalten.

Hodie vero in id capitulando collimare Electores,

Immer etvvas neues zu ſetzen, ſolches mit jedvveden Biſchoffs able-

ableben zu ænderen, und zu deſſen oder jener Privat-Nutzen dem ervvehlten durch das eingeführte particular-capitulieren eins nach dem anderen abzuzvvacken.

quo tandem (niſi peſſulum obducatur) fiet, ut tam jurisdictionalia quam Regalia Principis & Epiſcopi cum eodem Capitula habeant ſibi communia.

§. VII.

Lünigius plus vice ſimplici a nobis cum laude nominatus ea, quæ ex Kreſſio aliisque (de noſtro enim præcedente paragrapho diximus nihil) generaliter adduximus, variis illuſtrat roboratque exemplis. Capitulum Cathedralis Ratisbonenſis *Franciſcum Wilhelmum* Oſnabrugenſi Eccleſiæ jam ſpirituali connubio deſponſatum, anno 1641. in Coadjutorem ſui Epiſcopi poſtulavit, at ſimul ad bene multas conditiones, quarum quædam muneri & authoritati Epiſcopi haud parum derogabant, ſibi vero favebant plurimum obligavit. *Numero ſeu puncto ordine* XII. exigunt. Ne D. Franciſcus Wilhelmus Epiſcopatus *regimen* ingreſſus ullum Eccleſiæ ſuæ aut Prælatum, aut Canonicum; Capitularis ſit, an non, in majoribus conſtitutus aut in minoribus duntaxat, cujuscunque delicti reum carceri mancipet: ad nullum cogat omnino juramentum aut promiſſionem. Si quis Prælatorum aut dictorum Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis contra ſe Epiſcopum ſcelus attentarit aut admiſerit, quod illum coram Capitulo velut primo judicio convenire, accuſare, illique pœnæ, quam Capitulum reo dictaverit, acquieſcere velit. Quis non videt Epiſcopo his conditionibus jurisdictionem ſubtrahi contentioſam, ordinem & curſum intercidi judicialem, & peccandi impunitatem publico quaſi pacto conſtabiliri. *Numero XLI. ita* D. Coadjutor loquitur ac ſpondet: *Teſtamentum facere non poterimus citra Capituli voluntatem ac ſpecialem conſenſum, niſi caſſum & invalidum eſſe velimus.* Feſtum hic Burſale poſt mortem illius celebrandum indici haud obſcure dignoſcitur. Et quia Capitulum agnovit, his conditionibus jura Epiſcopi haud leviter violatum iri, *Numero* XLIII. & poſtremo adegerunt eundem in ſequentia ire:

Contra prædictorum articulum tenorem nec Romæ apud ſedem Apoſt. aut illius Nuntios, nec Romanum Imperatorem & ſæculares Principes aliquam abſolutionem, relaxationem, liberationem, gratioſam remiſſionem horum punctorum & incumbentium onerum illorum moderationem, vel quocunque modo ad noſtram voluntatem, commodum, tergiverſatio-

ſationem aliquam, præjudicialem interpretationem vel mutatum ſenſum, quicunque a Nobis excogitari poſſit, nec per Nos, nec alios obtineri faciemus; obtenta etiam talia, vel motu proprio conceſſa vigore bullæ Nicolai V. non acceptabimus, nec iis utemur, cum Nos omnibus ſimilibus, quæ Nobis ad prædicta non ſervanda prodeſſe poſſunt, taliter ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc reſignaverimus. Ratisbonæ die 9. Novembris 1641.

Ita Lünnigius Continuat. III. Spicil. Eccleſ. des teutſchen Reichs Archiv. fol. 1216. & ſeq.

§. VIII.

Magis quæſtuoſi fuere articuli, ad quos Archi-Capitulum Colonienſe Maximilianum Henricum, Comitem Palatinum Rheni & utriusque Bavariæ Ducem, quem in viventis & conſentientis Ser. & Rmi D. Ferdinandi Archiepiſcopi & Electoris, ejusdemque D. Maxim. Henrici Patrui Coadjutorem anno 1642. die 22. Februarii elegerat, compulit, & leguntur apud eundem compilatorem *loco cit. folio 569.* Sic autem habet *3tius articulus*: quod in conſilio Aulico velit præſidere cum uno alio ex gremio Capituli. *4tus*: velit cohortari D. Patruum ſuum, ut ad conſilia quartalia, ut vocant, duo ſpecialiter ex Capitulo veniant deputandi. *5tus*: ut reſtantes penſiones ex teloniis ſolvantur, & in futurum ſub ſtatis terminis Capitulo conſignentur. *6tus*: Inſuper ut reditus telonii Bethenſis vigore pactorum per officiatos Capitulo & eorum deputatos in termino præfixo absque mora tradantur, & officiales ad id novo juramento obſtringantur Capitulo. *9nus*: Nullam contra Capitulationes diſpenſationem obtinere, neque obtenta vel ultro conceſſa uti velit. Aliud paradigma idem Lünig exhibet parte II. Spicilegii Eccleſ. pag. 1050. Alii alia.

§. IX.

Quemadmodum autem Epiſcoporum Principum exceſſus Capitulis juſtam dedere anſam, eorum regimen intra certos limites coarctandi, ita quoque e converſo Capitulorum nimia hac in re audacia æquiſſimis Epiſcoporum querelis, & minime vanis aut in omnem partem leviſſimæ auræ flatu fluctuantis animi ludibrio efformatis conſcientiæ morſibus; adeo ut non pauci a ſupremo Chriſti in terris Vicario & capitulationum & juratæ fidei deſuper præſtitæ relaxationem petierint, de quibus cap. ſequenti agemus. Abuſum tam duris nexibus adſtringendi ſacros Præſules integra ſenſit inclytiſſima Natio noſtra Germanica, & in-

ter atrociora ſua gravamina Norimbergæ anno 1522. conſcripta retulit. Sic autem gravamine LXXI. queritur:

Und ervvœhlten die Thumherren der Thumſtifft keinen Biſchoff, desgleichen etvvan die Chorherren in den Collegiat-Stifften keinen zu ihren Prælaten, er habe ſich dan zuvor uffs hœchſte mit Eyden obligirt, und dermaſſen gegen ihnen verpflichtet, das er ihnen oder ihren geſetzten Richteren und Officialen (ob er ſonſten darzu geneigt vvære) ihr beſchvverlich und unbillig Fürnehmen und Handlung nicht vvenden, auch ſie ſelbſt um ihre Uberfahrung nicht ſtraffen vvolle. Das denn ohne Zvveiffel nicht eine kleine Urſach viel unziemlicher Miſsbrauche der Stifften iſt, und von Päbſtlichen Stuhl billig nicht gedultet &c.

Hoc ipſum Hortlederus refert Lib. I. Cap. I. von Urſachen des Teutſchen Kriegs.

§. X.

Haſce tam Epiſcoporum quam Nationis Germanicæ univerſæ querelas præ omnibus cæteris Germaniæ noſtræ Capitulis Archi- & Epiſcopalibus Illuſtriſſimum Ducale Wirzburgenſe juſtas pro divina propemodum ſua, qua Reverendiſſimi Ejusdem Canonici ac potiſſimum Prælati ſingulari Numinis providentia omni ævo præditi fuere, ſapientia, æquitatis amore, diſciplinæ Eccleſiaſticæ zelo, dignitatis Epiſcopalis & Ducalis conſervandæ ſtudio agnovit, illisque cogente & impellente nemine uno (quæ immortalis clariſſimi nominis laus) finem imponere cogitavit, voluit, decrevit, ſolemnique formula, quam recitat Lünnigius *loc. cit. pag. 1052* quod cogitavit, voluit, ipſa re præſtitit. Sic autem formula vernaculo idiomate habet:

Damit dan auch der Stifft bey ſeinen Kræfften und gutem Eſſe conſervireth und erhalten, auch durch dergleichen alienationes und Beſchränckungen der Cammer-Gefæll einem zeitlich Regierenden Fürſten und Herren dem Stifft und gemeinen VVeſen die Mittel nicht entzogen vverden mögen... So ſollen vvir Dhomb-Probſt, Dhomb-Dechand, Senior und Capitul uns, unſere nachkommende nun hinführan

führan zu evvigen Zeiten, ſo offt es ſich begeben vvürde, das ein Regierender Biſchoff zu Wirzburg und Herzog in Francken Todts verblieche, *ſede vacante* nicht macht haben, einen künfftigen Succeſſorem und Ordinarium in denen Capitulationen mit dergleichen alienationen und Entziehungen der Cammer-Gefælle zu beſchvvehren, und uns ſelbſten zu appropriiren, und unſere am Capitul nachkommende, auch deſſen Fürters allerdings und bey Pflichten und Eyden, damit vvir dem Stifft und der Kirch zugethan ſein, ſich enthalten. Da auch dergleichen ſchiers künfftig (ſo doch nicht ſein ſoll) es geſchehe unter vvas Pretext, Vorvvand und Nahmen oder Behelff es immer vvolle, vorgenommen vverden ſolte, ſolches hiemit und in Krafft dieſes Brieffs caſſiret, und aufgehoben, auch null und nichtig und kein Succedens Epiſcopus zu deſſen Obſervanz oder Genehmhaltung (non obſtante etiam juramento corporaliter præſtito, pacto, conſuetudine, ſtatuto, præſcriptione vel quavis alia conventione) verbunden ſein ſolle.

CAPUT III.

Antidota ab Epiſcopis contra Capitulationum exceſſus quæſita et inventa.

§. I.

Prædictis Canonicorum Capitularium in variis Eccleſiis conatibus atque Epiſcoporum ea de cauſa motis propoſitisque querimoniis Univerſalis Eccleſiæ Paſtores, Jesu Chriſti in terris Vicarii Romani Pontifices excitati pro Apoſtolici muneris ſui ratione omni fere ſæculo, quo illa ſtudia fervebant, ſuas oppoſuere conſtitutiones, in quibus Capitulantium iſtiusmodi pacta, (quatenus SS. Canonibus, juribus & menſis Epiſcopalibus, Reipublicæ ſaluti &c. adverſabantur) tanquam illicita & inhoneſta rejiciebant, irrita & omni robore deſtituta voluerunt, juramenta inſuper illis adjecta caſſarunt, Epiſcoposque, qui illa præſtiterant, ab omni eorundem obſervatione pro ea, qua divinitus inſtructi ſunt poteſtate, liberos pronuntiaverunt. Omnium primo id feciſſe legitur In-

nocentius III. anno 1204. relatus cap. *ſicut noſtris.* 27. ✠. *de jurejurando.* Res iſta geſta eſt: Canonici Eccleſiæ Tudertinæ vacantis juramenta quædam in damnum Epiſcopalis juris fecerunt, ex quibus præſertim contingeret, Epiſcopales reditus minorari; Ruſticus ſingularis prudentiæ vir ejusdem vacantis Eccleſiæ Canonicus in ejusdem Epiſcopum eligentium ſuffragiis poſtea aſſumptus Innocentio factum propoſuit, & qui ſe gerere debeat, conſuluit: Qui pro paterna ſollicitudine ſaluti illius providens pro juratione incauta imponi fecit ei pœnitentiam per Amalienſem Epiſcopum, juramenta vero præſtita & contra Eccleſiaſticam utilitatem attentata veluti perjuria haberi caſſarique mandavit.

§. II.

Innocentii veſtigia ejusdem ſpiritus Apoſtolici vigore animatus preſſit Nicolaus III. anno Chriſti 1278. cujus conſtitutio legitur Capitulo *Cum contingit I. titulo eodem de jure jur. in 6.* In generali hac conſtitutione narrat: Contingere in nonnullis Eccleſiis de earum conſuetudine obſervari, quod nec ipſarum Prælati (cum primum ad Eccleſias accedunt) admittantur, *nec Canonici* (cum de recipiendis ibidem novis Canonicis agitur) aliter recipiantur in ipſis, niſi jurent ſtatuta & conſuetudines ipſarum Eccleſiarum, ſcripta & non ſcripta inviolabiliter obſervare: in illis vero ſtatutis & conſuetudinibus interdum aliqua reperiri illicita ſeu impoſſibilia vel obviantia Eccleſiaſticæ libertati. Dein animarum periculis obſiſtere cupiens (ne ſub tali generalitate jurandi ſic jurantibus peccandi occaſio præbeatur; cum juramentum non fuerit, ut eſſet iniquitatis vinculum, inſtitutum) præcipit *1mo*, a ſcientibus illicita & libertati Eccleſiaſticæ obviantia in ejusm. conſuetudinibus contineri, juramenta aliquatenus non præſtari. *2do.* Si vero præſtita fuerint aut impoſterum præſtanda generaliter cum intentione etiam illicita & Eccl. libertati obviantia obſervandi (quæ quidem a ſcientibus ea intentione absque divinæ Majeſtatis offenſa præſtari nequeunt) minime ſervanda: quin potius *3tio.* Ad obſervanda duntaxat licita, poſſibilia & non obviantia libertati Eccl. jurantium ferri debeat intentio: quæ duo poſtrema capita denique declarat definitque; videl: juramenta generaliter emiſſa ad licita & libertati Eccleſ. non obviantia tantum extendi; ipſosque jurantes ad alia per præſtationem juramenti hujusmodi non teneri.

§. III.

Hanc Nicolai III Conſtitutionem confirmavit, auxit, pœnisque exaſperavit Gregorius XIII. per bullam: *Inter Apoſtolicas.* anno 1584. editam; quæ legi poteſt apud Cherubinum Laërtium in Bullar. Magn. Rom. tomo 2do. In hujus bullæ §. III. a ſanctitate vitæ, paſtorali ſollicitudine, doctrina & prudentia omnibus commendatiſſimus Pontifex in hæc verba loquitur.

Præci-

Præcipimus & interdicimus Prælatis Canonicis & aliis, nec non eccleſiarum Capitulis & monaſteriorum Conventibus, & perſonis quacunque dignitate præditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impoſſibilia, damnoſa vel libertati Eccleſiaſticæ aut decretis Concilii Tridentini obviantia, ſive ante, ſive poſt electiones, confirmationes, proviſiones, receptiones, admiſſiones aut alios actus, ubicunque, quocunque tempore, etiam prætextu cujusvis conſuetudinis, quantocunque tempore obſervatæ, quæ potius corruptela eſt cenſenda, ſive in genere, ſive in ſpecie præſtare, reddere vel exigere; neve ſuper præſtitis redditis vel exactis hucusque quenquam in judicio vel extra judicium inquietare audeant quovismodo vel turbare. Illos enim, qui juramenta illicita impoſſibilia damnoſa vel Eccleſiaſticæ libertati, aut decretis dicti Concilii obviantia exigere contenderint, Epiſcopos videlicet & alios quoscunque Pontificali dignitate præditos ſuſpendimus a divinis; Capitula vero & conventus eorumque Eccleſias & loca omnia interdicto Eccleſiaſtico ſupponimus, ac ſingulares perſonas excommunicationis ſententia innodamus, inhabilesque facimus ad obtenta &c. In idem collimat Bulla S. Pii V. *Durum nimis.*

§. IV.

Romanis Pontificibus conſenſit Sebaſtianus Eminentiſſimus Archipræſul & Elector Moguntinus in Concilio, quod Moguntiæ in aurea ſua Metropoli anno a partu Virginis 1549. in fidei morumque cauſis congregavit; in eo *Capit. 87.* uti refert Harduinus *tomo IX. Conciliorum pag. 2135. A.* ita conſtituiſſe legitur:

Nos igitur crebram illam juramentorum exactionem in Capitulis, ſi non injuſtam, certe ut periculoſam cenſemus coarctandam. Injuſta vero & illicita juramenta, per quæ nonnunquam via debitæ correctionis præcluditur, & Prælati a promovenda Eccleſiarum ſuarum diſciplina & utilitate impediuntur, omnino tolli debent. Et Nos cum ſancta ſynodo [redacted]

que Præſuli ſeu Coadjutori & Capitulo qualecunque gravamen illatum, jurisdictionique & Libertati Eccleſiaſticæ quoquomodo præjudicatum fuiſſe, eſſe & fore unquam prætendi vel cenſeri, & ne unquam quovis temporis curſu, aut ex quacunque illa, quantumlibet cauſa prædictas Capitulationes fuiſſe per Nos & ſedem Apoſtolicam approbatas allegari, & beneplacitum Apoſtolicum deſuper acceſſiſſe, unquam præſumi poſſit, pro paſtorali Noſtra ſollicitudine providere volentes, ac earundem Capitulationum tenores pro plene expreſſis habentes, *motu proprio ac ex certa ſcientia* maturaque deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex voto etiam Congregationis (Cardinalium) omnes & ſingulas Capitulationes prædictas nullas ac prorſus invalidas, nulliusque roboris & momenti fuiſſe, eſſe & ſemper fore, adeo, ut nullum omnino ſortiri poſſint aut debeant effectum, æque ac initæ, factæ, juratæ vel conceptæ nunquam fuiſſent, tenore præſentium declaramus, illasque pro non factis, nec interpoſitis haberi volumus.

Id ipſum fere Alexander VII. in ſimili Capitulationis Epiſcopo Wratislavienſi præſcriptæ negotio fecit, & jam anno 1413. feciſſe Joannem XXII. memorat Ludewig cit.

§. VI.

Mirantur hic ſummopere, neque mirari ſe ſatis poſſe profitentur Proteſtanticarum factionum ſcriptores, ſuæque in Romanos Pontifices pertinacis inobedientiæ patrocinium inveniſſe ſe credunt, quod adhuc Eccleſiaſtica & Romano-Catholica Cathedralium & Metropolitanarum Collegia detur invenire, quæ non obſtantibus, imo neglectis ſpretisque tum memoratis tum aliis, quæ brevitatis ſtudio præterivimus, ſummorum Pontificum edictis, conſtitutionibus mandatisque, quaſi illa ad ſe nihil pertinerent, novos Antiſtites a ſe eligendos aut recens electos Capitulationibus, quæ rejectis nihilo mitiores, aut iis interdum pejores durioresque inveniuntur, etiam ſub jurisjurandi religione aſtringere & obligare pergant. Graviſſima ea res accidit Neoelectis Præſulibus, libera ſua, ſuæque Eccleſiæ jura ad SS. Canonum, ad Conciliorum decreta, ad Legum Apoſtolicarum & Papalium Reſcriptorum normam deſiderantibus: novas proinde illi querelas per Nuntios Apoſtolicos, per ſuos, quos vocant, A-

gentes, per ſe ſe ipſi apud ſanctam Sedem, maxime Innocentium XI. anno 1677. moverunt, proponentes: Capitulationes præſcribi Neoelectis Epiſcopis ſolitas Canonibus antiquis ac recentibus S. Sedis conſtitutionibus etiamnum adverſari: illisque ſummum tam jurisdictioni, quam reditibus menſæ Epiſcopalis, Ærario Principis, maxime vero Regalibus per inveſtituram Cæſaream ſoli Epiſcopo-Principi pro tempore exiſtenti privative collatis, præjudicium & damnum, vilipendium vero dignitati & prælaturæ nedum inferri, ſed etiam omnia hujusmodi jura ac privilegia in Capitulum mediatum & minime ex ſe a jurisdictione Epiſcoporum exemptum transferri: & capitula non tantum nihil de prioribus ex menſa Epiſcopali ſucceſſive decerptis fructibus & emolumentis, neque de Regalibus, aut aliis juribus uſurpatis remittere, ſed etiam eosdem jure, ut ajunt, Capitulationis acquiſito, ſibique debito, in ſuum privatum commodum retinendo, inſuper Neoelectos per idem Capitulationis vinculum in actu electionis ad nova onera unicuique Canonicorum Capitularium de reditibus Epiſcopalibus præſtanda obligare. Quapropter dura neceſſitate preſſi Capitulationum juramentorumque remiſſionem iteratis precibus efflagitandam ſibi duxerunt.

§. VII.

Cauſa interea nihil apud ſedem Romanam profecit, donec aliis aliisque querimoniis noviter ad dignitates Epiſcopales promotorum adjuvaretur; tunc enimvero, veluti ignis ſub cineribus deliteſcens, & ſæpius repetitis inſufflaminibus laceſſitus animatusque, in pertinaciſſimæ litis flammam & commune longe lateque graſſans incendium ſub Pontificatu Innocentii XII. erupit. Ille enim hanc graviſſimi momenti cauſam tribus maximi nominis, & perſpicaciſſimi ingenii Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Sacri Concilii nuper Tridentini in urbe habiti Interpretibus diſcutiendam dedit, qui ſecretis calculis anno a nato Salvatore 1692. decreverunt:

Quascunque capitulationes hucusque ſede vacante, ante vel poſt electiones factas, & juramento a Neo-electo firmatas eſſe irritandas de ſcitu Auguſtiſſimi Imperatoris a D. Nuntio Viennenſi deſuper informandi.

Ne autem arduum adeo negotium trium virorum ſaltem judicio ſtaret, Innocentius ſapientiſſimus Pontifex tres alios addidit, qui die 29. Martii anni 1694. iterum inter ſe concordibus calculis convenerunt:

Omnes

Omnes Capitulationes, Conventiones, Concordata & juramenta ſuper eisdem interpoſita eſſe caſſanda.

Quod quidem Decretum Leopoldo M. Imperatori per Nuntium Pontificis prævie exhibitum ſingulari Decreto die 9. Februarii 1695. Auguſtus habuit ratum.

§. VIII.

Dum Epiſcopi coram Papali commiſſione rem ſuam ſtrenue agerent, otioſa minime fuerunt Cathedralium & Metropolitanarum Eccleſiarum in Germanico Imperio Capitula, ſed de conſervando capitulandi jure, quo multorum ſæculorum curriculis non ſine rationum ſuarum commodo & incremento gnaviter uſa fuerant, tuendo firmandoque ſerio cogitarunt: quare dato veluti ſigno admonita ad commune incendium ſuo bono reſtinguendum concurrerunt: Litteras ſumma exaratas humilitate, Libellos ſupplices filiali confidentia plenos, ſingula ſingulos, ad ſanctiſſimi Patris venerandos pedes poſuerunt, in quibus vacillantem ſuam cauſam contra Epiſcopos Principes jam factos animoſiores ſuæ Sanctitati enixe commendabant, multivarias rationes & momenta, quin adeo exempla ex Conclavi S. R. E. Cardinalium deprompta ad rem ſuam adjuvandam adduxerunt. Literas plurimorum Capitulorum repræſentat ſæpiſſime laudatus Lünnigius in ſuis ſcriptis illuſtribus, quæ nobis ad manus non venerunt, & quidem Moguntini pag 534. Salisburgenſis pag. 533. Hildeſienſis pag. 534. Bambergenſis pag. 535. Conſtantienſis pagina eadem. Trevirenſis pag. 536.

§. IX.

Præcipua argumenta, in quæ omnium ſtudia conſpirabant, queisque ſuam tuebantur cauſam, fuere ſequentia. Ac *1mo* quidem veluti Achillem objiciebant antiquiſſimum morem & conſuetudinem immemorialem, qua per plurimorum ſeculorum periodos capitulandi jure in Epiſcoporum electionibus uti conſueverint. de quo diximus capite I. *2do*. Allegabant ſummam Capitulationum neceſſitatem, ne Epiſcopi Principali potentia cum Epiſcopali individue connexa male abuterentur, & ita variis illecebris inducti in laqueos incidant diaboli. *3tio*. Afferebant inſignes utilitates, quæ ex Capitulationibus, & quibus illæ confirmarentur, Sacramentis in provincias, Epiſcopatus, Eccleſiam denique Catholicam univerſam redundarent. *4to*. Contendebant, Canones, Conſtitutiones & Decreta, quibus Romani Pontifices Capitulationes cum Epiſcopis & Prælatis eligendis aut electis initas tam vehementer impugnabant, & e medio ſublatas volebant, gravare antiquam Eccleſiarum Germaniæ libertatem, adeoque non amplius obſervandas eſſe.

peratori vero Auguſto: quod principatus aliaque, quibus inveſtiti ſunt Imperii feudis, integra cum omnibus juribus ſalvaque velint conſervare. II. Cedere illa in perpetuum damnum & vilipendium jurisdictionis Epiſcopalis & Dignitatis: cum perſonæ ſubjectæ Epiſcopi foro per capitulationes eidem ſubtrahantur; aut ejus juris dicundi poteſtas tot limitibus circumſcribatur & coarctetur, ut quæ jure communi illi competant, exercere prohibeatur, ſicque & ſacra illa facultas vilipendi, & vitia ac ſcandala, quibus medendo jam non ſit, ſuccreſcere neceſſum ſit. III. Tolli per ejusmodi pacta indirectis ſaltem modis Epiſcopatus Principalis Regalia, reditus, bona menſæ Epiſcopalis, quorum partem Capitula in ſe derivent. IV. Neo-Electorum conſcientias multum aggravari iisdem, dum jurare coguntur ſuorum jurium Epiſcopalium diſtractiones, partitiones, obligationes, quas conſtat veras eſſe alienationes; quæ per receptas & continuo perpetuoque uſu firmatas leges Eccleſiæ æque parum absque ſolemnitatibus conſuetis (quas inter Pontificis Romani tanquam univerſalis ſingularum Eccleſiarum jurium cuſtodis conſenſus) Epiſcopo competant, quam parum juramenta ſuper ejusmodi illegales irritatasque diſtractiones præſtita robur aliquod habere queant; cum per notoria juramentum iniquitatis vinculum eſſe, & ad illicita turpiaque jurantem obligare nequeant. V. Denique id genus Capitulationes, Conventiones ſapere tot legibus canonicis damnatam Simoniam, propria, ad lucrum Burſale Electorum ſpectantia commoda &c.

§. XII.

Tantum iſta, quæ modo adduximus, Epiſcoporum argumenta Innocentio XII. momenti habere viſa ſunt, ut neglectis tot Rmorum ac Illuſtriſſimorum vaſtiſſimæ Germaniæ Capitulorum litteris, libellis ſupplicibus, rationibus notiſſimam ſolemnemque Bullam, quæ incipit: *Eccleſiæ Catholicæ:* ad tollendum illicitarum Capitulationum abuſum die XXII. menſis Septembris anno ab orbis redemptione MDCXCV. Pontificatus ſui V. ediderit. In ea ſanctiſſimus Pater 1mo gravem animi dolorem ſignificat, quem ex quam plurium, ac præſertim nonnullorum venerabilium Fratrum Archi- & Epiſcoporum, querelis ad Apoſtolatum ſuum delatis accepit, quod

Adeo creverit tam ſalutarium legum transgreſſorum impudentia, ut non deſint, qui ſive avaritiæ improbo affectu, ſive ambitioſo Eccleſiaſticorum graduum cupiditatis conſilio ducti ſacras ipſas electiones, quas ſanctiſſimi Eccleſiæ Canones, omni prava pactione ſubmota, peragi tam diſtricte præcipiunt, illicitis injuſtis ac per tot Apoſtolicas ſanctio-

nes reprobatis conventionibus per Electos, quicunque illi ſint, obſervandis; quibus canonica Præſulum jurisdictio ut plurimum circumſcribitur, vacantium Eccleſiarum jura læduntur ac ipſius etiam Apoſtolicæ ſedis Authoritas interdum violatur, temere inquinare ſatagant, atque ita abominationem deſolationis in ſanctuarium invehere, ſacrasque Eccleſiæ Dignitates, ad quas olim nonniſi ex perſecutionum tolerantia aſcendebatur, in turpem quæſtum, ac tenebrarum negotium commutare minime vereantur, non ſine graviſſima Eccleſiaſticæ diſciplinæ perturbatione, fidelium ſcandalo, ac ſalutis animarum detrimento.

§. XIII.

Dein muneris ſibi a Domino impoſiti officio, vi cujus libertatis jurisdictionis aliorumque jurium Eccleſiaſticorum aſſertor conſtitutus *ſit, ſatisfacturus*, & abuſus quoscunque circa Capitulationes & deſuper præſtita juramenta introductos e medio tollere, illisque in futurum omnem anſam præcidere, nec non animarum periculis occurrere cupiens, poſt habitam ſuper iisdem cum particulari congregatione Venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trid. interpretum, qui rem mature diſcuſſerint, diligenti deliberatione, de illorum Cardinalium conſilio pariter & aſſenſu, ac etiam motu proprio & ex certa ſcientia ac matura deliberatione, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia & ſingula, a Nicolao, Pio & Gregorio prædeceſſoribus conſtituta, ordinata, interdicta, decreta & declarata; expeditasque deſuper illorum conſtitutiones ſeu literas tenore præſentium perpetuo approbat, confirmat, & innovat, illisque perpetuæ atque irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, patrocinium & præſidium adjicit. Utque firmius atque inviolabilius de cætero iſta obſerventur, ultra omnes & ſingulas pœnas in prælaudatis conſtitutionibus ſeu literis impoſitas privationis Dignitatum, Canonicatuum, & præbendarum obtentarum perpetuæque inhabilitatis ad illa & alia quæcunqne quomodolibet obtinenda, pœnas per contrafacientes ipſo facto, absque alia declaratione incurrendas adjungit.

§. XIV.

Innovatis confirmatisque Nicolai III. Pii V. & Gregorii XIII. conſtitutionibus exaſperatisque pœnis porro conſtituit Innocentius in hac ipſa Bulla:

Ad penitus extirpandum atque evellendum abuſum capitula-

tio-

tionum, pactionum, conventionum, concordatorum, ſeu ſtatutorum quorumcunque, quæ perperam & adverſus ſacrorum Canonum & conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitionem, occurrente Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Cathedralium & Metropolitanarum ſeu monaſteriorum quorumvis vacatione, ab iis, ad quos electio perſonarum idonearum, ipſis Eccleſiis & monaſteriis ad electionem hujusmodi reſpective præficiendarum... legitime ſpectat, ſive ante, ſive poſt electionem prædictam interdum iniri, condi aut fieri conſueverunt, motu ſcientiæ, deliberatione & poteſtatis plenitudine paribus earundem tenore præſentium omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, cujuscunque ſtatus, ordinis, conditionis, præeminentiæ vel dignitatis fuerint, ſub eisdem omnino pœnis ſuperius expreſſis (quarum abſolutionem ſeu relaxationem Nobis & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti duntaxat ſpecialiter reſervamus) diſtricte prohibemus & interdicimus, ne capitulationes, pactiones, conventiones, concordata ſeu ſtatuta hujusmodi ante ipſam quidem Electionem, ſeu etiam poſtulationem de cætero inire, condere, aut facere audeant quovis modo, ſeu præſumant; illaque proinde, quatenus de facto contra præſentis noſtræ prohibitionis formam inita, condita, ſeu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribusque & effectu penitus & omnino vacua, ac nullius roboris & momenti eſſe & perpetuo fore, neminemque; ad illorum, ſeu cujuslibet eorum; etiamſi juramento vallata ſint, obſervantiam teneri aut obligatum exiſtere vel fore decernimus & declaramus. Qua vero electione ſeu poſtulatione ſecuta quomodolibet iniri condi ſeu fieri contigerit, ad Nos, ſeu eundem Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem quamprimum deferri, atque ita Noſtro & ſedis Apoſtolicæ judicio ſubjici præcipimus, ſuſpenſa interim eorum omnium & ſingulorum executione, donec & quousque ab eadem

dem ſede, ſine cujus authoritate nihil omnino in ſimilibus fas eſt, Apoſtolicæ confirmationis robur in totum vel in partem receperint.

§. XV.

Tandem ſub conſtitutionis ſuæ finem Sanctiſſimus Pontifex ſeveriſſime prohibet, præſentes ſuas literas a quocunque, ex quacunque cauſa, etiam juridica & privilegiata, colore, prætextu & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ & totalis læſionis, ſub- vel ob-reptionis, nullitatis vitio aliove quolibet etiam, quantumvis magno ſubſtantiali ac incogitato & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, ſeu in controverſiam vocari; ſed graviter jubet, illas firmas validas & efficaces exiſtere & fore, ſuosque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter & inconcuſſe obſervari: ſicque & non aliter per quoscunque judices quacunque præeminentia & poteſtate fungentes & *functuros*, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari debere: irritumque & inane eſſe; ſi ſecus ſuper his a quopiam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula *de jure quæſito non tollendo*, aliisque Apoſtolicis & in Conciliis editis conſtitutionibus & ordinationibus, nec non Eccleſiarum & Monaſteriorum quorumvis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam immemorialibus: Privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, eisdem Eccleſiis, Capitulis, ſub quibuscunque verborum tenoribus & formis ac cum quibusvis clauſulis & decretis irritantibus etiam approbatis & innovatis, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ac conſiſtorialiter conceſſis.

§. XVI.

Bullam iſthanc Innocentianam Nuntius Apoſtolicus, qui Viennæ reſidere ſolet, Auguſtiſſimo Imperatori Leopoldo M. morem antiquum utriusque curiæ Papalis & Cæſareæ ſecutus, exhibuit, qui illam die 22. Septemb. 1694. ſequentibus verbis probavit & amplexus fuiſſe ſcribitur apud Lünnig. pag. 528.

Quod ſicuti ſacra Cæſarea Majeſtas omnino confidat, modo dictam Bullam ad mere Eccleſiaſtica & Spiritualia directam,

ſtam, nec quidquam Cæſareis ſuis, ſacrique Imperii juribus, ut & Concordatis Germaniæ contrarium in eam inſertum, ita Eadem quoque pro Cæſarei muneris ſui ratione laudabilem hanc & paternam Sanctitatis ſuæ in Eccleſiæ bonum ſollicitudinem protectura ſit.

§. XVII.

Eidem Innocentianæ Conſtitutioni acriter inſtitit, qui illam ſumma cura concepiſſe traditur Joannes Franciſcus Albanus Cardinalis, quando poſtea ſub Clementis XI. nomine univerſali præfuit Eccleſiæ. Ita enim in Conſiſtorio ſecreto Romæ habito die XVIII. Septembris 1713. in confirmatione electionis Raymundi Ferdinandi ex Comitibus de Rabatta in Epiſcopum Paſſavienſem factæ peroraſſe legitur:

Authoritate omnipotentis Dei, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ac Noſtra confirmamus & approbamus electionem factam a Capitulo & Canonicis Eccleſiæ Paſſavienſis, eidemque Eccleſiæ providemus de perſona Raymundi Ferdinandi, præficientes eum dictæ Eccleſiæ in Epiſcopum & Paſtorem; prævia tamen caſſatione, rejectione & abolitione Capitulationum ſeu pactionum ab eisdem Capitulo & Canonicis ante ipſam electionem cum reſervatione Apoſtolicæ confirmationis initarum, & per eorum quemlibet juramento vallatarum; quas propterea juxta formam noviſſimæ conſtitutionis Innocentii XII. Prædeceſſoris noſtri die 22. Septembris anno 1695. hac in re editæ, quæ incipit: *Eccleſiæ Catholicæ*: ne ex quovis temporis lapſu, aut ex quacunque alia cauſa tacite vel expreſſe per Nos, & ſedem Apoſtolicam approbatæ ſeu confirmatæ cenſeri vel præſumi unquam poſſint, diſerte & expreſſe nullas, irritas & invalidas viribus & effectu penitus & omnino vacuas, ac nullius roboris & momenti eſſe & perpetuo fore, neminemque ad illarum, ſeu cujuslibet earum obſervantiam teneri, aut obligatum exiſtere vel fore, perinde ac ſi nunquam factæ initæ aut ju-

ratæ fuiſſent, declaramus; ac tam ipſi Raymundo Ferdinando electo, quam omnibus aliis quodcunque juramentum de obſervandis Capitulationibus ſeu pactionibus hujusmodi ab eis, ut præfertur, præſtitum, quatenus opus ſit, relaxamus. Vid. ejusdem Clementis XI. oratio Synodal. 52. fol. 99. edit. Francof. anno 1729.

§. XVIII.

En tibi hiſtoriam Capitulationum, originem, cauſas, exceſſus in iis ſæpius & a multis admiſſos, denique & remedia, quæ malo huic medendo ſupremi Eccleſiæ paſtores adhibuerunt per ſuas conſtitutiones. His nonnulli nimium rigorem ſequentes omnes omnino Capitulationes ſublatas clamitant, quod ſede vacante quicquam immutare vetitum ſit: at clamore incondito: Gregorius enim, Pius, & Innocentius illa ſolummodo pacta prohibent, damnant, irritant, quæ illicita ſint & injuſta, quæ libertati Eccleſiaſticæ obvient, vacantium Eccleſiarum jura lædant, Præſulis eligendi jurisdictionem, regalia, menſæ reditus imminuant, atque ipſius etiam Apoſtolicæ ſedis authoritatem interdum violent. Quæ vero conventiones & Capita futurum Epiſcopum officii ſui commoneant, obligentque ad ea, quæ illi ratione muneris paſtoralis ex SS. Canonum & decretorum Eccleſiaſticorum normam incumbunt, quæ vitia tollant & ſcandala, foveant pietatem & juſtitiam, diſciplinam reſtituant juventque Eccleſiaſticam; tantum abeſt, ut vetent damnentve, ut vel maxime etiam commendent, & veluti commonitoria, informationes, ac repræſentationes, ſecundum quas Neolectus regimen ſuum moderetur, eſſe velint. Neque hiſce vel minima culpa in famoſas juris canonici regulas: *Ne ſede vacante aliquid innovetur: Ut beneficia Eccleſiaſtica & dignitates ſine diminutione conferantur*, admittitur; cum immutatio non fiat, qua Capitulum jurisdictionis & poteſtatis Epiſcopalis partem inique uſurpet, ſed quod in ea explenda a prædeceſſore defuncto prætermiſſum fortaſſis fuerat, id omne ab eligendo redintegretur, quod ipſum præſtare ille deberet, ſi ejusmodi piæ conventiones inter Capitulum & eligendum celebratæ nulla ratione fuiſſent. Graviſſime vero in prælaudatos peccari canones, ſi pacta conventa de bonis, rebus, juribus ſacris profanisque Eccleſiæ & Epiſcopi portionem in Capituli gremium aut ſingulorum arculas devolvant, nemo eſt, qui non videat. Neque Capitulum, neque eligendus jus habent de bonis Eccleſiæ vacantis, quæ jam pupilli, defenſore juſto carentis vicem ſubiit, paciſcendi; cum illa ſint aliena, de quibus paciſci non licet: Nec ab electo præſtitus poſtea etiam cum Sacramento conſenſus pactis illis robur adjicit & valorem; præterquam enim quod tractu temporis firmari per regu-

regulam 18. in 6. non queat, quod de jure ab initio non ſubſtitit: Neo-Electus id genus pactis aſſentiendo aſſenſuque ſuo ratihabendo bonorum juriumque Eccleſiæ, ſedisque Epiſcopalis, quarum ipſe prudens & fidelis adminiſtrator, non Dominus; partem alienaret; quod ipſum ſine Romani Pontificis, & ſi de Feudis Imperii Regalibusque ſermo ſit, Rom. Imperatoris conſenſu aliisque ſolemnitatibus, tametſi evidens Eccleſiæ utilitas aut neceſſitas adeſſet, facere non poſſe ne tyronibus quidem ignotum eſſe ſcimus.

§. XIX.

Quidſi autem tractatus, pactum, capitulatio, de qua merito dubites, num in Eccleſiæ & ſedis Epiſcopalis bonum cedat, cum jam Electo ineatur? valor illius in ſuſpenſo erit, quoad a Romano Pontifice prævia facta rei cognitione fuerit approbata, aut ab Imperatore confirmata, ſi de rebus, quæ eo pertinent, pacta verſentur. Ita Innocentii Bulla jubet.

§. XX.

Quæris: Num Illuſtriſſima Cathedralium & Metropolitanarum in Germaniæ finibus Capitula hanc, quam modo laudavimus, Innocentii Bullam apud ſe vigorem conſequi paſſa ſint, adeo, ut jam illicitarum, rejectarum, atque Eccleſiarum Epiſcoporumque juribus, menſæ reditibus obviantium Capitulationum negotia penitus ſublata ſint; an vero ſacra illa Collegia ſuis nixa conſuetudinibus longiſſimo annorum uſu continuatis pergant, ea ſibi ſuisque commodis privatis ſtipulari, quæ huic Innocentianæ ſanctioni adverſantur? Difficillima ſane hujus quæſtionis retolutio non nobis duntaxat, ſed ſapientiſſimis etiam quibusque videatur neceſſe eſt. Etiamnum præſcribi Capitulationes publica fama loquitur, & nemo inficiabitur, aut de rei veritate dubitabit: quæ autem earundem hodie ratio ſit, ingenue fatemur nos ignorare; cum in publicam, uti olim, lucem typo haud prodeant, ſed veluti *Domus arcana* extraneis occultari, ſolisque Electo ac Electoribus innoteſcere ſoleant. Quod vero ad conſuetudinem attinet: Si ea *ſolummodo facti* ſit, nulla ei annorum aut ſæculorum diuturnitas patrocinabitur, *cum* Gregorii IX. cap. fin. de conſuet. ſententia proborum omnium judicio & Canoniſtarum elogio approbata, *tanto ſint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam; nemo ſanæ mentis intelligit, juri (cujus transgreſſio periculum ſalutis* toties quoties *inducit) quacunque conſuetudine (quæ dicenda eſt verius in hac parte corruptela) poſſe aliquatenus derogari.* Sin vero ea conſuetudo *ſimul & juris* fuerit, recte & ſine animæ periculo illi inſiſtetur: Erit enim vero, ſi *1mo* ſit rationabilis, per *L. 1. C. quæ ſit longa conſuetudo. cap. fin. cit. 2do.* ut ne contra inſtituta canonica obviet. *nam*

734. ait *Laurentius Frieſe in Chron.*: Als ſie mancherley Geſtalt rathſchlagten, wie hinführo eine Regirung im Stifft vorgenommen werden ſollte, und doch einmüthiglich nichts beſchliſſen konnten, machten ſie einen Ausſchus erſtlich aus den Praelaten, 2, aus den Graven und Herren ꝛc. 3. aus dem Capitel ꝛc. die ſaſſen zuſammen und machten einen neuen Vertrag und Ordnung, welcher maſſen das Stifft hinführo zu ewigen Zeiten regiert werden ſollte ꝛc. Haec fide *Buderi* reciro, apud quem alia quoque §. XVIII. deprehendes. Adde STRUBEN Nebenſtunden. 1. Theil. 1. Abhandlung. §. VII.

manifeſta idem de Regibus et Imperatoribus Carolingicis oſtendant; iidemque obligare ſeſe debuerint ad *Capitula progenitorum ſuorum de Regno et Eccleſia conſervanda tuendaque* apud de MÜNCHHAUSEN *de Capitulat. perpet. Cap. I. §. XII.*, non deſunt ex Hiſtoria Imperii noſtri exempla, ubi ante *Carolum V.* jamdum in certa capita conventum eſt ante electionem cum Imperii Candidatis. Hoc modo *Rudolphus Suevus* electus contra *Henricum IV.* promittere debuit, ſeſe Imperium in ſua familia haereditarium non effecturum, liberasque Epiſcoporum et Abbatum electiones permiſſurum. HAEBERLIN *Tom. 1. f. 226.*, et LAMBERTUS SCHAFNABURG. *ad ann. 1075. 1076. 1077.*, PAULUS BERNRIEDENSIS in vita *Gregorii VII. C. 95. in* MURATORII *Script. rer. ital. Tom. 3. Part. 1.*, et alii apud eundem HAEBERLIN *Hiſt. l. cit. f. 307. Rupertus* ante electionem Electoribus Eccleſiaſticis ad ſequentia ſeſe capita adſtrinxit: quod *1.* privilegia illis ſua confirmare vellet *2.* rem Eccleſiae tempore videlicet illo fatali ſchiſmatis ſibi quam maxime commendatam habiturus eſſet, Electorumque conſiliis malo remedium quaeſiturus. *3.* Nominationem *Johannis Galeacii* in Ducem Mediolani irritam pronuntiaturus, aliasque in Italia terras ad Imperium revocaturus. *4.* idem facturus ratione Brabantiae poſt obitum Duciſſae *Johannae.* *5.* Telonia nova ad Rhenum abrogaturus. *6.* Electores illorumque terras adverſus vim injuſtam protecturus. HAEBERLIN *Tom. 4. f. 249. Sigismundus* ſeſe itidem obligare debuit ad pacem Eccleſiae omni ratione procurandam; quodque, ante quam Pontifex unanimi calculo quidam agnoſceretur, iis qui in Germania *Gregorio XII.* adhaererent, ſecuritatem praeſtare vellet. Capitulationem *Maximiliani I.*, de qua *Goldaſtus*, genuinam non eſſe evincit VITRIAR. *L. 1. Tit. VII. §. 1. Conf.* PFEFFINGER *ad cit. Tit.* STRUV *Corp. Jur. Publ. C. VI.* Si demum huc trahere velis id, quod Candidati coronae Caeſareae perſaepe Electoribus non tam in Imperii quam proprium eorum commodum polliceri debebant, exempla habes apud L. B. DE GUDENUS *Tom. III. p. 97. ſeqq. 100. ſeqq.*, et alibi. HAEBERLIN *Tom. 2. p. 668. Tom. 3. p. 103.* WÜRDWEIN *in Subſid. diplomat. ad Jus Eccleſ. et Hiſtor. Tom. 1. N. 81. 82. 90. &c.*

Ad ejusdem Cap §. X. ſeqq. Illud quoque adhuc de iſtis Capitulationibus animadverſione dignum, quod habet BUDER *Diſſ de Capitulationibus Epiſcoporum Germaniae §. XVI.* ſeqq., eo praeſertim aevo, quo necdum omnimo ab electionibus excluſus erat populus, aut in Germania ita dicti Eccleſiarum *Miniſteriales*, quos conſtat magnam in rebus Eccleſiae auctoritatem habuiſſe, Capitulationes iſtas confectas fuiſſe intervenientibus praeter Capitulum Cathedrale iſtis *Miniſterialibus*, *Ordinibus provinciae*, Magiſtratibus etiam Urbium &c. ita inter alios apud LUDEWIGIUM *in Scriptor. rer. Wirceb. p.*







NOV 3 - 1942